SCIPIONIS AMIRATI ... DISSERTATIONES POLITICAE SIUE DISCURSUS IN C. CORNELIUM...

Scipione Ammirato, Publius Cornelius Tacitus, Christophorus Pflugius

Digitized by Google

9
2-E
5
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
9
1 C
10
M
9 2 . E . 5
Digitized by Google

Digitized by Google

XXIV. 6. 26.

Digitized by Google





SCIPIONIS AMIRATI

celeberrimi inter neotericos ſcriptoris,

DISSERTATIONES POLITICÆ

SIVE

DISCVRSVS

IN

C. CORNELIVM TACITVM;

Nuper ex Italico in Latinum verſi, & cum toto rei politicæ ſtudioſorum orbe communicati.

Quibus præmiſſæ ſunt ex eodem TACITO *excerptæ*

DIGRESSIONES POLITICÆ

à

CHRISTOPHORO PFLVGIO EQVITE MISNICO, viro imaginibus, & doctrinâ præclaro, indicatæ obiter amico ſtudioſo.

Acceſſere ſeorſim ob argumenti ſimilitudinem, ſummamq; operis elegantiam

DE REGIS, AC REGNI INSTITVTIONE

LIBRI III.

Cum elenchis Capitum, & accuratis Indicibus vnicuique operi adiunctis.

Cum gratia, & conſenſu Superiorum.

HELENOPOLI,
Impenſis Ioannis Theobaldi Schönvvetteri,
Prælo Richteriano M. DC. IX.





BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

PERILLVSTRI, ET CL. V.

ALBERTO FABRIANO

INCLYTÆ PHILHARMONICORVM ACADEMIÆ PRINCIPI

IVLIVS BELLVS

IVSTINOPOLITANVS

S. P. D.

V*ERONAM quiſquis adit, & amphitheatrum, arcus, trophæa, ſtatuas, antiquorũ operum moles, arces, mœnia, propugnacula, turres, pontes, palatia, hippodromum, Atheſis amœnitatem, montium proſpectus, & cætera id genus, vulgaribus oculis patentia, contuetur; is profecto materiam vrbis, non ciuitatem, quæ ipſius vrbis forma, & anima eſt, introſpicit. Nã quãuis illa mirifica ſint, & ſingulari naturæ atq; artis munere in vnum locũ plena manu congeſta eſſe videantur: tamen ſimilia poſſe alibi, ſaltẽ diſperſe, inueniri nõ contendam: At ciuitatis huius prærogatiuas quæ vſquam gentium exæquabit ciuitas? Paret quidem Imperio Veneto, ſed ita paret, vt ſub patrocinio magis, quã ſub dominatu illius exiſtat: nempe ciues, publicæ poteſtatis partici-*

pes, viciſſitudine parendi, & imperandi, virtutes omnis generis fe- liciter exercent, & qui boni viri audiunt, iidem (quod rarum) boni ciues cenſentur. Maiorum gentium laudes clariſſimis hiſtoriarum monumentis conſignatæ circumferuntur: ſed præſentem ciuium glo- riam quis Momus audeat diminuere? Vbi frequẽtior nobilitas? vbi litteris & armis excultior? vbi liberalium artuum ſtudioſior, & ad laudabilia quæq; propenſior? Spartæ optimum erat ſeneſcere, quia, cæteris ætatibus ad furorem militarem inclinantibus, ſola ſeniorũ moderatio, & virtus honorem merebatur: At VERONÆ *adoleſcere etiam, & virilem ætatem agere optimum, & honorificum eſt: quip- pe ſeniles in adoleſcentibus, nedum in viris, mores apparent. Spi- rant quidem generoſitatem, & Martiale robur, vtque in lana in- eſt color, neque poteſt elui, ita, fortitudinis colore tincti, cedere ne- ſcii videntur: ſed rectæ educationis ope manſuefacti, pertractabi- les ſunt, inter ſe amantes, exteris benigniſſimi. Huiuſce rei cauſſas cogitanti mihi, præcipua illa obueniebat, antiquos legumlatores ita populos ſuos inſtituendos cenſuiſſe, vt frigidiores, & ſegnes na- tiones ad fortitudinis opera vino excitarẽt; feruidas nimium, & ad feritatem propenſas muſicâ ſedarent. Hinc aliæ gentes temperato potu, & Spartani exciſis vitibus muſicam induxerunt; nonnullæ vino, ſiue alio tantundem exhilarante potionis gènere recepto, do- cta, & ingenioſa quæque modulamina faſtidiuerunt: proinde Ar- ctous orbis noſtrâ quoque tempeſtate natiuam tarditatem emendat eò commodius, quo potat alacrius, nihilque publice, aut priuatim expedit opportunius, quàm cum temeto calet caput. Vbi vero loco- rum efferueſcunt, ebulliuntque animorum cupiditates, illic, niſi mu- ſicæ temperamentum, iuxta ſummorum Philoſophorum ſentẽtiam, adhibeatur, eas ad inſaniam effluere, & effundi in vitia, neceſſe eſt.*

Sapienter

pienter igitur, & percõmode cum VERONENSI nobilitate actum
ſſe mihi videtur, vt recepto à maioribus, auctoq; à viuentibus in-
uto, muſica variis in cœtibus vbiq; percolatur. Inter quos Phil-
rmonicorum Academia muſicæ, & politiorum literarum exerci-
tionis laude adeo præſtat, vt toto orbe terrarum laudabilius ni-
l eſſe videatur. Illiberales muſicos, qui nobiliſsimam, ſolisq; Prin-
ibus, & ſapientibus dignam artem dehoneſtant, & quicunque
pirici quodammodo muſici ſunt, laudent alij. Ego eos tantum in
lum vſque efferendos eſſe puto, qui virtutis augendæ, appetitus
mandi, ciuiliter, beateque viuendi gratiâ harmonicis numeris v-
ntur, quemadmodum & vetuſtiſſimis temporibus iidem muſici,
ui etiam vates, & ſapientes, ſeu theologi habebantur: Cum enim
undus, mundique partes, & elementa muſicis numeris conſtent,
os autem breues & minores mundos numeris ſe ipſos mouentibus
nſtitutos, Deumque ipſum numerorum omnium fontem, & mona-
em eſſe, præſtantiſſimi philoſophantium definiuerint; quis nomi-
is huius honorem iſtis largietur verorum muſicorum ſimiis, qui re-
um naturalium cauſas ignorant, qui diapaſon, tanquam concentũ
niuerſalem rationi, excandeſcentiæ diapente, cupiditati diateſſa-
on accommodari nunquam ſpeculantur; qui diuerſæ temporum,
ominumque conſtitutioni reſpondentes tropos non referunt, ſe-
riis rebus Dorium, bello Phrygium, excitandæ menti Lydium:
qui denique parum callent, quod muſicæ genus cuique reipub. cui-
que hominum ſocietati, cuique homini, & humano affectui congru-
at? Sic Plato Lydias modulationes accommodatas gemitibus
à ſua republica exploſit, & Timotheus Alexandrum, tonis
Phrygio, Dorioque mutatis, ad arma ſumenda, mox deponen-
da compulit. Ob quarum rerum ſcientiam, quæ miranda olim

domi, militiæque legislatores, & ſapientes effecerint, præteribo tacitus, quoniam ad te, FABRIANE *generoſiſſime, Philharmonicorum Principem verba facio: qui non, vt plerique, hebes, & quaſi claudus, tãtumque empiricus in hoc ſtudio ſæpe verſaris, ſed optimis litterarum diſciplinis perornatus, morum temperatione eximius, demum peregrinationibus eruditus, nihil eorum, quæ ad vniuerſam naturam, ad moralem perfectionem, ad ciuilem felicitatem ſpectãt, ignoras. Hæc ſcilicet eſt vera muſica, pectoris ſui penetralia purgati animi virtutibus excolere, & ad normam vniuerſæ mundi harmoniæ concordare: nunquam te Diogenes (quod aliquando feciſſe aduerſus tui diſſimiles legitur) in ius vocaſſet, quòd, congrue aptatis lyræ chordis, mores inconcinnos haberes. Quamobrem prudenter te in Principem ſuum prælegerunt Academici tui, hoc eſt, illibatus* VERONENSIVM *flos; Non enim in iſtum cœtũ admittitur, niſi qui virtutum dignitate, nominis amplitudine, generis claritate præcellunt: adeo vt qualem ſalubritatem, & oblectationem obtinet ver in anno, eiusmodi ſit* VERONÆ *iuuenum Philharmonicorum ſplendor, & honeſtas. Quem Principatum vulgus more ſuo parum fortaſſe curat, plurisque facturum eſt vel maiorum tuorum virtutem, quos longo ordine numeras, quondam in Britannia inſula illuſtriſſimis familiis, quin etiam (quod non ignoramus) Regio ſtemmati affinitate coniunctos, vel ſuſpiciet promptius, diſperſos in præſens per Germaniam, gentiles tuos, viros opibus, & autoritate pollentes; vel denique domum tuam, cum per ſe, tum præcipuæ nobilitatis cognationibus, affinitatibus, & amicitiis potentem, libentius præferet; Atqui mihi, communia hæc non valde miranti, potius eſt, & antiquius, ob eam cauſam magis ac magis te diligere, teque prædicare, quod iudicio virtutis amantium non inter plebeios, incultoſ-*

que ho-

que homines, ſed inter nobiliſſimos, atque ornatiſſimos primus, & qualicunque imperio dignus habeare. Huius autẽ beneuolæ animi mei in te propenſionis etſi Martinum Haſdalium, virum plurimo rerum vſu inſignem, officioſiſſimum, integerrimum, tibique recenti conſuetudine probe cognitum, teſtem habeo locupletiſſimum: tamen exiſtimaui, operæprecium fore, vt in præſentia tibi eiuſdem beneuolentiæ meæ indicium aliquod, atque argumentum ipſe præberem. Cũ vero per occaſionem ſtudioſæ peregrinationis meæ contigiſſet, vt Andreæ Matthæi Aquiuiui Hadrianorũ, Interamnatumq; Ducis muſica, & moralia quędã in gratiam illuſtriſſimorum hominum typis mandanda curarẽ, & vno eodemq; tempore Scipionis Amirati, exoptatiſſimas ab Italicæ linguæ ignaris diſſertationes edere mei iuris eſſet; potiſſimum tibi opus hoc dedicare decreui: non quò rem nouam (tritus eſt enim, & iam pridem apud nos lectitatus autor) tibi, Italisque ingenijs, hoc ſubſidio minime indigentibus, mitterem; ſed vt Amiratus ipſe amicorum opera latinitate donatus, tui, per Germaniam notiſſimi, nominis dignitatem in fronte gerẽs, ſimul meam erga virtutes tuas obſeruantiam cunctis atteſtaretur. Erunt quidẽ in hoc ſeptentrione, qui limatius loquentem autorem hunc deſideraturi ſunt, ſed induſtriam alienam, operamque meam æqui cõſulent, vt ſpero, ſi id laboris ſponte, & ingenue ad ſui vtilitatem cogitauerint ſuſceptum fuiſſe. Plurimum debebitur (id ego præſto, & fideiubeo) cenſoribus, & emendatoribus quibuſcunque. Interim, vt monuit Ariſtoteles, Agẽdas eſſe cognoſcãt gratias iis, qui ante nos errauerunt: conferunt n. *inquit,* aliquid etiam iſti, habitũ namq; noſtrum exercuerunt: ſi enim Timotheus non fuiſſet, multum melodiæ nequaquam habuiſſemus: ſi tamen Phrynis non extitiſſet, ne Timotheus quidem. *Accedit Amirato pere-*

legans

legans de Inſtitutione Regis, Regniq; libellus, quo te ipſum muneror eo libentius, quo rei politicæ te ſtudioſiſſimum etiamnunc eſſe, non dubito, quando ab ineunte ætate tuâ ad omnia te laudabilia genitum, & ad grauiora ſapientiæ ſtudia anhelantem recordor. Aliena, inquies, aut vix tua donas, dedicaſque. Anne oblitus es, Æſchinem, pauperem Socratis auditorem, cum cæteros videret condiſcipulos, amplis muneribus magiſtrum ornantes, Me ipſum, *dixiſſe,* nihil habens reliqui, tibi dono? *Cui Socrates:* Quid ni tu mihi magnum munus dederis, niſi fortè paruo te æſtimas? Habebo itaque curæ, vt te meliorem tibi reddam, quàm accepi *Me ipſum igitur,* ALBERTE *clariſſime, tuæ virtutis ergo, acceſſionem ad hæc, & veluti mantiſſam habeto. Vale.*

IVLIVS BELLVS LECTORI S.

NOuarum rerum ſtudium, humano generi ſolens, gratumq́;, cũ rebuſp. tũ ad magna natis adoleſcentium ingeniis noxium, infeſtumq́; eſſe, dum mecum reputo; ſæpius in mentem venit mirari, cur Scipionis Amirati in Tacitum magis, quàm Taciti ipſius de re ciuili diſputationes habeamus cognitas. Quam admirationem meam magis magisq; auget ipſum diſſerendi genus, adeò diuerſum, & diſcrepãs inter ſe, vt vel Tacitum, vel qui eius non ſequuntur veſtigia, poſſis arguere; niſi forte cenſeas in eiuſmodi ſcripturæ genere aliud rerum auctorem per digreſſionem decere, aliud laudi ponẽdum eſſe illi, qui hoc ipſum promittat, neq; agat aliud. Interea omnibus conſtare arbitror, in Taciti diſputationibus plus eſſe negotii, in his, qui neotericorum inſiſtunt veſtigiis, maius otium deprehendi, & neſcio, quid ſuperuacanei ex inſcitia reip. & vmbratica illa doctrina, nonnullis nationibus adeò frequenti, vt, poſteaquam nugarum maximarum veluti delectum egerunt, eas opulenti Theſauri titulo, atq; indice venditare non dubitent. Quare conſilium mihi fuit, ipſas proponere Taciti diſputationes, quas paſſim operi ſuo inſeruit, vt Magiſtri prudentiæ, quorum hoc ſeculo prouentus maximus eſt, modum ex ſapientia, optimo exemplo primum diſcant, dein doceant cęteros. Quoniam vero benignum eſt (inquit ille) & plenũ ingenui pu-

doris fateri, per quos profeceris, mihi ꝑ hoc munere nihil, ſtudioſe lector, debeas. Scito, cum peregrinandi ſtudio Germaniam peragrarem, & cognoſcendi viros doctrinæ famâ pręſtantes deſiderio ducerer, incidiſſe me bono quodam meo fato in CHRISTOPHORVM PFLVGIVM Eq. Miſnicum; Deus bone, quem virum? Equidem, vt ſummam eius humanitatem, modeſtiam, & beneficentiam prætermittam, quibuſvis optimarum diſciplinarum ſtudiis excultum, incredibili memorandi facultate, & eximiis ingenii laudibus inſignem, virum deniq; ſingularibus & naturæ, & artis priuilegiis ornatiſſimum: naturæ primum, quia ſi quis maiorum ipſius claritatem reſpexerit, & vel in vnū, præter cæteros, IVLIVM PFLVGIVM, qui vltimus omnium Numbergenſis Epiſcopus, & Princeps extitit, mentis oculos defixerit, is Chriſtophoro nobiliſſimæ prærogatiuæ laudem cogetur attribuere. Hic enim ille eſt Iulius Epiſcopus, qui auorum noſtrorum memoria ob diſſidentes de religione ſententias fluctuante Germania, prudentiſſimis conſiliis, eloquentiæ fulmine, ſanctitatis exemplo, arduis conatibus Chriſtianam remp. mirificè iuuit, vetuitq́;, ne longè lateq́; ſerpente hæreſum morbo totum patriæ corpus inficeretur: extat inter illius ſcripta ad Principes, populoſq́; Germaniæ luculentiſſima oratio, expreſſum magnæ prudentię, charitatis, doctrinę monumentum, quam apud pleroſq́; omnes Germanos aureis litteris deſcriptam non haberi, neq; manibus teri, valde mirarer, niſi maior eorum pars ferocibus obruta ſtudiis ſurdas ad veritatem, & ad generoſa verba aures haberet. Tanti viri ſimilima propago

Chriſtophorus ad naturæ munera tot artis, & induſtriæ labores adiunxit, vt inter doctos doctiſſimus domeſticam gloriam egregiè continuauerit, tantumq́; meritorum apud bonos quoslibet animi virtutibus conſecutus ſit, quantum ad maximos quoſq; honores pro dignitate ſuſtentandos abundè futurum eſſe videatur. Colloquebamur aliquando nonnihil de re litteraria, varioſq́; præſertim de Italicis quibuſdam ingeniis, rei politicæ plus iuſto deditis, ſermones ſerebamus: abſurdam rem quibuſdam videri, aiebat, ciuilis facultatis præcepta ab iis viris tradi, qui libertatē ne ſummis quidem labris deguſtant, coguntur q́; ad placitum potentiorum, non ad ſuæ normam rationis diſſerere, & de tota rep. eas plerunq; ſententias proferre, quæ dominantium rei conducunt magis, quàm naturæ conſentiunt. Quędam excuſanti mihi, quibuſdam apertè refraganti, ſapiēter ſubiungebat, plurimis ſaltem Italorum nō eximi, quin verboſis diſſertationum mæandris, & phaleratis nimium circuitionibus, adeò diſcurrant, vt haud raro in orationis flumine mentis gutta deſideretur, nihilq́; diſcurſibus iis eſſe videatur hominibus ad ſolidam doctrinam aſpirātibus mouendo faſtidio, ſtomachoq́; aptius: eccur veterum autorū diſcurſus poſthaberi, quos hiſtoriis ſuis paſſim pulcherrimo rerum delectu, quà politicè, quà geographicè, interſerere conſueuerunt? profectò ſatius eſſe, horum digreſſiones vnà cum rebus grauiſſimis, ex quibus eliciuntur, admirari, quàm eorum, qui ſententiolam caſu excerptam, quatuor exemplis, totidemq́; ſimilitudinibus circumueſtitam, tanquam folium Sibyllæ, credulis ingerunt: oſtendebat

mihi (præter cætera ſapiente, & in rebus agendis conſummato Philoſopho digniſſima opera) volumen propediem in lucem edendum, quo ille omnes omnium & Græcæ, & Latinæ hiſtoriæ ſcriptorum digreſſiones collectas, & in ordinem digeſtas, doctiſſimis illuſtrauerat ſcholiis, & interiectis ſuo Marte obſeruationibus ampliauerat. Accidit deinde, vt cum paucis poſt menſibus præſentium Amirati diſcurſuum editioni fortè intereſſem, operæprecium fore putauerim, ſi ego ipſe, perlecto animi cauſſa Tacito, quaſdam eiuſdem digreſſiones ob oculos tibi ponerem, vt ſaltem hoc exemplo ſcripturienti huic ſeculo priſcam modeſtiam obiiciens, quantum à nimio loquentiæ fluxu temperandum, & quàm breuiore compendio ad ſapientiam contendendum ſit, intelligas. Hoc ſtudium meum vt boni conſulas, vehementer te etiam atque etiam rogo.

DIGRESSIONVM POLITICARVM EX C. CORN. TACITO EXCERPTARVM ELENCHVS.

. *De vrbis, & orbis Romani conuerſionibus ab V. C. vſque ad principatum Auguſti.*

De ſcriptoribus rerum Romanarum.

I I. *De lege maieſtatis, & delatoribus eius criminis.*

II. *Principem præſidere cognitionibus, haud è rep. eſſe.*

V. *Cur Tiberius ſpectaculis gladiatorum abſtinuerit.*

Quibus de cauſſis Tiberius continuare imperia, ac pleroſq; ad finem vitæ in iiſdem exercitibus, atque iuriſdictionibus habere ſolitus fuerit.

. *De comitiis conſularibus, & quo aſtu Tiberius iis præfuerit.*

I. *De inſula Batauorum: de Rheno, Vahali, & Moſa fluminibus.*

II. *De colophone, & oraculo Apollinis Clarii.*

III. *De moribus Armeniorum.*

X. *De AEgypto inter dominationis arcana ab Auguſto ſepoſita.*

. *Elogium Germanici, qui Alexandro Magno præfertur, nedum cum eo comparatur.*

I. *Arminium omnium, qui vnquam laceſſiuerint Romanum Imperium, fortiſſimum fuiſſe.*

Græcos ſua tantum mirari, Romanos vetera extollere, recentia negligere.

II. *De imbecillitate prudentiæ humanæ.*

III. *Cur maxima quæq; ambigua ſint.*

XIV. De principiis iuris, & quibus modis legum multitudo in Romana reip. exundauerit.

XV. Quare conſultores Principum ætate prouecta ſpeciem magis principalis amicitiæ, quam vim retineant.

XVI. De luxu, & parſimonia vrbis.

XVII. De Tribunitia poteſtate.

Quæ ſint hiſtorici partes, præſertim corruptis temporibus.

XVIII. De nomine Imperatoris, & vocabuli eius honore.

XIX. De ſtatu rei Romanæ ſub Tiberio Imp.

XX. Claro ſub exemplo falſas auditiones pellendas eſſe.

XXI. Principes maximis clarorum virorum meritis fortunam ſuam deſtrui, exiſtimare, & pro beneficiis, quæ exſolui non poſſunt, odium reddere.

XXII. De conſilio humano.

XXIII De veteri populi Romani more donandi, atq; honorandi reges ſocios ob virtutem.

XXIV. De ſcriptoribus Romanis.

De prudentia politica pro reip. ſtatu.

XXV. De tyrannica abolitione memoriæ rerum.

XXVI. De moribus Thracum.

XXVII. De cauſis ſeceſſus Tiberii in Campaniam.

XXVIII. De monte Querquetulano, ſiue Cælio; item de vico Thuſco.

XXIX. De Capreis inſula, & cur Tiberius in ea ſe abdiderit.

XXX. Tyrannos ſcelerum ſuorum miniſtros tandem affligere ſolere.

XXXI. Ipſis quoq; tyrannis facinora, atq; flagitia ſua exoſa eſſe, & in ſupplicium vertere.

XXXII. De origine, ac poteſtate præfecti vrbis.

XXXIII. De fæneratoribus, & modo fænoris legibus olim præſcripto.

XXXIV. De fato, & caſu.

XXXV. De Phœnice hiſtoria, an fabula lepida, & iucunda.

XXXVI. Bonam iuuentam ſæpius flagitioſa ſenectute oblitterari.

XXXVII. De Seleucenſium rebus.

Accitos in partem aduerſus omnes valeſcere.

Reges imperium ciuitatum cur paucis potius, quam populo committant.

XXXVIII. De ludis ſecularibus.

XXXIX. *De inuentoribus litterarum.*

XL. *De magiſtratibus, & iudiciis.*

XLI. *De patriciis maiorum, & minorum gentium.*

XLII. *De pomœrio vrbis.*

XLIII. *De cauſa frequentis caritatis annonæ in Italia.*

XLIV. *De more regum Aſiaticorum in amicitia, ac ſocietate per mutui ſanguinis deguſtationem firmanda.*

XLV. *De legis actione, & iudiciis.*

XLVI. *De ſitu Byzantii, & Apollinis reſponſo.*

XLVII. *Turpiſſimum eſſe Principi aliena egere facundia.*

XLVIII. *De quæſtoribus ærarii.*

XLIX. *De coloniis.*

L. *Quæ ſub bonis principibus rerum ſecundarum, ſub tyrannis publicæ cladis inſignia ſunt.*

LI. *De reſtauratione vrbis Romæ.*

LII. *De adulatione Senatus, plebis, exercitus amicorum libertinorum.*

Viris vita, morteq; illuſtribus vt ſeparatas ſepulturas, ita & propriam deberi memoriam.

LIII. *De cauſis corruptæ veritatis hiſtoriarum.*

LIV. *De ſtatu rei Romanæ ſub Imp. Galba.*

LV. *De mathematicis.*

LVI. *De vacatione militari.*

LVII. *Peſſimum quemque aduerſus publicum odium priuatam gratiam præparare.*

LVIII. *Prodigia, rudibus ſeculis, etiam in pace obſeruata: male cultis tantum in metu audiri.*

LIX. *In bellis ciuilibus omnem pecuniam in militum vſum conuerti, & magno vulgi mœrore, alimentorum pretia intendi.*

LX. *De Paphiæ Veneris delubro, & effigie.*

Ex duorum moribus egregii Principis effictæ virtutes.

LXI. *Cur Oriens pacatior antiquitus Occidente.*

LXII. *Moribus, ac veſtibus externis abſtinendum eſſe, præſertim exercituum ductoribus.*

LXIII. *De priſcis ac nouis moribus.*

LXIV. *Vel horam in imperio viuere iucundum eſſe.*

LXV. *De bellorum ciuilium truculentia.*

LXVI. *Inter ſumma, & præcipitia nihil medium eſſe, memorabili experimento.*
LXVII. *De Capitolii Romani ædificatione, reſtauratione, & incendio.*
LXVIII. *De truculento flagrantis patriæ ſpectaculo, quo altera pars Romani populi lætabatur, altera furiebat.*
LXIX. *Diſcordias ducum facinoribus cauſas, & initium præbere.*
LXX. *De reſtitutione Capitolii Romani & ceremoniis dedicandi.*
LXXI. *De fictitiis, & fabuloſis (vt credere fas eſt) Veſpaſiani miraculis.*
De ipſius in templum Iouis Ditis ingreſſu.
De numinis origine.
LXXII. *De Libano monte, Iordane fluuio, Aſphaltite lacu.*
LXXIII. *De Cimbrorum gloria, & cæterorum Germanorum virtute.*
LXXIV. *De ſcriptoribus rerum Romanarum.*
De infeſtiſſimis virtuti temporibus.
Tardiora eſſe remedia, quam mala.
LXXV. *Ex ſapientia modum retinere difficillimum eſſe.*
LXXVI. *De Britannia ſitu, & forma.*
LXXVII. *De virtute ciuis ſub malo Principe.*

DIGRESSIONES POLITICÆ EXCERPTÆ EX C. CORN. TACITO,

Quibus hodierna de Rep. diſſerentium audacia priſco Romanæ modeſtiæ exemplo in ordinem cogitur.

De vrbis & orbis Romani conuerſionibus ab V. C. vſque ad principatum Augusti. 2. De Scriptoribus rerum Romanarum.

VRbem Romam à principio Reges habuere. Libertatem, & Conſulatum L. Brutus inſtituit. Dictaturæ ad tempus ſumebantur: neque Decemuiralis poteſtas vltra biennium, neque Tribunorum militum conſulare ius diu valuit. Non Cinnæ, non Sullæ longa dominatio, & Pompeii, Craſſique potentia cito in Cæſarem: Lepidi, atq; Antonii arma in Auguſtum ceſſere, qui cuncta diſcordiis ciuilibus feſſa, nomine Principis ſub imperium accepit. Sed veteris Populi R. proſpera, vel aduerſa, claris Scriptorib. memorata ſunt: temporibusque Auguſti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliſcente adulatione deterrerētur. Tiberii, Caiiq;, & Claudii, ac Neronis res florentibus ipſis, ob metum falſæ, poſtquam occiderant, recentibus odiis, compoſitæ ſunt. Inde conſilium mihi pauca de Auguſto, & extrema tradere: mox Tiberii principatum, & cætera: ſine ira, & ſtudio, quorum cauſſas procul habeo. *Annal. lib. 1.*

De lege Maieſtatis, & delatoribus eius criminis.

Etſi Tiberius nomen Patris P. & in acta ſua iurari, recuſauerat, & parua ciuiliter meditabat; non tamen, &c.

NOn tamen ideo faciebat fidem ciuilis animi: nam legem maieſtatis reduxerat; cui nomen apud veteres idem, ſed alia in iudicium veniebant, ſi quis proditione exercitum, aut plebem ſeditionibus, denique male geſta reip. maieſtatem populi Romani minuiſſet. Facta arguebantur, dicta impune erant. Primus Auguſtus cognitionem de famoſis libellis, ſpecie legis eius tractauit, commotus Caſſii Seueri libidine, qua viros, feminaſq; inluſtres procacibus ſcriptis diffamauerat: mox Tiberius, conſultante Pompeio Macro prætore, an iudicia maieſtatis redderentur, exercendas leges eſſe, reſpondit. Hunc quoque aſperauere carmina, incertis auctoribus vulgata in ſæuitiam, ſuperbiamque eius, & diſcordem cum matre animum. Haud pigebit referrre, in Falanio & Rubrio, modicis equitibus Romanis, prætentata crimina: vt quibus initiis, quanta Tiberii arte, grauiſſimum exitium irrepſerit, dein repreſſum ſit, poſtremo arſerit, cunctaque corripuerit, noſcatur. Falanio obiiciebat accuſator, quod inter cultores Auguſti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Caſſium quendam mimum, corpore infamem, adſciuiſſet: quodque venditis hortis, ſtatuam Auguſti ſimul mancipaſſet: Rubrio crimini dabatur, violatum periurio nomen Auguſti. Quæ vbi Tiberio notuere, ſcripſit Conſulibus, *Non ideo decretum patri ſuo cælum, vt in perniciem ciuium is honor verteretur. Caſſium hiſtrionem ſolitum inter alios eiuſdem artis intereſſe ludis, quos mater ſua in memoriam Auguſti ſacraſſet. Nec contra religiones fieri, quod effigies eius, vt alia numinum ſimulacra, venditionibus hortorum, & domuum accedant. Iuſiurandum perinde æſtimandum, quam ſi Iouem feſelliſſet: Deorum iniurias Diis curæ.* Nec multo poſt, Granium Marcellum prætorem Bithyniæ, Quæſtor ipſius Cæpio Criſpinus maieſtatis poſtulauit, ſubſcribente Romano Hiſpone; qui formam vitæ iniit, quam poſtea celebrem miſeriæ temporum, & audaciæ hominum fecerunt. Nam egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis ſæuitiæ principis adrepit, mox clariſſimo cuique periculum faceſſit, potentiam apud vnum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplum, quod ſecuti,

Initium ſæuiendi ob crimen læſæ maieſtatis.

Delatorũ rabies, togata ciuitati quolibet ciuili bello infeſtior, vnde, & à quo incepta.

cuti, ex pauperibus diuites, ex contemptis metuendi, perniciem aliis, ac poſtremum ſibi inuenere.

Principem præſidere cognitionibus, haudè rep. eſſe.

NEc patrum cognitionibus ſatiatus (*ſcilicet Tiberius*) iudiciis adſidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret: multaque eo coram, aduerſus ambitum, & potentium preces conſtituta. Sed dum veritati conſulitur, libertas corrumpebatur.

O verſipellem adſeſſorem, & conſiliarium.

Cur Tiberius ſpectaculis gladiatorum abſtinuerit.

EDendis gladiatoribus, quos Germanici fratris, ac ſuo nomine obtulerat, Druſus præſedit, quamquam vili ſanguine nimis gaudens; quod vulgus formidoloſum, & pater arguiſſe dicebatur; Cur abſtinuerit ſpectaculo ipſe, varie trahebant; alii tædio cætus, quidam triſtitia ingenii, & metu comparationis, quia Auguſtus comiter interfuiſſet. Non crediderim, ad oſtentandam ſæuitiam, mouendaſq; populi offenſiones, conceſſam filio materiem; quamquam id quoque dictum eſt.

Quicquid horum fuerit, à vitio dolove profectum eſt.

Quibus de cauſis Tiberius continuare imperia, ac pleroſque ad finem vitæ in iiſdem exercitibus, atque iuriſditionibus habere ſolitus fuerit.

ID quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia, ac pleroſq; ad finem vitæ in iiſdem exercitibus, aut iuriſditionibus habere. Cauſſæ variæ traduntur; alii tædio nouæ curæ, ſemel placita pro æternis ſeruauiſſe; quidam inuidia, ne plures fruerentur. Sunt, qui exiſtiment, vt callidum eius ingenium, ita anxium iudicium; neq; enim eminentes virtutes ſectabatur, & rurſum vitia oderat; ex optimis periculum ſibi, à peſſimis dedecus publicum metuebat; qua hæſitatione poſtremo eo prouectus eſt, vt mandauerit quibuſdam prouincias, quos egredi vrbe non erat paſſurus.

Tyrannorum mentes metu terenni, maliſque conſultis dilacerata.

De Comitiis Conſularibus, & quo aſtu Tiberius iis præfuerit.

DE Comitiis Conſularibus, quæ tum primum, illo principe, ac deinceps fuere, vix quidquam firmare auſim: adeo diuerſa non modo apud auctores, ſed in ipſius orationibus reperiuntur. Modo ſubtractis candidatorum nominibus, originem cuiusque & vitam, & ſtipendia deſcripſit, vt, qui forent, intelligerentur: aliquando ea quoque ſignificatione ſubtracta, candidatos hortatus, ne ambitu comitia turbarent, ſuam ad id curam pollicitus eſt: plerumque eos tantum apud ſe profeſſos diſſeruit, quorum nomina Conſulibus edidiſſet: poſſe & alios profiteri, ſi gratiæ, aut meritis confiderent. Specioſa verbis, re inania, aut ſubdola: quantoque maiore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infenſius ſeruitium.

Ita ſolus creabat Coſſ. & Senatui ſuffragii ſimulacrum permittebat.

De inſula Batauorum: de Rheno: Vahali, & Moſa fluminibus.

INſula Batauorum, in quam conuenirent prædicta, ob faciles adpulſus, accipiendisque copiis, & transmittendum ad bellum opportuna. Nam Rhenus vno alueo continuus, aut modicas inſulas circumueniens, apud principium agri Batavi, velut in duos amnes diuiditur, ſeruatq; nomen, & violentiam curſus, qua Germaniam præuehitur, donec Oceano miſceatur: ad Gallicam ripam latior, & placidior adfluens, verſo cognomento Vahalen accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Moſa flumine, eiusque immenſo ore eundem in Oceanum effunditur.

Annal. lib. 2. Prædicta, ſcil. quæ ad bellum Cattis inferendum apparata erant.

Geographica digreſſio cum nonnullis ſeqq.

De Colophone & oraculo Apollinis Clarii.

IGitur viſo Ilio, quæque ibi varietate fortunæ, & noſtri origine veneranda, relegit Aſiam, appellitque Colophona, vt Clarii Apollinis oraculo vteretur. Non fœmina illic, vt apud Delphos, ſed certis è familiis, & ferme Mileto accitus ſacerdos, numerum modo conſultantium, & nomina audit: tum in ſpecum degreſſus, hauſta fontis arcani aqua, ignarus plerunque literarum, & carminum edit reſponſa, verſibus compoſitis ſuper rebus, quas quis mente

Germanici iter in Aſiam ante hunc locum deſcribitur.

concepit, & ferebatur, Germanico per ambages, vt mos oraculis, maturum exitium cecinisſe.

De moribus Armeniorum.

NOta hæc Germanico, ſed præuerti ad Armenios inſtantior cura fuit. Ambigua gens ea antiquitus, hominum ingeniis, & ſitu terrarum, quo noſtris principiis late prætenta, penitus ad Medos porrigitur, maximisque imperiis interiecti, & ſępius diſcordes ſunt, aduerſus Romanos odio, & in Parthum inuidia.

Nota ſcilicet fraudes Piſonis & Plancinæ.

De Ægypto inter dominationis arcana ab Auguſto ſepoſita.

NAm Auguſtus inter alia dominationis arcana, vetitis, niſi permiſſu, ingredi Senatoribus, aut equitibus Romanis illuſtrib. ſepoſuit Ægyptum: ne fame vrgeret Italiam, quiſquis eam prouinciam, clauſtraque terræ, ac maris, quamuis leui præſidio aduerſum ingentes exercitus inſediſſet.

Tiberius ſiquidem acerrime Germanicum increpuerat, quod non ſpõte Principis Alexandriam introiſſet.

Elogium Germanici, qui Alexandro Magno præfertur, nedum cum eo comparatur.

FVnus ſine imaginibus, & pompa per laudes, & memoriam virtutum eius celebre fuit. Et erant, qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adæquarent. Nam vtrumque corpore decoro, genere inſigni, haud multum triginta annos egreſſum, ſuorum inſidiis, externas inter gentes occidiſſe. Sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, vno matrimonio, certis liberis egiſſe: neque minus præliatorem, etiamſi temeritas abfuerit, præpeditumque ſit perculſas tot victoriis Germanias ſeruitio premere: quod ſi ſolus arbiter rerum, ſi iure, & nomine regio fuiſſet, tanto promptius adſecuturum gloriam militiæ, quantum clementia, temperantia, cæteris bonis artibus præſtitiſſet.

Quis elegantius, iuſtiusve, an Velleius Cæſarem, an hic Germanicum Alexandro contulerit, cogita.

Arminium omnium, qui vnquam laceſsiuerint Romanum imperium, fortiſsimum fuiſſe. 2. Græcos ſua tantum mirari, Romanos vetera extollere, recentia negligere.

Sæpe virtutes minuit fama, plerumq; ſilet, modo amplificat nimis.

CÆterum Arminius, abſcedentibus Romanis, & pulſo Maroboduo, regnum adfectans, libertatem popularium aduerſam habuit; petituſque armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubie Germaniæ, & qui non primordia populi Romani, ſicut alii reges, duceſque, ſed florentiſſimum imperium laceſſierit; prælíis ambiguus, bello non victus. ſeptem & triginta annos vitæ, duodecim potentiæ expleuit; canitur que adhuc barbaras apud gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui ſua tantum mirantur; Romanis haud perinde celebris, dũ vetera extollimus, recentium incurioſi.

De imbecillitate prudentiæ humanæ.

Annal. lib. 3. Claudius n. omiſſus fuerat à Meſſalino in gratiis agendis ob vin. [illegible] Germanici.

MIhi quanto plura recentium, ſeu veterum reuoluo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obuerſantur: quippe fama, ſpe, veneratione potius omnes deſtinabantur imperio, quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat: *Claudium ſcilicet*.

Cur maxima quæque ambigua ſint.

IS finis fuit vlciſcenda Germanici morte, non modo apud illos homines, qui tum agebant, etiam ſecutis temporibus vario rumore iactata. Adeo maxima quæque ambigua ſunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent; alii vera in contrarium vertunt; & gliſcit vtrumque poſteritate.

De principiis iuris, & quibus modis legum multitudo in Romana rep. exundauerit.

REl atum deinde de moderanda Papia Poppæa, quam ſenior Auguſtus poſt Iulias rogationes, incitandis cælibum pœnis,

& au-

& augendo ærario ſanxerat. Nec ideo coniugia, & educationes liberûm frequentabantur, prævalida orbitate: cæterum multitudo periclitantium gliſcebat, cum omnis domus delatorum interpretationibus ſubuerteretur: vtque antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. Ea res admonet, vt de principiis iuris, & quibus modis ad hanc multitudinem infinitam, ac varietatem legum peruentum ſit, altius diſſeram. Vetuſtiſſimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna, aut coercitionibus agebant: neque pręmiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur; & vbi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia, ac pudore, ambitio, & vis incedebat, prouenere dominationes: multoſque apud populos, æternum manſere. Quidam ſtatim, aut poſtquam Regum pertæſum, leges maluerunt. Hæ primo rudibus hominum animis ſimplices erant: maximeque fama celebrauit Cretenſium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus: ac mox Athenienſibus quæſitiores iam, & plures Solon perſcripſit. Nobis Romulus, vt libitum, imperitauerat: dein Numa religionibus, & diuino iure populum deuinxit; repertaque quædam à Tullo, & Anco; ſed præcipuus Seruius Tullius ſanctor legum fuit, quîs etiam reges obtemperarent. Pulſo Tarquinio, aduerſum patrum factiones multa populus parauit tuendæ libertatis, & firmandæ concordiæ, creatique decemuiri, & accitis, quæ vſquam egregia, compoſitæ duodecim tabulæ, finis æqui iuris. Nam ſecutæ leges etſi aliquando in maleficos ex delicto, ſæpius tamen diſſenſione ordinum, & apiſcendi inlicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob praua, per vim latæ ſunt. Hinc Gracchi, & Saturnini, turbatores plebis; nec minor largitor nomine Senatus Druſus; corrupti ſpe, aut inluſi per interceſſionem ſocii. At ne bello quidem Italico, mox ciuili omiſſum, quin multa & diuerſa ſciſcerentur; donec L. Sulla dictator, abolitis, vel conuerſis prioribus, cum plura addidiſſet, otium ei rei haud in longum parauit, ſtatim turbidis Lepidi rogationibus; neque multo poſt Tribunis reddita licentia, quoquo

Antea ſola virtus pro lege erat.

Mox ingruentibus dominationibus arbitrium regum ſucceſſit.

Alibi regibus euectis leges prapoſita.

Sedes apud Rom. ſæpius per vim lata.

Vnde turba ciuiles, & legum varietas.

vellent, populum agitandi. Iamque non modo in commune, ſed in ſingulos homines latæ quæſtiones: & corruptiſſima Rep. plurimæ leges. Tum Cn. Pompeius tertium conſul, corrigendis moribus delectus, & grauior remediis, quam delicta erant, ſuarumque legum auctor idem, ac ſubuerſor, quæ armis tuebatur, armis amiſit. Exin continua per viginti annos diſcordia, non mos, non ius: deterrima quæque impune; ac multa honeſta exitio fuere. Sexto demum conſulatu Cæſar Auguſtus potentiæ ſecurus, quæ triumuiratu iuſſerat, aboleuit: deditque iura, quis pace, & principe vteremur. Acriora ex eo vincla, inditi cuſtodes, & lege Papia Poppæa præmiis inducti, vt ſi à priuilegiis parentum ceſſaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret. Sed altius penetrabant, vrbemque, & Italiam, & quod vſquam ciuium, corripuerant: multorumque exciſi ſtatus & terror omnibus intentabatur: ni Tiberius ſtatuendo remedio, quinque conſularium, quinq; è prætoriis, totidem è cætero ſenatu ſorte duxiſſet: apud quos exſoluti plerique legis nexus, modicum in præſens leuamen tum fuere.

Quam fruſtra Pompeius corrigere aggreſſus eſt.

Auguſtus contra calibes aſperrimus.

Tiberius lenior.

Quare conſultores principum ætate prouecta ſpeciem magis principalis amicitiæ, quam vim retineant.

IGitur incolumi Mecœnate proximus (*Criſpus Salluſtius*) mox præcipuus, cui ſecreta imperatorum inniterentur, & interficiendi Poſthumi Agrippæ conſcius, ætate prouecta, ſpeciem magis in amicitia principis, quam vim tenuit. Idque & Mecœnati acciderat: *Fato potentia raro ſempiterna: an ſatias capit, aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum iam nihil reliquum eſt, quod cupiant.*

Rebus etiam aulicis manet quidam velut orbis.

De luxu & parſimonia vrbis.

AVditis Cæſaris literis, remiſſa Ædilibus talis cura; luxusque menſæ, à fine Actiaci belli, ad ea arma, quis Ser. Galba rem R. adeptus eſt, per annos centum profuſis ſumptibus exerciti, paullatim exoleuere. Cauſſas eius mutationis quærere libet. Dites olim familiæ nobilium, aut claritudine inſignes, ſtudio magnificentiæ

Libertas magnificentiam alit, extincta

tiæ prolabebantur: nam etiam tum plebem, ſocios, regna colere, & coli licitum, vt quiſque opibus, domo, paratu ſpecioſus, per nomen, & clientelas inluſtrior habebatur: poſtquam cædibus ſæuitum, & magnitudo famæ exitio erat; cæteri ad ſapientiora conuertere: ſimul noui homines è municipiis, & coloniis, atq; etiam prouinciis, in ſenatum crebro aſſumpti, domeſticam parſimoniam intulerunt. Et quamquam fortuna, vel induſtria pleríque pecunioſam ad ſenectam peruenirent, manſit tamen prior animus. Sed præcipuus adſtricti moris autor Veſpaſianus fuit, antiquo ipſe cultu, victuq;: obſequium inde in principem, & æmulandi amor, validior, quam pœna ex legibus, & metus: *niſi forte rebus cunctis ineſt quidam velut orbis, vt quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur: nec omnia apud priores meliora, ſed noſtra quoque ætas multa laudis, & artium imitanda poſteris tulit.* Verum hæc nobis erga maiores certamina ex honeſto maneant.

ciuet ad frugalitatem cogit. Vel prodigo principe timorem incutiente, vtpote qui facile rapax fit. Vel auaro exemplum dante, vt Veſpaſianus.

De Tribunitia poteſtate.

Tiberius, fama moderationis parta, q. ingruentes accuſatores repreſſerat, mittit literas ad Senatum, quîs poteſtatem tribunitiam Druſo petebat. Id ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus reppe rit, ne regis, aut dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliqua cætera imperia præmineret.

Sic ſpecioſis vocabulis ſophiſmata politica obuoluuntur.

Quæ ſint hiſtorici partes, præſertim corruptis temporibus.

Exſequi ſententias haud inſtitui, niſi inſignes per honeſtum, aut notabili dedecore: quod præcipuum munus annalium reor, ne virtutes ſileantur, vtque prauis dictis, factiſque ex poſteritate, & infamia metus ſit. Cæterum tempora illa adeo infecta, & adulatione ſordida fuere, vt non modo primores ciuitatis, quibus claritudo ſua obſequiis protegenda erat, ſed omnes conſulares, magna pars eorum, qui prætura functi, multique etiam pedarii ſenatores certatim exſurgerent, fœdaque, & nimia cenſerent. Memoriæ proditur, Tiberium, quotiens curia egrederetur, Græcis verbis in hunc modum eloqui ſolitum, O HOMINES AD SERVITVTEM PARATOS: ſcilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam proiectæ ſeruientium patientiæ tædebat.

Sine ira, & ſtudio ſcribenda eſt hiſtoria.

Cui qui veritatem demit, is veluti pulcherrimo animanti veritatem demit.

De nomine imperatoris, & vocabuli eius honore.

Imperatoris vocabulum olim commune benemerentibus de rep. mox paucis, poſtremo nemini conceſſum.

SEd Tiberius pro confecto (*nempe, bello contra Tacfarinatem nondum victum*) interpretatus, id quoque Blæſo tribuit, vt Imperator à legionibus ſalutaretur: priſco erga duces honore, qui bene geſta rep. gaudio, & impetu victoris exercitus conclamabantur: erantq; plures ſimul imperatores, nec ſuper cęterorum æqualitatem. Conceſſit quibuſdam & Auguſtus id vocabulum, ac tunc Tiberius Blæſo poſtremum.

De ſtatu rei Romanæ ſub Tiberio Imp.

Annal. lib. 4.

EXin vetus, & ſæpe ſimulatum proficiſcendi in prouincias conſilium refertur: multitudinem veteranorũ prætexebat imperator, & delectibus ſupplendos exercitus; nam voluntarium militem deeſſe: ac ſi ſuppeditet, non eadem virtute, ac modeſtia agere; quia plerunque inopes, ac vagi ſponte militiam ſumant, percenſuitque curſim numerum legionum, & quas prouincias tutarẽtur. Quod mihi quoq; exequendum reor, quæ tum Romana copia in armis, qui ſocii reges, quanto ſit anguſtius imperitatum. Italiam vtroq; mari duæ claſſes, Miſenum apud, & Rauennam, proximumque Galliæ littus roſtratæ naues præſidebant, quas Actiaca victoria captas Auguſtus in oppidum Foroiulienſe miſerat, valido cum remige. Sed præcipuum robur Rhenum iuxta, commune in Germanos, Galloſque ſubſidium, octo legiones erant. Hiſpaniæ recens perdomitæ, tribus habebantur. Mauros Iuba rex acceperat, donum populi Romani; cætera Africæ, per duas legiones, pariq; numero Ægyptus. Dehinc initio ab Suria vſque ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum ſinu ambitur, quatuor legionibus coercita; accolis Hybero, Albanoque, & aliis regibus, qui magnitudine noſtra proteguntur aduerſum externa imperia; & Thraciam, Rhęmetalces, ac liberi Cotyis; ripamque Danubii, legionum duæ in Pannonia, duæ in Mœſia attinebant. Totidem apud Dalmatiam locatis, quæ poſitu regionis à tergo illis, ac ſi repentinum auxilium Italia poſceret, haud procul accirentur; quamquam inſideret vrbem proprius miles, tres vrbanæ, nouem prætoriæ cohortes, Etruria ferme, Vmbriaq; delectæ, aut vetere Latio, & coloniis antiqui-

Inferum, ſuperumq; mare ſingula claſſes, & Galliæ littora roſtratæ naues tutabantur.

Orbis Romanus, eiuſq; limites viginti quinq; legionibus muniebantur.

Vrbs trib. vrbanis, nouem prætoribus co-

tus Romanis. At apud idonea prouinciarum ſociæ triremes, alæq; & auxilia cohortium; neque multo ſecus in iis virium; ſed perſequi incertum fuerit, cum ex vſu temporis huc illuc mearent, gliſcerent numero, & aliquando minuerentur. Congruens crediderim, recenſere cæteras quoque Reip. partes, quibus modis ad eam diem habitæ ſint: quando Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit. Iam primum publica negotia, & priuatorum maxima, apud patres tractabantur; dabaturque primoribus diſſerere: & in adulationem lapſos cohibebat ipſe, mandabatque honores, nobilitatem maiorum, claritudinem militię, inluſtres domi artes ſpectando: vt ſatis conſtaret, non alios potiores fuiſſe; ſua conſulibus, ſua prætoribus ſpecies. Minorum quoq; magiſtratuum exercita poteſtas; legeſq;, ſi maieſtatis quæſtio eximeretur, bono in vſu. At frumenta, & pecuniæ vectigales, cætera publicorum fructuum, ſocietatibus equitum Romanorum agitabantur. Res ſuas Cæſar ſpectatiſſimo cuique, quibuſdam ignotis ex fama mandabat; ſemelq; adſumpti tenebantur, prorſus ſine modo, cum plerique iiſdem negotiis inſeneſcerent. Plebes acri quidem annona fatigabatur: ſed nulla in eo culpa ex principe; quin infœcunditati terrarum, aut aſperis maris obuiam iit, quantum impendio, diligentiaque poterat: & ne prouinciæ nouis oneribus turbarentur, vtque vetera ſine auaritia, aut crudelitate magiſtratuum tolerarent, prouidebat: corporum verbera, ademptiones bonorũ aberant. Rari per Italiam Cæſaris agri; modeſta ſeruitia; intra paucos libertos domus, ac ſi quando cum priuatis diſceptaret, forum & ius. Quæ cuncta non quidem comi via, ſed horridus, ac plerunque formidatus, retinebat tamen, donec morte Druſi verterentur. Nam dum ſuperfuit, manſere: quia Seianus, incipiente adhuc potentia, bonis conſiliis noteſcere volebat, & vltor metuebatur, non occultus odii, & crebro quærens, *incolumi filio adiutorem imperii alium vocari; & quantum ſupereſſe, vt collega dicatur? Primas dominandi ſpes in arduo; vbi ſis ingreſſus, adeſſe ſtudia, & miniſtros. Exſtructa iam ſponte præfecti caſtra, datos in manum milites: cerni effigiem eius in monumentis Cn. Pompeii: communes illi cum familia Druſorum fore nepotes: precandam poſthac Modeſtiam, vt contentus*

hortibus cuſtodiebatur.

Præter ſociorũ triremes, & auxilia in prouinciis.

Tiberius, incolumi Druſo, princeps egregius: ſed heu quantum paullo poſt mutatus ab illo.

Sic Nero poſt matris interitum ſe in omnes libidines effudit.

Vt in agro, ſic in aula infelix lolium, & ſteriles dominantur auenæ.

eſſet. Neque raro, neque apud paucos talia iaciebat: & ſecreta quoque eius, corrupta vxore, prodebantur.

Claro ſub exemplo falſas auditiones pellendas eſſe.

IN tradenda morte Druſi, quæ plurimis, maximeque fidis auctoribus memorata ſunt, rettuli. Sed non omiſerim eorundem temporum rumorem validum adeo, vt nondum exoleſcat. Corrupta ad ſcelus Liuia, Seianum Lygdi quoque Spadonis animum ſtupro vinxiſſe: quod is Lygdus ætate, atque forma charus domino, interque primores miniſtros erat: deinde inter conſcios, vbi locus veneficii, tempuſque compoſita ſint, eo audaciæ prouectum, vt verteret, & occulto indicio Druſum veneni in patrem arguens, moneret Tiberium, vitandam potionem, quæ prima ei apud filium epulanti offerretur: ea fraude tum ſenem, poſtquam conuiuium inierat, exceptum poculum Druſo tradidiſſe; atque illo ignaro, & iuueniliter hauriente, auctam ſuſpicionem, tanquam metu, & pudore, ſibimet inrogaret mortem, quam patri ſtruxerat. Hæc vulgo iactata, ſuper id, q; nullo auctore certo firmantur, prōpte refutaueris. Quis enim mediocri prudentia, nedum Tiberius tantis rebus exercitus, inaudito filio exitium offerret, idque ſua manu, & nullo ad pœnitendum regreſſu? Quin potius miniſtrum veneni excruciaret, auctorem exquireret: inſita denique etiam in extraneos cunctatione, & mora, aduerſum vnicum, & nullius ante flagitii compertum vteretur. Sed quia Seianus facinorum omnium repertor habebatur, ex nimia charitate in eum Cæſaris, & cæterorum in vtrumque odio, quamuis fabuloſa, & immania credebantur: atrociore ſemper fama erga dominantium exitus. Ordo alioqui ſceleris per Apicatam Seiani proditus, tormentis Eudemi, ac Lygdi patefactus eſt: neq; quiſquam ſcriptor tam infenſus extitit, vt Tiberio obiectaret, cum omnia alia conquirerent, intenderentque. Mihi tradendi, arguendique rumoris cauſſa fuit, vt claro ſub exemplo falſas auditiones depellerem, peteremque ab iis, quorum in manus cura noſtra venerit, ne diuulgata, atque incredibilia, auide accepta, veris, neque in miraculum corruptis antehabeant.

Non temere credere neruus ſapientia.

Vulgus credulum.

Principes maximis clarorum virorum meritis fortunam ſuam deſtrui, exiſtimare, & pro beneficiis, quæ exſolui non poſſunt, odium reddere.

CRedebant plerique auctam offenſionem ipſius intemperantia, immodice iactantis, ſuum militem in obſequio durauiſſe, cum alii ad ſeditiones prolaberentur: neque manſurum Tiberio imperium, ſi iis quoque legionibus cupido nouandi fuiſſet. Deſtrui per hæc fortunam ſuam Cęſar, imparemque tanto merito rebatur. *Nam beneficia euſque læta ſunt, dum videntur exſolui poſſe: vbi multum anteuenere, pro gratia odium redditur.*

Loquitur de C. Silio legato Germanici.

Principes nihil debere volunt: omnia ſibi deberi putant.

De conſilio humano.

HVnc ego Lepidum, temporibus illis, grauem, & ſapientem virum fuiſſe, comperio. Nam pleraque ab ſæuis adulationibus aliorum in melius flexit: neque tamen temperamenti egebat, cum æquabili auctoritate, & gratia apud Tiberium viguerit. Vnde dubitare cogor, fato, & ſorte naſcendi, vt cætera, ita principum inclinatio in hos, offenſio in illos: an ſit aliquid in noſtris conſiliis, liceatque inter abruptam contumaciam, & deforme obſequium, pergere iter ambitione, ac periculis vacuum.

Hæc mediocritas vita laudatur in Agric.

De veteri Populi Rom. more donandi, atque honorandi reges ſocios ob virtutem.

COgnitis de hinc Ptolomæi per id bellum (*Tacfarinatis*) ſtudiis, repetitus ex vetuſto mos, miſſuſque è ſenatoribus, qui ſcipionem eburnum, togam pictam, antiqua patrum munera daret, regemque, & ſocium, atque amicum appellaret.

De ſcriptoribus Romanis. 2. De prudentia politica pro reip. ſtatu.

PLeraque eorum, quæ rettuli, quæque referam, parua forſitan, & leuia memoratu videri, non neſcius ſum: ſed nemo Annales noſtros cum ſcriptura eorum contenderit, qui veteres Populi R. res compoſuere. Ingentia illi bella, expugnationes vrbium, fuſos, captoſque reges: aut, ſi quando ad interna præuerterent, diſcor-

Latior hiſtoricis antiquis campus, annales m ar to.

dias conſulum aduerſum tribunos, agrarias, frumentariaſq; leges, plebis, & optimatium certamina, libero egreſſu memorabant. Nobis in arto, & inglorius labor. Immota quippe, aut modice laceſſita pax, mœſtæ vrbis res, & princepis proferendi imperii incurioſus erat. Non tamen ſine vſu fuerit, introſpicere illa primo aſpectu leuia, ex quîs magnarum ſæpe rerum motus oriuntur.

Triplex gubernationis genus.

In diuerſo reip. genere diuerſa attendenda.

Nam cunctas nationes, & vrbes, populus, aut primores, aut ſinguli regunt: delecta ex his, & conſtituta reip. forma, laudari facilius, quam euenire, vel ſi euenit, haud diuturna eſſe poteſt. Igitur vt olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noſcenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur; ſenatuſque & optimatium ingenia qui maxime perdidicerãt, callidi temporum, & ſapientes credebantur: ſic conuerſo ſtatu, neque alia rerum, quam ſi vnus imperitet, hæc conquiri, tradique in rem fuerit: quia

Prudentia ſapientum, euentus ſtultorum magiſter.

pauci prudentia, honeſta ab deterioribus, vtilia ab noxiis diſcernunt; plures aliorum euentis docentur: cæterum vt profutura, ita minimum oblectationis adferunt. Nam ſitus gentium, varietates præliorum, clari ducum exitus, retinent, ac redintegrant legentium animum: nos ſæua iuſſa, continuas accuſationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium, & eaſdem exitu cauſſas coniungimus; obuia rerum ſimilitudine, & ſatietate. Tum quod antiquis

Vno regente, veri ac intuta.

ſcriptoribus rarus obtrectator, neque refert cuiuſquam, Punicas, Romanaſve acies lætius extuleris: at multorum, qui Tiberio regente pœnam. vel infamiam ſubiere, poſteri manent; vtq; familiæ ipſæ iam extinctæ ſint, reperies, qui ob ſimilitudinem morum aliena malefacta ſibi obiectari putent. Etiam gloria, ac virtus infenſos habet, vt nimis ex ꝓpinquo diuerſa arguẽs. Sed ad incœpta redeo.

De tyrannica abolitione memoriæ rerum.

Vocem populi, conſcientiam generis humani nulla tyrannis abolere poteſt.

EGreſſus dein ſenatu (*Cremutius Cordus*) vitam abſtinentia finiuit: libros per ædiles cremandos cenſuere patres, ſed manſerũt occultati, & editi. Quo magis ſocordiam eorum inridere libet, qui præſenti potentia credunt extingui poſſe etiam ſequentis æui memoriam. Nam contra, *punitis ingeniis gliſcit auctoritas:* neque aliud externi reges, aut qui eadem ſæuitia vſi ſunt, niſi dedecus ſibi, atq; illis gloriam peperere.

De moribus Thracum.

LEntulo Getulico, C. Caluiſio Coſſ. decreta triumphi inſignia Poppæo Sabino, contuſis Thracum gentibus, qui montium editis, inculti, atque eo ferocius agitabant. Cauſſa motus, ſuper hominum ingenium, quod pati delectus, & validiſſimum quemq; militiæ noſtræ dare aſpernabantur; ne regibus quidem parere, niſi ex libidine ſoliti, aut ſi mitterent auxilia, ſuos ductores præficere, nec niſi aduerſum accolas belligerare.

Delectus militum, creb prima defect. omnium occaſio.

De cauſis ſeceſſus Tiberii in Campaniam.

INter quæ diu meditato, prolatoque ſæpius conſilio, tandem Cæſar in Campaniam, ſpecie dedicandi templum apud Capuam Ioui, apud Nolam Auguſto; ſed certus procul vrbe degere. Cauſſam abſceſſus, quamquã ſecutus plurimos auctorum ad Seiani artes retuli; quia tamen cæde eius patrata, ſex poſtea annos pari ſecreto coniunxit, plerunque permoueor, num ad ipſum referri verius ſit, ſæuitiam, ac libidinem cum factis promeret, locis occultantem. Erant, qui crederent, in ſenectute quoque corporis habitum pudori fuiſſe: quippe illi prægracilis, & incurua proceritas, nudus capillo vertex, vlceroſa facies, ac plerunq; medicaminib. interſtincta: & Rhodi ſecreto, vitare cætus, recondere voluptates inſuerat. Traditur etiam matris impotentia extruſum, quam dominationis ſociam aſpernabatur, neq; depellere poterat, cum dominationem ipſam donum eius accepiſſet: Nam dubitauerat Auguſtus Germanicum ſororis nepotem, & cunctis laudatum, rei Romanę imponere: ſed precibus vxoris euictus, Tiberio Germanicũ, ſibi Tiberium adſciuit: idq; Auguſta exprobrabat, repoſcebat. Profectio arto comitatu fuit; vnus ſenator conſulatu functus, Cocceius Nerua, cui legum peritia: eques Romanus, præter Seianum, ex inluſtribus Curtius Atticus; cæteri liberalibus ſtudiis præditi, ferme Græci, quorum ſermonibus leuaretur. Ferebant periti cœleſtium, iis motibus Syderum exceſſiſſe Româ Tiberium, vt reditus illi negaretur: vnde exitii cauſa multis fuit, proſperum finem vitæ coniectantibus, vulgantibuſque. Neque enim tam incredibilem cauſam prouidebant, vt vndecim per annos libens patriâ careret. Mox

Cauſſa ſeceſſus Tiberii, præter Seianum, fuere

Oris fœditas.

Conſuetudo latendi.

Matris impotentia.

Profectus eſt arto comitatu, &

Prope verum diuinationibus aſtrolgu.

patuit breue confinium artis, & falſi; veraque quam obſcuris tegerentur. Nam in vrbem non regreſſurum, haud forte dictum; cæterorum neſcii egere, cum propinquo rure, aut littore, & ſæpe mœnia vrbis adſidens, extremam ſenectam compleuerit.

De monte Querquetulano, ſiue Cœlio; item de vico Thuſco.

HAud fuerit abſurdum tradere, montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuiſſe, quod talis ſyluæ frequens, fæcunduſque erat; mox Cœlium appellitatum à Cœle Vibenna, qui dux gentis Etruſcæ cum auxilium appellatum ductauiſſet, ſedem eam acceperat à Tarquinio Priſco, ſeu quis alius regum dedit: nam ſcriptores in eo diſſentiunt. Cætera non ambigua ſunt, magnas eas copias per plana etiam, ac foro propinqua habitauiſſe, vnde Thuſcum vicum è vocabulo aduenarum dictum.

De Capreis inſula, & cur Tiberius in ea ſe abdiderit.

Tyrannorum mens male aſſecta, neq; minus timet, quam timeatur.

AT Cæſar, dedicatis per Campaniam templis, quamquam edicto monuiſſet, ne quis quietem eius inrumperet, concurſuſq; oppidanorum diſpoſito milite prohiberentur; peroſus tamen municipia, & colonias, omniaque in continenti ſita, Capreas ſe in inſulam abdidit, trium millium freto ab extremis Surrentini promontorii diiunctam. Solitudinem eius placuiſſe, maxime crediderim, quoniam importuoſum circa mare, & vix modicis nauigiis pauca ſubſidia: neque adpulerit quiſquam, niſi gnaro cuſtode: cœli temperies hyeme mitis, obiectu montis, quo ſæua ventorum arcentur; æſtas in Fauonium obuerſa, & aperto circum pelago peramœna; proſpectabatque pulcherrimum ſinum, antequam Veſuuius mons ardeſcens faciem loci verteret. Græcos ea tenuiſſe, Capreaſque Thelebois habitatas, fama tradit.

Tyrannos ſcelerum ſuorum miniſtros tandem affligere ſolere.

NI mihi deſtinatum foret, ſuum quæque in annum referre, auebat animus anteire, ſtatimque memorare exitus, quos Lati-

nius, atque Opſius, cæterique flagitii eius repertores habuere, non modo poſtquam C. Cæſar rerum potitus eſt, ſed incolumi Tiberio: qui ſcelerum miniſtros, vt peruerti ab aliis nolebat, ita plerunque ſatiatus, & oblatis in eandem operam recentibus, veteres, & prægraues adflixit: verum has, atque alias ſontium pœnas in tempore tradernus.

Latinus, atq; Opſius delatores Titii Sabini.

Proditionem amo, proditores odio habeo, aiebat Auguſtus.

Ipſis quoque Tyrannis facinora, atque flagitia ſua exoſa eſſe, & in ſupplicium vertere.

NEc multo poſt literæ adferuntur, quibus in modum defenſionis, repetito inter ſe, atque Cottam amicitiæ principio, crebriſque eius officiis commemoratis, *ne verba praue detorta, neu conuiualium fabularum ſimplicitas in crimen duceretur*, poſtulauit. Inſigne viſum eſt earum Cæſaris literarum initium: nam his verbis exorſus eſt: *Quid ſcribam vobis P.C. aut quomodo ſcribam? aut quid omnino non ſcribam hoc tempore? dii me, deæque peius perdant, quam perire quotidie ſentio, ſi ſcio.* Adeo facinora, atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant. Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus, & ictus; quando vt corpora verberibus, ita ſæuitiâ, libidine, malis conſultis, animus dilaceretur: quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris, ſuaſque ipſe pœnas fateretur.

Annal. lib. 6. Accuſabatur autem Cotta, quod C. Cæſarem dixiſſet incerta virilitatis, & cœnam nouendialem, &c.

Se iudice, nemo nocens abſoluitur.

De origine, ac poteſtate præfecti vrbis.

PEr idem tempus L. Piſo Pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit: nullius ſeruilis ſententiæ ſponte auctor, & quotiens neceſſitas ingrueret, ſapiēter moderans: patrem ei Cenſorium fuiſſe, memoraui, ętas ad octogeſimum annum proceſſit: decus triumphale in Thracia meruerat; ſed præcipua ex eo gloria, quod præfectus vrbi recens, continuam poteſtatem, & inſolentiâ parendi grauiorem mire temperauit. Namque antea profectis domo regibus, ac mox magiſtratibus, ne vrbs ſine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet, ac ſubitis mederetur: feruntque, ab Romulo Dentrem Romulium, poſt ab Tullo Hoſtilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impoſitos:

Recens præfectura dicitur, quod primus Auguſtus eã ſtabiliuerit.

dein conſules mandabant: duratque ſimulacrum, quoties ob ferias latinas præficitur, qui conſulare munus vſurpet. Cæterum Auguſtus bellis ciuilibus Cilniũ Mecœnatem equeſtris ordinis, cunctis apud Romam, atque Italiam prępoſuit. Mox rerũ potitus, ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, ſumpſit è conſularibus, qui coerceret ſeruitia, & quod ciuium audacia turbidum, niſi vim metuat: primuſque Meſſalla Coruinus eam poteſtatem, & paucos intra dies finem accepit, quaſi neſcius exercendi. Tum Taurus Statilius, quamquam prouecta ætate, egregie tolerauit. Dein Piſo viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto Senatus celebratus eſt.

Qui præfecti vrbis ſub Aug.

De fœneratoribus, & modo fœnoris legibus olim præſcripto.

INterea magna vis accuſatorum in eos inrupit, qui pecunias fœnore auctitabant, aduerſum legem dictatoris Cæſaris, qua de modo credendi, poſſidendique intra Italiam cauetur; omiſſam olim, quia priuato vſui bonum publicum poſtponitur. Sane vetus vrbi fœnebre malum, & ſeditionum, diſcordiarumque creberrima cauſſa: eoque cohibebatur antiquis quoq;, & minus corruptis moribus Nam primo duodecim tabulis ſanctum, *ne quis vnciario fœnore amplius exerceret*, cum antea ex libidine locupletium agitaretur: dein rogatione tribunitia, ad ſemuncias redacta: poſtremo vetita verſura; multiſq; plebis ſcitis obuiam itum fraudibus, quæ totiens repreſſæ, miras per artes rurſum oriebantur.

Fœnoris modus præſcriptus.

Verſura vetita.

Fraudibus obuiam itum.

De fato, & caſu.

SEd mihi hæc, ac talia audienti, in incerto iudicium eſt, fatone res mortalium, & neceſſitate immutabili, an forte voluantur: quippe ſapiẽtiſſimos veterum, quiq; ſectam eorum æmulantur, diuerſos repperies; ac multis inſitam opinionẽ non initia noſtri, non finem, non deniq; homines diis curæ. Ideo creberrima & triſtia in bonos, læta apud deteriores eſſe. Contra alii, fatum quidem congruere rebus putant, ſed non è vagis ſtellis, verum apud principia, & nexus naturalium cauſſarum. Ac tamen electionem vitæ nobis relinquunt; quam vbi elegeris, certum imminentium ordinem:

Epicuræorum, & Stoicorum certamen.

neq;

neq; mala vel bona, quæ vulgus putet: multos, qui conflictari aduerſis videantur, beatos; ac pleroſq;, quamquam magnas per opes, miſerrimos: ſi illi grauem fortunam conſtanter tolerent, hi proſperâ inconſulte vtantur. Cæterum plurimis mortalium non eximitur, quin primo cuiuſque ortu ventura deſtinentur: ſed quædam ſecus, quam dicta ſint, cadere, fallaciis ignara dicentium: ita corrumpi fidem artis, cuius clara documenta & antiqua ætas, & noſtra tulerit. Quippe à filio eiuſdem Traſulli, prædictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim.

diſtat enim, quæ Sydera te excipiant.

De Phœnice hiſtoria, an fabula lepida, & iucunda.

PAullo Fabio, L. Vitellio Coſſ. poſt longum ſeculorum ambitum, auis Phœnix in Ægyptum venit; præbuitq; materiem doctiſſimis indigenarum, & Græcorum, multa ſuper eo miraculo diſſerendi De quibus congruunt, & plura ambigua, ſed cognitu non abſurda, promere libet. Sacrum Soli id animal, & ore, ac diſtinctu pinnarum à cæteris auibus diuerſum, conſentiunt, qui formam eius definiere. De numero annorum varia traduntur: maxime vulgatum, quingentorum ſpacium. Sunt, qui adſeuerent, mille quadringentos ſexaginta vnum interiici; prioreſq; alites Seſoſtride primum, poſt Amaſide dominantibus, dein Ptolemæo, qui ex Macedonibus tertius regnauit, in ciuitatem, cui Heliopolis nomen, aduolauiſſe, multo cæterarum volucrum comitatu, nouam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obſcura. Inter Ptolemæum, ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt: vnde nonnulli falſum hunc Phœnicem, neque Arabum è terris credidere, nihilq; vſurpauiſſe ex his, quæ vetus memoria firmauit, confecto quippe annorum numero, vbi mors propinquet, ſuis in terris ſtruere nidum, eique vim genitalem adfundere, ex quâ fœtum oriri, & primam adulto curam ſepeliendi patris: neque id temere, ſed ſublato murrhæ pondere, tentatoque per longum iter, vbi par oneri, par meatui ſit, ſubire patrium corpus, inque Solis aram perferre, neq; adolere: Hæc incerta, & fabuloſis aucta. Cæterum aſpici aliquando in Ægypto eam volucrem, non ambigitur.

Liceat ad reſiciendum ſe, & lectorem fabulas hiſtoriis intermiſcere. Quandoq; bonus dormitat Hom.

Bonam iuuentam ſæpius flagitioſâ ſenectute oblitterari.

Malum Principis exemplũ non plebem tantum infecit, ſed fortiũ virtutem frangit.

SEd non Tiberius omiſit incepta. Tiridaten ſanguinis eiuſdem, æmulum Artabano, reciperandæque Armeniæ Hiberum Mithradatem deligit, conciliatque fratri Pharaſmani, qui gentile imperium obtinebat: & cunctis, quæ apud Orientem parabantur, L. Vitellium præfecit. Eo de homine haud ſum ignarus, ſiniſtram in vrbe famam, pleraque fœda memorari: cæterum regendis prouinciis priſcâ virtute egit. Vnde regreſſus, & formidine C. Cæſaris, familiaritate Claudii, turpe in ſeruitium mutatus, exemplar apud poſteros adulatorii dedecoris habetur: ceſſeruntque prima poſtremis, & bona iuuentæ ſenectus flagitioſa oblitterauit.

De Seleucenſium rebus. 2. Accitos in partem aduerſus omnes valeſcere. 3. Reges imperium ciuitatum cur paucis potius, quam populo committant.

Quo pacto populares reſp. corrumpantur.

PLurimum adulationis Seleucenſes induêre, ciuitas potens, ſepta muris, neque in barbarum corrupta, ſed conditoris Seleuci retinens. Trecenti opibus, aut ſapientiâ delecti, vt ſenatus: ſua populo vis, & quotiens concordes agunt, ſpernitur Parthus: vbi diſſenſere, dum ſibi quiſque contra æmulos ſubſidium vocant, *accitus in partem, aduerſum omnes valeſcit.* Id nuper acciderat, Artabano regnãte, qui plebem primoribus tradidit ex ſuo vſu. Nam *populi imperium, iuxta libertatem: paucorum dominatio, regia libidini propior eſt.*

De ludis ſecularibus.

Annal. lib. 11.

IIſdem Conſulibus ludi ſeculares octingenteſimo poſt Romam conditam, quarto & ſexageſimo quam Auguſtus ediderat, ſpectati ſunt. Vtriuſque principis rationes prætermitto, ſatis narratas libris, quibus res imperatoris Domitiani compoſui. Nam is quoque edidit ludos ſæculares; iiſque intentius affui ſacerdotio Quindecimuirali præditus, ac tum prætor. Quod non iactantia refero, ſed

quia

quia collegio quindecimuirum antiquitus ea cura, & magiſtratus potiſſimum exſequebantur officia cærimoniarum.

De inuentoribus litterarum.

AT Claudius matrimonii ſui ignarus, & munia cenſoria vſurpans, theatralem populi laſciuiam ſeueris edictis increpuit, quod in P. Pomponium conſularem (is carmina ſcenæ dabat) inq; feminas inluſtres probra iecerat. Et lege lata, ſæuitiam creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias filiis familiarum fœnori darent. Fonteſque aquarum ſub Imbruinis collibus deductos, vrbi intulit. Ac nouas litterarum formas addidit, vulgauitque: comperto, Græcam quoque litteraturam non ſimul cœptam, abſolutamque. Primi per figuras animalium Ægyptii ſenſus mentis effingebant; & antiquiſſima monimenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernuntur, & litterarum ſemet inuentores perhibent. Inde Phœnicas, quia mari præpollebant, intuliſſe Græciæ, gloriamque adeptos, tanquam repererint, quæ acceperant. Quippe fama eſt, Cadmum claſſe Phœnicum vectum, rudibus adhuc Græcorum populis artis eius auctorem fuiſſe. Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum, & temporibus Troianis Palamedem Argiuum memorant, ſexdecim litterarum formas; mox alios, ac præcipuum Simonidem cæteras reperiſſe. At in Italia Etruſci à Corinthio Demarato, Aborigenes Arcade ab Euandro didicerunt. Et formæ litteris latinis, quæ veterrimis Græcorum. Sed nobis quoq; paucæ primum fuere: dein additæ ſunt. Quo exemplo Claudius tres litteras adiecit, quæ vſui, imperitante eo, poſt oblitteratæ, aſpiciuntur etiam nunc in ære, publicandis plebiſcitis per fora, ac templa fixo.

Ignarus Meſſalinæ adulteru.

In Ægypto inuenta littera: vnde in Phœniciam allata mox in Græciam: poſtremo in Italiam.

Claudius eas auxit. manetque vtilitas.

De magiſtratibus, & iudiciis.

IIſdem conſulibus P. Dolabella cenſuit ſpectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum, pecunia eorum, qui quæſturam adipiſcerentur. Apud maiores virtutis id præmium fuerat, cunctiſque ciuium, ſi bonis artibus fiderent, licitum petere magiſtratus: ac ne ætas quidem diſtinguebatur, quin primâ inuentâ

BIBLIOTECA N.LE ROMA VITTORIO EMANUELE

conſulatum, ac dictaturas inirent. Sed quæſtores, regibus etiam tum imperantibus, inſtituti ſunt; quod lex curiata oſtendit, ab L. Bruto repetita. Manſitque conſulibus poteſtas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret; creatique primum Valerius Potus, & Æmilius Mamercus LXIII. anno poſt Tarquinios exactos, vt rem militarem comitarentur. Dein gliſcentibus negotiis, duo additi, qui Romæ curarent. Mox duplicatus numerus, ſtipendiariâ iam Italiâ, & accedentibus prouinciarum vectigalibus. Poſt lege Syllæ viginti creati ſupplendo ſenatui, cui iudicia tradiderat; & quamquam equites iudicia reciperauiſſent, quæſtura tamen ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec ſententia Dolabellæ velut venundaretur.

De patriciis maiorum, & minorum gentium.

IIſdem diebus in numerum patriciorum aſciuit Cæſar vetuſtiſſimum quemque è ſenatu, aut quibus clari parentes fuerant; paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum, & L. Brutus minorum gentium appellauerant, exhauſtis etiam, quas dictator Cæſar lege Caſſiâ, & princeps Auguſtus lege Seniâ ſublegere. Lætaque hæc in R.P. munia multo gaudio Cenſoris inibantur.

Cenſor dicitur Claudius, vt cēſoria munia vſurpans.

De pomærio vrbis.

Annal. lib. 12.

ET pomœrium vrbis auxit Cæſar (*Claudius*) more priſco; quo iis, qui protulere imperium, etiam terminos vrbis propagare datur. Nec tamen duces Romani, quamquam magnis nationibus ſubactis, vſurpauerant, niſi L. Sylla, & diuus Auguſtus. Regum in eo ambitio, vel gloria varie vulgata. Sed initium condendi, & quod pomœrium Romulus poſuerit, noſcere haud abſurdum reor. Igitur à foro boario, vbi æreum tauri ſimulacrum aſpicimus, quia id genus animalium aratro ſubditur, ſulcus deſignandi oppidi cœptus, vt magnam Herculis aram amplecteretur. Inde certis ſpaciis interiecti lapides per ima montis Palatini ad aram Conſi, mox ad Curias veteres, tum ad ſacellum Larium; forumque Romanum, & Capitolium nō à Romulo, ſed à T. Tatio additum vrbi credidere.

Mox pro fortuna pomœrium auctum. Et quos tum Claudius terminos poſuerit, facile cognitu, & publicis actis præſcriptum.

De cauſſa frequentis caritatis annonæ in Italia.

FRugum quoque egeſtas, & orta ex eo fames, in prodigium accipiebatur. Nec occulti tantum queſtus; ſed iura reddētem Claudium circumuaſere clamoribus turbidis, pulſumque in extremam fori partem vi vrgebant, donec militum globo infeſtos perrupit. Quindecim dierum alimenta vrbi non amplius ſuperfuiſſe, conſtitit; magnâque Deûm benignitate, & modeſtiâ hyemis rebus extremis ſubuentum. At, hercule, olim ex Italiæ regionibus longinquas in prouincias cōmeatus portabant; nec nunc infœcunditate laboratur, ſed Africam potius, & Ægyptum exercemus, nauibuſq;, & caſibus vita Populi R. permiſſa eſt.

Populo unica ex rep. cogitatio eſt annona.

Dum Patricii plebeis agriculturam inuiderunt, alienis horreis nō eguit Italia.

De more Regum Aſiaticorum in amicitia, ac ſocietate per mutui ſanguinis deguſtationem firmanda.

MOs eſt regibus quotiens in ſocietatem coeant, implicare dextras, pollicesque inter ſe vincire, nodoque præſtringere. Mox vbi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, leni ictu cruorem eliciūt, atque inuicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum.

De legis actione, & iudiciis.

EOdem anno ſæpius audita vox Principis, parem vim rerum habendam à procuratoribus ſuis iudicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet. Ac ne fortuito prolapſus videretur, ſenatus quoq; conſulto cautū, plenius q̄ antea, & vberius. Nam diuus Auguſt. apud equeſtres, qui Ægypto præſiderent, lege agi, decretaq; eorum proinde haberi iuſſerat, ac ſi magiſtratus Romani cōſtituiſſent: mox alias per prouincias, & in vrbe pleraq; conceſſa ſunt, q olim à prætoribus noſcebantur. Claudius omne ius tradidit, de quo totiens ſeditione, aut armis certatum, cum Semproniis rogationib. equeſter ordo in poſſeſſione iudiciorum locaretur, aut rurſum Seruiliæ leges ſenatui iudicia redderent. Mariuſque, & Sylla olim de eo vel præcipue bellarunt. Sed tunc ordinum diuerſa ſtudia: & qui vicerant, publice valebant.

Iudicia procuratorum Cæſaris æquata principis iudiciis, legumque poteſtati.

lebant. C. Oppius, & Corn. Balbus primi Cæſaris opibus potuere conditiones pacis, & arbitria belli tractare. Matios poſthac, & Vedios, & cætera equitum Romanorum præualida nomina, referre nihil attinuerit; cum Claudius libertos, quos rei familiari præfecerat, ſibique, & legibus adæquauerit.

Prouocatio à procuratorib. Cæſaris ſublata.

De ſitu Byzantii, & Apollinis reſponſo.

MEmorabantque quæ Syllæ, aut Lucullo, aut Pompeio obtuliſſent. Mox recentia in Cæſares merita: quando ea loca inſiderent; quæ tranſmeantibus terra marique ducibus, exercitibuſq;, ſimul vehendo commeatu opportuna forent. Namque artiſſimo inter Europam, Aſiamque diuortio, Byzantium in extrema Europa poſuere Græci; quibus Pythium Apollinem conſulentibus, vbi conderent vrbem, redditum oraculum eſt: *Quærerent ſedem, cæcorum terris aduerſam.* Ea ambage Chalcedonii monſtrabantur, quod priores illuc aduecti, præuiſa locorum vtilitate peiora legiſſent. Quippe Byzantium fertili ſolo fæcundoque mari; quia vis piſcium in Metapontum erumpens, & obliquis ſubter vndas ſaxis exterrita, omiſſo alterius littoris flexu, hos ad portus defertur.

Turpiſſimum eſſe principi aliena egere facundia.

Annal. lib. 13.

ADnotabant ſeniores, quibus otioſum eſt vetera, & præſentia contendere, primum ex iis, qui rerum potiti eſſent, Neronem alienæ facundiæ eguiſſe. Nam dictator Cæſar ſummis oratoribus æmulus, & Auguſto prompta, ac profluens, quæ deceret principẽ, eloquentia fuit. Tiberius artem quoq; callebat, qua verba expenderet, tum validus ſenſibus, aut conſulto ambiguus. Etiam C. Cæſaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio quotiens meditata diſſereret, elegantiam requireres. Nero puerilibus ſtatim annis, viuidum animum in alia detorſit. Cælare, & pingere, cantus, aut regimen equorum exercere; & aliquando carminibus pangendis, ineſſe ſibi elementa doctrinæ oſtendebat.

De quæſtoribus ærarii.

MAnebat nihilominus quædam imago Reip. Nam inter Vibullium prætorem, & plebei tribunum Antiſtium ortum cer-

tamen, quod immodeſtos fautores hiſtrionum, & à prætore in vincula ductos, tribunus omitti iuſſiſſet: comprobauere patres, incuſata Antiſtii licentiâ. Simul prohibiti tribuni ius prætorum, & conſulum præripere, aut vocare ex Italia, cum quibus lege agi poſſet. Addidit L. Piſo deſignatus conſul, ne quid intra domum pro poteſtate animaduerterent: neve multam ab iis dictam, quæſtores ærarii in publicas tabulas ante quatuor menſes referrent: medio temporis contradicere liceret; deque eo conſules ſtatuerent. Eo Heluidius Priſcus tribunus plebis, aduerſus Obultronium Sabinum ærarii quæſtorem contentiones proprias exercuit, tanquam ius haſtæ aduerſus inopes clementer augeret. Dein princeps curā tabularum publicarum à quæſtoribus ad prçfectos tranſtulit. Varie habita, ac ſæpe immutata eius rei forma. Nam Auguſtus permiſit ſenatui deligere præfectos: dein ambitu ſuffragiorum ſuſpecto, ſorte ducebantur ex numero prætorum, qui præeſſent. Neque id diu manſit, quia ſors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius quæſtores rurſum impoſuit, iiſque ne metu offenſionum ſegnius conſulerent, extra ordinē honores permiſit. Sed deerat robur ætatis eum primum magiſtratum capeſſentibus. Igitur Nero prætura perfunctos, & experientiâ probatos delegit.

De coloniis.

AT in Italia vetus oppidum Puteoli, ius Coloniæ, & cognomentum à Nerone adipiſcuntur. Veterani Tarentum, & Antium adſcripti, non tamen infrequentiæ locorum ſubuenere, dilapſis pluribus in prouincias, in quibus ſtipendia expleuerant. Neq; coniugiis ſuſcipiendis, neque alendis liberis ſueti, orbas ſine poſteris domos relinquebant. Non enim, vt olim, vniuerſæ legiones deducebantur cum tribunis, & centurionibus, & ſuis cuiuſque ordinis militibus, vt conſenſu, & charitate Remp. efficerent; ſed ignoti inter ſe, diuerſis manipulis, ſine rectore, ſine affectibus mutuis, quaſi ex alio genere mortalium repente in vnum collecti, numerus magis, quam colonia. *Annal. lib. 14.*

Quæ ſub bonis principibus rerum ſecundarum, ſub tyrannis publicæ cladis inſignia eſſe.

DOna ob hæc templis decreta. Quod ad eum finem memorauimus, vt quicunque caſus temporum illorum nobis, vel aliis auctoribus noſcent, præſumptum habeant, quotiēs fugas, & cædes iuſſit princeps, totiens grates deis actas, quæque rerum ſecundarum olim, tum publicæ cladis inſignia fuiſſe.

De reſtauratione vrbis Romæ.

Annal. lib. 15.

CÆterum Nero vſus eſt patriæ ruinis, exſtruxitque domum, in quâ haud perinde gemmæ, & aurum miraculo eſſent, ſolita pridem, & luxu vulgata, quam arua, & ſtagna, & in modum ſolitudinum hinc ſyluæ, inde aperta ſpacia, & proſpectus: magiſtris, & machinatoribus Seuero, & Celere, quibus ingenium, & audacia erat, etiam quæ natura denegauiſſet, per artem tentare, & viribus principis illudere. Namque ab lacu Auerno nauigabilem foſſam vſque ad oſtia Thyberina depreſſuros promiſerant, ſquallenti littore, aut per montes aduerſos. Neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quam Pomptinæ paludes: cætera abrupta, aut arentia, ac ſi perrumpi poſſent, intolerandus labor, nec ſatis cauſſæ. Nero tamen, vt erat incredibiliū cupitor, effodere proxima Auerno iuga connixus eſt: manentque veſtigia irritæ ſpei. Cæterùm vrbis, quæ domus ſupererant, non vt poſt Gallica incendia, nulla diſtinctione, nec paſſim erectæ: ſed dimenſis vicorum ordinibus, & latis viarum ſpatiis, cohibita ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, additiſque porticibus, quæ frontem inſularum protegerent. Eaſque porticus Nero ſua pecunia exſtructurum, purgataſque areas dominis traditurum, pollicitus eſt. Addidit præmia pro cuiuſque ordine, & rei familiaris copiis: finiuitque tempus, intra quod effectis domibus, aut inſulis, adipiſcerentur. Ruderi accipiēdo Hoſtienſes paludes deſtinabat, vtque naues, quæ frumentum Thyberi ſubuectaſſent, onuſtæ rudere decurrerent. Ædificiaque ipſa certâ ſui parte, ſine trabibus, ſaxo Gabino, Albanoque ſolidarentur: quod is lapis igni imperuius eſt. Iam aqua priuatorum licentia intercepta, quo largior, & pluribus locis in publicum flueret,

Irriti Neronis conatus.

Situs vrbis reſtaurata.

ret, cuſtodes: & ſubſidia reprimendis ignibus, in propatulo quiſque haberet, nec communione parietum, ſed propriis quæque muris ambirentur. Ea ex vtilitate accepta, decorem quoque nouæ vrbi attulére. Erant tamen, qui crederent, veterem illam formam ſalubritati magis conduxiſſe, quoniam anguſtiæ itinerum, & altitudo tectorum non perinde ſolis vapore perrumperentur. At nunc patulam latitudinem, & nulla vmbra defenſam, grauiore æſtu ardeſcere. Et hæc quidem humanis conſiliis prouidebantur.

Salubrior veteris vrbis forma.

De adulatione Senatus, plebis, exercitus, amicorum, libertinorum.

2. Viris vitâ, morteque illuſtribus vt ſeparatas ſepulturas, ita & propriam deberi memoriam.

ETiamſi bella externa, & obitas pro rep. mortes tantâ caſuum ſimilitudine memorarem, meque ipſum ſatias cepiſſet, aliorũque tædium expectarem, quamuis honeſtos ciuium exitus, triſtes tamen, & continuos aſpernantium. At nunc patientia ſeruilis, tantumq; ſanguinis domi perditum, fatigant animum, & mœſtitia reſtringunt. Neque aliam defenſionem ab iis, quibus iſta noſcentur, exegerim, quam ne oderint tam ſegniter pereuntes. Ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non vt in cladibus exercituum, aut captiuitate vrbium, ſemel editam tranſire licet. Detur hoc illuſtrium virorum poſteritati, vt quomodo exſequiis à promiſcuâ ſepultura ſeparantur; ita in traditione ſupremorum accipiant, habeantque propriam memoriam.

Annal lib. 16.

De cauſis corruptæ veritatis hiſtoriarum.

INitium mihi operis Ser. Galba iterum, T. Vinius conſules erunt. Nam poſt conditam vrbem DCC. & XX. prioris æui annos multi auctores retulerunt; dum res populi Rom. memorabantur, pari eloquentiâ, ac libertate. Poſtquam bellatum apud Actium, atque omnem poteſtatem ad vnum conferri pacis interfuit; magna illa ingenia ceſſere. Simul veritas pluribus modis infracta: pri-

Hiſtor. lib. 1.

Libertas, & eloquentia optime conueniũt, ſimulque pereunt.

mum inſcitia reip. vt alienæ, mox libidine aſſentandi, aut rurſus odio aduerſus dominantes. Ita neutris cura poſteritatis, inter infenſos, vel obnoxios. Sed ambitionem ſcriptoris facile auerſeris: obtrectatio, & liuor pronis auribus accipiuntur. Quippe *adulationi fœdum crimen ſeruitutis, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt.*

De ſtatu rei Romanæ ſub Imp. Galba.

Cauſſa motuum reip. R. ab origine.

CÆterum antequam deſtinata componam, repetendum videtur, qualis ſtatus vrbis, quę mens exercituum, quis habitus prouinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid ægrũ fuerit: vt non modo caſus, euentuſque rerum, qui plerunque fortuiti ſunt, ſed ratio etiam cauſſæque noſcantur. Finis Neronis, vt lætus primo gaudẽtium impetu fuerat, ita varios motus animorum, non modo in vrbe apud patres, aut populum, aut vrbanum militem, ſed omnes legiones, duceſque conciuerat: euulgato imperii arcano, poſſe principem alibi, quam Romæ fieri. Sed patres læti, vſurpatâ ſtatim libertate, licentius, vt erga principem nouum, & abſentem: primores equitum proximi gaudio patrum: pars populi integra, & magnis domibus annexi clientes, libertique damnatorum, & exſulum, in ſpem erecti. Plebs ſordida, & circo, ac theatris ſueta, ſimul deterrimi ſeruorum, aut qui adeſis bonis, per dedecus Neronis alebantur, mœſti, & rumorum auidi. Miles vrbanus longo Cæſarum ſacramento imbutus, & ad deſtituendum Neronem arte magis, & impulſu, quam ſuo ingenio traductus, poſtquam neque dari donatiuum ſub nomine Galbæ promiſſum; neque magnis meritis, ac præmiis eundem in pace, qui in bello locum. præuentamque gratiam intelligit, apud principem à legionibus factum; pronus ad nouas res, ſcelere inſuper Nymphidii Sabini præfecti imperium ſibi molientis agitatur. Et Nymphidius quidem in ipſo conatu oppreſſus. Sed quamuis capite defectionis ablato, manebat pleriſque militum conſcientia; nec deerant ſermones, ſenium, atque auaritiam Galbæ increpantium. Laudata olim, & militari famâ celebrata ſeueritas eius, angebat coaſpernantes veterem diſciplinam, atq; ita XIV. annis à Nerone aſſuefactos, vt haud minus vitia principum amarent, quam olim virtutes verebantur. Acceſſit Galbæ vox pro rep. honeſta, ipſi anceps, *Legi à ſe militem, non emi.* Nec enim ad hanc

Mors Neroni varie læta, aut triſtis.

Miles præmia ſpectat.

Nymphidius eum turbat.

Galba parum benigne habet.

Et parum prudenter.

formam cætera erant. Inualidum ſenem T. Vinius, & Corn. Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignauiſſimus, odio flagitiorum oneratum, contemptu inertiæ deſtruebant. Tardum Galbæ iter & cruentum, interfectis Cingonio Varrone conſule deſignato, & Petronio Turpiliano conſulari: ille vt Nymphidii ſocius, hic vt dux Neronis, inauditi, atque indefenſi, tanquam innocentes perierant. Introitus in vrbem, trucidatis tot millibus inermium militum, infauſtus omine, atque ipſis etiam, qui occiderant, formidoloſus. Inductâ legione Hiſpanâ, remanente ea, quam è claſſe Nero conſcripſerat, plena vrbs exercitu inſolito. Multi ad hoc numeri è Germaniâ, ac Britanniâ, & Illyrico, quos idem Nero electos, præmiſſoſq; ad clauſtra Caſpiarum, & bellum, quod in Albanos parabat, opprimendis Vindicis cœptis reuocauerat: ingens nouis rebus materia, vt non in vnum aliquem prono fauore, ita audenti paráta. Forte congruerat, vt Clodii Macri, & Fonteii Capitonis cædes nuntiarentur. Macrum in Africâ haud dubie turbantem, Trebonius Garucianus procurator, iuſſu Galbæ: Capitonem in Germaniâ, cum ſimilia cœptaret, Cornelius Aquinus, & Fabius Valens legati legionum interfecerant, antequam iuberentur. Fuere, qui crederent, Capitonem vt auaritiâ, & libidine fœdum, ac maculoſum, ita cogitatione rerum nouarum abſtinuiſſe: ſed à legatis bellum ſuadentibus, poſtquam impellere nequiuerint, crimen, ac dolum compoſitum vltro: & Galbum mobilitate ingenii, an ne altius ſcrutaretur, quoquo modo acta, quia mutari non poterant, comprobaſſe. Cæterum vtraque cædes ſiniſtre accepta: & *inuiſo ſemel principe, ſeu bene ſeu male facta premunt.* Iam afferebant venalia cuncta præpotentes liberti. Seruorum manus ſubitis auidæ, & tanquam apud ſenem feſtinantes: eademque nouæ aulæ mala, æque grauia, non æque excuſata. Ipſa ætas Galbæ & irriſui, & faſtidio erat, aſſuetis iuuentæ Neronis, & imperatores formâ, ac decore corporis (vt eſt mos vulgi) comparantibus. Et hic quidem Romæ, tanquam in tanta multitudine, habitus animorum fuit. E prouinciis Hiſpaniæ præerat Cluuius Rufus, vir facundus, & pacis artibus, belli inexpertus. Galliæ ſuper memoriam Vindicis, obligatæ recenti dono Romanæ ciuitatis, & in poſterum tributi leuamento. Proximæ tamen Germanis exercitibus Galliarum ciuitates, non eodem honore

Vrbs inſolito milite plena.

Galba ex cæde conſularium inuiſus.

Cuius liberti meſſem aureã feſtinabant.

Aulæ mala.

Galliæ pars aliena Galbæ.

habitæ, quædam etiam finibus ademptis, pari dolore commoda aliena, ac ſuas iniurias metiebantur. Germanici exercitus, quod periculoſiſſimum in tantis viribus, ſolliciti & irati ſuperbia recentis victoriæ, & metu, tanquam alias partes fouiſſent. Tarde à Nerone

Germanicæ legiones deſciſcunt.

deſciuerant: nec ſtatim pro Galbâ Verginius: An imperare voluiſſet, dubium: delatum ei à milite imperium conueniebat. Fonteium Capitonem occiſum, etiam qui queri non poterant, tamen indignabantur. Dux deerat, abducto Verginio per ſimulationem amicitiæ: quem non remitti, atque etiam reum eſſe, tanquam ſuum crimen accipiebant. Superior exercitus legatum Hordeonium Flaccum ſpernebat, ſenectâ, ac debilitate pedum inualidum, ſine conſtantia, ſine autoritate: ne quieto quidem milite, regimen: adeo furentes infirmitate retinentis vltro etiam accendebantur.

Britania miles modeſte egit.

Inferioris Germaniæ legiones diutius ſine conſulari fuere: donec miſſu Galbæ Vitellius aderat, cenſoris Vitellii, ac ter conſulis filius. Id ſatis videbatur. In Britannico exercitu nihil irarum. Non ſane aliæ legiones per omnes ciuilium bellorum motus, innocentius egerunt: ſeu quia procul, & Oceano diuiſæ; ſeu crebris expeditionibus doctæ hoſtem potius odiſſe. Quies & Illyrico: quamquam excitæ à Nerone legiones, dum in Italia cunctantur, Verginium legationibus adiſſent. Sed longis ſpaciis diſcreti exercitus, quod ſaluberrimum eſt ad continendam militarem fidem, nec vitiis, nec viribus miſcebantur. Oriens adhuc immotus. Syriam, & quattuor legiones obtinebat Licinius Mutianus, vir ſecundis, aduerſiſque iuxta famoſus.

Mutiani mores, & ingenium deſcriptum ingenioſe.

Inſignes amicitias iuuenis ambitioſe coluerat: mox atteritis opibus, lubrico ſtatu, ſuſpectâ etiam Claudii iracundiâ, in ſecretum Aſiæ repoſitus, tam prope ab exſule fuit, quam poſtea à principe. Luxuriâ, induſtriâ, comitate, arrogantiâ, malis, boniſque artibus mixtus: nimiæ voluptates, cum vacaret; quotiens expedierat, magnæ virtutes. Palam laudares, ſecreta male audiebant. Sed apud ſubiectos, apud proximos, apud collegas, variis illecebris potens: & cui expeditius fuerit tradere imperium, quam obtinere.

Veſpaſianus Iudæos oppugnabat.

Bellum Iudaicum Flauius Veſpaſianus (ducem eum Nero delegerat) tribus legionibus adminiſtrabat. Nec Veſpaſiano aduerſus Galbam votum, aut animus. Quippe T. filium ad venerationem, cultumque eius miſerat, vt ſuo loco memorabimus.

mus. Occultâ lege fati, & oſtenſis, ac reſponſis deſtinatum Veſpaſiano, liberiſque eius imperium, poſt fortunam credidimus. Ægyptum, copiaſque, quibus coerceretur, iam inde à diuo Auguſto, equites Romani obtinent loco regum. Ita viſum expedire, prouinciam aditu difficilem, annonæ fæcundam, ſuperſtitione, ac laſciuia diſcordem, & mobilem, inſciam legum, ignaram magiſtratuum domi retinere. Regebat tum Tiberius Alexander eiuſdem nationis. Africa, ac legiones in eâ, interfecto Clodio Macro, contentæ qualicunque principe, poſt experimentum domini minoris. Duæ Mauretaniæ, Rhætia, Noricum, Thracia, & quæ aliæ procuratoribus cohibentur, vt cuique exercitui vicinæ, ita in fauorem, aut odium contactu valentiorum agebantur. Inermes prouinciæ, atq; ipſa in primis Italia, cuicumque ſeruitio expoſitæ, in precium belli ceſſuræ erant. Hic fuit rerum Romanarum ſtatus, cum Ser. Galba iterum, T. Vinius Coſſ. inchoauere annum ſibi vltimum, Reip. prope ſupremum.

Ægyptiorum mores.

Italia precium belli.

De mathematicis.

VRgentibus etiam mathematicis, dum nouos motus, & clarum Othoni annum obſeruatione ſyderum affirmant, Genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in ciuitate noſtra & vetabitur ſemper, & retinebitur.

Diuinaculi ſperantibus aſſecla perpetui

De vacatione militari.

FLagitatum, vt vacationes præſtari centurionibus ſolitæ remitterentur. Namq; gregarius miles, vt tributum annuum pendebat. Pars manipulis, pars per commeatus, aut in ipſis caſtris vaga, dum mercedem centurioni exſolueret, neque modum oneris quiſquam, neq; genus quæſtus penſi habebat. Per latrocinia, & raptus, aut ſeruilibus miniſteriis militare otium redimebant. Tum locupletiſſimus quiſq; miles, labore, ac ſæuitiâ fatigari, donec vacationem emeret. Vbi ſumptibus exhauſtus, ſecordiâ inſuper elanguerat, inops pro locuplete, & iners pro ſtrenuo in manipulũ redibat: ac rurſus alius, atq; alius, eâdem egeſtate, ac licentiâ corrupti, ad ſeditionem, & diſcordias, & ad extremum, bella ciuilia ruebant. Sed

Miles vacationes petit ab Othone. Quales ea fuerint.

Ex fiſco ſoluta vacationes optimo conſilio.

Otho, ne vulgi largitione, centurionum animos auerteret, ex fiſco ſuo vacationes annuas exſoluturum promiſit: rem haud dubie vtilem, & à bonis poſtea principibus, perpetuitate diſciplinæ, firmatam.

Peſſimum quemque aduerſus publicum odium priuatam gratiam præparare.

Tigellinus ſcilicet, qui ad ſupplicium poſſ. ebatur à militibus.
Sceleſtum ingenium.

APud Galbam Titi Vinii potentiâ defenſus, prætexentis ſeruatam ab eo filiam: & haud dubie ſeruauerat, non clementiâ (quippe tot interfectis) ſed effugio in futurum. *Quia peſſimus quiſque, diffidentiâ præſentium mutationem pauens, aduerſus publicum odium, priuatam gratiam præparat: vnde nulla innocentia cura, ſed vita impunitatis.*

Prodigia, rudibus ſeculis, etiam in pace obſeruata: male cultis tantum in metu audiri.

Othonis ſcilicet imperio nutante.

PRodigia inſuper terrebant, diuerſis auctoribus vulgata. In veſti bulo Capitolii omiſſas habenas bigæ, cui Victoria inſtiterat: e rupiſſe cellâ Iunonis maiorem humanâ ſpeciem: ſtatuam diui Iulii, in inſula Tiberini amnis, ſereno & immoto die, ab Occidente in O rientem conuerſam: prolocutum in Etruriâ bouem: inſolitos ani malium partus; & plura alia, rudibus ſeculis, etiam in pace obſeruata, quæ nunc tantum in metu audiuntur.

In bellis ciuilibus omnem pecuniam in militum vſum conuerti, & magno vulgi mærore alimentorum pretia intendi.

Id in bello Othonis & Vitellii.

SEd vulgus, & magnitudine nimiâ cõmunium curarum expers populus, ſentire paullatim belli mala, conuerſâ in militum vſum omni pecuniâ, intentis alimentorum preciis: quæ motu Vindicis haud perinde plebem attriuerant, ſecurâ tum vrbe, & prouinciali bello, quod inter legiones, Galliaſque velut externum fuit. Nam ex quo diuus Auguſtus res Cæſarum compoſuit, procul & in vnius ſollicitudinem, aut decus, populus Romanus bellauerat. Sub Ti berio, & Caio, tantum pacis aduerſa pertimuere. Scriboniani con-

tra

tra Claudium incepta, ſimul audita, & coercita. Nero nuntiis magis, & rumoribus, quam armis depulſus. Tum legiones, claſſeſque, & quod raro aliâs, prætorianus, vrbanuſque miles, in aciem deducti, Oriens, Occidensque, & quidquid vtrinque virium eſt à tergo: ſi ducibus aliis bellatum foret, longo bello materia.

De Paphiæ Veneris delubro, & effigie.

Hiſt. lib. 2. Titus Paphiæ Veneris templum adit.

ATque illum cupido inceſſit adeundi, viſendique templum Paphiæ Veneris, inclytum per indigenas, aduenaſque. Haud fuerit longum initia religionis, templi ſitum, formam deæ (neque enim alibi ſic habetur) paucis diſſerere. Conditorem templi regem Aeriam vetus memoria, quidam ipſius deæ nomen id perhibent. Fama recentior tradit, à Cinarâ ſacratum templum, deamque ipſam conceptam mari, huc appulſam. Sed ſcientiam, artemque hauruſpicum accitam, & Cilicem Thamyram intuliſſe. Atque ita pactum, vt familiæ vtriuſque poſteri cærimoniis præſiderent. Mox ne honore nullo regium genus peregrinam ſtirpem antecelleret, ipſâ, quam intulerant, ſcientiâ hoſpites ceſſere. Tantum Cinarades ſacerdos conſulitur. Hoſtiç, vt quiſque vouit: ſed mares deliguntur. Certiſſima fides hædorum fibris. Sanguinem aræ offundere vetitum: precibus, & igne puro altaria adolentur, nec vllis imbribus, quamquam in aperto, madeſcunt. Simulacrum Deæ non effigie humanâ, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exurgens. Et ratio in obſcuro.

Eius conditor, & ritus qui.

Dea informe ſignum.

Ex duorum moribus egregii principis effictæ virtutes.

Diuerſa morum via Veſpaſiano, & Mutiano.

VEſpaſianus acer militiæ, anteire agmen, locum caſtris capere, noctu diuque conſilio, ac ſi res poſceret, manu hoſtibus obniti, cibo fortuito, veſte, habituque vix à gregario milite diſcrepans; prorſus, ſi auaritia abeſſet, antiquis ducibus par. Mutianum è contrario magnificentia, & opes, & cuncta priuatum modum ſupergreſſa extollebant: aptior ſermone, diſpoſitu, prouiſuque, ciuilium rerum peritus. *Egregium principatus temperamentum, ſi demptis vtriuſque vitiis, ſolæ virtutes miſcerentur.*

Cur Oriens pacatior antiquitus Occidente:

ANtequam Titus aduentaret, ſacramentum Othonis accepe rat, vterque exercitus, præcipitibus, vt aſſolet, nuntiis, & tar da mo'e ciuilis belli, quod longâ cõcordiâ quietus Oriens, tunc pri mum parabat. Namq; olim validiſſima inter ſe ciuium arma, in Italiâ, Galliâve, viribus Occidentis cœpta. Et Pompeio, Caſſio, Bruto, Antonio, quos omnes trans mare ſecutum eſt ciuile bellum, haud proſperi exitus fuerant. Auditique ſæpius in Syriâ, Iudæâque Cæſares, quam inſpecti. Nulla ſeditio legionum, tantum aduerſus Parthos minæ, vario euentu. Et proximo ciuili bello, turbatis aliis, inconcuſſa ibi pax, dein fides erga Galbam. Mox vt Othonem, ac Vitellium ſceleſtis armis res Romanas raptum ire, vulgatum eſt, ne penes cæteros imperii præmia, penes ipſos tantum ſeruitii neceſſitas eſſet, fremere miles, & vires ſuas circumſpicere.

Orientales legiones communi cæterarũ tumore intumuerunt.

Et ferocientium exemplo ferociuerunt.

Moribus, ac veſtibus externis abſtinendum eſſe, præſertim exercituum ductoribus.

AT Cæcina, velut relictâ poſt alpes ſæuitiâ, ac licentiâ, modeſto agmine per Italiam inceſſit. Ornatum ipſius municipia, & coloniæ in ſuperbiam trahebant: quod verſicolore ſagulo, bracchas tegmen barbarum indutus, togatos alloqueretur. Vxorem quoq; eius Saloninã, quamquam in nullius iniuriam, inſigni equo, oſtroq; veheretur, tanquam læſi grauabantur. *Inſitâ mortalibus naturâ, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere, quam quos in æquo videre.*

Læditur plex inſuetu, neq; patriis morib.

De priſcis, ac nouis moribus.

VEtus, ac iam pridem inſita mortalibus potentiæ cupido, cum imperii magnitudine adoleuit, erupitq;. Nam rebus modicis, æqualitas facile habebatur: ſed vbi ſubacto orbe, & æmulis vrbibus, regibuſve excîſis, ſecuras opes cõcupiſcere vacuum fuit, prima inter patres, plebemq; certamina exarſere. Modo turbulenti tribuni, modo conſules præualidi, & in vrbe, ac foro tentamenta ciuilium bellorum. Mox è plebe infima, C. Marius, & nobilium ſæuiſſimus L. Sullâ, victam armis libertatem in dominationem verterunt. Poſt quos Cn. Pompeius occultior, non melior. Et nunquam poſtea, niſi

Imperii cupido vetus.

Cur ergo opes.

Pluresq; Roma ad illud aſpirarunt.

principatu quæſitum. Non diſceſſere ab armis in Pharſalia, ac Philippis ciuium legiones, nedum Othonis, ac Vitellii exercitus ſponte poſituri bellum fuerint. Eadem illos deûm ira, eadem hominum rabies, eædem ſcelerum cauſſæ in diſcordiam egere. Quod ſingulis velut ictibus tranſacta ſunt bella, ignauiâ principum factum eſt. Sed me veterum, nouorumque morum reputatio longius tulit.

Vel horam in imperio viuere, iucundum eſſe.

NEc defuit, qui vnum conſulatus diem (is enim in locum Cæcinæ ſupererat) magno cum irriſu accipientis, tribuentiſq;, eblādiretur. Pridie Kal. Nouembris, Roſſius Regulus iniit, eiurauitque. Annotabant periti, nunquam antea non abrogato magiſtratu, neq; lege latâ, alium ſuffectum. Nam conſul vno die & ante fuerat Caninius Rebilus, C. Cæſare dictatore, cum belli ciuilis præmia feſtinarentur. *Hiſt. lib. 3.* *Diarius conſul.*

De bellorum ciuilium truculentia.

CEleberrimos auctores habeo, tantam victoribus aduerſus fas, nefaſque irreuerentiam fuiſſe, vt gregarius eques, occiſum à ſe proxima acie fratrem profeſſus, premium à ducib. petierit. Nec illis aut honorare eam cædem, ius hominum: aut vlciſci, ratio belli permittebat. Diſtulerant, tanquam maiora meritum, quam quæ ſtatim exſoluerentur: nec quidquam vltra traditur. Cæterum & prioribus ciuium bellis, par ſcelus inciderat. Nam prælio, quo apud Ianiculum aduerſum Cinnam pugnatum eſt, Pompeianus miles fratrem ſuum, dein cognito facinore, ſe ipſum interfecit, vt Siſenna memorat. Tanto acrior apud maiores, ſicut virtutibus gloria, ita flagitiis pœnitentia fuit. Sed hæc, aliaque ex veteri memoria repetita, quotiens res, locuſque exempla recti, aut ſolatia mali poſcent, haud abſurde memorabimus. *Immane ſcelus militis.* *Callidum ſubterfugium.*

Inter ſumma, & præcipitia nihil medium eſſe, memorabile experimentum.

AVdita defectione legionis, cohortiumque, quæ ſe Narniæ dediderant, pullo amictu palatio digreditur mœſtâ circum familiâ. Simul ferebatur lecticulâ paruulus filius, velut in funebrem pompam. Voces populi blandæ, & intempeſtiuæ; miles *Vitellius degeneri animo Principatu excedit.*

minaci ſilentio. Nec quiſquam adeo rerũ humanarum immemor, quem non commoueret illa facies, Romanum principem, & generis humani paullo ante dominum, relictâ fortunæ ſuæ ſede, per populum, per vrbem, exire de imperio. Nihil tale viderant, nihil audierant. Repentina vis dictatorem Cæſarem oppreſſerat, occultæ Caium inſidiæ: nox, & ignotum rus, fugam Neronis abſcondetant. Piſo, & Galba, tanquam in acie cecidere: In ſuâ concione Vitellius, inter ſuos milites, proſpectantibus etiam fœminis, pauca, & præſenti mœſtitiæ congruentia locutus; *Cedere ſe pacis, & reip. cauſsâ: retinerent tantum memoriam ſui, fratremque, & coniugem, & innoxiam liberorum ætatem miſerarentur.*

Miro tragicæ mutationis exemplo.

De Capitolii Romani ædificatione, reſtauratione, & incendio.

SIc Capitolium, clauſis foribus, indefenſum, & indireptum, conflagrauit. Id facinus poſt conditam vrbem luctuoſiſſimum, fœdiſſimumque Populo R. accidit, nullo externo hoſte, propitiis, ſi per mores noſtros liceret, deis. Sedem Iouis optimi Maximi, auſpicatò à maioribus pignus imperii conditam, quam non Porſena deditâ vrbe, neque Galli captâ, temerare potuiſſent, furore principum exſcindi? Arſerat & ante Capitolium ciuili bello, ſed fraude priuatâ. Nunc palàm obſeſſum, palàm incenſum: quibus armorum cauſſis, quo tantę cladis pretio pro patriâ bellauimus? Vouerat Tarquinius Priſcus rex, bello Sabino, ieceratque fundamenta, ſpe magis futuræ magnitudinis, quam quo modicæ adhuc Populi R. res ſufficerent. Mox Seruius Tullius, ſociorum ſtudio; deinde Tarquinius Superbus, captâ Sueſſâ Pometiâ, hoſtium ſpoliis exſtruxere. Sed gloria operis, libertati reſeruata. Pulſis regibus, Horatius Puluillus iterum conſul dedicauit, eâ magnificentiâ quam immenſæ poſtea Pop. R. opes ornarent potius, quam augerent. Iiſdem rurſus veſtigiis ſitum eſt, poſtquam interiecto CCCCXV. annorum ſpacio, L. Scipione, C. Norbano Coſſ. flagrauerat. Curam victor Sulla ſuſcepit, neque tamen dedicauit: hoc ſolum felicitati eius negatum. Lutatii Catuli nomen, inter tot Cæſarum opera, vſque ad Vitellium manſit. Ea tunc ædes cremabatur.

Capitolium oppugnatur.

Tanti ſceleris admiratio.

Quis illius conditor,

Auctor,

Reparator.

De truculento flagrantis patriæ ſpectaculo, quo altera pars Romani populi lætabatur, altera furiebat.

COncurrêre & in campo Martio infeſtæ acies. Pro Flauianis fortuna, & parta totiens victoria: Vitelliani deſperatione ſolâ ruebant; & quamquam pulſi, rurſus in vrbe congregabantur. Aderat pugnantibus ſpectator populus, vtque in ludicro certamine, hos modo, rurſus illos clamore, & plauſu fouebat: quotiens pars altera inclinaſſet, abditos in tabernis, aut ſi quam in domum perfugerant, erui, iugularique expoſtulantes, parte maiore prædæ potiebantur. Nam milite ad ſanguinem, & cædes obuerſo ſpolia in vulgus cedebant. Sæua, ac deformis vrbe totâ facies: alibi prælia, & vulnera, alibi balineæ, popinęque. Simul cruor, & ſtrues corporum: iuxtà ſcorta, & ſcortis ſimiles: quantum in luxurioſo otio libidinum, quidquid in acerbiſſimâ captiuitate ſcelerum: prorſus, vt eandem ciuitatem & furere crederes, & laſciuire. Conflixerant ante armati exercitus in vrbe, bis L. Sullâ, ſemel Cinnâ victoribus, nec tunc minus crudelitatis: nunc inhumana ſecuritas, & ne minimo quidem temporis voluptates intermiſſæ, velut feſtis diebus id quoque gaudium accederet, exſultabant, fruebâtur, nullâ partium curâ, malis publicis læti.

In campo Martis prælia pro imperio.

Miſera vrbis facies.

Plebis leuitas, & ſæuities.

Diſcordias ducum facinoribus cauſſas, & initium præbere.

SVb idem tempus L. Piſo proconſul interficitur: eâ de cęde quam veriſſime expediam, ſi pauca ſupra petiero, ab initio, cauſſiſque talium facinorum non abſurda. Legio in Africâ, auxiliaque, tutandis imperii finibus, ſub diuo Auguſto, Tiberioq; principibus, proconſuli parebant. Mox C. Cæſar turbidus animi, ac M. Silanum obtinentem Africam metuens, ablatam proconſuli legionem, miſſo in eam rem legato tradidit. Æquatus inter duos beneficiorum numerus, & mixtis vtriuſque mandatis, diſcordia quæſita, auctaque. Prauo certamine, legatorum ius adoleuit, diuturnitate officii, vel quia minoribus maior æmulandi cura. Proconſulum ſplendidiſſimus quiſque, ſecuritati magis, quam potentiæ conſulebant. Sed tū

Hiſt. lib. 4.

Proconſul Africa factus inermis.

Valerius Feſtus legatus Piſonem conſ. c[a]lumniatur.

legionem in Africâ regebat Valerius Feſtus, ſumptuoſæ adoleſcentiæ, neque modica cupiens, ſed affinitate Vitellii anxius. Is, crebris ſermonibus, tentaueritne Piſonem ad res nouas, an tentanti reſtiterit, incertum; quoniam ſecreto eorum nemo affuit, & occiſo Piſone plerique ad gratiam interfectoris inclinauere.

De reſtitutione Capitolii Rom. & cærimoniis dedicandi.

Capitolium reſtitutum. Quo ritu, & cærimoniâ.

CVram reſtituendi Capitolii in L. Veſtinum confert (*Veſpaſianus*) equeſtris ordinis virum, ſed autoritate, famaq; inter proceres. Ab eo contracti haruſpices, monuere, vt reliquiæ prioris delubri in paludes aueherentur, templum iiſdem veſtigiis ſiſteretur: nolle deos mutari veterem formam. Vndecimo Kal. Iulias, ſerenâ luce, ſpacium omne, quod tẽplo dicabatur, euinctum vittis, coroniſque. Ingreſſi milites, quibus fauſta nomina, felicibus ramis: dein Virgines Veſtales cum pueris puelliſque patrimis, matrimiſq;, aquâ riuis, & fontibus, amnibuſq; hauſtâ, perluere. Tum Heluidius Priſcus prætor, præeunte Plauto Æliano Pontifice, luſtratâ ſuouetaurilibus areâ, & ſuper ceſpitem redditis extis, Iouem, Iunonem, Mineruam, præſideſque imperii deos precatus, vti cœpta proſperarent, ſedeſq; ſuas pietate hominum inchoatas, diuinâ ope attollerent; vittas, quîs ligatus lapis, innexiq; funes erant, contigit. Simul cæteri magiſtratus, & ſacerdotes, & ſenatus, & eques, & magna pars populi, ſtudio, lætitiaque connixi, ſaxum ingens traxere: paſſimq; iniectæ fundamentis argenti, aurique ſtipes, & metallorum primitiæ nullis fornacibus victæ, ſed vt gignuntur. Prædixere haruſpices, ne temeraretur opus ſaxo, auro ve in aliud deſtinato. Altitudo ædibus adiecta. Id ſolum religio annuere: & prioris templi magnificentiæ defuiſſe creditum, quo tanta vis hominum retinenda erat.

Quâ prece.

Aurum, & argentum rude iniectum. Altius Capitolium exſtructum.

De fictitiis, & fabuloſis (vt credere fas eſt) Veſpaſiani miraculis. 2. De ipſius in templum Iouis Ditis ingreſſu 3. De numinis origine.

Miracula à Veſpaſiano patrata.

PEr eos menſes, quibus Veſpaſianus Alexandriæ ſtatos æſtiuis flatibus dies, & certa maris opperiebatur, multa miracula euenere,

nere, quis cœleſtis fauor, & quædam in Veſpaſianum inclinatio numinum oſtenderetur. Ex plebe Alexandrina quidam, oculorum tabe notus, genua eius aduoluitur, remedium cæcitatis expoſcens gemitu, monitu Serapidis dei, quem dedita ſuperſtitionib. gens ante alios colit, precabaturq; principem, vt genas, & oculorũ orbes dignaretur reſpergere oris excremẽto. Alius manu æger, eodem Deo auctore, vt pede ac veſtigio Cæſaris calcaretur, orabat. Veſpaſianus primo irridere, aſpernari: atque illis inſtantibus, modo famam vanitatis metuere, modo obſecratione ipſorum, & vocibus adulantium in ſpem induci: poſtremo æſtimari à medicis iubet, an talis cæcitas, ac debilitas, ope humana ſuperabiles forent. Medici varie diſſerere. Huic non exeſam vim luminis, & redituram, ſi pellerentur obſtantia: illi elapſos in prauum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari. Id fortaſſe cordi deis, & diuino miniſterio principem electum: denique patrati remedii gloriam penes Cæſarem, irriti, ludibrium penes miſeros fore. Igitur Veſpaſianus cuncta fortunæ ſuæ patere ratus, nec quidquam vltra incredibile, lęto ipſe vultu, erectâ, quæ aſtabat multitudine, iuſſa exſequitur. Statim conuerſa ad vſum manus, ac cæco reluxit dies. Vtrũq; qui interfuere, nunc quoque memorant, poſtquam nullum mendacio precium. Altior inde Veſpaſiano cupido adeundi ſacram ſedem, vt ſuper rebus imperii conſuleret. Arceri templo cunctos iubet; atque ingreſſus, intentuſque numini, reſpexit pone tergum è primoribus Ægyptiorum nomine Baſiliden: quem procul Alexandriâ plurium dierum itinere, & ægro corpore detineri haud ignorabat. Percunctatur ſacerdotes, num illo die Baſilides templum iniſſet? percunctatur obuios, nũ in vrbe viſus ſit? deniq; miſſis equitib. explorat, illo temporis momento octoginta milibus paſſuum abfuiſſe. Tunc diuinam ſpeciem, & vim reſponſi ex nomine Baſilidis, interpretatus eſt. Origo Dei nondum noſtris auctoribus celebrata: Ægyptiorum antiſtites ſic memorant. Ptolemæo regi, qui Macedonum primus Ægypti opes firmauit, cum Alexandriæ recens conditæ mœnia, templaq;, & religiones adderet, oblatũ per quietem decore eximio, &

Cæcum ſanat

& mancum.

Aderat mendacio precium, dum Veſpaſiani procurator fuit in Gallia Belgica.

Omen factum Veſpaſiano Serapidis templum ingredienti.

De Serapide diſſertatio hiſtorica.

maiore, quam humanâ ſpecie iuuenem, qui moneret, vt fidiſſimis amicorum in Pontum miſſis, effigiem ſuam acciret: lætum id regno, magnamque, & inclytam ſedem fore, quę excepiſſet: ſimul viſum eundem iuuenem in cœlum igne plurimo attolli. Ptolemæus omine, & miraculo excitus, ſacerdotibus Ægyptiorum, quibus mos talia intelligere, nocturnos viſus aperit. Atque illis Ponti, & externorum parum gnaris, Timotheum Athenienſem è gente Eumolpidarum, quem vt antiſtitem cærimoniarum Eleuſi exciuerat, quænam illa ſuperſtitio, quod numen, interrogat. Timotheus, quęſitis qui in Pontum meaſſent, cognoſcit vrbem illic Sinopen, nec procul templum vetere inter accolas famâ Iouis Ditis. Namque & muliebrem effigiem aſſiſtere, quam plerique Proſerpinam vocent. Sed Ptolemæus, (vt ſunt ingenia regum) pronus ad formidinem, vbi ſecuritas rediit, voluptatum, quam religionum appetens, negligere paullatim, aliaſque ad curas animum vertere: donec eadem ſpecies terribilior iam, & inſtantior, exitium ipſi, regnoq; denuntiaret, ni iuſſa patrarentur. Tum legatos, & dona Scydrothemidi regi (is tunc Sinopenſibus imperitabat) expediri iubet, præcipitque nauigaturis, vt Pythium Apollinem adeant. Illis mare ſecundum. Sors oraculi haud ambigua. Irent, ſimulacrumque patris ſui reueherent, ſororis relinquerent. Vt Sinopen venêre, munera, preces, mandata regis ſui Scydrothemidi allegant. Qui diuerſus animi, modo numen paueſcere, modo minis aduerſantis populi terreri, ſæpe donis, promiſſiſq; legatorum flectebatur. Atque interim triennio exacto, Ptolemæus non ſtudium, non preces omittere. Dignitatem legatorum, numerum nauium, auri pondus, augebat. Tum minax facies Scydrothemidi offertur, ne deſtinata deo vltra moraretur. Cunctantem varia pernicies, morbique, & manifeſta cœleſtium ira, grauiorque in dies fatigabat. Aduocatâ concione, iuſſa numinis, ſuos, Ptolemæique viſus, ingruentia mala exponit. Vulgus aduerſari regem, inuidere Ægypto, ſibi metuere, tēplumq; circumſidere: Maior hinc fama tradidit, deum ipſum appulſas littori naues ſponte conſcendiſſe. Mirum inde dictu, tertio die tantum maris emenſi, Alexandriam appelluntur. Templum pro magnitudine vrbis exſtructum loco, cui nomen Rhacotis. Fuerat illic ſacellum Serapidi, atque Iſidi antiquitus ſacratum. Hæc de ori-

gine

gine, & aduectu dei celeberrima. Nec ſum ignarus, eſſe quoſdam, qui Seleuciâ vrbe Syriæ accitum, regnante Ptolemæo, quem tertia ætas tulit: alii auctorem eundem Ptolemæum: ſedem, ex quâ tranſierit, Memphim perhibent, inclytam olim, & veteris Ægypti columẽ. Deum ipſum multi Æſculapium, quod medeatur ægris corporibus: quidam, Oſirim, antiquiſſimum illis gentibus numen; pleriq; Iouem, vt rerum omnium potentem; plurimi Ditem patrem, inſignibus, quæ in ipſo manifeſta, aut per ambages coniectant.

De Libano monte, Iordane fluuio, aſphaltite lacu.

PRæcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum, fidumq; niuibus. Idem amnẽ Iordanẽ alit, funditq;. Nec Iordanes pelago accipitur. Sed vnum atq; alterũ lacũ integer perfluit: tertio retinetur. Lacus immenſo ambitu, ſpecie maris, ſapore corruptior, grauitate odoris accolis peſtifer, neq; vento impellitur, neque piſces, aut ſuetas aquis volucres patitur. Incertæ vndæ, ſuperiactę, vt ſolido feruntur: periti, imperitique nandi, perinde attolluntur. Certo anni, bitumen egerit: cuius legendi vſum, vt cæteras artes, experientia docuit. Ater ſuapte naturâ liquor, & ſparſo aceto concretus, innatat: hunc manu captum, quibus ea cura, in ſumma nauis trahunt. Inde nullo iuuante influit, oneratq;, donec abſcindas: nec abſcindere ære, ferroue poſſis: fugit cruorem, veſtemq; infectam ſanguine, quo fœminæ per menſes exſoluuntur. Sic veteres auctores. Sed gnari locorum tradũt, vndantes bitumine moles pelli, manuque trahi ad littus; mox vbi vapore terræ, vi ſolis inaruerint, ſecuribus, cuneiſque, vt trabes, aut ſaxa diſcindi. Haud procul inde campi, quos ferunt olim vberes, magniſq; vrbibus habitatos, fulminum iactu arſiſſe: & manere veſtigia, terramq; ipſam ſpecie torridam, vim frugiferam perdidiſſe. Nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſiue herba tenus, aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adoleuere, atra, & inania velut in cinerem vaneſcunt. Ego ſicut inclytas quondam vrbes igne cœleſti flagraſſe cõceſſerim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi ſuperfuſum ſpiritum, eoque fœtus ſegetum, & autumni putreſcere, reor, ſolo, cœloque iuxtâ graui.

Hiſt. lib. 5.

Aſphaltites lacus.

Bitumen in eo

quo pacto colligatur.

Campi exuſti.

Quorum fructus quales.

De Cimbrorum gloriâ, & cæterorum Germanorum virtute.

Lib. de Germ. morib.

EVndem Germaniæ ſinum proximi Oceano Cimbri tenent, parua nunc ciuitas, ſed gloriâ ingens: veteriſque famæ late veſtigia manent, vtráque ripâ caſtra, ac ſpacia, quorum ambitu nunc quoq; metiaris molem, manuſque gentis, & tam magni exercitus fidem. Sexcenteſimum, & quadrageſimum annum vrbs noſtra agebat, cum primum Cimbrorum audita ſunt arma, Cæcilio Metello, ac Papirio Carbone Coſſ. Ex quo ſi ad alterum imperatoris Traiani conſultatum computemus, ducenti ferme, & decem anni colligũtur. Tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi æui ſpacio, multa inuicem damna: non Samnis, non Pœni, non Hiſpaniæ, Galliæve, ne Parthi quidem ſæpius admonuere: *quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas.* Quid enim aliud nobis, quam cædem Craſſi, amiſſo & ipſe Pacoro, infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? At Germani Carbone, & Caſſio, & Scauro Aurelio, & Seruilio Cepione, M. quoque Manlio fuſis vel captis, quinque ſimul conſulares exercitus Populo Romano: Varum, treſque cum eo legiones etiam Cæſari abſtulerunt; nec impune C. Marius in Italia, diuus Iulius in Gallia, Druſus, ac Nero, & Germanicus in ſuis eos ſedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæſaris minæ in ludibrium miſſæ. Inde otium, donec occaſione diſcordiæ noſtræ, & ciuilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectauere: ac rurſus pulſi inde, proximis temporibus triumphati magis, quam victi ſunt.

De ſcriptoribus rerum Romanarum. 2. De infeſtiſſimis virtuti temporibus. 3. Tardiora eſſe remedia, quam mala.

In vita Agric.

CLarorum virorum facta, moreſq; poſteris tradere, antiquitus vſitatum, ne noſtris quidem temporibus quamquam incurioſa ſuorũ ætas omiſit, quotiens magna aliqua, ac nobilis virtus vicit, ac ſupergreſſa eſt vitium paruis, magniſq; ciuitatib. commune, ignorantiam recti, & inuidiam. Sed apud priores vt agere memoratu di-

gna pronum, magiſque in aperto erat: ita celeberrimus quiſque ingenio, ad prodendam virtutis memoriam ſine gratia, aut ambitione, bonæ tantum conſcientiæ pretio ducebatur. Ac plerique ſuam ipſi vitam narrare, fiduciam potius morũ, quam arrogantiam arbitrati ſunt: nec id Rutilio, & Scauro citra fidem, aut obtrectationi fuit: adeo virtutes iiſdem temporibus optime æſtimantur, quibus facillime gignuntur. At mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis, veniâ opus fuit; quam non petiſſem, ni curſaturus tam ſæua, & infeſta virtutibus tempora. Legimus, cum Aruleno Ruſtico Pætus Thraſea, Herennio Senecioni Priſcus Heluidius laudati eſſent, capitale fuiſſe: neque in ipſos modo auctores, ſed in libros quoq; eorum ſæuitum, delegato triumuiris miniſterio, vt monumenta clariſſimorum ingeniorum in comitio, ac foro vrerentur. Scilicet illo igne vocem Populi Romani & libertatem Senatus, & conſcientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulſis inſuper ſapientiæ profeſſoribus, atque omni bona arte in exſilium actâ, ne quid vſquam honeſtum occurreret. Dedimus profecto grande patientiæ documentum, & ſicut vetus ætas vidit, quid vltimum in libertate eſſet, ita nos, quid in ſeruitute, adempto per inquiſitiones & loquendi, audiendique commercio. Memoriam quoque ipſam cum voce perdidiſſemus, ſi tam in noſtra poteſtate eſſet obliuiſci, quam tacere. Nunc demum redit animus, & quamquam primo ſtatim beatiſſimi ſeculi ortu Nerua Cæſar res olim diſſociabiles miſcuerit, principatum, ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem imperii Nerua Traianus, nec ſpem modo, ac votum ſecuritas publica, ſed ipſius voti fiduciam, ac robur ſumpſerit: naturâ tamen infirmitatis humanæ tardiora ſunt remedia quam mala: & vt corpora lente augeſcunt, cito exſtinguuntur, ſic ingenia, ſtudiaque oppreſſeris facilius, quam reuocaueris. Subit quippe etiam ipſius inertiæ dulcedo: & inuiſa primo deſidia, poſtremo amatur. Quid ſi per quindecim annos, grande mortalis æui ſpacium, multi fortuitis caſibus, promptiſſimus quiſque ſæuitiâ principis interciderunt? Pauci, &, vt ita dixerim, non modo aliorum, ſed etiam noſtri ſuperſtites ſumus, exemptis è mediâ vitâ tot annis; quibus iuuenes ad ſenectutem, ſenes prope ad ipſos

exactæ ætatis terminos per ſilentium venimus. Non tamen pigebit, vel inconditâ, ac rudi voce, memoriam prioris ſeruitutis, ac teſtimonium præſentium bonorum compoſuiſſe. Hic interim liber honori Agricolæ ſoceri mei deſtinatus, profeſſione pietatis, aut laudatus erit, aut excuſatus.

Ex ſapientia modum retinere, difficillimum eſſe.

MEmoria teneo ſolitum ipſum (*Agricolam*) narrare, ſe in prima iuuenta ſtudium philoſophiæ, ac iuris, vltra quam conceſſum Romano, ac ſenatori, hauſiſſe, ni prudẽtia matris incenſum, ac flagrantem animum coercuiſſet: ſcilicet ſublime, & erectum ingenium, pulchritudinem, ac ſpeciem excelſæ, magnæque gloriæ vehementius, quam caute appetebat: mox mitigauit ratio, & ætas, retinuitque, quod eſt difficillimum, ex ſapientia modum.

De Britanniæ ſitu, ac forma.

BRitanniæ ſitum, populoſque multis ſcriptoribus memoratos, non in comparationem curæ, ingeniive referam: ſed quia tumprimum perdomita eſt. Itaque quæ priores nondum comperta eloquentiâ percoluere, rerum fide tradentur. Britannia inſularum, quas Romana notitia complectitur, maxima ſpacio, ac cœlo in Orientem Germaniæ, in Occidentem Hiſpanię obtenditur: Gallis in Meridiem etiam inſpicitur: Septemtrionalia eius, nullis contra terris, vaſto, atque aperto mari pulſantur. Formam totius Britanniæ Liuius veterum, Fabius Ruſticus recentium, eloquentiſſimi auctores, oblongæ ſcutulæ, vel bipenni aſſimilauere. Et eſt ea facies citra Caledoniam; vnde & in vniuerſum fama eſt tranſgreſſa. Sed immenſum, & enorme ſpacium procurrẽtium extremo iam littore terrarum, velut in cuneum tenuatur.

De virtute ciuis ſub malo Principe.

PRoprium humani ingenii eſt odiſſe, quem læſeris: Domitiani vero natura præceps in iram, & quo obſcurior, eo irreuocabilior, moderatione tamen, prudentiaq; Agricolæ leniebatur; quia

non contumacia; neque inani iactatione libertatis famam, fatumque prouocabat. Sciant, quibus moris illicita mirari, *poſſe etiam ſub malis principibus magnos viros eſſe*: obſequiumque ad modeſtiam, ſi induſtria, ac vigor adſint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, ſed in nullum reip. vſum, ambitioſa morte inclaruerunt.

FINIS.

ELENCHVS

DISSERTATIONVM POLITICARVM SIVE DISCVRSVVM IN CORN. TACIT. SCIPIONIS AMIRATI:

LIB. I.

1 Principem nouiſſime principatum adeptum, non debere exterioribus quibuſdam maxime vero titulis, populos, quibu[s] imperat, irritare. Pag. 3

2 Principi quanta ſit diligentia adhibenda, vt certum ſibi ſucceſſorem deſignet. 5

3 Reipublicæ bonum ſimultatibus commodisq; priuatis anteferendum eſſe. 7

4 Artes alienas, perinde ac ſi non intelligantur, eludere, egregiam eſſe artem. 10

5 Liber arcanus vniuſcuiusq; principis qualis eſſe debeat. 12

6 Principi etiam atque etiam cogitandum eſſe, num expediat Imperii fines propagare. 17

7 Antiquorum militiam ſeueram fuiſſe. 19

8 Principem nullum, ſi modo ſapit, debere, poſt alterius manſuetum regimen, extemplo inclementem ſe ac ſeuerum oſtendere. 20

9 Conſilium tempeſtiue ſuſceptum ſalutem exercituum, & ſexcenta alia bona efficere poſſe. 23

10 Romani, in extrema licet neceſſitate conſtituti, quam modeſte oblatis auxiliis vſi fuerint. 24

11 AErarium militare quale eſſe debeat. 26

12 Tiberius cur magiſtratus prorogaret deq; incommodis, quæ ex eorum prorogatione naſcuntur. 28

LIB. II.

1 Venandi ſtudium an virum principem deceat. p. 33

2 Principes quam facili minimoque diſpendio, ſubditorum virtutem remunerari queant. 36

3 Romanos in interpretandis auſpiciis, ritus moreſque ſuæ religionis accurate obſeruaſſe. 39

4 Plu-

INDEX
LOCORVM CORN. TACITI, VNDE SCIPIO AMIRATVS DISCVRSVVM SVORVM OCCASIONEM DESVMPSIT.

LIB. I.

1 QVi cuncta diſcordiis ciuilibus feſſa, nomine principis ſub imperium accepit. Pag. 3
2 Quo pluribus munimentis inſiſteret. 5
3 Quamquam fas ſit priuata odia publicis vtilitatibus remittere. 7
4 At patres, quibus vnus metus ſi intelligere viderentur &c. 10
5 Proferri libellum, recitarique iuſſit, in quo opes publicæ continebantur, &c. 12
6 Addideratque conſilium coercendi intra terminos imperii. 17
7 Quod trigena, aut quadragena ſtipendia ſenes, & plerique truncato ex vulneribus corpore tolerarent. 19
8 Sed populum per tot annos molliter habitum, nondum audebat ad duriora vertere. 20
9 Proiectus in limine portæ, miſeratione demum, quia per corpus legati eundum erat, clauſit viam. 23
10 Quorum laudato ſtudio Germanicus, armis modo & equis ad bellum ſumptis, propria pecunia bellum iuuit. 24
11 Edixit Tiberius militare ærarium eo ſubſidio niti. 26
12 Id quoque morum Tiberii fuit continuare imperia. 28

LIB. II.

1 RAro venatu. p. 31
2 Irridente Arminio vilia ſeruitii pretia. 36
3 Sequerentur Romanas aues propria legionum numina. 39

4 Sed

4 *Plurimum intereſſe quo armorum genere in bello vtamur.* 41
5 *Pugnæ prælia quo genere expediantur, multum referre.* 45
6 *Conſilium quoddam ad Turcas in officio continendos.* 48
7 *Ius gratiæ non dandum, neque cuiuſquam noxas meritis compenſandas eſſe.* 49
8 *Principi nihil eſſe glorioſius, quam illuſtres habere ſubditos quamplurimos.* 52
9 *Multitudo vbi deliquit, in ſingulos non eſſe inquirendum.* 54
10 *Gymnaſium qualenam principibus frequentandum.* 56
11 *Aemulationem inter duces exitialem eſſe.* 60
12 *Romani quantum matrimoniis ante omnia fauerint.* 61
13 *Principem quantum dedeceat alterius principis mortem aliis quam bellicis artibus quærere.* 64

LIB. III.

1 *DIſcurſus omnes de ſummi Pontificis electione, eſſe inanes.* p. 66
2 *Remedia morbis ſiue delictis publicis grauiora eſſe non debere.* 67
3 *Miniſtros per gradus promoueri debere, non per ſaltum.* 70
4 *Potentiorum voluntates vnde tam mobiles ſint, vt perraro aulicæ vitæ periodus, eodem fauore ad finem vſque ducatur.* 72
5 *Principibus moleſtiam faceſſere non decere propter quauis res minutas.* 75
6 *Virtute potius ab humili loco ad clariſſimam fortunam, quam fraude, perueniri.* 77
7 *Principibus & magnatibus vulgi obtrectationes negligendas eſſe.* 80
8 *De nummaria re augenda.* 82
9 *Principem exemplo magis quam pœna proficere.* 86
10 *Fraudes nomine religionis inuoluere nihil ſceleſtius eſſe.* 88
11 *Expectationem in dignitatibus, quæ vulgo habebatur, vnde alii ſuperent, alii vero fruſtrentur.* 89
12 *Vetera vrbis ædificia vnde potiſſimum collapſa fuerint.* 90
13 *Magnates humilime reuerentes minime falli.* 93

LIB. IV.

1 *PRincipibus æque curanda eſſe ea quæ per ſe ipſos, ac ea quæ per famulos, per amicos, per conſanguineos, & per miniſtros expediunt.* 96

4 Sed genere pugnæ, & ARMORVM ſuperabantur. 41
5 Sed genere PVGNÆ, & armorum ſuperabantur. 45
6 Plus conſilio, quam vi perfeciſſe. 48
7 Vrgulaniæ potentia adeo nimia in ciuitate erat, vt teſtis in cauſa quadã, q̃ apud ſenatũ tractabatur, venire dedignaretur. 49
8 Ne clariſſima familia extingueretur. 52
9 Quamquam multi è domo principis equiteſque ac ſenatores ſuſtentaſſe opib. iuuiſſe conſiliis dicerentur, haud quæſitũ. 54
10 Nec multo poſt Druſus in Illyricum miſſus eſt, vt ſueſceret militię, ſtudiaque exercitus pararet: ſimulque iuuenem vrbano luxu laſciuientem, &c. 56. (impedimentum oriretur. 60
11 Ne conſulari obtinente Aſiam, ęmulatio inter pares, & ex eo
12 Numerare ſex liberos, miſericordia cum accuſantibus erit. 61
13 Non fraude, neque occultis, ſed palam & armatum pop. Romanum hoſtes ſuos vlciſci. 64

LIB. III.

1 FAma, ſpe, veneratione potius omnes deſtinabantur imperio, q̃ quem futurũ principem fortuna in occulto tenebat. p. 66
2 Grauior remediis, quam delicta erant. 67
3 Ac tamen initia faſtigii Cæſaribus erant. 70
4 Fato potentiæ raro ſempiternæ. 72 (principem reiicerent. 75
5 Tiberius per literas caſtigatis oblique patribus, quod cuncta ad
6 Eoque Romana ciuitas olim data, cum id rarum, nec niſi virtuti precium eſſet. 77
7 Tanto impenſius in ſecuritatem compoſitus neq; loco neque vultu mutato, ſed vt ſolitum per illos dies egit. 80
8 Lapidum cauſa pecuniæ noſtræ ad externas, aut hoſtiles terras transferuntur. 82
9 Æmulandi amor validior, quã pœna ex legibus & metus. 86
10 Ne ſpecie religionis in ambitionem delaberentur. 88 (89
11 Excitari quoſdã ad meliora magnitudine rerũ, hebeſcere alios.
12 Lepidus à ſenatu petiuit, vt Baſilicã Pauli Æmilia monumenta propria pecunia firmaret, ornaretque. 90 (ferunt. 93
13 Non alia magis populiq; cõtumelia Roma indoluiſſe Cæſarem

LIB. IV.

1 Modeſta ſeruitia. p. 94

2 *In aulis maxime cauendum ne præ ipſo principe quenquam colere videamur.* 98
3 *Obſequia principi quiſquis deuouit, is cuncta feliciter ac prudenter à ſe geſta eius virtuti atque fortunæ acceptum ferat.* 99
4 *Virtute inſignes viri, etiam ſub malo principe prouehere ſe atque illuſtrare poſſunt.* 100
5 *De bannitis & facinoroſis hominibus.* 101
6 *Magnis viris cur negati honores gloriam adaugere ſoleant.* 107
7 *Principum, ac populorum naturam diligenter eſſe inueſtigandam.* 108
8 *Veraces hiſtoriarum ſcriptores punire, impudentiam imo etiam ſcelus eſſe.* 112
9 *Morem laudabilem eſſe, vt principes per ſupplices libellos omnia peragant.* 114
10 *Prælia nocturna eſſe vitanda.* 115
11 *De delatoribus & accuſatoribus.* 117

LIB. V.

1 *Monita quædam ad eos, qui principum comitatus frequentant.* p. 122
2 *Conſilia ſæpe etiam bona prodiiſſe ex hominibus minimæ famæ ac probitatis.* 124
3 *Nihil eſſe leuius quam aura populari fidere.* 125
4 *Principes malos conſcientia flagello ſatis puniri.* 127
5 *De Antiquorum religione ad vulgi captum.* 129
6 *Subditi quantum triſtentur ob indigna matrimonia ſuorum principum.* 132
7 *Principes ſapientes an debeant extrema & ſumma rerum exigere, neque mediocribus acquieſcere.* 134
8 *Principis exiſtimatio quantum momenti ferat in reipublicæ negotiis.* 136
9 *Barbaros impetu, ſed Romanos cunctatione agere ſua conſuetos fuiſſe.* 138
10 *Omnibus non eadem eſſe decora.* 140

LIB.

2 Æquari adoleſcentes ſenectæ ſuæ impatienter indoluit. 98
3 Deſtrui fortunam ſuam Cæſar, imparemque tanto merito rebatur. 99
4 Liceatque inter abruptam contumaciam & deforme obſequium pergere iter ambitione, ac periculis vacuum. 100
5 Non graui nec vno incurſu conſectandum hoſtem vagum. 101
6 Et huic negatus honor gloriam intendit. 107
7 Hæc conquiri, tradique in rem fuerit. 108
8 Namque ſpreta exoleſcunt, ſi iraſcare agnita videntur. 112
9 Moris quippe tum erat, quamquam præſentem, ſcripto adire. 114
10 Dum populatio lucem intra ſiſteretur. 115
11 Igitur Latiaris iacere fortuitos primum ſermones, mox laudare conſtantiam. 117

LIB. V.

1 Dicax idem, & Tiberium acerbis facetiis irridere ſolitus. p.122
2 Neque enim ante ſpeciem conſtantiæ dederat. 124
3 Simul populus effigies Agrippinæ & Neronis gerens, circumſiſtit curiam. 125
4 Si reludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus. 127
5 Neque mala vel bona, quæ vulgus putet. 129
6 Tot luctibus funeſta ciuitate, pars mœroris fuit, &c. 132
7 Princeps cæterarum rerum potiretur, ipſe prouinciam retineret. 134
8 Nomine tantum, & auctore opus. 136
9 Barbaris cunctatio ſeruilis, ſtatim exequi regium videtur. 138
10 Non eadem omnibus decora. 140

LIB. XI.

1 PRincipem cautum eſſe debere aduerſus eos, qui ſpecie laudandi ſibi inuiſos opprimunt. p. 142
2 De cenſorum officio. 143
3 Nouas religiones cunctis principibus è ſuis ditionibus exterminandas eſſe. 145
4 An ſit noſtris temporibus ſperandum vt exercitum bene inſtitutum videamus. 147
5 Romæ in magiſtratibus deferendis præſertim ætatis rationem habitam fuiſſe. 150
6 Ad ciuitatem ampliandam pertinere vt peregrini alliciantur & admittantur. 152
7 Suum vnicuique animum præparandum eſſe ad omnes fortunæ aduerſitates, non minus quam proſperitates egregie tolerandas. 155

LIB. XII.

1 DE Prudentia regnatiuâ. p.157
2 Principibus in omni fortuna regalem dignitatem eſſe ſeruandam. 167
3 Annonæ caritatis diſcurſus, eiuſque remedia. 169
4 Ducem exercitus eloquentem eſſe debere. 176
5 Ciuitas ædificanda vbi ſit, in continenti, an ad mare, in regione ſterili an in fertili. 179

LIB. XIII.

1 EXiſtimatio quantum proſit, præſertim in rerum agendarum principiis. p.182
2 Adoleſcentes principes quibus in rebus adulari liceat. 184
3 De pœnis militaribus, & antiquorum ad hanc rem inſtitutis. 186
4 Hoſtes non eſſe multiplicandos. 188
5 Commeatus quomodo comparetur. 191
6 De caſtris mouendis, & exercitui quale quantumque iter conficiendum ſit. 194
7 De caſtris mouendis præſertim quæ pertinet ad impedimenta ſarcinaſque. 198

LIB. XI.

1 SEd conſultandi ſuper abſolutione Aſiatici......... flens Vitellius....... liberum ei mortis arbitrium permiſit. p.142
2 At Claudius matrimonii ſui ignarus, & munia cenſoria vſurpans. 143
3 Et quia externæ ſuperſtitionis inualeſcant..:... factum ex eo S.C.viderent pontifices quæ retinenda firmataq; aruſpicum. 145
4 Legiones operum & laboris ignaras populationibus lætantes, veterem ad morem reduxit. 147
5 Ac ne ætas quidem diſtinguebatur. 150
6 Quid aliud exitio Lacedęmoniis, & Athenienſibus fuit, quamquam armis pollerent, niſi quod victos pro alienigenis arcebant. 152
7 Tunc primum fortunam ſuam introſpexit. 155

LIB. XII.

1 NE fæmina experta fecunditatis, integra iuuenta, claritudinem Cæſarum aliam in domum ferret. p.157
2 At Eunones claritudine viri, mutatione rerum, & prece haud degenere permotus. 167
3 Quindecim dierum alimenta vrbi non amplius ſuperfuiſſe conſtitit. 169
4 Vtq; ſtudiis honeſtis, & eloquentiæ gloria niteſceret. 176
5 Redditum oraculum eſt: quærerent ſedem cæcorum terris aduerſam. 179

LIB. XIII.

1 VT famæ inſeruiret, quæ in nouis cœptis validiſſima eſt. p.182
2 Vt iuuenilis animus leuiũ quoq; gloria ſublatus maiores continuaret. 184
3 Milites tendere omnes extra vallum iuſſit. 186
4 Satis comperto Vologeſem defectione Hyrcaniæ attineri. 188
5 Sed neque commeatibus vim facere potuit. 191
6 Nec tamen proximo itinere ductæ legiones. 194
7 Recepta inter ordines impedimenta. 198

8 Principi quid potiſſimum agendum ſit in ciuitate, aut prouincia quam nuperrime occupauerit, vt ab iis ſe tutiorem reddat. 201
9 Principum veram artem eſſe, vt hominum mores cognoſcant. 205
10 De fluminibus per foſſas corriuandis deque eorum diuerſione pluribus de cauſis. 208
11 Principi illi agendum quid ſit, qui potentiorem hoſtem regnum eius propediem inuaſurum expectat. 211

LIB. XIV.

1 PRincipis eius conditionem eſſe deterrimam, qui neminem habet quem vereatur. p. 215
2 De militaribus meditationibus. 216
3 De Oſtraciſmo; genus pœnæ apud Græcos honeſtum, cuius vſum principes aduerſus eos, quos habent ſuſpectos, renouare poſſunt. 219
4 Alteri polliceri, quæ minimis rerum momentis ſecus euenire poſſunt, inſanum eſſe. 222
5 Clamor, quem Romani in pugnis extollebant, qualis. 223
6 Experientia artis militaris quæ. 225
7 Quiſquis commune ciuitatis bonum reſpicit ſingulorum incommoda valde curare non debet. 229

LIB. XV.

1 VNi cuncta regenda committi non debere. 231
2 De fraudibus quæ contra leges committuntur. 235
3 De neceſſitate ac difficultate conſilii. 236
4 De nonnullis ad legatorum munus pertinentibus. 240
5 Eccleſiaſticam ſupellectilem vel bona, belli aliove prætextu dilapidare quam dedeceat. 245
6 In rebus magni momenti libera miniſtris mandata danda eſſe. 247
7 Imperia probitate atque clementia, non crudelitate melius retineri. 248

8 Artaxatis ignis immiſſus, deletaq; & ſolo æquata ſunt, quia nec teneri ſine valido præſidio ob magnitudinem mœniũ, nec &c. in fine. 201
9 Socors animum eius in contrarium trahens. 205
10 Vetus Moſellam atque Ararim facta inter vtrumq; foſſa cõnectere parabat, vt copiæ per mare, dein Rhodano, &c. 208
11 Et commotus his Auitus patienda meliorum imperia. 211

LIB. XIV.

1 SEq; in omnes libidines effudit, quas male coercitas qualiſcunque matris reuerentia tardauerat. p.215
2 Quid ſupereſſe, niſi vt corpora quoq; nudent, eaſq; pugnas pro militia & armis meditentur. 216
3 Nero componit ad Plautum literas, conſuleret ſibi & vrbi, ſeq; praue diffamantibus ſubtraheret. 219
4 Quippe multa in Neronem adulatione addidit, ſubiecturum ei prouinciam fuiſſe, ſi biennio proximo vixiſſet. 222
Ne ſtrepitum quidem, & clamorem tot militum, ne dum impetum, & manus perlaturos. 223
6 Ita ſe ad torquẽda pila expedierat vetus miles, & multa præliorũ experiẽtia, vt certus euẽtus Sueton. daret pugnę ſignũ. 225
7 Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod cõtra ſingulos vtilitate publica rependitur. 229

LIB. XV.

SCripſeratque Cæſari, proprio duce opus eſſe, qui Armeniam defenderet. p. 231
Factum ex eo Senatusconſultum, ne ſimulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret. 235
Conſuluit inter primores ciuitatis Nero, bellum anceps, an pax in hoſte placeret. 236
Igitur irriti remittuntur, cum donis tamen, vnde ſpes fieret, nõ fruſtra eadem oraturũ Tyridatem ſi preces ipſe attuliſſet. 240
Inq; eam prædã etiã Dii ceſſere, ſpoliatis in vrbe tẽplis, &c. 245
Certum ad diem in Campaniam redire claſſem Nero iuſſerat, non exceptis maris caſibus. 247
Oderam te inquit, nec quiſquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruiſti. 248

LIB. XVI.

1 PRinceps quantum cauere debeat in rebus quæ ſibi proponuntur diiudicandis. p.253
2 In omni re non modo quid agendum, ſed quod agitur, an præſentibus congruat temporibus, reſpiciendum eſſe. 255

LIB. XVII.

1 QViſquis aduerſa pleraque effugere, & inter egregios principes cenſeri cupit, is ſibi conſtare, & in omnibus actionibus æqualis eſſe debet. p.257
2 Imperio non eſſe vtendum vbi iure agi poteſt. 259
3 Errorem maximum committi dum in militaribus muneribus deferendis ſola nobilitas reſpicitur. 261
4 Principibus curandum eſſe ne ſubditos ſuos lædant. 264
5 Populos non eſſe in continuo metu detinendos. 266
6 Viris magnis diuitias nimias & inopiā nimiam æque periculoſas eſſe. 268
7 Principibus ſummo in honore eſſe debere quicunque ante illos dominatum exercuerunt. 271
8 Noxiis ſpacium eſſe relinquendum quo ſuas culpas emendent. 272
9 Præda eiuſque vtilitas & damnum quod inde proficiſcitur. 272

LIB. XVIII.

1 COnſilium ſtultum videri, ſi hoſtis in anguſtiis locorum vexari poſſit illum in aperto expectare. p.276
2 Quid magis expediat, hoſtemne bellum inferentem expectare an eidem occurrere. 279
3 Quantum noceat diſpertire exercitum, neq; integrum hoſti obiicere. 283
4 Multitudini erranti ipſos errores, eorumque cauſas ob oculos ponendos eſſe. 284
5 Ducis optimi partes eſſe deliberare bellum ne feſtinandum an differendum ſit. 287
6 Hoſtem nullum, hoſtilemque arcem à tergo relinquendam eſſe 291
7 Milites in prælium pranſos & vegetos non ieiunos & defatigatos ducendos eſſe. 292

LIB. XVI.

1 IGitur Nero non auctoris, non ipſius negotii fide ſatis ſpectata, nec miſſis viſoribus, per quos noſceret, an vera aſſererentur, auget vltro rumorem. 253

2 Cohibuit ſpiritus eius Thraſea, ne vana & reo non profutura, interceſſori exitioſa incideret. 255

LIB. XVII.

1 ACceſſit Galbæ vox pro Rep. honeſta, ipſi anceps, legi à ſe militem non emi. Nec enim ad hanc formã cætera erant. 257

2 Inauditi atq; indefenſi tamquam innocentes perierant. 259

3 Id ſatis videbatur. 261

4 Vtiliſſimus quidem, ac breuiſſimus bonarum malarumque rerum delectus, cogitare quid aut nolueris ſub alio principe, aut volueris. 264

5 Nec remedium in cæteros fuit, ſed metus initium tanquã per artem, & formidinẽ ſinguli pellerentur, omnib. ſuſpectis. 266

6 Inopia vix priuato toleranda. 268

7 Non honore Galbæ, ſed tradito principibus more, munimentum ad præſens, in poſterum vltionem. 271

8 Cæcinna belli auidus proximam quamq; culpam, ante quam pœniteret, vltum ibat. 272

9 Sarmatæ diſperſi, aut cupidine pœnæ graues onere ſarcinarum, & lubrico itinerum adempta equorum pernicitate, velut vincti cædebantur. 272

LIB. XVIII.

1 HIs copiis rector additus Annius Gallus cum Veſtricio ad occupandas Padi ripas præmiſſus. 276

2 Quoniam prima conſiliorum fruſtra ciderant, tranſgreſſo iam Alpes Cæcinna. 279

3 Nam Cæcinna non ſimul cohortes, ſed ſingulas acciuerat, quæ res in prælio trepidationem auxit, cum diſperſos, nec vnquã validos pauor fugientium abriperet. 283

4 Addidit conſilium, vetitis obire vigilias centurionibus. 284

5 Feſtinationem hoſtibus, moram ipſis vtilem diſſeruit. 287

6 Nec multum virium à tergo. 291 (grauem obiicere hoſti. 292

7 Celſo & Paulino abnuentibus, militem itinere feſſum, ſarcinis

8 Conſilia media in arduis inutilia eſſe, ideoque duobus principibus diſſidentibus neutram partem fauere principi, pernitioſum eſt. 294
9 Pecuniam neruos eſſe belli. 297
10 Hoſtem quemcunque inutiliter contemni. 301

LIB. XIX.

1 PRælium antequam ineatur, hoſtis vires velitationibus, leuibuſq. prælijs tentandas eſſe. p.304
2 Peditatus vtrum equitatui ſit præferendus. 306
3 Tormenta bellica antiquorum etſi noſtris diſſimilia conſimilem fere ſtragem edidiſſe, deque eorundem vtilitate. 311
4 De munitionibus & munitas arces vtiles eſſe, nunquam vero exitioſas. 316
5 Rempublicam Romanam quid potiſſimum amplificauerit, virtus ne an fortuna. 325
6 Mendacia cur frequentius ad principes deferantur. 327
7 Hoſtes ad deſperationem in prælio redigendos non eſſe. 328
8 Principem promiſſorum memorem ac repræſentatorem eſſe debere. 329
9 De caſtris muniendis. 333
10 Coniurantes contra principem raro aut nunquam eſſe excuſandos. 343

LIB. XX.

1 MAgiſtratus vtrum nominatim an ſorte eligendi ſint. p.345
2 De delectu militum. 347
3 Turbam imbellem in arces non eſſe recipiendam, & nonnulla ad ipſarum cuſtodiam pertinentia monita. 351
4 De moribus & natura vulgi. 353
5 De nonnullis grauiſſimis decretis populi Romani. 354
6 Diſcordias domeſticas principibus valde periculoſas eſſe. 356
7 Clementia famam nouum condentibus imperium imprimis neceſſariam eſſe. 358
8 De pulcherrimo temperamento, quo Græci ad iniurias ciuium obliuione delendas vtebantur. 360

8 Imperiũ cupientib. nihil mediũ inter ſumma aut pcipitia. 294
9 Sed nihil æque fatigabat, quam pecuniarum conquiſitio, eos eſſe belli ciuilis neruos dictitans. 297
10 Non tulit ludibrium inſolens contumeliæ animus. 301

LIB. XIX.

1 Tentatiſq; leui prælio animis, ex æquo diſceſſum. p. 304
2 Sarmatæ...... vim equitum, qua ſola valent, offerebant. 306
3 Gladiis ne inquit, & pilis perfringere ac ſubruere muros vllæ manus poſſunt? 311
4 Cremona...... propugnaculum aduerſus Gallos trans Padum agentes. 316
5 Affuit vt ſæpe alias fortuna Pop. Romani. 325
6 Atque ita digreſſus, voluntaria morte dicta firmauit. 327
7 Vocatos ad concionem Antonius docuit, eſſe adhuc Vitellio vires, ambiguas ſi deliberarent, acres ſi deſperaſſent. 328
8 Sabinus...... ad Vitellium miſit cum mandatis & queſtu, quod pacta turbarentur. 329
9 Propriũ eſſe militis decus in caſtris, illã patriã, illos penates. 333
10 Haud dubie intererat, & Vitellium vinci, ſed imputare perfidiam non poſſunt, qui Vitellium Veſpaſiano prodidere, cum à Galba deſciuiſſent. 343

LIB. XX.

1 Priſcus eligi nominatim à magiſtratibus iuratis. Marcellus vrnas poſtulabat. p. 345
2 Nomen magis exercitus quam robur. 347
3 Donec deſperata vi verterent conſilium ad moras; haud ignari paucorum dierũ ineſſe alimenta, & multũ imbellis turbæ. 351
4 Vt eſt vulgus ſine rectore præceps, pauidum, ſocors. 353
5 Reconciliauit pauliſper ſtudia patrum habita in ſenatu cognitio ſecundum veterem morem. 354
6 Non legiones, non claſſes perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum. 356
7 Obſtabat ratio belli, & nouum imperium inchoantibus vtilis clementiæ fama. 358
8 Ne quis in certamine, iurgiove ſeditionem aut cladem commilitoni obiectaret. 360

9 *Artes veræ quæ ſint imperio populos regendi.*
10 *Summa cura proſpiciendum eſſe, ne cuiuſquam principis potentia eo perueniat magnitudinis, vt cæteros poßit opprimere.* 364
11 *Qui colliditur cum potentiore, ruinam ſibi accelerare.* 366
12 *Intereſſe plurimum, ſcire ordines laxare, cum acies premitur.* 368

LIB. XXI.

1 *VNde rerum oriatur obliuio.* 370
2 *De via, ac ratione bene inſtruendæ aciei.* 374
3 *De militari faſtu antiquorum.* 381
4 *De commento, quo duces conſueuerunt hoſtem ducem in ſuſpicionem adducere.* 383

9 Ipſi plerunque legionibus noſtris præſidetis. Ipſi has, aliaſque prouincias regitis. 361
10 Octingentorum annorum fortuna diſciplinaque compages hæc coaluit. 364
11 Quæ conuelli ſine exitio conuellentium non poteſt. 366
12 Donec legio viceſima prima patentiore, quam cæterę ſpacio conglobata, ſuſtinuit ruentes, mox impulit. 368

LIB. XXI.

1 IVdæos Creta inſula profugos, nouiſſima Libyæ inſediſſe memorant. 370
2 Poſtera luce Cerialis equite & auxiliariis cohortibus, frontem explet, in ſecunda acie legiones locatæ, &c. 374
3 Gnarus deeſſe naues efficiendo ponti neque exercitum Rom. aliter tranſmiſſurum. 381
4 Cerialis........ agros villaſque Ciuilis intactos nota arte Ducum ſinebat. 383

Omnes loci ſunt 142.

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

EN habes, ſtudioſe lector, Scipionem Amiratum latine loquentem, ex cuius lectione quemadmodum, quin doctior, diſertior, prudentior euaſurus ſis, nõ dubitamus: ſic nonnulla te commoneſacere, operæprecium viſum fuit. Secutus eſt Amiratus antiquas, & obſoletas Corn. Taciti editiones: proinde ſexti annalium libri nullam mentionem, aut citationes hic reperias, & in libris ſuis inſcribendis eundem numerum ſecutus eſt, neque annales, & hiſtoricos libros inter ſe diſcriminauit: Hinc poſt ſextum decimum ſequitur decimus ſeptimus, hoc eſt, primus hiſtoriarum liber, cæterique deinceps: qua de re, vtpote nullius momenti, facillime excuſandus videtur. Adnotandum præterea, huic autori ſcopum illum fuiſſe, vt, ſumpta ex præcipuis quibuſdam Taciti locis occaſione, contra verſipellem Florentinæ reip. ſcribam, humani generis, in primis virorum principum corruptorem perpetuam fere diſputationem inſtituat. Et quotieſcunque contra diſcurſum autorem, aut innominatum quempiam diſputat; tunc, aduerſus Macchiauelli opiniones diſputari, intelligas: cuius nomen cur ſilentio inuoluerit, ignoramus: an forſan, quod eo loci ſcripſerit, vbi eiuſmodi autores nominare, nefas? Cæterâ, prudentiſſimas haſce diſputationes, ſummis ingenii luminibus perilluſtres, omnique eruditione refertiſſimas comperies. Quo magis tibi, omnibuſque Italici idiomatis ignaris, quorum emolumento libenter hunc elaborauimus laborem, gratulamur. Hæc antequam perlegas, admonitum te volumus. Vale, ac fruere.

AVTORIS PROOEMIVM.

Qvemadmodum populorum felicitas non aliunde clarius atq; cõpendioſius quã ex recta principum gubernatione dependet; ſic gubernantium principum virtus aut ineptia nuſquam lucidius, quam in hiſtoriarum ſpeculo exploratur. Verum quia hiſtoricorum volumina, perinde ac ſylua quædam, præter excelſas arbores, quaſdam veluti ſtirpes, herbasq; artis medicas vſui peropportunas continent, quas plerig; ſummo labore, neq; minore cum laude collectas, ſuis in hortis valetudinis gratia collocant & aſſeruant: Idcirco perſuaſi mihi, neminem fore, qui me reprehendendum putet, quod pari ſtudio, inter bellorum motus, & exercituum regimina, interq; innumera, quæ hiſtoriarum immenſitas complectitur, argumenta, monita quædam, bonum decuſque principum ſpectantia, quibus exoptata populorum felicitas promoueatur, ſecernens; ea ipſe in hoc opere meo legentibus, quoad fieri poteſt, perſpicue diſtributa, atque expeditiſſima proponam. Cum autem hæc monita alicuius autoritate fulcienda eſſe cenſerem, & ex pluribus vnus author mihi ſeligendus eſſet, vt legentium animos minus implicarem, multorum voluminum adiuncto apparatu, Cornelium Tacitum omnium anteſignanum, ducem potius conſtituere decreui: cum quia hic autor præ cæteris celebrior ſtudioſorum manibus vbiq; lectitatus atteritur, tum etiam quia de principatu ſcribens, ad tempora, moresq; noſtros propius accedere videtur. Obtrectatoribus etiam os facilius obſtructum fore exiſtimaui, dum alterius autoris, qui in ſcriptorem geſta Romanæ reip. tradentem diſſeruit, veſtigijs minime inſiſtens, alterum, qui res principum ſcripſit, examinauero. Quod ſi quis inde me arguerit, quod autorem ob oculos mihi propoſuerim, qui flagitioſorum temporum mores, principumq; ſceleratiſſimorum res geſtas conſcripſit: non dubitabo ego contendere, non modo ſimilium principum actiones omnes malas non fuiſſe, & ex malis actionibus bona monita elicere ſemper licuiſſe, ſed etiam non eſſe denegandum mihi, vt, quod iis, qui medicamenta componunt, vltro conceditur, vt ſcilicet ex viperis, ſcorpionibusq;, item ex lethiferis plantis vnguenta ſalubria conficiant; id ē ipſe agere queam, videlicet ex minus bonis exemplis opti-

ma documenta elicere: ac proinde ſi Tacitus dixerit, Tiberio moris fuiſſe imperia cõtinuare, ego in contrariam partem diſſerens, poſſim principes commonefacere, quantum ſibi cauendum ſit, ne miniſtros in adminiſtrãdis prouinciis conſeneſcere, permittant. Et ne cuiquã huiuſmodi monita ſapientiæ ciuilis dogmata, tanquã impia, atq; inuta ſuſpecta habeantur; raro, vel nunquam accidet, vt Taciti ſententiã aliquam accipiam quin eandẽ Liuii, Cæſaris, alteriuſve ex antiquis ſcriptorib. autoritate confirmẽ, quo doctrinæ ſimilitudo comprobetur. Quib. autorib. cum haud minor fides ab iis, qui pacis, vel belli tempore regendis populis præficiuntur, adhibenda videatur, quam Platoni, aut Ariſtoteli adhibeant Philoſophi, aut Hippocrati, & Galeno medici, aut Paulo, & Vlpiano iuriſprudentiæ periti, vel Euclidi, & Archimedi mathematici, vel cæteris diſciplinarum magiſtris, ac principib. ij, qui diſciplinã aliquam addiſcere conantur: imo cum in eoſdem autores tãto accuratiore ſtudio incumbendum ſit, quo communiorem finem, qui populorum felicitas eſt, reſpiciũt; ideo locos, vnde mea monita deduxi, citãdos curaui, vt vnuſquiſq; eos perſcrutari, ac põderare, eorumq; veritatem deprehendere poſſit. Cuius ego veritatis vi commotus, ſi fortaſſe, dum exiguum ingenii mei talentum in ſtudioſorum vtilitatem laudabiliter exhaurire percupio, acciderit, vt priuatus aut princeps aliquis mea ſcripta ad ſuam iniuriã trahat, nimirum intorquens in ſe ea crimina, quæ ego, communem vitiorum ideam, non priuatũ quemquam reſpiciens, taxaui, ac deteſtatus ſum (ſi quis enim hic nomine ſuo appellatus eſt, nos magis rem, quam hominem conſiderauimus) Deum optimum maximum, qui conſcientiæ meæ explorator, & inſpector eſt, meæ teſtem innocentiæ, iudicemq; imploro. Quod ſi in adoleſcentiæ æſtu, atq; feruore ab eo crimine diuina me clementia ſemper exemptum voluit, vt nunquam in cuiuſquam detrimentum, aut ignominiam dentata charta vſus fuerim: modo, cũ ſexaginta tres annos exegi, & ad puritatem, claritatemq; ſacerdotij conſcẽdi, meaſq; haſce lucubrationes diuino beneficio ad vmbilicũ perduxi, id in votis habere me decet, vt omnis malignitatis expers, eiuſdemq; criminis ſuſpicione vacuus appaream, vtq; ex meis ſcriptis, tanquã ex puro quodam fonte, limpida, atq; incontaminata veritatis aqua profluãt, & lectorib. propinẽtur. Cum a. de reb. ciuilib. apud antiquos & apud recẽtiores partim ſapientiſſime, partim callide nimiũ pleraq; diſſerta comperiam, operæ pretium duxi, meũ ad hæc calculũ adiicere, & pro vir. b. eniti, præſertim vt omni ex parte probẽ, tollendam, & in extremas oras amandandã eſſe erroneã illã, ac ſceleſtam opinionẽ, quæ non poſſe putat cæleſtib. Deoq; placentib. legib. imperia tuto gubernari.

SCIPIONIS AMIRATI

DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM IN C. CORN. TACITVM,

LIBER PRIMVS.

Principem nouiſſime Principatum adeptum, non debere exterioribus quibuſdam, maxime vero titulis, populos, quibus imperat, irritare.

DISCVRSVS I.

OPorteret, eos, qui populorum habenas temperant, in id vnum ſuas omnes cogitationes intendere, vt beneuolentiam populorum adprime conquirerent: Etenim inſtructiorem ſibi Principes arcem nullam exſtruere queunt, quam ſi ſubditorum pectora fido erga ipſos amore permuniant. At vero dolendum eſt, pleroſq; Principum, maxime ſi nuper ad dominationem euecti fuerint, in eum prolabi errorem, vt non contenti, populos re ipſa ſubiugauiſſe, verbis etiam modisque aſperioribus ipſam dominationem oſtentent: qui porro (vt ego quidem ſentio) nihil aliud conſequuntur, niſi vt, alienatis omnium, etiam eorum, qui fidelia cæteroquin officia præſtituri erant, volũtatibus, imperium ſuum ac ſe ipſos in ſummum diſcrimen adducant. Quod C. Iulio Cæſari tunc potiſſimum accidiſſe animaduertimus, cum in Senatu officioſæ, debitæq; humanitatis oblitus, ipſis Senatoribus aſſurgere grauatus eſt: [a] Quam profecto rem magis quã ademptam libertatem Populus Roman. indoluit; adeo proprium humani ingenii eſt, contemptum difficilius quam rei cuiuslibet detrimentum pati: quod tamen ideo minus admirandum videtur, quia vulnera & rapinæ corpus, & patrimoni-

[a] Suet. cap. 18.

um lædunt, at contemptus, & deſpicatio in ipſummet animũ, vbi ſitus honor eſt, penetrat. Hinc eſt, quod Germani, cum à Germanico profligati fuiſſent, non adeo ſeſe victos & ſubiugatos, ærumniſque propemodum infinitis affectos ægre tulerunt, quam cum ipſorum arma, trophęi inſtar, adiectis deuictarum gentium nominibus, in congeriem erecta conſpexerunt. [b] Octauius Principatum aliter ac Cæſar ineundum ſibi putauit; nam cum exploratum haberet, Romanos ſpeciem titulumq; ſeruitutis magis quam rem ipſam exhorreſcere, ne ciuium animos cõcitaret, Regium titulum omiſit, Principis, non adeo Reip. inuſitatum, optauit, cum alioquin etiam Senatus ipſe principem ſibi adſciſcere ſolitus eſſet. [c] Quo ſpecioſiſſimo nominis tegumento, perinde ac ſi melle illitum abſynthium propinaret, omnem, quam amiſſæ libertatis memoria ſuſcitauiſſet, amaritudinem deliniuit. De ipſo Corn. Tacitus hæc profatur: *Qui cuncta diſcordijs ciuilibus feſſa nomine principis ſub imperium accepit.* [d] Qui vero nuper defunctum Auguſtum laudibus efferebant, ii Remp. ab ipſo non regio ſiue dictatorio, ſed *principis nomine* ordinatam fuiſſe recenſebant. [e] Qua in re, perinde vt charioris annonæ tempore vſuvenit, cum Romanis actum fuiſſe puto: plebs enim, dummodo panis precium non immutetur, quamuis diminuto ipſius panis pondere, non adeo penuriam, vt ſi precium adaugeatur, animaduertere videtur. In cæteris titulis, videlicet Cõſulis, Patris patriæ, Trib. poteſtatis, Pontificis Maximi hoc idem ipſe præſtitit; libentius autem, vt refert Dion. [f] vetus Imperatorium nomen recenti autoritate cumulauit, ne inſuetis nominibus animos ciuium perturbaret: Propterea Corn. Tacitus huic operis initio illa verba adſcripſit: *eadem magiſtratuum vocabula*, & alibi de Trib. poteſtate dixit: *Id ſummi faſtigij vocabulum Auguſtus repetit, ne regis aut dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliqua cætera imperia præmineret.* [g] Vetus Populi Rom. conſuetudo fuit, ægerrime ferre, ſi quis in exercitibus ſibi titulos adſumeret, non ab vrbe expectaret: Cuius rei admirandum ſuggerit exemplum L. Martius; nam tametſi is, ambobus defunctis fratribus Scipionibus, plurima, quæ Senatus Rom. laudabilia, vereq; magnifica cenſuerat, in Hiſpania perfeciſſet: tamẽ quia ſeſe in literis, quas ad Senatum ſcripſerat, Proprætorem appellauit, vniuerſus fere Senatorum ordo infeſtis atque iratis animis eam rem ſuſcepit, *rem mali exempli eſſe, imperatores legi ab exercitibus*, interpretantes: quam conſultationem in meliora tempora reiecerunt, ſed nullo interim pacto ratum Proprætoris titulum habere voluerunt. [h] Hinc dignoſcimus, quanto maiore animi celſitudine Africanus Scipio, cum ab Hiſpanis militibus Rex acclamaretur, *ſibi maximum nomen imperatoris eſſe* (hoc nomine exercituum duces, vbi aliquid pro rep. geſſiſſent, inſigniebantur) iiſdem reſponderit: eo ſe contentum eſſe: *regium nomen alibi magnum, Romæ intolerandum eſſe, ſi quid in hominis ingenio ampliſſimum ducerent, tacite iudicarent, vocis vſurpatione abſtinerent.* [i] Iuſtinus Alexandri ſucceſſores ſummis laudibus exaltat, quia dum legitimus Alexandri hæres ſuperſtes extitit, regium nemo titulum vſurpauerit: Neq; Ptolomæus, neq; Caſſander, neq; Lyſimachus, neq; Seleucus forſitan ipſum ſibi vnquam

[b] Tac. ann. lib. 2.
[c] Liuius l. 27.
[d] l. pr.
[e] ibidem.
[f] lib. 54.
[g] lib. 3.
[h] Liu. l. 26.
[i] lib. 27.

quam arrogaſſent, niſi huic ambitioni viam aperuiſſet Antigonus. [k] Et quicunque Plutarchum attente perlegerit, is facile deprehendet, neq; ipſum Antigonum hanc ineptiam incepturum fuiſſe, niſi omnis improbitatis atq; impudẽtiæ notandus ille Ariſtodemus eo tempore, cum filius Antigoni Demetrius Ptolomæum deuicit, ipſum regem cognominauiſſet. [l] Ad hanc rẽ Magnus Gregorius digno ſe exemplo, vt ſuperbiam retunderet Iohannis Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui poſt Concilium in ea ciuitate extremis annis Pelagii præceſſoris ſui celebratum vniuerſalem ſe Epiſcopum inſcribere auſus eſt (quod nomen ad Epiſcopum Romanum tantummodo pertinebat) vbi acerrime illum reprehendiſſet, quod turbatis atq; infeliciſſimis Chriſtianæ reip. temporibus, ipſe ſuiq; ſacerdotes, quibus cinere adſperſis, atq; proſtratis humanas deplorãdi miſerias onus incumbebat, in nouis titulis, nouisq; nominibus ambiendis occuparentur: ipſe contra, *ſeruum ſeruorum Dei*, ſeſe primus appellauit. [m] Quẽ propter modeſtiãglorioſiſſimum, ſummæq; admirationis titulũ nemo vnquam eorũ, qui ſucceſſerunt, Pontificum aſpernatus eſt. Cum itaq; magis ea, quæ videntur, quam quæ ſunt, hominum multitudo conſideret, rationi conſentaneum videtur, vt in imperio nouiſſime ordinando ſaltem aliquot priſcæ conſuetudinis vmbræ retineantur. Hocq; fixum ſit, atq; indubitatũ, principes non tantum equidem propter ſuam, ſed etiam propter ſubditorũ vtilitatem ingenuitatis ac probitatis cultores præ cæteris eſſe debere: At ſi forte fortuna neceſſitas illos aliqua coegerit, vt populis imperio ipſorum ſubditis omni ex parte ſatis re ipſa facere nequeant, in eam ſaltem curam animum intendant, hoc vnum ſtudeant, vt rebus exterioribus, titulisq; eoſdem minime contriſtentur, cum id principibus abunde ſufficere debeat (quemadmodum Magnus ille Dux Etruriæ Coſmus dictitabat) vt poſſint facere. Euripides *affabilitatem lucrum minimo impendio quæſitum* nuncupauit.[n] Et reuera non modo principes viros, ſed etiam pleroſq;, qui in humiliori fortuna conſtituti ſunt, vel maxime infortunatos, ac miſeratione dignos eſſe puto, quia cum honeſtis beneuolentiæ, atq; humanitatis artibus, quæ nullo precio conſtãt, omnibus ſeſe amabiles, ac percharos exhibere queant: malint inhumaniter ac ſuperbe ſeſe gerentes, non ſine imperii perſæpe, vitæque diſcrimine cunctis fieri exoſi ac deteſtabiles.

[k] l 15.
[l] In vita Demetrii.
[m] Io. Diaconus l. 2. c. 1. in eius. vita.
[n] In Hippol.

Quanta Principi diligentia adhibenda, vt certum ſibi ſucceſſorem deſignet.

DISCVRSVS II.

QVemadmodum ſapientis eſt, præſentia recte gubernare, ſic ſapientiſſimi viri eſſe puto, futura præuidere, & poſtquam præuiſa fuerint, ita ea inſtituere atq; dirigere, vt poſt huius vitæ breue curriculum poſſint vel longiſſimo temporis ſpatio perdurare: proinde mirabilem illam ſententiam in ſacro textu expreſſam habemus, *Ordinatione ſua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi.* [a] Quæ

[a] Pſal. 118. Octon. 12.

res ideo, quia natura nobis immortalitatem negauit, perfici neutiquam poteſt, niſi ſucceſſorem ſortiti fuerimus, cuius curæ ea quæ exequenda ſuperſunt, demandentur, idoneum. Quocirca anxio valde animo Auguſtus orbitatem ſuam corrigendam, certumq́ue ſibi hęredem ſtabiliendum curauit. Et quanquam fortuna (quaſi mirandæ principis prouidentiæ obniteretur) primo M. Marcellum, mox Caium, & Lucium Agrippinæ filios, eiuſq; nepotes eripuerat: non modo hæredem ſibi Tiberium optauit, ſed etiam, licet ipſe domi natum aleret, vt Germanicum in familiam adſciſceret, iuſſit, *quo pluribus munimentis inſiſteret*, [b] & alibi, [c] *ne ſucceſſor in incerto foret.* Atque eiuſmodi fuit dubio procul hæc Auguſti prouidentia, vt etiāſi poſt quatuor Imperatores progenies Cæſarum defecerit, ipſius tamen decreta multis poſt annis, & à pleriſq;, qui ſecuti ſunt, Imperatoribus inuiolata permanſerint, imo nonnullorum veſtigia noſtro adhuc ſeculo ſuperſint, quam rem quidem perpēdentes, vt ſapientiæ plenam vehementer admiramur: Hinc Tiberius extra domum Auguſtam imperium collocare, indecorum atq; intutū putabat, *Sin extra domum ſucceſſor quæreretur, ne memoria Auguſti, ne nomen Cæſarum in ludibria verterent, metuebat.* [d] Ad eundem ſcopum reſpexit Adrianus, qui adoptato Antonino pręcepit, vt non vnum, ſed binos familiæ aggregaret hæredes, refertq́;, qui ipſius vitam perſcripſit, Dion, id ab Adriano idcirco iuſſum, vt diutius ſupereſſent, qui poſt ipſum ſucceſſores deſtinarentur: ii vero principes, quibus hoc conſiliū neglectum fuit, ſępenumero eos, quos noluiſſent, hæredes nacti ſunt, ſuasq; ditiones innumeris & bellis, & ærumnis multos annos repleuerunt. Cuius rei optimum fuerit exemplū Philippus Maria Vicecomes Mediolani Dux, qui cum Franciſcum Sfortiam generū ſuum, ea ſpe perſæpe illectum, quia maribus carebat, ſucceſſorē declarare potuiſſet: dum morā traxit, aliud nihil effecit, niſi vt cum ingenti populorum excidio turbæ quidem multiplicarentur; cæterum quin Sfortia ſuccederet, non obtinuit. Iohanna huius nominis Secunda Regina Neapolis cū a Ludouico III. Andegauenſium duce, ambiente, ſe in filium adoptari vrgeretur; Alphonſum Aragonię Regē adſciuit, cū quo Rege poſtea diſcordiis acerrimis obortis, iterū Ludouicum in gratiam ſuſcepit: quo deinde, viuente Regina, vita functo, dum ignoraret, aut potius non poſſet, illecebris Archiſiniſcalli, in cuius prędam ipſa conceſſerat, detentā, tempeſtiuum aliquod, aut vtile conſilium capere, rem totam adeo in longum diſtulit, vt, cum mortem obiuiſſet, neq; quidquam explorati haberetur, num Renatum Ludouici fratrem ſubſtituiſſet hęredem, immortalibus poſt ſe bellis relictis, deniq; cum, quē magis abnuebat, ſucceſſorem ſortita eſt. Quis in toto terrarum orbe maiorē gloriam conſecutus eſt, aut clariora geſſit, quam magnus Alexander? qui Perſis debellatis, toto oriēte ſubacto, Macedoniam ſuam trophæis exornauit innumerabilib. & nihilominꝰ quia tēpus aut ſapientia illū defecit, vt filiū tanti imperii ſucceſſorē ſtabiliret, aut ſaltē vnum deſtinaret, populis à ſe deuictis, maxima quę per multos annos extingui non potuerunt, bellorū & calamitatū incendia reliquit. Quēadmodū igitur alios poſſe docere, & poſſe diſcipulos magiſtri ſimiles effice-

[b] Tac. lib. 1.
[c] lib 3.
[d] l. 5. in fine.

re, manifeſtũ docti, ſcientisq; viri ſignũ habetur: Sic in duce maximũ virtutis, & excellentiæ argumentum eſt, non modo quærere, & parta tueri, verum id etiam curare, vt poſſeſſione rerum, quas ille quæſiuerit, aliis quoque diutiſſime vti frui poſt ipſum liceat. Proinde cura regentium præcipua ſit, vt filios, ſaltem nepotes, alioſve ſuę agnationis deſtinent hęredes; quod ſi ſine liberis deceſſerint, quoquo pacto alios in teſtamento vocare, ac firmare, iiſdemq; ſecundo, tertioq; loco plures ſubſtituere debent. Qua in re Clemens VII. maxime probatur, qui, etiamſi Duci Alexandro nepoti patriæ dominationem detuliſſet, eiq; adoleſcenti adhuc Caroli V. Imperatoris filiam vxorem adiunxiſſet, ex quo matrimonio non ſine ratione proles expectabatur, & præter hunc Cardinalis Hippolytus in viuis foret, tamen ſapienter conſtituit, vt tota Medicæorum, vt quiſq; natu maior eſſet, familia ſuccederet. Et Magnus Dux Coſmus, Princeps inter cæteros ætatis ſuæ Principes prudentiſſimus, cum Religionem D. Stephani inſtitueret, ſapienter diſpoſuit, vt ſupremus religionis magiſtratus ad futuros Florẽtiæ Duces pertineret, neq; ſpeciatim Ducum gentem nominauit; quia nempe ſatius putabat, vt futuri quicunque Duces, quam priuatus aliquis etiam de ſua gente Magiſterium illud obtineret. Quod ſi vnquam hæc diſſertatio opportuna fuit, noſtris quidem temporibus peropportuna videtur, quibus principum pleriſq; certus ſucceſſor deeſt, vnde contingit, vt ditiones in alienas familias tranſeant, vel ſaltem vt diuiſæ debilitentur, vel ciuilibus bellis ob incertam hæredum ſucceſſionem diuexentur: Præterquam quod non improbanda videtur ea cogitatio, vt curetur, ne ab alienigenis patrimonia noſtra occupentur; vnde apud Iudæos neque vir vxorem, neq; vxor virum extra ſuas quiſq; tribus accipiebat.[e] Et reuera forma, genuſq; gubernandi perraro mutatur, quin eodem mutationis tempore plurimus ciuium ſanguis effundatur, & excidia magna conſequantur; Quæ quiſquis effugiſſe, exoptat, ſucceſſorem deſignet: ſic gloriæ domeſticæ cõſulet, & pleriſq; res nouas moliendi vota, commoditatemq; auferet, *Sic cohiberi prauas aliorum ſpes rebatur,* [f] ſubditiſq; populis pacem, ac trãquillitatem, hæreditatẽ ampliſſimam, fructus ſudoribus, laboribuſq; ſuis nõ indignos, ac ſufficiẽtes relinquet.

e Num. c. vlt.

f Tac. l. 3.

Reip. bonum ſimultatibus, commodiſque priuatis anteferendum eſſe.

DISCVRSVS III.

Laudantur valde Themiſtocles, & Ariſtides eo, quia, cum onus aliquod reip. capeſſerent, in finibus Athenienſium priuata odia deponere ſolerent, eo tamen animo, vt, ſi opus eſſet, illa reduces reſumerent.[a] Neq; abſimile intellexit Tacitus, cum ſcripſit: *quanquam fas ſit priuata odia publicis vtilitatibus remittere.*[b] Cuius rei, vt virtutum cæterarum, adnotandum præbuit exemplum Q. Fabius Maximus: cum enim Populo Roman. conduceret vel maxime, vt L. Papirius ob eximiam eius virtutem Dictator crearetur, neque creari poſſet, niſi

a Plut. politica.

b libr. pr.

ab ipſo Conſule, qui tunc Fabius erat, L. Papirio priuatim infeſtus, appellaretur; ad Fabium miſſi legati rogauerunt, *vt memoriam ſimultatum patriæ remitteret*; narratq́; Liuius, Fabiũ demiſſis in terram oculis tacitum à legatis receſſiſſe, nocte tantùm, quæ ſecuta eſt, ſilentio (vt Romanorum mos ferebat) L. Papirium Dictatorem dixiſſe. Quamobrem legati de hac illuſtri, quam de ſe ipſo reportauerat, victoria gratias cum agerent, ipſe nihil adhuc reſpondens, deque ſe nihil profeſſus, obſtinato ſilentio illos dimiſit, *vt appareret inſignem dolorem ingenti comprimi animo.* [c] Ad quæ cum mentis oculos conuerto, ſubit mirari, cur Chriſtianis adeo difficile opus videatur ob amorem Chriſti, quem Deum, Dominumq́ue noſtrum credimus, iniuriarum memoriam remittere, cum Romani ſolius amore patriæ inimicis ſuis nunquam non pepercerint. Verum ne hoc vnum nobis exemplum ſuppetere putetur, egregium, neq; minus admirabile Tiberii Gracchi fuit illud, qui cum P. Scipioni Aphricano, ac proinde L. fratri eius infeſtus tribunitiam poteſtatem obtineret, & coram ipſo Lucius pro Publio, qui peculatus reus ad Linternum ſeceſſerat, cauſam ageret, cunctis aſperrimã Gracchi ſententiam expectantibus, inſperato Scipiones abſoluit, adiurans tamen (quod ad rem noſtram facit) *ſibi inimicitias cum Scipionibus, quæ fuiſſent, manere, nec ſe gratiæ quærendæ quidquam feciſſe.* [d] Dixit etiam Seruilius, *pluris ſe remp. quam collegarum gratiam æſtimare.* [e] Item inter Claudium Neronem, & Liuium Salinatorem acris intercedebat ſimultas: vicit nihilominus reip. auctoritas, vt, depoſitis odiis, communibus cõſiliis, animiſq; concordibus remp. gubernarent, & notanda ſunt ea, quæ Cicero in oratione *de prouinciis Conſularibus* de illis refert, qui reip. cauſa in gratiam ex inimiciſſimis redierunt. [f] Bonum igitur ciuem decet amore patriæ priuatas inimicitias obliuioni tradere, quod ab aliis etiam prudenter adnotatum eſt. Quod ſi cum in rep. viuimus, patriæ cauſa id præſtare debemus: idem principis gratia, dum ſub regio dominatu degimus, præſtãdum videtur, neq; ſolum iniuriæ condonandę, ſed etiam vita, & exiſtimatio, & cuncta nobis chariſſima exponenda videntur, vt obſequamur ei, quem ducem ſequimur, à quo bonum regni patrięq́; dependet. Hinc Zopyrus ſecum ipſe cogitans, quonam pacto inſigne aliquod ſuo regi Dario beneficium in expugnatione, quam occœperat, Babylonię rependeret, auribus ſibi naſoq; amputatis, honeſtiſſimam vulneribus faciem ſibi deturpauit, vt hoc aſtu, tanquam à rege læſus, in hoſtilem vrbem reciperetur, & autoritatem apud hoſtes, gradumq; militiæ conſecutus, illos regi proderet, quemadmodum obſeruata opportunitate peregit. [g] Petrum Capponum, clariſſimum Florentiæ ciuem, audiui nonnunquam ab inſignibus prudentia viris temeritatis accuſari, quia pacta conuenta cum Gallis lacerauerit: videlicet ii non animaduertunt, hanc quantumuis certiſſimam temeritatem omnium maximam ſapientiam exiſtimari debuiſſe, & debere. Illud tamen certo certius eſt (vt id ad ſimilia extendatur) neminem ad ſuam exiſtimationem amore patriæ perdendam natura procliuem eſſe: nam P. Æmilius hanc laudem ſoli Fab. Maximo attribuens, cęteris denegandam eſſe, diſſerebat, quaſi ſemet ipſum

excu-

[c] *Liuius l. 9.*
[d] *lib. 4*
[e] *lib. 27.*
[f] *lib. 38.*
[g] *Herod. l. 3. in fine.*

excuſans, quod hoc laudis genere deſtitueretur. *Neque enim,* inquit Liuius, *omnes tam firmi & conſtantis animi contra aduerſum rumorem eſſe poſſunt, quam Fabius fuit, qui ſuum imperium minui per vanitatem populi maluit, quam ſecũda fama male rem gerere.*[h] Et nemo profecto id admirandum putabit, cum exiſtimatio præſens futuri boni cauſa in periculo ponatur: hoc vero ipſum bonum cũ incertum exitum, vt in cæteris contingit, habiturum ſit, pro eo conſequendo præſens honoris bonum, quod certum eſt, negligi videtur. Quæ ratio Pompeium forſitan adduxit, vt in contentione aduerſus Cæſarem diceret, iis, ad quos oratores mitterentur, exiſtimationem atq; autoritatem adauctum iri, eos vero, à quibus ii mitterentur, animi pauorem oſtenſuros: quam ſententiam Cæſar aſpernari viſus eſt, imo eam puſilli infirmiq; animi eſſe pronunciauit: ſibi abunde eſſe, ſi, quemadmodum antehac, ita in poſterum cauſæ æquitate ſuperior eſſet.[i] Igitur vtroq; pollice videntur ii laudandi, qui certa ratione ducti, quidcunq; aggrediuntur, iuſtitię conſentaneum eſſe, ſcientes (quamquam principio ſecus videatur) conſtanti animo breuem aliquam, neque veram ignominiam deuorant, quæ totum illud temporis ſpatium occupet, quod ab opere incœpto vſq; ad abſolutionem & perfectum quaſi partum ipſius continetur. Quæ propoſitio ita ſubſiſtit, & vndequaq; veritate fulcitur, vt nihil, quod ſingulis hominum conditionibus magis officiat, quam inanis hic ignominiæ timor, paſſim comperiamus. Hoc illud eſt, de quo etiam alibi diſſeruimus, [k] quod Octauianum Iregoſium perdidit, qui, ne patriæ tyrannus haberetur, cum arcem, quæ ſe patriamque ab hoſtium impetu defendere poterat, demolitus eſſet, nihil effecit aliud, niſi vt ſe ipſum in calamitates coniecerit, patriam hoſtili prædæ expoſuerit: locum vero, quem in republic. occupauerat, alteri minime æqualis probitatis ac virtutis homini concedere coactus eſt. Neque aliud, quam hic idem timor Petrum Soderinum peſſumdedit, qui opinione, quam populus de eius probitate conceperat, perfruens, nimiumque ſibi blandiens, noluit alius haberi, neſciuitque ea in re, breui temporis ſpatio animi conſtantiam præ ſe ferre, quo ſe ipſum ac libertatem patriæ diuturniori tempore conſeruaret. Sed in hoc argumento recolendus eſt Fabius Maximus, quem Liuius minime contentus verbis P. Æmilii laudauiſſe, communi Populi Romani ore [l] teſtatur, non propterea, quod quartum conſul fuerit, ipſum ambitus notatum, imo celſitudinem animi eius commendatam fuiſſe, quoniam temporibus, quibus præclariſſimo duce opus erat, ipſe confidenter *minoris inuidiam ſuam, ſi qua ex re oriretur, quam vtilitatem republic. feciſſet.* Sed longe admirabilius eſt, quod L. Lentulus ob patriæ bonum & dicendum & perficiendum putauit, nam milites, vt ſe hoſti dederent, exhortans, *Fœda atque ignominioſa,* inquit, *deditio eſt, ſed ea charitas patriæ eſt, vt tam ignominia eam, quam morte noſtra, ſi opus ſit, ſeruemus: ſubeatur ergo iſta, quantacunque eſt, indignitas.* Plato, dum ſe Dionyſio aliquatenus charum eſſe animaduertit, lætabatur: at cum eidem poſtea chariſſimus omnium euaſiſſet, & impotentem erga ſe Dionyſii amorem obſeruaret, triſtatus eſt, nempe ex furioſo amoris impetu nil boni

[h] *lib. 44.*

[i] *de bello ciuili.*

[k] *diſc. 3. l. 19.*

[l] *Liu. l. 24.*

promanare poſſe, ſuſpicatus: eodem pacto cuilibet probitate conſpicuo homini honeſtam nominis famam curæ eſſe debere cenſeo, dicente Salomone, *melius eſſe bonum nomen, quam diuitias multas*, [m] veruntamen non adeo propter eandem famam deſipiendum videtur, vt quandocunque neceſſe fuerit, breui aliquo temporis interuallo ipſam forti animo negligere non valeamus. Et vix maiorem exercituum dux, magiſque deridendum errorem patrare poteſt, quam ſi, ne ignauiæ arguatur, importuno tempore cum hoſte confligens, belli ſummam periclitetur: quinimo vt hoſtis ad noſtra vota pertrahatur, libenter omnia perferre, ſæpiusque timorem vafro animo ſimulare, operæ pretium eſt. Quæ animi tolerantia cum præcipua fortitudinis pars habeatur, in Cęſare mirum in modum eluxit, de quo Hircius ſiue Oppius, *ſapientem*, dixit, *ſe, timidumque hoſtium opinioni præbebat*. [n] Et paullo poſt diſſerit, Cęſarem decreuiſſe æquo animo hoſtium victoriam, & animorum exaltationem ferre, quia bello illo Aphricano, quod cum Scipione geſſerat, donec veteranorum auxiliares copiæ aduentaſſent, maxime ſe à Scipione contemptum fuiſſe animaduerterat; ſed intempeſtiuum Scipionis gaudium atq; ſuperbia cito detumuit, cum ex illo bello magnificam retuliſſet Cæſar victoriam.

[m] Prouerb. 22.

[n] de bello Afric.

Egregiam eſſe artem, alienas artes, perinde ac ſi non intelligantur, eludere.

DISCVRSVS IV.

SImulauit non ſemel Tiberius, defuncto Auguſto, ſocium aliquem in principatu ſe percupere: quo commento Senatorum voluntates introſpicere curabat, vt ipſis exploratis cautius, tutiusque rebus ſuis conſuleret. Senatores viciſſim artium Tiberii nequaquam ignari, nihil æque caueбant, quam ne Tiberius ſuſpicaretur, ipſis eaſdem artes minime latere: proinde precibus, lachrymiſque, ne reipublic. gubernacula deſereret, obteſtabantur, *Quibus vnus metus, ſi intelligere viderentur*. [a] Neque Agrippina crudelem filii animum perſentiens, diuerſum conſilium (quamquam eo fruſtrata eſt) iniuit, cum ſibi ſtructas eſſe inſidias, minime ſe cognoſcere ſimulauit, *ſolum inſidiarum remedium eſſe, ſi non intelligerentur*. [b] Corbulo cum Tiridate, ſed non timoris gratia, idem effecit, *diſſimulato tamen intellectu*. [c] ad eaſdem artes confugit Cappadociæ Rex Archelaus, *ſi intelligere crederetur, vim metuens*. [d] Senſit Germanicus, ſe à Tiberio Romam ad decretum triumphum, & ad alterum conſulatum reuocari, vt gloriæ, quam in Germania colligebat, curſus interrumperetur, nihilominus haud cunctatus eſt, principis iuſſionibus obtemperare. [e] Quemadmodum Demetrius effecit, qui cum animaduertiſſet, cur ipſum Philippus pater in Æmum montem ducere noluiſſet, fingens, cauſā ſe non intellexiſſe, æquo animo pertulit. [f] Cæſar de Curione loquēs,

[a] Tac. lib. 1.
[b] lib. 14.
[c] lib. 3.
[d] lib. 2.
[e] lib. 2.
[f] Liu. l. 40.

diſſi-

diſſimulandi artem ideo probat, ne hoſtibus audaciam diſcordiæ exercitus adiungant. [g] Et Saul audiens filios Belial murmurantes, *Num ſaluare nos poterit iſte?* ſeque ab illis deſpici, *diſſimulabat ſe audire.* [h] Verum quid ego in conſilia ducum, & in arcana dominationis inquiro? Interrogata Liuia, quibus artibus viri animum, ac voluntatem erga ſe adeo propenſam reddidiſſet, poſt alia quædam reſpondit, *Conſilia eius non explorando, & in amorum eius conſuetudines non inquirendo.* [i] Igitur Taciti præceptum hoc vtpote ad plurima vtiliſſimum, multifaciendum videtur. Verumenimuero quo maiorem ſecum affert difficultatem, rem ſecus atque ſe habet, interpretari, quam ſimpliciter, & perinde ac ſi non intelligatur, præterire; eo etiam maior eſt vtilitas, quæ inde exhauritur: non ſolum enim euitatur damnum, quod ex re intellecta impendet, ſed diuerſe rem propoſitam nos intelligere ſimulando, maiori aſtu, & facilius ſimulantium deceptionem eludimus atque anteuertimus. Quam rem exemplo M. Marcelli adprime Liuius edocet. Marcellus etenim haud ignorans, L. Bantium Nolanum, opibus florentem hominem, Annibalis partes fouere, ambigens, num ipſum aliqua pœna afficere, an vero beneficiis animum ipſius deuincire deberet, mitius antepoſuit conſilium, vt ad ſe vocatum doceret, multos eum inuidos inter populares habere, absque dubio ob eius virtutem; quæ virtus nemini magis, quam militibus, ducibusque Romanis cognita atque perſpecta erat; neque enim ignorabant, in conflictu Cannenſi non prius prælio abſtitiſſe, quam prope exanguis ruina ſuperincidentium virorum, equorum, armorumque ſit oppreſſus: atque idcirco multas Bantio pollicitationes adiungens, multiſque eum muneribus afficiens, & lictoribus, vt quandocumque is ad ſe aduenirct, pateret aditus, iubens, adeo ſibi illum beneuolum, amicumque redegit, *vt nemo inde ſociorum rem Roman. fortius ac fidelius iuuerit.* [k] Neque fortaſſe Belgicæ prouinciæ in hoc ſtatu, in quo eas modo cernimus, eſſent, ſi Comes Agamontis ducem M. Marcello ſimilem nactus fuiſſet. Datamis Perſarum ducis prudentia ad hanc eandem rem maxime ſpectat: Is cum animaduerteret, nonnullam ſui equitatus partem ad hoſtes profugiſſe, reliquis equitibus eum inſecutus eſt; cum vero aſſecutus eſſet, ſtatim profugorum ſolertiam vehementer laudauit, & diſertiſſimis verbis, vt, quo vigore atque alacritate hoſtem inſequebantur, eadem aggrederentur, hortatus eſt. Quo ſermone illi coniecturam capientes, Datamin ipſorum perfidiam non intellexiſſe, cepit eos erroris pœnitentia, vnde mutatis animis in fide perſtiterunt. [l] Quoniam vero neminem male de me, quaſi diſſimulandi præcepta tradente, ſentire vellem, ideo reminiſcere, quæſo, Deum ipſum diſſimulare peccata hominum, quo conuertantur. [m] Neque minor fuit Lucretii perſpicacitas: quem cum prætor C. Lucretius eius frater miſiſſet, vt ad bellum Macedonicum fœderatorum, & Pop. Ro. ſociorum claſſes congregaret, cumq; Dyrrhachii quatuor, & quinquaginta naues, quas Gentius Rex adduxerat, offendiſſet, fingēs ſeſe ita credere, vt rex eas

[g] *l. 2. de bell. ciuili.*
[h] *l. 1 Reg. c. 10.*
[i] *Dion. lib. 58.*
[k] *Liu. l. 23.*
[l] *Frontin. l. 2. ſtratag. c. 7.*
[m] *Sap. 12.*

[n] Liu. l. 42. Romanorum vſui inſtruxiſſet, ipſis vſus eſt, & Cephalenen petiit.[n] Reperiuntur nihilominus quædam fatuæ, ſtupidæque, & contrarium effectum parituræ diſſimulationes, qualis ea fuit Vitellii, qui maximæ, qua premebatur, neceſſitatis tempore ſimulauit ſeſe nullius rei indigere, legatisque & prouinciis, vt ſerius ei opitularentur, cauſam dedit, dumque in vrbe reprimere de Veſpaſiano ſermones conabatur, eoſdem adaugebat.[o] *Stultam* Vitellii *diſſimulationem* Tacitus appellat illam, cum fractis apud Cremonam rebus, nuncios cladis occultaret, *& prohibitis per ciuitatem ſermones, eoque plures.*[p] Propter eandem autem rationem Vitellius mouebatur, quam apud eundem autorem etiam Galba reſpexit, *ne diſſimulata ſeditio in maius crederetur.*[q] Sed neque vtilis putetur facinorum, quos milites patrauerint, diſſimulatio, etiamſi tunc puniri nequeant, quoniam ſuſpicantes, ne in tempus opportunius ira differatur, in maiore te periculo conſtituere poſſint. Hinc ſingulari prudentia Valens, etſi illos non puniret, quoſdam non prætermiſit arguere, *ne diſſimulans ſuſpectior foret.*[r] Et diſcrimen, quod Martius Rutilius in Capuana coniuratione euaſit, adeo terribile fuiſſe, non ignoramus, vt quia milites ſeſe per diſſimulationem à Conſule expectante, & occaſionem vindictæ quærente, taciteque dimitti animaduerterent, ſuſcitatatæ turbæ ſine Dictatore ſedari nequiuerint.[s] Ludi & ſpectacula publica, diesque feſti in dominantibus vrbibus, quo longinquis partibus infeliciter geſta diſſimulentur, quid in ſe dignitatis obtinere queant, non video: quia deprehenſo figmento, æque ab amicis, & ab inimicis ludibrio habentur: quemadmodum noſtris temporibus Turcarum Reges efficiunt, cum, vt exercitus in Perſia cæſos eſſe, diſſimulent, Conſtantinopoli publice geſtientes triumphant, neque ſecus Nero corruptum triticum in Tyberim proiiciendum curauit, *quo ſecuritatem annonæ ſuſtentaret.*[t] Deterius quam cæteri (quod mihi mirandum eſt) Tiberius, qui à Friſiis illata damna diſſimulabat, ne cui bellum permitteret.[u] Ex quibus in hoc diſſimulationis artificio quam circumſpecto iudicio procedendum ſit, vnuſquiſq; per ſe dignoſcere poteſt.

Marginal notes: [o] lib. 18. [p] lib 19. [q] lib. 17. [r] lib. 18. [s] Liu. l. 7. [t] Tac. l. 19. [u] l. 4.

Qualis vniuſcuiuſque Principis arcanus liber eſſe deberet.

DISCVRSVS V.

CONſueuerunt magni mercatores librum quendam (ſecretum vocant) penes ſe ipſos habere, quem nefas eſt, patere miniſtris, vtpote in quo omnis ſuæ ſubſtantiæ ſumma continetur. Quod vt item principes in ſuis principatibus præſtare teneantur, non per ænigmata, aut per inuolucra verborum, ſed ſui exemplo Auguſtus indicauit: qui maiore diligentia quam fortaſſe mercatores hac in re adhibere ſoleant, manu ſua ciues Populi Roman.

in compendium redegerat. Verùm antequam ad Auguſtum deueniam, vt hanc conſuetudinem peruetere m fuiſſe, ac proinde perneceſſariam eſſe, confirmem, quæ Cicero docet de Senatoribus, referam: Qui Senatores cum in Rep. multorum inſtar principum ſint, cumque Cicero inter ipſos ſummus non ſolùm Senator, ſed Conſul, & magna Romanæ Reip. ipſe quaſi pars extiterit, maxime videntur attendenda ipſius verba; *Eſt*, inquit, *Senatori neceſſarium noſſe remp. idq́; late patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos ſocios reſp. habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios, qua quiſq́; ſit lege, conditione, fœdere*, &c. [a] Et reuera quo pacto Senator, aduerſus hoſtem mouendum eſſe bellum, ſiue pacem cum eo ſanciendam, diſſerere valebit, niſi militum copias, quas Reſp. ſua congregare poteſt, pernoſcat? de militum autem numero quo pacto diſſeret, ſi reditus publicos, quibus milites ſuſtentantur, ignoret? nonne in errores illos ſupinos recidet, ſi pacta, & fœdera cum exteris regibus, aut rebuſp. inita neſciuerit, aut viciſſim quæ exterî cum rep. in qua degit? Atqui Auguſtus, qui ſenator fuerat Romanus, neque modo ſenator, & conſul, ſed ſuæ reip. princeps, non ignorans, quantum humeris ſuis pondus gereret, regeretq;, alienam induſtriam negligens, librum ipſe ſibi perſcripſit, qui deinde Tiberio in Senatu oblatus eſt, in quo continebantur *opes publicæ, quantum ciuium, ſociorumq́; in armis, quot claſſes, regna, prouinciæ, tributa, aut vectigalia, & neceßitates ac largitiones.* [b] Igitur qui ſummi, qui mediocres principes ſunt, ediſcant à principe omnium maximo, quis ille libellus ſit, quem quotidie tractare, in quo, vt in ſpeculo, ſemetipſos intueri debent, neque vſq; ad teruncium ignorare, quot cẽtena millia, quot millia nummorum quotannis poſſident; calleant, quot milites in diionibus ſuis colligere poſſint: Sed hic deploranda Italiæ principum nonnullorum miſeria, quorum pauci copias expeditas, ac promptas habent, cum tamen quidam ſummam huius vigilantiæ laudem promereantur. Non diſtinxi ſocios, ciueſque, quoniam hiſce diſtinctionibus ſecula noſtra non indigent, & potentior tantum aliquis Rex amicorũ, & vaſallorum numerum computabit: Exploratum habeant, cuiuſmodi littora poſſideant, quot in prouinciis diuiſis, quibus imperant, naues; neque adeo de illarum numero ſolliciti ſint, quin ipſarum robur, agilitatem, pulchritudinem anteponant; his enim ſtudiis mirifice reges decorantur. Hinc Ptolomæi Philadelphi nauale celeberrimum habetur, in quo, referente Athenæo, naues habuit ſeptem millium, & amplius militum capaces, mirificæ ſtructuræ, & innumero pene numero. [c] Per hæc autem tempora ex omnibus, quæ mari vagantur, triremibus, nullæ ſunt Melitenſibus, iiſque, quas magnus Dux Etruriæ comparauit, inſtructiores, atque ornatiores: Sciant adhæc, ad quam ſummam expenſæ, ſiue eæ ordinariæ; ſiue extra ordinem cenſentur, pertingant: reditus enim, qui inde non ſuperfluit, ad militaria ſubſidia minime pertinet: poſſunt autem inter inſuetos, minimeq;' ordinarios ſumptus, computari dona, quæ fiunt principibus, hoſpitalitates, ludi publici, ſpectacula, nuptiales ſolemnitates, & id genus cætera. In quibus magnificas, & neceſſarias ſumptuum erogationes ab inutili-

[a] lib. 3. de leg

[b] Tac. l. 1. Dion. l. 56.

[c] Athen. l. 5.

bus, & vanis ſecernentes, caueant, ne barbaros reges imitentur, qualis Antiochus fuit, non ſine cauſa furioſus appellatus: nam ventoſæ gloriæ cupiditate captus, vt P. Æmilii gloriam, quam ex deuictis Græcis adeptus erat, ſuperaret, triumphum ornatiſſimum duxit, multiſque millibus hominum ex Myſia, ex Cilicia, ex Thracia, ex Galatia accerſitis, tot mulieribus, tot equitibus, tot curribus, & carpentis, tot vnguentis, & auri maſſis, tot ornamentis, & ſplendoribus, quos conquiſiuit, inſtructum, vt iis nihil, niſi maximum diuitiarum contemptum præſetulerit. Addam quædam ad noſtros principes, vtpote Romanis minores, magis pertinentia, ab antiquis exemplis deducta monita. Non itaque dubitent, ſed optime nouerint fines imperii, & ditionis ſuæ, & quos aut cauere ipſi debeant, aut à quibus ipſi caueantur: iis vero, vnde magis damni, & laboris haurire eſt, quam lucri, ne moleſtiam faceſſant. Quod Regibus Neapolis ſæpenumero calamitates peperit; nam minime perpendentes, certius eſſe detrimentum, quam vtilitatem aliquam, ſi quis Pontifices Romanos perturbet, tunc ſe errauiſſe demum ſenſerunt, cum regni poſſeſſione deiecti ſunt; Non ipſos fugiat, quo quibus feudi, ſiue amicitiæ, ſiue clientelæ, ſiue cuiuſcunque generis vinculo alligentur, neque id incurioſe negligant, præſertim ſi cæteri viribus longe præpolleant, quia non expedit regnantibus mutationum crebritas. Philippus Macedoniæ Rex (teſte Liuio) ſingulis diebus bis ſuas cum Romanis pactiones ſibi prælegi curabat: Quod idem Macedonico Regno vtiliſſimum inſtitutum Oneſimus Macedo vir domi nobilis, vt Perſeus filius proſequeretur, ſuadebat. [d] Sed mentecaptus ille, quia neque patrium morem retinuit, & fide præſtantis hominis ſui conſilium reiecit, regnum cum libertate, vitamque miſerrime peſſumdedit. Quod de mediocribus dicitur erga ſummos, idem de ſummis erga minores dicendum eſt: quandoquidem ſi ciuitatem, aut regnum pactis, aut conditionibus quæſiuiſti, nequaquam ſubditorum priuilegia, tantum vt omni ex parte dominus videare, inuertere decet: nam præterquam quod ea, quæ iure non potes, aggrederis; non video, quomodo conſilia iſta voluentibus annis vtilitatem tibi paritura ſint: quemadmodum ſapientiſſime Rubertus Siciliæ Rex Ducem Athenarum, Florentiæ dominantem, commonuit: quod enim dominatum cepiſſet, ſilentio tramiſit, quia conſenſu populi id tranſactum exiſtimabat, ſed quia decreta immutare ſatageret, hæc ad eum ſcripſit; *Ad nos perlatum eſt, à te magiſtratum, qui Priorum nomine vocatur, ex vetere populi palatio propter ipſos ædificato, extractum fuiſſe, proinde illic eos reſtituas; tu vero in eo palatio, vbi filius noſter hoſpitabatur, diuertito*, & paullo poſt, *Quæ ſi efficere neglexeris, tuam ſalutem longæuam fore, nobis minime videtur*, [e] quemadmodum ei contigit. Obſeruetur pulcherrimum huius rei exemplum in Germanico, qui, vt ſocias Athenas honoraret, non amplius, quam vno lictore, eam ciuitatem obambulans, vſus eſt: iniquus autem Piſo, qui rem geſtam per ſe ipſam minuere non poterat, oblique Germanicum perſtrinxit, quod *non Athenienſes tot cladibus extinctos, ſed*

[d] Liu. 44.

[e] Villani lib. 12.

collu-

colluuiem illam nationum comitate nimia coluiſſet. [f] Vbi Piſonis ſponte ſeſe exerit malignitas, inde exorta, quia propter ipſius cum Germanico ſimultatem ab Athenienſibus in quadam petitione repulſam paſſus fuerat. Quamobrem Etruriæ Principum ſapientiam non poſſum non eximiis laudibus euehere, qui contenti, vt ſui Commiſſarii in Piſtorienſi ciuitate imperium exerceant, permittunt nihilominus, vt Confalloneriis, qui ſupremus eſt ciuitatis eius magiſtratus, primum locum concedant. Et laudabiliter non minus, quam prudenter egiſſet Philippus, cum Argos ingreſſus, diadema, purpuramque depoſuit, æquo iure cum omnibus tractans, niſi hoc probe factum plurimis ſceleribus commaculauiſſet. [g] Diuerſa ſunt pacta, & conditiones, quas populi, ſiue reſpub. cum principibus, quibus ſubduntur, contraxerunt: has autem mutare neutiquam decet; neque enim populus, niſi lege cautum ſit, cogendus eſt ad arma ſumenda, neque debet externis bellis implicari, ſi ad domeſtica tantum obſtringatur, quemadmodum Thraces, quia antiquis Regibus ſuis talia nunquam obſequia præſtitiſſent, negabant delectum militum Romanis: quippe *ſoliti, ſi mitterent auxilia, ſuos ductores præficere, nec niſi aduerſum accolas belligerare.* [h] Iudæi, cum antea, ne Imperatorum imagines templo reciperent, permiſſum iis fuiſſet, [i] etiam Caii tempore defeciſſent, niſi tempeſtiue mors ipſius interpoſita fuiſſet; is enim vt ſtatuam ſuam in templo Salomonis reciperent, demandaturus erat. [k] Quamquam longe minoris, quam confœderati ſociique, exiſtimationis ii ſint, qui dedititii appellantur, nihilominus tamen Populus Roman. ipſorum itidem ſatis benignam rationem habuit, ideo quia ante euentum belli ſeſe fidei Romanæ concrediciſſent. Hinc Transalpinis Gallis cum M. Claudius Marcellus vt arma, & precioſiorem ſupellectilem traderent, imperaſſet, quia inuitis Romanis, ſuperatis montibus caſtellum communiuerant, ſcripſit Senatus, *Quamuis inique ipſi fecerint, quia in ſolo alieno inconſulto domino exædificauerint, tamen nolle ſe, vt ſuis ipſi armis, & ſupellectile ſpolientur.* Hoc genus eſt, de gentibus victorias, ac triumphos reportandi, longe pulcherrimum: nam iis, qui eaſdem alpes incolebant, ſenioribus hoc Senatuſconſultum inſigne adeo, atque heroicum viſum eſt, vt Romanis ſignificarint; dubitare ſe, ne tanta humanitas aliquando iis damno futura ſit, quia dum eos, qui Populi Romani agros occupare auſi fuerant, punire neglexerant, nihil aliud efficere viderentur, quam ſummam cæteris delinquendi licentiam concedere. [l] Perſimili caſu miniſtris ſuis Senatus de Liguribus ſcripſit, *Non placere ſibi, ſi per deditionem Ligures recipiet, receptis arma adimi.* [m] Prælium paullo poſt ex Liguribus nonnulli cum Romanis commiſerunt, ſed plurimis Ligurum non ſine multo Romanorum ſanguine interfectis, ii, qui pugnæ ſuperfuerunt, Romanis abſque vllis conditionibus ſeſe dediderunt: quare M. Popilius Lenas exiſtimans, de iis quomodolibet decerni poſſe, excïſis patriis oppidis, ipſos ſuaque precio diſtraxit, ſcripſitque ea de re ad Senatum, qui rem atrociter geſtam improbans, ſtatim

man-

[f] *Tac. ann. lib. 2.*
[g] *Plut.*
[h] *lib. 21.*
[i] *Ioſeph.*
[k] *Ioſeph.*
[l] *Liu. lib. 39.*
[m] *lib. 40.*

mandauit, *Conſulem Ligures, pretio emptoribus reddito, reſtituere in libertatem, bonaq; vt iis, quicquid eius recuperari poßit, reddantur, curare: arma primo quoque tempore, fieri in ea gente, Conſulem de prouincia decedere, cum deditos in ſedem ſuam Ligures reſtituiſſet*, ſubnectens ſententiam nobiliſſimam, præclariſſimoque omnium imperio digniſſimam, *Claram victoriam vincendo oppugnantes, non ſæuiendo in afflictos fieri.* Ergo in ſuo libro habeant Principes, relegantque huiuſmodi monumenta, quibus in errores non impingent. Quidam ſceleſtiores Principes habuerunt ipſi quoque ſuos ſecretiores libros, vt Caligula binos ſibi confeciſſe legitur, alter *Gladius*, alter *Pugio* vocabatur, in quibus omnes adnotabantur, quicunque iis armis necandi deſtinabantur. [n] Neque fuit abſimilis libellus ille Commodi Imperatoris, qui, vt in auctorem ſæuiretur, cauſam præſtitit. [o] Verum Chriſtianum, optimumque principem commonefaciam ipſe, quos libros habere debeat: Duplicem ſibi conquirat, altero ſubditos ſuos adnotet pacis artibus inſignes, quem *Togatum* vocet, altero nomina eorum conſignet, quos in bello fortes, ac generoſos, vtileſque ſibi, & reip. euaſuros putat, quem *Sagatum* ſiue bellatorum libellum vocet; quorum virorum claſſes, quemadmodum optimum populorum paſtorem decet, pro ipſorum meritis honeſtabit: alii enim mente, & ſapientia, alii manibus, & fortitudine è maximis illum aliquando anguſtiis educere valebunt. Neque quiſquam mihi ſuggerat, alios etiam præter hos principi dictandos eſſe libros, nam nemo ignorat, vno volumine multos libellos comprehendi poſſe: in quibus Princeps ſi vel paucorum ex ſingulis ordinibus hominum rationem diligentem habuerit, plurimorum ſimilium quaſi ſeminarium ſibi parabit: Sed ideo peſſime modo cum Principibus agitur, quia vnius tantum, aut pauculorum ſemetipſos quaſi mancipia conſtituunt, & ipſorum cura, charitaſque vix per decades hominum, nedum per millena, aut centena diffunditur. Neque forſitan iniuria hoc libello nomina eorum inſcripſerint, quibus aliquid debent, quo videlicet, cum ſeſe obtulerit opportunitas, merita reponere poſſint: id ſiquidem fortaſſe denotant verba illa, *neceßitates, ac largitiones.* Quæ res adnotata, ſiue iuſſa, vt adnotaretur, à Rege Aſſuero, effecit, vt licet immature, Mardochei merita recognoſcens, [p] non potuerit Rex in numero ingratorum collocari; quod vitium, vtpote rebuſp. principibuſque exitioſum, nunquam non fuit deteſtabile. Quod ſi tot, tantiſque autoritatibus, quas adduximus, nondum Principes, vt librum ſapientiſſimis documentis refertum vigilanter euoluant, perſuaſi ſunt, ſaltem reminiſcantur, etiam in cœlo non deeſſe libros, quibus bona, & mala opera inſcribuntur, ſed horum ſine nomine ratio præſcribitur, alter vero liber vitæ nuncupatur. [q] Multa ſuperaddi poſſent huic argumento; at vero ſi hæc pauca Principes efficienda curauerint, profecto multum eos profeciſſe putabimus.

[n] *Suet. c. 49.*
[o] *Erodianus l. 1.*
[p] *Eſth. 6.*
[q] *Apoc. 20.*

Etiam

Etiam atque etiam Principi cogitandum eſſe, num expediat imperij fines propagare.

DISCVRSVS VI.

INter cætera, quæ ſuis hæredibus reliquit Auguſtus, conſilia, illud præclariſſimum fuit, *coercendi intra terminos imperij*, inquit Tacitus.[a] Neq; bene dignoſcitur, an id timore, an inuidia præceperit. Suetonius Tranquillus dum opinionem quandam vulgo celebrem refert, adoptatum fuiſſe ab Auguſto Tiberium, quem peſſimis moribus imbutum nouerat, quo ſua probitas apud poſteros *comparatione deterrima* magis innoteſceret,[b] aperte profitetur, de tali tantoque principe non poſſe ſe id vel minimum ſuſpicari. Credo ego, cum Auguſtus in eadem trutina virtutes, vitiaq; Tiberii poſuiſſet, maioresq; vitiis virtutes eſſe deprehendiſſet, hinc eum ſibi ſucceſſorem elegiſſe: nunquam item inducar, vt credam, id conſilii ab Auguſto datum ob inuidiam, ne quis ſcilicet poſterorum gloriam ſuã æquaret, aut vinceret; ſed potius ob prudentiam, quam Tacitus *timorem* appellare maluit, quoniã vere prudentis officium eſt timere timenda, nẽpe præcauere ea, quæ aliena vexanti ſiue occupanti impendere pericula conſueuerunt. Sex ante annis, quam fato concederet, tres Vario legiones in Germania cęſæ ipſius animum vehementer perturbauerant.[c] Lepidi potentiam fregerat, M. Antonium extinxerat, ambos in triumuiratu collegas: multa ab vtroq; damna nonnunquã perpeſſus fuerat: multos deinde annos ſuperſtes diuturnam populo pacem præſtiterat, quam quot artibus curauiſſet, bellorum amotis occaſionibus, nõ ignorabat: exteros reges, vt inquit Suetonius, pleroſq; affinitate inter ſe coniunxerat, amicitiæq; nodis colligauerat, & membra eos Imperii Rom. appellitans, pupillis aut mente inualidis tutores, curatoreſq; dederat, alios ſimul cum filiis ſuis domi educabat.[d] Præſentiebat fore, vt hæ cogitationes & artes non omnibus probentur, vnde difficultates & pericula præuidebat, quæ poterant ex tot ſubiectis nationibus oboriri: ſciebat militum licentiam; neq; ducum ambitio eum latebat, qui vel vicinos populos inſolenter tractando, bellorum in longinquis regionibus cauſas ſerebant, vel ab Imperatore deficientes ciuilia diſſidia excitabant: cognoſcebat, in vicinis, imo præſentibus prouinciis perdifficile eſſe bonas leges & inſtituta tueri, quid in prouinciis adeo remotis? non neſcius erat, perinde vt naues maiores exiſtunt, ſic maioribus ac periculoſioribus ſubdi & agitari tempeſtatibus: & quemadmodum in vaſtis, neq; moderatæ proportionis corporibus bona conſtitutio, quæ ad bene viuendum neceſſaria eſt, perraro reperitur; non ſecus maxima imperia ſub nimio virium ſuarum pondere laborare atq; fatiſcere. Cum itaque hæc & ſimilia cognoſceret atque præuideret, prudenter admodum Tiberio, ſucceſſoribusq; conſilium reliquit, *coercendi intra terminos imperij*. Veneta reſp. non aliam ob cauſam (vt de temporibus, principibusq; noſtris ſermo inſtituatur) ſedente Iulio II. Pontifice libertatem pene amiſit, niſi quia cęteri, qui

[a] *lib. pr.*

[b] *Suet. in Tib. c. 21.*

[c] *Tranq. in Aug. c. 23.*

[d] *Idem c. 48.*

ditiones in Italia obtinebant, animaduertentes aut ſuſpicantes ad imperium totius Italiæ Venetos adſpirare, contra ipſos icto fœdere conſpirauerunt: & diuinæ miſerationi acceptum feratur, quod pœnituerit Pontificem, nobiliſſimam remp. alioqui diuturnitate dominationis ob plurimas, quibus inſignitur, virtutes digniſſimam, euerſum iri. Sed antequam id contingeret, cum iidem Piſanis ſuppetias ferendi occaſionem arripiētes, eorum ciuitatem occupare cogitaſſent, attendendæ ſunt conſultationes, quas ea de re pertractabant non Italiæ Principes, ſed ipſimet illius reipubl. Senatores, quorum prouidentiores diſſerebant in ſapientiſſimo illo ſenatu (vt ſcripſit Guicciardinus) totam Italiam iam ipſorū magnitudinem ægris oculis adſpicere, proinde hāc Piſarum affectatam dominationem cunctis permoleſtam fore: quin etiam inde vexationes & pericula maiora, quam quis ſuſpicari poſſit, expectanda eſſe, longeq; illos oberrare, qui ſibi perſuadebant, cæteros principes otioſiſſimos tanti incrementi ſpectatores fore, & paſſuros, vt Veneto Italis iā formidando imperio ea Piſanæ ciuitatis opportunitas adiungeretur.[e] Imperator Carolus V. qui in Oriente non difficulter nomen gloriamq; ſuam contra Chriſtianæ religionis hoſtes, niſi prępeditus fuiſſet, propagare poſſe videbatur, idcirco in Occidente moleſtias, innumeraq; impedimenta perpeſſus eſt, quia rapere aliena, omniumque dominatum ſibi arrogare velle videbatur. In medium afferam, quæ oculis in præſentia videre eſt, quamquam futura latent. Hiſpaniarum Rex, dum Belgium recuperare, quod eius patrimonium fuerit, dum Luſitaniæ regna vindicare, quæ ad ipſum aliquo pacto pertinebant, nitebatur, cæteri principes ipſius conatibus non refragabantur: vbi Angliæ regnum claſſibus inſtructis aggreſſus eſt (quamquam iuſtiſſimis, imo neceſſariis de cauſis id peractum fuit, cum Regina illa Belgarum defectionem foueat) item vbi idem rex (quemadmodum ii, qui nimiæ eius potentiæ inuident, interpretantur) Gallorum ſeditionibus, partibuſque ſeſe immiſcere videtur; quidam Germani principes non modo propter religionis cauſam, in qua à veteribus catholiciſq; noſtris ritibus deſciuerunt, ſed etiam quia viribus debiliores, rebus & ſecuritati ſuæ diffidunt, contra Hiſpanum communis tutelæ cauſa inſolubili nexu conſpirauerunt; faxitque Deus, ne communis hæc principum ſuſpicio maiores aliquando inuehat calamitates: inuehet autem non mediocres, dum interim Turcarum Imperatori virium augendarum commoditatem ſtruimus, noſtriſque mutuo debilitatis, ipſum, vt nos inuadat, atque debellet, allicimus. Ergo obiiciet quiſpiam: finium propagandorum ſollicitudo, quę Romanos illuſtrauit, eorundem Romanorum exemplo improbabitur? eaque Chriſtianis principibus lex præfigetur, vt pigritie, otioque marceſcant, neque ab hoſtibus extimeantur? Reſponderem, non defuiſſe, qui in Senatu Roman. pro[p]oſuerit, *Cæſarem Gallis tradendum* eſſe, alterumque aſſeruiſſe, *Aſiam reipublicæ [de]trimento deuictam fuiſſe*: ſed non id ſpectabam: ſcopus erat, vt præciperem, [n]on eſſe inani ambitione, ac temeritate quotidie vicinos vexandos: Induſtria adhibeatur, vt ſubiecti populi pace perfruantur, non deficiat annona,

[e] *l.3. anno 1496.*

ærarium diteſcat, ciuitates ciuibus impleantur, diſciplina militari ciues inſtruantur, arma congregentur, princeps muniat ſeſe ſubditorum amore, arcibus, copiis: Cum vero ſeſe obtulerit occaſio, vt ſiue tuas, ſiue ſociorum, ac fœderatorum res tueare, tunc contra audentior ito: neque enim tantum certa erit parata aduerſus vicinas, remotaſque gentes victoria, ſed etiam quæ bello acquiſiueris ſecurus ab hoſtili impetu poſſidebis, & perenni pace lætaberis.

De ſeuera antiquorum militia.

DISCVRSVS VII.

QVemadmodum ex vrbis ruinis, quanta Romanorum potentia ac magnificentia olim fuerit, cōiicimus, & comprehendimus; ſic ex legionum Pannonicarum,[a] & Germanicarum [b] ſeditione, quam Auguſto defuncto agitauerunt, ciuitatis illius mundi dominæ, diſciplina militaris offert ſeſe conſideranda: vnde quod iidem legionibus tam egregie inſtitutis cuncta terrarum ſubegerint, admirandū non eſt. Ad quę ſi quis ex noſtris principibus longo veterno excitatus mētis oculos vnquam conuerterit, laborem hunc, quo res huiuſmodi declarare inſtituo, non omnino inutilem putabo: Sed quia militum illorum querimonias, dein ſeditionem quædam anteceſſere, rei cauſas prius, poſtea rem ipſam inſpiciamus. Rom. milites in tria genera diuidebantur, tyrones, veteranos, dimiſſos. Tyrones appellabantur, donec munia militum cuncta perfecte exequi neſcirēt, dicente Vegetio, *poſt quanta volueris ſtipendia inexercitatus miles ſemper eſt Tyro.* [c] Veteranus dicebatur, qui & rem militarem addidiciſſet, & conſtituto militię tempore ſtipendia meruiſſet: quæ, vt ſcribit Dio, [d] viginti annis terminabantur: etſi prætoriæ cohortis milites, hoc eſt, principis ſtipatores ſexdecim annis dimiſſionem obtinebant. Dimiſſi vocabantur, qui ſuorum ſtipendiorum curſu peracto remunerabantur, & ad fruendum laborum ſuorum præmio dimittebantur. Cōquerebantur autem veterani præcipue, quod plerique ex ſeipſis tricena aut quadragena ſtipendia ſenes, & plurimi truncato ex vulneribus corpore, tolerarent; iniquum ducebant, quod ne dimiſſis quidem finis eſſet militiæ, ſed apud vexillum retenti, alio vocabulo, eoſdem labores perferrent, ac ſi quis tot caſus, & diſcrimina vitā ſuperauerit, traheretur adhuc diuerſas in terras, vbi per nomen agrorum vligines paludum, vel inculta montium acciperent. Tyrones vero grauem & infructuoſam militiam conquerentes, dicebant, denis in diem aſſibus animas, & corpus eorum æſtimari: his coemendas veſtes, arma, tentoria: his ſæuitiam centurionum, & vacationes munerum redimendas eſſe: *verbera, vulnera, duram hyemem, exercitas æſtates, bellum atrox, aut ſterilem pacem, ſempiterna.* [e] Veteranorum alii vacua dentibus ora, alii curuata ſenio membra, alii canitiem, & nudata pauperie corpora oſtendebant. Tyrones hiſce rebus addebant labores ſuos, vallum exſtruere, foſſas cauare, pabu-

[a] *lib. pr.*
[b] *ibid.*
[c] *libr. 2. c. 22.*
[d] *lib. 55.*
[e] *Tac. l. 1.*

lum equis conquirere, materiam vallo conficiendo adgerere, lignandi cauſa exire, & ſi qua alia ex neceſſitate, aut aduerſus otium caſtrorum quæruntur; quemadmodum Corbulo effecit, qui *ne miles otium exueret, inter Moſam Rhenumque trium, & viginti millium ſpatio foſſam perduxit.* [f] Ideo certis ſub legibus militiam petebant, vt ſcilicet ſinguli ſingulos denarios quotidie mererent (denarius autem duodecim aſſes eo tempore explebat) ſextus decimus ſtipendii annus finem adferret, neque veterani ſub vexillis tenerentur, ſed iiſdem tamen in caſtris manerent, quouſque præmium iis debitum pecunia ſolueretur. [g] Modo quis noſtra tempeſtate militiam huiuſmodi toleraret? quis honeſtus miles verbera pateretur? Vnde ad hanc rem Tacitus narrat de centurione quodam, cui nomen, Cedo alteram, quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rurſus aliam poſcebat. Et nihilominus ſeditiones illæ non niſi his conditionibus pacatæ fuerunt: *miſſionem dari vicena ſtipendia meritis: exautorari, qui ſenadena feciſſent, ac retineri ſub vexillo, cæterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis: legata, quæ petiuerant, exſolui duplicarique.* Attamen paulo poſt huius militum ſeditionis male conſulta, quibus ſexdecim ſtipendiorum finem expreſſerant, obolita in poſterum, quia Tiberius *imparem oneri rempub. edixit, niſi viceſimo militiæ anno veterani dimitterentur.* [h] Hæc pauca leuiter attingere placuit, vt antiqua militiæ inſtituta dignoſcerentur. Iamq; ſatis dictum eſto, cum hiſtorias Taciti, non rei bellicæ pręcepta penitus explananda aſſumpſerimus.

[f] Tac. lib. 11.

[g] Ibidem.

[h] Ibidem.

Nullum Principem debere, ſi modo ſapit, poſt alterius manſuetum regimen, extemplo inclementem ſe, ac ſeuerum oſtendere.

DISCVRSVS VIII.

QVi naturæ arcana perſcrutantur, aiunt, nunquam eam admittere repentinas ab vno ad alterum extremorum mutationes, quam rem eiuſdem naturę opera manifeſte docent, quando neque æſtas excipit hyemem, neq; hyems æſtatem, niſi iſthic intercedente autumno, hic autem interiecto vere. Et reuera quiſquis in hoc naturam negligit imitari, ille ſibi damnum prouocat, cęteris nullam vtilitatem parit. Quocirca Tacitus, principum actionum indagator prudentiſſimus, obſeruauit, etſi Tiberius à ludis & ſpectaculis non abhorrebat, & ciuile rebatur miſceri voluptatibus vulgi, quod Auguſtus effecerat, tamen eadem premere veſtigia noluiſſe; quippe *alia Tiberio morum via, ſed populum per tot annos molliter habitum nondum audebat ad duriora vertere.* [a] Prudens erat, vtinam ſic bonus Tiberius, & de ſeipſo minime ignorabat, fore vt Auguſti morum viam non diu proſequeretur: nihilominus nondum tempus aduenisse cernebat, quo populum aſperius tractaret, non ſecus ac qui currenti equo non ſtatim, ſed paullatim habenas retrahit. Mutationem Plato in omnibus re-

[a] lib. pr.

bus,

bus, præterquam in malis periculoſiſſimam eſſe, cenſet, neque ſolum in ratione viuendi, ſed etiam in moribus animi; adeoq; ipſam deteſtatur, vt ex ludorum, muſicæ, ſaltationum mutationibus plerumq; leges, & reſp. immutari exiſtimet. [b] Sed nos adeo exquiſitas diſputationes relinquentes, per exempla, quæ vitæ humanæ ſpeculum ſunt, videamus, an quæ ſuperius propoſuimus, veritati congruant. Galba probior omnino imperator, quã Tiberius fuit: nihilominus quia ſtatim imperium adeptus facinoroſorum hominum ſanguine ſibi cruentauit manus, & parcior, quam oportebat, præſertim poſt Neronem, donatiui ſpem militibus in longum proferebat; haud multis poſt menſibus non in cubiculo, non noctu, non veneno, aliisve inſidiis petitus, ſed in ipſa vrbe, imperii capite, media luce, manifeſtis armis, à ſuis militibus, ab ęmulo deteriore, interfectus eſt. Conſiderentur Taciti verba, hanc propoſitionem luculenter exprimentia, *Laudata olim, & militari fama celebrata ſeueritas eius angebat coaſpernãtes veterem diſciplinam, atq; ita XIV. annis à Nerone aſſuefactos, vt haud minus vitia principum amarent, quam olim virtutes verebantur.* [c] Ideo fieri non poterat, vt diutiſſime aſſuefacti ſtatim in contrarium verterentur, & modeſtiam, atq; continentiam repente aſſumerent: & natura hominis ea eſt, vt pœnæ timor deſperationem gignat; deſperatio autem nihil non ſuadet impium, ac ſceleratum. Pertinax non modo Galbam virtutibus æquauit, ſed quoslibet ſui temporis patricios anteceſſit, & nihilominus illi tertium imperii menſem explere non licuit, quin à ſuis crudeliter trucidatus fuerit. Cauſam necis Iulius Capitolinus, qui vitam illius conſcripſit, eam affert, quia tribuno ſignum petenti dixerat, *Militemus*, quaſi præteritam ſub Commodo ignauiter actam vitam exprobraret. Qua voce ad milites delata, exprobrationem hanc dedecori ſibi interpretantes, quodque magis refert, timentes, ne ſub rigido, ac ſeuero Duce, ſeueriſſimam diſciplinam paſſuri eſſent, cuius rei præmatura argumenta videre ſibi videbantur, ex deſperatione ſceleſtum de occidendo Imperatore conſilium arripuerunt. Audiatur, quid de eodem principe ſcripſit Græcus autor Herodianus. Quod publice, inquit, & priuatim omnibus placuerat, vt Populus Romanus à manſueto, ac modeſto principe regeretur, id militibus prætoriæ cohortis ſummopere diſplicuit; qui ciuilibus illis, ac ſecundum veterem probitatem moribus ereptam cupidinibus ſuis, quæcunque vellent, efficiendi libertatem dolentes, talem principem, ac rectorem omnino eſſe de medio tollendum, conſuluerunt. Dicet aliquis; Hæc è militibus petita exempla eſſe, qui nunquam præſentibus contenti ſunt; diuino beneficio præſentia gubernationum genera ſic ordinata eſſe, vt noſtri principes huiuſmodi defectiones extimeſcere non debeant, vnde quærendum videri, an præceptum hoc inter ciuiles homines locum habeat. Ego vero reſpondens dico, etſi huius diſputationis origo non à militibus, ſed à Tiberii moribus erga populum proceſſit: adeo periculoſam rem eſſe, ab vno ad alterum extremum proſilire, vt pleroſque Romanorum adoleſcentum, à ſeruitute ad libertatem repẽte deueniſſe, tæduerit. [d] *Erant in Romana iuuentute* (inquit Liuius) *adoleſcentes aliquot, nec ii tenui loco orti, quorum*

[b] *6. de leg.*
[c] *lib. 17.*
[d] *lib. pr.*

in regno libido ſolutior fuerat, æquales, ſodaleſque adoleſcentium Tarquiniorum, aſſueti more regio viuere, eam tum æquato iure omnium licentiam quærentes, libertatem aliorum in ſuam ſe conuertiſſe ſeruitutem inter ſe conquerebantur. Mirum quidem fuit, vt communem libertatem ſeruituti poſtponerent. Verum neque Romana plebs ſuſpicione vacua erat, quin vel ob timorem belli, quod ob Tarquinios expulſos imminebat, vel ob regum memoriam eos in ciuitatem reuocaret: vnde Liuius inquit, Nunquam alias ante tantum terrorem Senatum inuaſiſſe: *nec hoſtes modo timebant, ſed ſuoſmet ipſi ciues, ne Romana plebs metu perculſa, receptis in vrbem regibus, vel cum ſeruitute pacem acciperet:* Sequiturque, *Multa blandimenta plebei per id tempus ab Senatu data.* Etenim populus inſtar ægrotantis alicuius, indignatur, fremitque, ſi in medio ſuæ febris ardore (noxia quamuis, atque mortalis) frigida non porrigatur. Et hoc illud eſt, quod Hebræi contra Moyſem murmurabant, flentes, quod non adeſſent Ægypti cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia, [e] inhoneſtam illam ſeruitutem, cui aſſuefacti erant, præponentes honeſtiſſimæ libertati, quam per inæſtimandos labores guſtare incipiebant. Vnde indubie comprehenditur, quam cautę in quauis mutatione agendum ſit; ſed multo magis, quoties a libero ſtatu atque ab immoderata licentia ad arctum, ſeuerumque vitæ genus tranſeundum eſt: cum hac in re neceſſarium ſit imitari medicos, qui medicinam minime porrigendam putant, niſi prius humores ad eam ſuſcipiendam bene diſponantur. Quo monito exequendo, cæterorum principum ſapientiſſimus, ac prudentiſſimus Veſpaſianus mihi viſus eſt: Hic ſiquidem poſt Galbę necē inter Othonis, & Vitellii ciuilia arma occupato imperio, dū militia corruptiſſima, dum pleriq; ducum ſceleſtiſſimis cupiditatibus addicti eſſent, ii præſertim, qui ad remp. capeſſendam plurimum opis ei præſtiterant; etſi moribus diuerſus, tamen ipſos non exaſperauit, quædam conniuentibus oculis aſpexit, aliquando eos, inſtar parentis, modeſtiæ admonuit, & reprehendit: quib. artibus minimo temporis ſpatio id conſecutus fuit, vt cum ſæculum omni fœditate corruptum, legumq; præſidio vacuum reperiſſet, idem filiis, ac ſucceſſorib. ſuis bonis omnibus auctum, ac perornatum reliquerit. Adnotandum eſt quam diligentiſſime (nullum enim diſputationib. noſtris finem pręſcripſimus, niſi vt alicui, quoad fieri poteſt, proſimus) quod de eodē principe tradit Suetonius. Siquidem, inquit, Mutianus notæ impudicitiæ, ſed meritorū fiducia minus ſui reuerentem, nunquam niſi clam, & hactenus retaxare ſuſtinuit, vt, tāquam apud communem aliquem amicum quærens, adderet clauſulæ, *ego tamen vir ſum:* quaſi diceret, Ego etiam, Mutiane, carne, & oſſibus, non ferro, lapidibuſvé conflatus ſum, ipſe quoq; iis voluptatibus, atq; oblectationib. allicior, quibus alii homines attrahuntur: attamen quia rationis in appetitum imperium ſubuertendum non eſt, æquitati congruit, vt appetitus rationi ſubdatur, illiuſq; frenos accipiat, ne in errorum foueas nos pręcipites dedat. Nemo inficiabitur, Aulæ Romanæ in melius mutationē à temporib. Pauli Quarti ſeueriſſimi, atq; integerrimi Pontificis incepiſſe, propagatam aliquantum à Pio IV. à Pio V. mirum in modum amplificatam,

[e] *Num. c. 11.*

catam, mitigatam aliquo modo à Gregorio, præſentis autem Pontificis primo conatu ornatam fuiſſe:nihilominus tamen nonnullorum fuit opinio, potuiſſe fortaſſe Pontificem Paulum Quartum initio patientius, ac mitius agere: etſi eiuſmodi ſane morum erat, vt verbis rigidus, ad ferrum, & ſanguinẽ nullus principum difficilius, tardiuſque, quam ille, deuenturus eſſet.

Conſilium, tempeſtiue ſuſceptum, ſalutem exercituum, & ſexcenta alia bona efficere poſſe.

DISCVRSVS IX.

QVicunq; ſubditis, atq; improuiſis aduerſitatib. prompta, atq; opportuna adhibere ſubſidia norit, is profecto vtroq; pollice laudandus, & veræ virtutis titulo inſigniendus eſt. Cęcina legionum Germanicarum legatus, vir, qui quadrageſima parendi, & imperitandi ſtipẽdia habebat, cũ videret milites vano quodã terrore conſternatos, &, quaſi irrupiſſent Germani, ruentes ad portas, *quarum decumana maxime petebatur, auerſa hoſtib. & fugientib. tutior*: poſtquam comperit, vanam eſſe formidinẽ; nec tamen autoritate, neq; precibus, ne manu quidẽ obſiſtere, aut retinere militem quiret, proiectus in limine portæ, quemadmodũ ante ipſum quodam ſimili caſu Pompeius effecerat, [a] miſeratione demũ, quia per corpus legati eundum erat, clauſit viam. [b] Huiuſcemodi conſiliis reuera dici poteſt, vnum hominem virtute, atq; induſtria ſua vniuerſo exercitui ſalutem afferre: quorum conſiliorum quo minus ars, & regula vlla certa conſtitui poteſt, eo magis, opportune capta, in cœlum efferenda, atque exaltanda videntur. Solebant in aſperis bellis Romani, quo neceſſitatem pugnandi militibus iniungerent, ſigna adempta ſigniferis in hoſtes inÿcere; cuius rei meminit Liuius, [c] in periculoſo illo bello, quod inter Romanos, & Boios geſtum eſt, in quo vndecim Gallorum millia, quinque Romanorum occiſa ſunt, captumque fuit id conſilii à Q. Victorio primipili centurione, & à C. Atinio Trib. mil. quod quidem perutile euaſit. Et apud autorem noſtrum ſimiliter Antonius Primus *raptum vexillum in hoſtes vertit*, quo pudore milites retere hoſtibus, & victoria parta eſt: [d] Non deſunt ætate noſtra huiuſmodi exempla. Magnus Magiſter Hieroſolymitanus cognomine Valletta, cum intelligeret, cohortem Turcicam iamiam in ciuitatem irrupturam, ipſe vna cum iam plurimis ſuorum in foro ſub armis degens, quo rebus neceſſariis ſubueniret, ad cæteros conuerſus, vultu firmo, animoque intrepido, Eamus, inquit, fratres, extremum hoc officium, quod Religioni noſtræ debemus, exſoluturi, & o viribus enitamur, ne hoſtibus hæc victoria penitus læta obtingat. Nullum dubium eſt, quin hæc pauca verba, idque ſaluberrimi conſilii, ab optimo illo ne opportune ſuſcepti, ciuitati ſalutem peperit, & ab hoſte Melitam inſulam ndicauerit. Vt in militaribus geſtis, ſic in quacunq; re cernimus, verbum temtiue prolatum, bonum conſilium ſubito ceptum, nutum, aut motum cum icio per actũ mirifice proficere. Auguſtus in nepotum ſuorũ muneris exhibine, cum conſternatũ ruinæ metu populũ retinere, & confirmare nullo modo poſſet,

[a] *Plut. in Pom. in prima.*
[b] *Tac. lib. 1.*
[c] *lib. 34.*
[d] *lib. 19.*

poſſet, tranſiit è loco ſuo, atq; in ea parte conſedit, quæ ſuſpecta maxime erat, & tumultus ſedatus eſt. [e] Quod Maumeth trium Impp. Viſirium initio exaltauit, illud fuit, quod cum epiſtola Solimano è feneſtra nō multæ altitudinis in hortos cecidiſſet, cæteris per ſcalam ad eam tollendam properantibus, ipſe è feneſtra ſe proiecit, omniumque primus ad ſuum principem epiſtolam tulit. Ad noſtrum mihi Tacitum reuertendum eſt, vt eos, qui in comitatu principum ſunt, autoritate omnium ſuo tempore ſapientiſſimi viri commoneam, quo pacto ſe in quibuſdam gerere debeant. Sedebat Nero pro tribunali, legatos Armeniorum auditurus, cum Agrippina, ambitioſiſſima fœmina, ex tempore aduenions, eſcendere ſuggeſtum Imperatoris & (quæ res inſueta Romanis, exemplique peſſimi fuiſſet) præſidere ſimul parabat: niſi cæteris pauore defixis, Seneca admonuiſſet, venienti matri occurreret: *ita ſpecie pietatis obuiam itum dedecori.* [f] Iterum ſapientiſſimus idem, ac prudentiſſimus vir animaduertens, Agrippinam ardore retinendæ potentiæ eouſque prouectam, vt ad inceſtum pelliceret filium; contra muliebres illecebras ſubſidium à fœmina petiit, immiſitque Acten libertam, quæ ſimul ſuo periculo, quia Neronis voluptatibus ſe immiſcebat, & infamia Neronis anxia deferret, *promulgatum eſſe inceſtum, gloriante matre, nec toleraturos milites profani principis imperium.* [g] Qui horum conſiliorum ignarus eſt, ad ea confugere nequit: vnde miſeratione digni principes ſunt, qui cum huiuſmodi ſapientes viros penes ſe habere poſſint, malunt improbos, nulliuſque experientiæ homines alere, quemadmodum Tacitus Vitellio exprobrat: Qui maximum Pontificatum infauſto Romanis die adeptus, *omnis humani diuiniq; iuris expers, pari libertorum, amicorumq; ſocordia, velut inter temulentos agebat.* [h] Verum ſi quis mihi obiecerit: Neronem, qui adoleſcentulus erat (ne de Vitellio iam ſene loquamur) nihilo ſapientiorem, melioribuſve moribus imbutum fuiſſe; Reſpondebo, At ſaltem iis ipſis malis obuiam itum eſt. Quod ſi Nero tot documentis malam ſuam naturam non correxit, quid faciēt illi, qui malis naturę ſuæ principiis ac propenſionibus peſſima documenta adiunxerint?

[e] Suetonius in Aug. c. 43.

[f] lib. 13. circa princ.

[g] lib. 14. in princ.

[h] lib. 18.

Quam modeſte Romani, in extrema licet neceſſitate conſtituti, oblatis auxiliis vſi fuerint.

DISCVRSVS X.

ETſi Romanorum mores diuerſis temporibus maxime mutabantur, videmus nihilominus nunquam ab ipſis quandam eius nationis propriam magnanimitatem in rebus agendis, depoſitam fuiſſe: præterquam quod in quibuſdam rebus eadem inſtituta vno tenore obſeruare comperti ſunt. Duæ legiones, quas legatus P. Vitellius ducebat, in quodam terreſtri itinere propter incrementum Oceani, haud minus miſerabilia damna perpeſſæ fuerant, quam ſi hoſtis circumſediſſet: Ad quæ ſupplenda certauere Galliæ, Hiſpania, Italia: quod cuique

promptum,

promptum, arma, equos, aurum offerentes: Refert autor, [illegible]*m in laudato ſtudio, Germanicum, armis tantum & equis ad bellum ſumptis, propria pecunia militem iuuiſſe.*[a] Magni principes tempeſtate noſtra non ſolum ſumunt, quod à tenuioribus offertur, ſed non oblatum importune petunt: acceptum nunquam reſtituunt: negatum moleſte ferunt, & iniuriam interpretantur. Proinde iuuat hanc Germanici actionem ſimilibus antiquæ reip. geſtis confirmare, vt ſi forte princeps aliquis in hæc legenda inciderit, cognoſcat, quo pacto impotentiores ad ſubueniendum potentiorum neceſſitatibus modeſtiæ artibus, non importunitate atque indiſcretione inducantur. Gerebant cum Carthaginenſibus Romani bellum, inſidente in Italia Annibale, qui ad Traſimenum maximam iis cladem inflixerat. Quibus pecuniæ indigentibus, Neapolitani eximia liberalitate legatos Romam miſerunt: ab iis quadraginta pateræ aureæ magni ponderis in curiam allatæ, atq; ita verba facta, vt dicerent, Scire ſe, Romani populi ærarium bello exhauriri, & cum iuxta pro vrbibus agriſq; ſociorum, ac pro capite atq; arce Italiæ vrbe Romana, atq; imperio geratur: æquum cenſuiſſe Neapolitanos, quod auri ſibi cum ad ipſorum ornatum, tum ad ſubſidium fortunæ à maioribus relictum foret, eo iuuare populum Romanum: ſi quam opem in ſeſe crederent, eodem ſtudio fuiſſe oblaturos: gratum ſibi patres Romanos populumq; facturū, ſi omnes res Neapolitanorum ſuas duxiſſent, dignoſque iudicauerint, à quibus donum animo ac voluntate eorum, qui libentes darent, quam re maius, ampliuſq; acciperent. *Legatis gratiæ actæ pro magnificentia, curaq; patera, quæ ponderis minimi fuit, accepta.*[b] Eodem modo legatis Peſti pateras aureas afferentibus, *gratiæ actæ, aurum non acceptum.*[c] Viginti quinq; circiter poſt anni[s] cum bellum contra Antiochum agitarent, bellumq; indeterminato cibo, vt quidam prudenter dixit, aleretur, non defuerunt, qui ſubſidia atq; auxilia maximi momenti obtulerunt. Sub illud enim tempus legati ab duobus regibus Philippo & Ptolomæo Ægypti rege Romam venerunt, pollicentes ad bellum auxilia, & pecuniam, & frumentum. Ab Ptolomæo etiam mille pondo auri, x x. millia pondo argenti allata. *Nihil eſt acceptum, gratiis regibus actæ:* & cum vterq; ſe cum omnibus copiis in Ætoliam venturum, belloq; interfuturum polliceretur, Ptolomęo [id] remiſſum. Philippi regis legatis reſponſum; *Gratum eum Senatui P. Q. R. facturum, ſi M. Acilio Cos. non deſuiſſet.* Item ab Carthaginenſibus, & Maſaniſſa rege legati venerunt. Carthaginenſes tritici modiûm mille, hordei quinquaginta millia ad exercitum, dimidium eius Romam apportaturos polliciti ſunt. Id vt ab ſe munus Romani acciperent, petere ſe, & claſſem ſuorum ſuo ſumptu comparaturos, & ſtipendium, quod pluribus penſionibus in multos annos deberent, præſens omne daturos. Maſaniſſæ legati quingenta millia modiûm tritici, trecenta hordei ad exercitum in Gręciam, Romam treceta millia modiûm tritici, c c. quinquaginta hordei; equites quingentos, elephantos x x. regem ad M. Acilium Cos. miſſurum. *De frumento vtriſq; reſponſum: ita vſurum eo Populum R. ſi precium acciperent. De claſſe Carthaginenſibus remiſſum, præterquam ſi quid nauium ex fœdere deberent: de pecunia ita reſponſum: nul-*

[a] *l. ſr.*

[b] *lib. 22.*

[c] *ibidem.*

D *lum*

[d] lib 36. *lam ante diem ac. c[illegible]os.* [d] Magnanima etiam laudabiliſque actio fuit illa, cum Saguntini Carthaginenſes quoſdam Romam miſiſſent, qui nō contemnendam pecuniæ ſummā ſecum habentes in Hiſpaniam militum conſcribendorum cauſa venerant; nam Romani Carthaginenſibus in cuſtodiam miſſis, pecuniā Saguntinis reſtitui voluerunt, quos, muneribus additis, & commodatis nauibus domū remiſerunt. [e] Armenus duplum Cyro, quam promiſerat, exſoluit: at Cyrus illud tantum accipit, quod primo decretum fuerat. [f] Vnum à præſentibus principibus mihi opponi poſſet; fortaſſe id Romanos effeciſſe, quod eos nulla premeret neceſſitas. Ego vero reſpōdeo, ſi hoc ita ſe habet, ergo ipſi etiam tales mores & inſtituta viuendi retineant, præſertim ſumptibus moderando, vt cum bella, qualia Romani gerebant, ſuſtinenda ſunt, alicuius ope ne indigeant.

[e] lib 30.
[f] Xenop. l.3.

De ærario militari.

DISCVRSVS XI.

QVicunq; diuturnam rei alicuius durationem deſiderat, is nihil eorum, quæ ipſum adiuuant, fulciuntque, omittere, & ſingula ſtabilire debet. Neq; enim regnorum pax & conſeruatio ſine adiumentis quamplurimis, vtq; inquit autor, *neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendijs, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* [a] Proinde niſi certos reditus aliquos militibus alendis, qui te, ditionemque tuam armis tueantur, deſtinaueris, de toto tuo ſtatu nunquam non ambiges: Quod ſi Romani, qui cæteros principes viribus longe anteibant, ad hæc declinare conſilia coacti fuerunt, vide, an tibi id oneris competat, qui neque ſapientia, neque virtute, neque potentia, quibus Romani abundabant, iis comparandus es. Auguſtus Imperator, cuius prudentia cæteris mortalibus excelluit, hæc optime perſpiciens, in Senatu propoſuit, vt militibus ſuſtentandis certi perpetuiq; reditus ſtabilirentur; quo ſine quotidianis tributis, & iniunctis oneribus, ſtipendia ipſis perſoluerentur. Quæ res quamquam mirificis implicata difficultatibus, tamen effectum ſortita eſt, cum legem tulerit, qua decreuit, vt viceſima omnium hæreditatum ac legatorum, exceptis iis, quæ pauperum & cognatorum fuiſſent, ærario militari inferrentur. Hoc viceſimæ nomine appellatus fuit hic reditus ad militaria ſtipendia perpetuo adſcriptus, vt refert Dion, [b] atque rogatus a Populo Roman. Tiberius, vt hanc viceſimam tolleret, recuſauit, inquiens, *militare ærarium eo ſubſidio niti.* [c] Si nihil aliud diſcurſibus hiſce meis à principibus, & rebuſpubl. quam vt iſtud ærarium militare inſtituerent, impetrarem, næ egregie me omnem collocauiſſe operam meam, exiſtimarem. Verum quoniam poſſet me quis interpellare, cum in præſentia tributorum, ac vectigalium onera populis pene intoleranda ſint, neque noua iis imponere deceat, expediatve, ecquam rationem ipſe ad hoc ærarium conficiendum potiorem iudicem? Reſpondeo, ſi princeps reditibus, ſubſidiiſque, quos perennes atque ordinarios habet, ſolis contentus fuerit, me nihil eidem de iis detractum eſſe, ne-

[a] Tac. lib. 20.
[b] lib 55.
[c] lib. pr.

ſe, neque populos quidquam grauari velle: ſed expeditiſſimum foret conſilium, ſi ærario huic militari omnes ciuium mulctas, item ſubditorum, ac vaſallorum bona, quæ fiſco debentur, item quæ ad principem ſiue delicti, ſiue lineæ & agnationis defectus cauſa, ſiue quouis legitimo pacto deuoluuntur, addiceret. Quod ſi quis adderet, quoslibet reditus ad conſuetos, & ad inſuetos, ſiue ad ordinarios, & ad extraordinarios redigi, neque principes extraordinariorum redituum vſu priuandos eſſe, huic nihil reſponderem, niſi quod incumbant diligenter, pergantque ſtrenuam operam nauare, vt quamplurimam quoquo modo per fas, & nefas congregent pecuniam, qua hoſti, à quo aliquando debellabuntur, chariores euadant, quemadmodum de Perſeo proditum eſt, qui in tota vita nihil aliud curauiſſe viſus eſt, niſi vt opibus quam cumulatiſſimus in Romanorum poteſtatem deueniret.[d] Hoc ærario militibus præmia diſtribuentur. Et quoniam æquitati conſentaneum eſt, vt ne belli quidem tempore princeps ſuis ordinariis reditibus careat, hoc caſu, quia (quemadmodum Romanorum mos erat) nulla conferenda ſunt præmia, niſi in eos, qui vicena ſtipendia emeriti fuerint; explorati iuris eſt, quandocunq; inter decem millia militum præmium obtinuerit millenus numerus, reliqua nouem millia militum ſumma alacritate ac promptitudine pro rep. militatura eſſe, nimirum facile expectabunt, donec paullo ante ſe emeritis ſubrogentur. Neque enim quemquam fugit, etiam Meliteníes equites ita gubernari, vt vix decimus quiſque bona publica, quæ Commendæ vocantur, poſſideat. Quod ſi princeps, verbi gratia, decies centena millia aureorum in reditibus annuis habeat, & mille milites ſtipendiarios alat, nulla mihi videtur difficultas, ad remunerandos veteranos centena millia deſtinare, neq; hoc pacto ex illo milleno numero quiſquam male ſuam operam locauerit (ſi modo fieri poteſt, vt hic numerus poſt annos viginti integer ſupereſſe poſſit) cum centum aureos viritim, quoad vixerint, annuatim accepturi ſint. Verum quia (vt mea fert opinio) viginti annorum ſpatio decem millia militum adeo decreſcunt, vt ex iis difficillime poſſint mille ſuperſtites eſſe: aſſero, in hoc minori numero principes tanto opulentiorem habituros remunerandi occaſionem. Quo caſu emeriti illi, quaſi otiantes aulici, pacis tempore principem comitari ac deducere, atque honorificentiſſima quæque obſequia præſtare minimo eiuſdem diſpendio poterunt. Quandoquidem is, qui vicena ſtipendia exegerit, fieri non poteſt, quin centurionis, alteriuſve militaris dignitatis gradum non fuerit conſecutus, vnde adaucto titulo, & lucro honeſtius principi deſeruiet. Quod ſi ad nullum forte gradum promotus foret, tunc, quia princeps ad arces cuſtodiẽdas militibus indiget, quod ſtationis genus, vtpote ſub tecto, commodius eſt; inde eam ſaltem habebit commoditatẽ, vt in iiſdem arcib. eos ſine theſauri ſui diminutione collocet; cumq; nondũ ſenio fracti ſint, proletarii fieri poterunt, iiſque gaudere immunitatibus, quæ oppidanis ſtationariiſve militibus debentur. Sed cur nos adeo exquiſite vtilitates, quæ ex hoc inſtituto principibus emanare queunt, differimus (quamquã principis, ſuę-

[d] *Liu. lib.* 44

que ditionis ex paratis militibus munimentum minime conſiderauimus) ſi deficientibus iis, ad quos præmia ea pertinent, in ordinarios ſumptus, qui bello & pace impenduntur, vniuerſi illi reditus conuerti poſſunt? Quod ſi forte militaris ærarii nomen vt renouaſſe dicaris, haud tibi probatur, reminiſcere ſapientis officium principis non eſſe, pecuniaria ſubſidia pro impendentibus neceſſitatibus neglexiſſe: cum paſſim legamus, Romanis eam curam præcipuam fuiſſe, adeo vt bellis eorum nunquam non abunde pecunia ſuffecerit, & manifeſtum eſt, à C. Tiberio, qui tres & viginti annos in imperio vixit, relicta fuiſſe ſexageſies ſepties centena, quingenta aureorum millia. Quę cũ ita ſe habeant, cur diſſidis, te quoq; pro viribus, quantum ſat eſt, aggregaturum? Neq; tamen tria ſecula præterierunt, cum Iohannes huius nominis XXII. ſpatio octo & decem annorũ, quibus in Pontificatu ſedit, vigeſies quinquies centena aureorum millia coaceruauit. Et Sixtus V. noſtris temporibus, præterquam quod ingentia exſtruxit ædificia, triremes exornauit, pyramidum moles erexit; immenſos erogauit theſauros, deciesq; centenis millibus in ærarium congeſtis, ipſos annos, quibus in Pontificia ſede vixit, exæquauit. Quę omnia ſi quis diligenter penſitauerit, non eſſe rem omnino ſuperfluam, vt huiuſmodi ærarium militare erigatur, exiſtimabit.

Cur Tiberius magiſtratus prorogaret, deq; incommodis, quæ ex eorum prorogatione naſcuntur.

DISCVRSVS XII.

POſtquam Poppęo Sabino prouinciam Mœſiam, additis Achaia & Macedonia, prorogatam fuiſſe recenſuit, ſubiungit autor, *id morum Tiberij fuiſſe, continuare imperia, ac pleroſq; ad finem vitæ in iiſdem exercitibus aut iuriſditionibus habere.* Cuius inſtituti cauſas exquirens, plures adducit: Putabant enim alii *tædio nouæ curæ ſemel placita pro æternis ſeruauiſſe: quidam inuidia, ne plures fruerentur:* exiſtimauerunt alii, *vt callidum eius ingenium, ita anxium iudicium, neque enim eminentes virtutes ſectabatur, & rurſum vitia oderat: ex optimis periculum ſibi, à peſſimis dedecus publicũ metuebat:* qua hæſitatione poſtremo eo prouectus eſt, vt mandauerit quibuſdam prouincias, quos egredi vrbe non erat paſſurus, [a] in rebus item priuatis idem effecit, miniſtris diutiſſime vtebatur, adeo vt pleriq; iiſdem muneribus conſeneſcerent. [b] Quæcũq; fuerit ratio, quæ Tiberii animũ ad prorogãdos magiſtratus impulerit, ex autoris verbis ſingulas cauſas ex vitiis originẽ trahere cognoſcimus; nam prima pigritiã, altera calliditatem, tertia pigritiam, ſimul & imprudentiam præſeferebat: nam ſi improbi diſplicebant, *& vitia oderat,* bonos & virtute pręditos inquirere debebat: quod ſi ii boni erãt, eos diligere, eos in oculis ferre, iiſq; fidere debebat, nõ odio habere, neq; illos mutare, ſi ab iis cauendum nõ erat. Noſtri principes quia longis ſucceſſionib. hęreditaria regna obtinẽt, nõ adeo ſuſpicionib. ducũtur, vt ea ſibi abripiãtur: quemadmodũ Ro. Cæſares nunq̃ nõ expaueſcebant. Proinde ſi imperia & magiſtratus cætera munera prorogant, id faciunt,

[a] lib. 1. in fine.

[b] l. 4.

ciunt, vel quia laborem refugientes, beneficiis plurimos afficere nolunt, vel quia crebras miniſtrorum in ipſo famulandi feruore mutationes inutiles eſſe putant: vnde pulcherrima illa M. Popilii Lænatis ſententia prodiit: *Interrumpi tenorem rerum, in quibus peragendis continuatio ipſa efficaciſſima eſſet, minime conuenire: Inter traditionem imperij, nouitatemq́, ſucceſſoris, quæ noſcendis prius, quam agendis rebus imbuenda ſit, ſæpe bene gerendæ rei occaſionem intercidere.* [c] Quibus de rebus nullam merentur excuſationē, quia, ſi hoſce miniſtros ob merita virtutis ad magna munera, vtq; dicitur, *per gradus, & non per ſaltum,* promouiſſent, nequaquam foret iis ambigendum, quin in gubernationibus quibuscunq; etiam nouis parem operam præſtituri ſint: propterea quod omnes magiſtratus, & munera habent inter ſe proportionem, ſimilitudinemq́; aliquam, & in paucis admodum differre conſueuerunt. Et quanquam Hiſpanorum mores à Gallorum moribus diſcriminentur, vnde quis fortaſſe putet, legatos in Galliam miſſos, quia magis eius prouinciæ, principumque negotia callent, in ipſa Gallia permanere, ibique conſeneſcere, ſatius eſſe, quam eoſdem in Hiſpaniam mittere, vbi cuncta iis noua futura ſint: affirmo, hoc pacto nihil in vtilitatē vel principis, vel ſubditi proficí poſſe. Etenim Princeps miniſtros rerum ciuilium minus intelligentes habebit, & ſubditus in earundem ignoratione perpetuo verſabitur, præterquā quod hac in re (vt prouerbio dicimus) aquam, non grandinem poſco: neq; enim improbo, ſi paucos aliquot annos munera plus minusve prorogētur, ſed illud improbo, cum ad ſenium, & plerunq; ad extremum vitæ ſpiritum detinentur. Præterea magnam conſtituo differentiam inter miniſtros, qui arma gladiumque, an qui linguam, ingeniumq́; exercent, item inter eos, qui populos & pecuniam, an qui neutrum, vt oratores, gubernant. Cæteris principibus, præterquam quod illud inſuſurro, *Qui regnandi onera detrectat, regnandi commodis indignum videri,* affirmo, ipſos toto cœlo totaq́; terra errare, quia, dum plurimos beneficiis afficere & promouere nolunt, quo more multis amabiles eſſent: paucis prodeſſe malūt, vnde in odia multorum incurrunt. Quod ſi aliqui inhumaniter adeo ſtolideque regnantes inueniuntur, qui à populis aut amari, aut odio haberi nihil morentur, iſtis aperiendum oſtendendumq́; eſt, non carere ipſos iis periculis, quæ illis impendere conſueuerunt, qui humano generi exoſi habentur. Quandoquidem quod nuper in Gallia acciderit ideo, quia beneficia, dignitates, totiusque regni autoritas, muneraq́; ad paucos redigebantur, non ignoramus: ſed quia ſingularia huiuſmodi exempla afferre odioſa res eſt, generatim ipſe diſſertabo, neque ab antiquis diuagabor, quæ cum vnuſquiſque ſibi ſuiſque caſibus adaptare poſſit, vt ſuo quiſq; modo ea perpendat, in medio relinquam. Dico igitur, ſi respublicas conſiderare malimus, Romam in primis ob ſolam imperiorum prorogationem ſeruituti mancipatam fuiſſe. Neq; Cenſorius Cato ceſſauit vnquam Romanos arguere, cum iiſdem hominibus differri, ac prorogari magiſtratus cernebat, illudq; vſurpabat, *alterutrum concedendum eſſe, oportere à Romanis vel magiſtratus ipſos paruifieri, vel paucos iiſdem magiſtratibus idoneos ſubminiſtrari poſſe.* [d] Et

[c] *Liu. lib. 41*

[d] *Plut. in Cat. Cenſ.*

Mamercus Dictator magnam eſſe reip. cuſtodiā credidit, *ſi imperia magna diuturna non eſſent.* [e] Si de principatu loquimur, nihil vtilius eſſe poteſt, quam quod Cæſar, cum ex bello Africano Romam reuerſus eſt, lege præſcripſit, vt *neq; prætor annum excederet, neq; Conſul diutius, quam biennio imperium continuaret*: Memoria ſiquidem, vt inquit Dion, [f] recolebat, nihil ęque ſuum ipſius animū dominandi cupiditate inflammauiſſe, & ad celſitudinem illam, in qua erat, euexiſſe, quam quia tot annos imperium continuauerat in Gallia. Inter laudes, quæ Auguſto tribuuntur, hæc illo digniſſima fuit, quod noua munera excogitauerit, quo plures reip. gubernationis participes forent. [g] Contra, nemo ob huiuſmodi prorogationes maius periculum nactus eſt, quam ipſe Tiberius, de quo diſſerimus: Quandoquidem cum imperiorum prorogatio paucitatem nutriat, multitudinem excludat, eo prouectus eſt, vt, vno Seiano ad munia publica ſingula cooptato, & affinis, ſocii, ſui ipſius titulis cohoneſtato, parū abfuerit, quin idcirco imperium, vitamq; perdiderit. [h] Hoc exemplo debebat ſaltem edoceri: & nihilominus, cum ſimiliter Macronem efferre, & ad vnum omnia iterum redigere ſtuderet, ab ipſo ceruicalibus ſuffocatus eſt. [i] Hæ ſunt vtilitates, quas inde tam principes, quam priuati colligunt. Et reuera niſi cætera mala ſuccederent, hoc ſaltem euitari nō poteſt, quod ſapientes, nedum temerarii, atq; imprudentes homines, cum ſeſe ſolos reip. curandę præfectos cōſiderant, difficilius intra modeſtię cancellos ſeſe continēt; arguentes, cæteris ideo ſe præferri, maximique momenti res in rep. adminiſtranda ſibi ſolis communicari, quia cęteris ſapientia antiſtent. Sed Q. Fabius Maximus, qui vere ſapuit, cum ſe Conſulem quintùm, & patrem, auum, proauumque eo honore ſæpe cohoneſtatos fuiſſe, cerneret, cumque animaduerteret, id vnum Populum Rom. curare, vt etiam filius eius eandem conſequeretur dignitatem, Senatum conſtanti, vehementique ſtudio obſecrauit, vt Fabiæ genti Conſulatus amplius ne deferretur, non quia filium, qui propter virtutem, reſque geſtas eo digniſſimus erat, indignum putaret, ſed ne ſummum illud imperium in vna tantum domo continuaretur. Hæc ego in medium afferenda duxi, vt, ſi minus principes hunc ſcopulum cauerint, ſaltem ii, qui hanc fortunam conſequuntur, eam opportuno tempore moderari, & nimia onera detrectādo, ſeſe in tuto collocare, cōdiſcant: memores, ſi Fabius id in rep. optime morata in filio, domoq; ſua, cui omnes honores vſitati, debitiq; erant, effectum voluit; quanto magis idem ab iis exigendum eſſe, qui perſæpe noui hominęs, aliquando aduenæ, neque raro virtute deſtituti, ſed ſolo principis furore promoti, eidem fortunę leuitati ſubiiciuntur, quę ipſos extulit? quemadmodum in Seiano, plurimiſque aliis, quorum hiſtoriæ meminerunt, obſeruare eſt.

[e] *Liu. l. 4.*
[f] *Dion lib. 58.*
[g] *Sueton.*
[h] *Dion l. 58.*
[i] *Tac. l. 5.*

FINIS PRIMI LIBRI.

SCIPIO-

SCIPIONIS AMIRATI

DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM

IN C. CORN. TACITVM,

LIBER SECVNDVS.

An venandi ſtudium Principem virum deceat.

DISCVRSVS I.

POſtquam ſermonum noſtrorum, veluti quandam ideam, Romanos aſſumpſimus; non inutiliter, an Princeps venationis ſtudioſus eſſe debeat, inquiſiuerimus: nam Romani ab eo ſtudio alieni fuerunt, externi vero principes vel maximam eidem operam impenderunt. Vnde ex Arſacidarum familia Vonones Romæ educatus, Rom. morib. inhærens, ad ſuos reuerſus, odio habitus eſt, inter cętera quia *raro venatu* vtebatur.[a] Contra, Zeno Polemonis regis Ponti filius Armenorũ gratiam ſibi conciliauit, *quod prima infantia instituta: & cultũ Armeniorum æmulatus, venatu, epulis, & quæ alia barbari celebrant, proceres, plebemq́; iuxta deuinxerat.*[b] Artabanus Parthorum Rex non modo venator fuit, ſed maximã ex venatione hauſit vtilitatem, quia ſpoliatus à ſuis principib. regno, coactus eſt viuere, *alimenta arui expediens.*[c] eiuſdem gentis regi Bardani arriſit adeo venatio, vt eius vitæ inſidiatores nunquã eum, *niſi incautum, venationiq́; intentum* interficere potuerint.[d] Imperator Adrianus excellens fuit venator.[e] Neq; dubiũ eſt, quin Macedonũ, Perſarumq; reges ante Parthos venatores fuerint: qua in re exẽpla congerere neglexímus, ne nimium ſapere velle videamur. Verũ ſi Romę tam principum, quã plebis mores inueſtigauerimus; vbi ad vnum omnia cõuerſa fuerunt, neminẽ vena-

[a] *Tac. l. 2.*
[b] *ibidem.*
[c] *lib. 5.*
[d] *lib. 11.*
[e] *Caſſius Nicę.*

tione oblectatum fuiſſe,comperiemus,imo eam apud Salluſtium *ſeruilibus officijs* annumeratam fuiſſe,legemus. [e] & mirandum eſt, Auguſtum quandoque hamo piſcatum fuiſſe. [f] Quod ſi Gn. Pompeium legimus aliquot dies in Africa venationi operam dediſſe, id factum eſt, quemadmodum Plutarchus eleganter interpretatur,*ne etiam Lybicæ feræ Romanæ felicitatis, atque virtutis ignaræ relinquerentur.* [g] Exploratiſſimum illud eſt, à Tiberio quendam legionis legatum infamia notatum eſſe,*quia paucos quoſdam milites venatum miſiſſet.* [h] Cuius rei cum aliqua ſit reddenda ratio,multæ mihi ſeſe offerunt.Primo, quia cum in Rep.domi,foriſque,in pace,in bello numquam nō occuparentur, nullam ad hanc exercitationem illis otium ſupererat, quemadmodum in præſentia Venetos cernimus nullam in venando laudem promereri;nam,cum quis reip.gerendæ ſe totū addicit,perinde eſt,ac ſi arti alicui operoſiſſimæ ſeſe dedat,vt iuriſprudentiæ, ſiue medicinæ,ſiue mercaturæ, & ſimilibus,quæ intermitti nequeunt.Præterea cum ſuburbia Romæ longe,lateque extenderentur,villis,hortis,deliciis impedita; feras perſecuturum neceſſario valde procul ire oportebat: quod quia maximæ foret incommoditatis,derelictam ideo fuiſſe venationem, veriſimile eſt. Tertio cum venationi idonea adoleuerat ætas, tunc omnis ordinis Romana iuuentus ad bellum properabat,neque Romanis vnquam bellandi occaſiones defuerunt. Quarto Populus Rom.tot ſpectaculis,ludiſque in vrbe recreabatur, comœdiis, gladiatoribus, funambulis, ferarum exhibitionibus, naumachiis, vt iure merito venationis obliuio,atque contemptus irrepſerit. Nam Cæſar continuos quinq; dies populum ferarum ſpectaculis detinuit. [i] Et Auguſtus feras, quæ ab aurigis ſumma dexteritate interficerentur, in Circo exhibuit. [k] Sic cæteri Impp. [l] Præterea cum Romani multas haberent domi militares exercitationes,vt foris,& in agro bellorum ſimulachra maximo cum incommodo quærerent, neceſſe non habebant. Ex quibus elicimus,ab equitibus, & ab Impp.Romanis venationem deſpicatui ductam fuiſſe magis ob eas cauſas, quas recenſuimus, quam quia eam principe indignam exercitationem eſſe, arbitrarentur. Proinde cum Romanorum exemplum nihil nobis obſtet, diſcutiendum modo eſt, an re vera militaris hæc, & digna principe ſit exercitatio. Quod ſi autoritate Xenophontis credimus,indubitata res eſt, nullam artem, ſtudiumq; ad bellum magis referri, quam venationem,cum homines hæc vigilantes, algoris,atque caloris patientes reddat,aſſuefaciat itineribus,in curſu,in feriendo exerceat, animum,corpuſq; confirmet,& contra ferociores beſtias intrepidos, ſimulque cautos faciat, neceſſitate plerunque cogente, vt ſalutis ſuæ cauſa ipſas aut feriat, aut interficiat. Accidit etiam,vt eo ſtudio illecti venatores, cibo derelicto, ſobrietatem colant,cumque in bello fuerint, inde ſiti,fameque tolerandæ aptiores euadant. [m] Non defuit autor,qui hac de re excellenter diſſeruit, oſtendens, venationem principi vtiliſſimam eſſe,cum vt corpus laboribus, & incommoditatibus aſſueſceret, tum,vt montes vbi ſurgunt, valles vbi conſidunt, planities vbi extenduntur, & contrahuntur,fluminum,paludumque, & quorumcunque ſituum naturam ediſceret, Quod,inquit, dupliciter principi prodeſſe,cum quia hac meditatione ſitum ſuæ

[e] *Salluſt.in proœm.*
[f] *Sueton.c.83.*
[g] *Plut.in Pomp.*
[h] *Suet.in Tib.*
[i] *Suet. in Cæſ.*
[k] *in Aug.*
[l] *in Galba.*
[m] *Cyrop.li.1.*

ditionis callebit, vnde quomodo ab hoſte defendi poſſit, intelliget; tum etiam quia hoc exemplo in aliorum ſituum, & regionum notitiam facilius deueniet, cū ex quandam inter ſe habeant à natura ſimilitudinem. Quæ cognitio ad exercitus ducendos, ad ſtationes eligendas, & occupandas, ad anteuertendum hoſtem, & ad plurima permultum confert, & ingentes commoditates parit. Verum quia venatio allegoricos pleroſq; ſenſus recipit, diuerſeq; poteſt conſiderari, neque omnis venatio principem decet, aut etiam poteſt ipſius intereſſe, ne ſubditi quacunque venatione vtantur: aut fortaſſe eidem valde conduceret, ſi inter venandum aliquando intra ſe ipſum philoſopharetur, nō abs re fuerit, venationis ſpecies diſtinguere: Nam cum homines non minus, quam feras venari dicamur, & rurſus hominum venatio, aut fera, aut manſueta, aut profana, aut ſacra ſit, præcipue cauendum eſt, vt ſacra venatio quam rectiſſime procedat. Sicuti enim in quibusvis ditionibus falſa doctrina diſſeminata plurimas inuehit calamitates, vt nos alibi diſſeruimus, nullam ſcilicet religionis mutationem permittendam eſſe.[n] Sic quicunq; ſanam doctrinam docent, ii populos reddunt manſuetiores, amorem iuſtitiæ innutriunt, & proſcribentes vitia, ciuitates virtutibus moribusque optimis, vnde pax & tranquillitas conſequitur, exornant, excoluntq;. Vnde etiam in ſacris literis non minus fit mentio *de laqueo venantium*, [o] quo falſa doctrina ſignatur, quam de piſcatione hominum, qualis ſana doctrina eſt, *faciam vos piſcatores hominum.* [p] Verum profana quoq; venatio ſuis non caret conſiderandi generibus, quæ cum aut honeſtum, aut vtile, aut iucundum ſequatur, cumq; (excepta virtute, ſiue honeſtate) non minus vtile quam iucundum poſſit honeſti, vel inhoneſti naturam induere, vnuſquiſque minimo negotio, quæ commendanda, quæve improbanda ſit, intelliget. Nam ea vtilitas, quæ ex honeſtis artibus colligitur, prodeſt ciuitatibus, perinde atq; nocet illa, quæ ex corrupto aliquo vitiorū fonte profluit, vtputa lenonum venatio, ſimiliumq;, qui, honeſto poſtpoſito, vtilitatem venantur omnium deterrimam. Similiter delectatio (quanquam ſæpenumero cum vitio coniungitur) poteſt non adeo improbabilis eſſe, ſi radices minus profundas in vitio habuerit, quales aleatores ſunt, & circulatores, aliique leuiſſimi eiuſmodi homunculi. Sed nulla delectatio pernicioſior eſt, quam quæ ex amatoria venatione quæritur, ſi modo non ad matrimonia, ſed ad ſtupra, ad inceſtus, ad adulteria dirigatur; imo hinc maxima regna & imperia non ſemel ſubuerſa fuiſſe legimus. Quare huiuſmodi venationes, tanquam Deo exoſas, hominibus cunctis, ac potiſſimum principibus ipſis pernicioſas, exterminandas eſſe, monemus; quia tumultus populares raro excitati eſſe leguntur, quin ab inanibus amorum venationibus principium ſuum deduxerint. Quod ſi in manſueta hac rationabilium animantium venatione ad tot circumſtantias reſpectus habendus eſt, quid in venatione, quam ferocem appellauimus, faciendum erit? Quæ cum in militarem, & non militarem, quam raptoriam nuncupare libet, diuidatur; nemini dubium eſt, quin vtraque propter ſui violentiam homines, hominumq; bona deprædetur. Vnde per Hieremiā inquit Deus: *Et poſt hæc*

[n] *infra libr. 11. diſc. 2.*

[o] *Pſal. 90.*

[p] *Matth. 4.*

mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum. [q] Cumq; raptoria, ſiue prædatoria venatio in domeſticam & ſylueſtrem ſubdiuidatur, ad has diſcurſus ille pertinebit, quem de proſcriptis & facinoroſis hominibus alibi ſcripſimus.[r] Contra quos curam principes maximam adhibeant, ſi quies & tranquillitas populorum iis cordi eſt. Cum vero hæc venatio terra mariq; peragatur, iam ſuperioribus dieb. propter Illyricorũ, qui Scocchi vocãtur, piraticas excurſiones audiuimus Turcarũ de Venetis querimonias. Domeſtica a. & furax venatio, quanq̃ minus feritatis habet, ingentes tamen, niſi amoueatur, progreſſus facit, queadmodũ inter Iudæos in obſidione Hieroſolymæ cõtigit. Et decẽ ab hinc annis Neapoli adeo domeſticorũ venatorum, h.e. furum multitudo excreuerat, vt totas domos harpagantes, raptaque bona in communi quodam contubernio deponentes, ſtatis temporibus ea diuiderent, & iuſtiſſimæ cuiuſdam iniuſtitiæ æquilibrio inter ſe accepti, datiq; rationes exæquarent. Militaris vero venatio, quanquam ferox & violenta videtur, quia tamen neceſſario, & fere naturaliter introducta eſt, ab æquitate non penitus diſiungitur, cuius termini legeſq; à venatore principe ignorandæ non ſunt: idcirco enim ratione carẽtium animalium venatio ei permittitur, quia militaris huius ſimulacrum eſt. Quandoquidẽ raro accidet, vt iuſtum illud bellum vocari poſſit, quod iuſta cauſa non protulerit, quodq; legitimis modis hoſti denunciatum non ſit, nã ſi hoſtis ex compoſito fortaſſe, quæcunque petuntur, reddere paratus eſſet, iniuſte arma mouebuntur,[f] etiamſi iuſtiſſima alioquin ſubeſſet cauſa, cur moueantur. Vnde M. Antonius Barbarus Selimum Turcarum Imperatorem ſumma perſpicacia atq; ſapientia coarguit, cum ad regnum Cyprium repetendum Venetis repente bellum indixerit, quodq; ius fecialium neglexerit.[t] Et priſci Romani quemadmodum in omnibus rei militaris præcepta excellenter obſeruauerunt, ita hoc religioſiſſime, ſummaq; cura obſeruabant, præmittentes primo feciales legatos, qui ſolemnibus ceremoniis res ablatas, ſiue quocunque libet modo occupatas ab hoſtibus repetebant, quæ niſi tribus & triginta diebus reſtituerẽtur, tunc repetitis ceremoniis non minus ſolemnibus, quam quæ anteceſſerant, bellum denunciabatur.[u] Quem morem ſi quis irriſerit, is Iohannem Villanum non grauetur legere; reperiet enim apud eum, Florentinos paullo differentibus ceremoniis bellum hoſtibus ſuis intimare ſolitos fuiſſe.[x] Et reuera quicunq; bello non denuntiato, noctu latrunculorum more municipium aggreditur, & intercipit, is militari voce furtum feciſſe dicetur; neque aliter Antonius Burlamachius Piſas & Florentiam Duci Coſmo, quibuſdam antiquorum exemplis innixus, furari ſe poſſe excogitabat. Hac neq; abſimilis eſt rationabilium animalium venatio: ſed ea venandi genera, quæ ad capienda ratione carentia inſtituuntur, vt in aqua, in terra, & in aere, piſcatio, aucupium, aut generatim venatio dicuntur. De quibus ſapientes varie diſſeruerunt, neque mihi videtur, à Dante aucupium valde probatum fuiſſe, cum dixit:

Vtq; ſequatur auem, vitaï munera perdit.

[q] cap.16.
[r] libr. 4.
[f] Deuter.20.
[t] Condi. Bicc. l.1.
[u] Liu. l.1.
[x] l.6. c.77.

Admi-

Admirādum autem eſt, hoc verbum aucupari, male vbiq; ſonare, vitiumq; ab eo & noſtris, & priſcis temporibus ſignificari, cum in ſacris literis impii aucupibus aſſimilētur, *qui inſidiātur quaſi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiēdos viros.*[y] Et Propheta vt fraudulentum hominem denotaret, aucupem vocauit, inquiens, *Nunquid cadet auis in laqueum terræ abſque aucupe?*[z] Apud neotericos Etruſcos hoc verbum aucupari, perinde eſt, atq; ludificare & irridere; Vnde apud Boccacium, egregia illa puella inquit, non deeſſe quoſdam, qui dū cęteros aucupari credunt, ipſimet in aucupiū cadunt.[a] Sed vice prouerbii illud vſurpatur de iis, qui minoribus neglectis maiora lucra ſequuntur, eos non aucupari auium reges, aut *piſpolas*, cuiuſmodi minutas aues nuncupamus. Et Plato inter res delectabiles aucupium commemorans, inter ſeruilia tantum miniſteria connumerat; ideo per inculta loca vt aucupium fiat, concedit, per culta autem & per ſacra etiam inculta vetat. Neq; piſcationem admodum nobilem putat, vnde in portubus, in ſacris fluminibus, in paludibus, in ſtagnis piſcationem prohibet, in cæteris non item, modo pharmacis, ſuccisq; piſces non capiantur: probat quidem ferarum venationem, ſed ipſi etiam modum præſcribit, vituperans eam, quæ noctu fit, cum dormientes belluas intercipimus, item eam, quæ retibus laqueisq;, & vbi corporis vires nulli vſui ſunt, conficitur. His igitur venatoribus exploſis, nullum quadrupedes feras aperte, fortiterq; inſequentibus locum intercludit, iiq; ab ipſo *ſacri venatores* appellantur.[b] Ariſtoteles ad alia reſpiciens, venationem, vtpote rem naturæ conſentaneam, & propter alimenta vitæ neceſſariam conſiderat, neque hanc à piſcatione diſcernit, cum per vtramq;, vt bruta herbis, plantisq;, hominū vita ſuſtentetur.[c] Quam rem cum D. Thomas, vt iuſtam & naturalem probet, ipſius etiam ſuffragio multiplex hæc venatio comprobatur.[d] Igitur Xenophon & Plato hæc venandi ſtudia mirifice laudant, & cur laudent, manifeſtum eſt, nempe vt robuſtiora fiant corpora. Qui autem reges his venationibus vſi fuerint, ſuperius oſtendimus. Vnde ex iis, quæ dicta ſunt, principes noſtros minime hoc fera animalia inſequendi ſtudium dedecere, intelligimus; modo tamen illud iis non contingat, quod Antiocho accidiſſe legitur: nam cum is errans aliquando de via deflexiſſet, domumq; ruſtici, qui regem de facie non cognoſcebat, ingreſſus, de rege quid ſentiret, interrogaſſet, hæc audiuit, *Noſter quidem rex ſatis bonus eſt, eiq; omnia fauſta precamur, ſed quia nimium venationi indulget, rerum ſuarum negligentior habetur.*[e] Verum ſi contra Platonis decretum, ſacris principibus, quos habemus, non ferarum venatio, ſed tantum piſcatio conceditur: perſpicue cognoſcitur, vnde hæc differentia ſuborta ſit; Nam lex Chriſtiana id intendit, vt animus potius quam corpus recte inſtituatur, proinde animaduertens, animum clamoribus, rumoribus, & agitationibus illis, quæ in feris inſequendis frequentantur, perturbari; libenter, omiſſo ſtrepitu, ad piſcationem, tanquam ad genus magis quietum ac manſuetum, ſeſe conuertit.[f] Et quoniam in piſcatione non mediocria reconduntur myſteria, altiſſimis illam de cauſis comprobauit atq; permiſit.

[y] *Ierem. 5.*
[z] *Amos c. 3.*
[a] *Bocc. fab. 5. diei 3.*
[b] *Plat. l. 7. de leg.*
[c] *Polit. l. 1. c. 5.*
[d] *quæſt. 96. art. 1. par. 1.*
[e] *Plut in Apophth.*
[f] *decret. diſt. 86 & 91.*

Quam facile minimoque diſpendio Principes ſubditorum virtutem remunerari queant.

DISCVRSVS II.

OMnes reſp. duobus quaſi pedibus innixæ videntur, bonorum operum præmio, malorum pœna: vnde forte Democritus duos in hoc mūdo Deos pœnam & beneficium poſuit.[a] Si alteruter deſit, claudicat mundus, ſi vterq;, vt reptilium more procedat, neceſſe eſt: & quāquam vſuuenit, vt vtroq; aliquando principes claudicent, nulla tamen dubitatio eſt, quin deformior ex dextero pede, in quo eſt præmium, claudicatio ſit, quam ex ſiniſtro, in quo pœna conſtituitur: propterea quod in hoc principes nihil de ſuo ponunt, imo potius pœnas irrogando aliena occupant, ſed in præmiis largiendis, quia marſupia exenterari ægre ferunt, ſuſpenſo animo procedunt, & nihilominus ſi totam attentius rem diſcuterent, non adeo magnum, vt ſuſpicantur, in erogationibus damnum paterentur, cum poſſint minimis rebus maxima beneficia virtute illuſtribus viris retribuere. Cui aſſertioni opportunum mihi fundamentū iaciet exemplum, quod enarrabo. Arminius Germanorum fortiſſimus, & Romanorū hoſtis acerrimus cum Flauio fratre, qui Romanas partes ſequebatur, aliquando colloquium poſtulauit, quod eum impetraſſet, animaduertit Arminius, fratri oculum ademptum: cumq; *vnde ea deformitas oris* interrogaſſet, illo locum & prælium referente; Quodnam præmium recepiſſet, exquiſiuit: ille ſtipendia adaucta, torquem, coronam, aliaq; dona militaria memorauit, *irridente Arminio vilia ſeruitij precia.*[b] Nihil æque antiquorum prudentiam, noſtrorumque temporum ignauiam patefacit, quam hoc, quod retulimus, exemplum. Etenim quemadmodum ſana illa antiquitas in rebus parui momenti honorum præmia collocaſſe videbatur: ita nos ipſius quaſi ſimplicitatem, inſtar Arminii, ridemus, quaſi Romani gramineæ coronæ, aut paullo maioris precii reculæ vitam poſtponerent: neq; animaduertimus, dum bene meritos largius compenſare non poſſumus, & ex altera parte illos irremuneratos relinquimus, ita mundū peruerti, vt claudicare cogatur. Græci, qui ante Romanos fuerunt (vt erant homines perſpicacitate, rerumq; politicarum ſcientia inſignes) nihil horum prætermiſerunt, primique, ne præmiorum defectum paterentur, adeo proſpexerunt, vt eorum nullam vnquā penuriam paſſi fuerint. Proinde Perſa ille prudenter ſuos commonebat, cauerent, quibuſcum negotium aggrederentur, cū iis nempe, qui propter coronā oleagineam nulla pericula detrectarent.[c] Sed ne Romanos, autoréq; noſtrū relinquamus, obſeruare eſt, quod alibi inquit, *apud maiores virtute, quam pecunia rem Romanam melius ſtetiſſe.*[d] Verum quamuis hæc de temporibus valde remotis dixerit, attamen de Oſtorio Scapula, cuius virtus Neroni formidanda erat, mentionē inſtituens; quaſi ſplendidiſſimum virtutis eius teſtimonium, memoriam refricat *corona ciuica, quam in Britannia meruerat.*[e] Quæ ciuica corona quernea erat, eique dabatur,

[a] Plin. l. 2. c. 7.

[b] lib. 2.

[c] Erod. lib. 1.

[d] lib. 18.

[e] l. 12 & l. 16.

dabatur,qui ciuem in prælio ſeruabat; additis tamen conditionibus,ſine quibus obtineri non poterat,altera, vt eodem momento hoſtem interfeciſſet, altera, vt in eo,quem occupaſſet locum,perſtitiſſet:quarũ adeo diligens ratio exigebatur, vt Tiberius conſulendus fuerit, an ei,qui ciuem quidem ſeruauerat in prælio, & duos,nedum vnum, hoſtes occiderat, cæterum locum deſerere coactus fuerat,corona ciuica deberetur: Ad quæ reſcripſit Tiberius, dignum fore, quia ibi ciuem ſeruauiſſet, vbi hoſtium multitudinem, ac vehementem impreſſionem ſuſtinere non poterat: [f] Addidit Plinius,oportuiſſe, vt ciuis, qui ſeruatus fuerat, id profiteretur, alioquin cæteris teſtibus fidem denegatam fuiſſe. [g] Conſideret vnuſquiſque, quanto in honore, precioque huiuſmodi præmia fuerint, cum ſummæ propter illa conſequenda contentiones haberentur, & princeps ipſe conſuleretur. Recitat autor,in bello contra Tacfarinatem,Rufum Heluium gregarium militem,quia ciuem ſeruauerat,ab Apronio duce torquibus,& haſta donatum fuiſſe,Tiberium vero addidiſſe coronam ciuicam; *&, quod nõ eam quoque Apronius iure proconſulis tribuiſſet,queſtum.* [h] Sed cæteras inſuper Romanorum præmiorum diuitias conſideremus. Corona obſidionalis, quæ inter vniuerſa populi, mundi principis, præmia ampliſſima exiſtimabatur, graminea erat,[i] cumque cæteræ à duce deferentur militibus, hæc vna ab ipſis duci deferebatur, per quam gratum animum, quod ab hoſtium obſidione liberati eſſent, atteſtabantur. Nam victi,vt ſe inde, vbi ante victoriam manebant, migrare ſignificarent,*herbam porrigere* antiquitus conſueuerunt:quem morem, inquit Plinius,ad ſua vſque tempora apud Germanos durauiſſe. [k] Et hinc fortaſſe Xerxes à Græcis ciuitatib.aquam,& terram popoſcit, [l] quæ corona tantæ fuit excellentiæ,atq; dignitatis,vt L.Sicinius Dentatus,qui centum & viginti præliis pugnauit, quatuor & decem coronis ciuicis donatus, vnam tantum obſidionalem adeptus fuiſſe legatur. [m] Triumphales coronæ erant laureæ, quamquam poſtea aureæ; neque Delphi victores aliis quam laureis coronis, quemadmodum & Romæ triumphatores, coronabantur. [n] Oualis proxime triumphalem accedebat, & myrthea erat, quæ neque à triumphantibus contemnebatur: Nam ea Papirius Maſſo in monte Albano de Corſis triumphans primus vſus eſt. [o] Verum, vt clarius pateſcat,non preciis munerum, ſed opinione honorum priſcos Romanos illectos fuiſſe,& noſtris pariter temporibus illiciendos eſſe,exemplum admiratione digniſſimum in medium proferendum eſt. Scipio inter ſtrenuos milites militaria dona aliquando diſtribuebat, inter quos T.Labienus Scipionem, vt forti equiti aureas armillas tribueret, admonuit, eoque negante, ſe id facturum, ne caſtrenſis honos in eo,qui paullo ante ſeruiſſet,violaretur, ipſe ex præda Gallica aureas equiti largitus eſt:nec tacite id Scipio tulit,nam equiti,*Habebis*,inquit, *donum viri diuitis.* Quod vbi ille accepit, proiecto ante pedes Labieni auro, vultum demiſit;Idem,vt audiuit Scipionem dicentem, *Imperator te argenteis armillis donat*,alacer gaudio abiit. [p] vnde perſpicuum eſt,argentum,quod decuplo vilius eſt auro,ipſi auro,quod adeo precioſius eſt, antepoſitum fuiſſe: quemadmodum

[f] Gell.l. 5.c. 6.
[g] lib.16.c.4.
[h] lib.3.
[i] Plin.l.22.c.3.
[k] ibidem.
[l] Erod.
[m] Plin. ibid. c.5.
[n] Plin. l. 15. c.30.
[o] ibid.c.19.
[p] Val.Max. l.8.c.15.

noſtris temporibus cuilibet aureo torqui vir honeſtus criſtam plumeam minimi pretii abſque dubio anteferret, ſi ille argumentum eſſet diuitiarum, hæc autem virtutis eſſet indicium. Perplacet mihi per hæc exempla vagari, vt in iis, ad quos hæc tractatio pertinet, præmia dandi non minus, quam accipiendi cupiditatem excitem. Interim diſcutiemus adhæc, quantum Romani, præmia huiuſmodi diſtribuentes, aut accipientes, nummos neglexerint. Hinc enim ſingularem M. Valerii Poplicolæ virtutem præmiis afficere cupientes, permiſerunt, vt in locum alterius, ad minuendam populi inuidiam deſtructæ domus, altera exædificaretur à populo, cuius fores veſtibulares, non, vt aliæ, intra, ſed extra eiicerentur. [q] Neque minus auguſtum conſecutus eſt honorarium M. Manlius Capitolinus, qui Capitolium ſeruauerat; cui *vniuerſi milites ſelibras farris, & quartarios vini ad ædes eius contulerunt; rem dictu paruam, cæterum inopia fecerat eam argumentum ingens charitatis, cum ſe quiſque ſuo victu defraudans, detractum corpori, atque vſibus neceſſariis, ad honorem Manlii conferret.* [r] Sed temporibus noſtris, fauore magis, quam virtute ambientes, omnia confundimus: adeo vt ordo ille equitum Sancti Michaelis, qui olim à Regibus Galliæ collatus magnæ erat exiſtimationis, nullius precii factus fuerit: Proinde Henricus tertius Rex illum renouandum eſſe, cenſuit, cum vix inueniretur quiſquam, qui inter veteres equites dignaretur conſcribi. Præter hanc fauoris, & meritorum confuſionem, acceſſit etiam hæc imperfectio, quod præmia non virtuti, ſed fortunæ largimur, fortunæ, inquam, quia cum præmia apud nos etiam non deſint (ſi Apoſtolicam ſedem exceperis) nobilibus tantum conceduntur, cæteris denegantur, quales ſunt equitatus inſignia, quas cruces dicimus, ordinum diuerſorum, nempe Chriſti, Sancti Iacobi, de Alcantar, de Calatra, Sancti Iohannis, Sancti Stephani, & alias. Quod ſi primi inſtitutores id reſpexiſſent, vt non niſi iis, qui contra Chriſtianæ religionis hoſtes notabile aliquod, & illuſtre facinus geſſiſſent, darentur, ſiue ii nobilitate conſpicui, ſiue obſcuris natalibus eſſent, exemplo Romanorum, qui Rufo Heluio militi gregario (vt diximus) *ſeruati ciuis decus* detulerunt; opinor nequaquam dubitandum eſſe, quin præclariora geſta & legeremus, & audiremus. Neque probe intelligo, cur, cum hæc veriſſima ſint, nondum inueniatur Princeps aliquis, qui in imperio ſuo pulcherrimam hanc legem hactenus inſtituerit. Deo nihilominus gratiæ agendæ vel maximæ, quod ſola Vrbs aliqua ex parte hunc morem in præſentia retineat: quandoquidem eminentiſſima Cardinalitia dignitas (cuius exterius ſignum aliud nullum eſt, quam purpureus, aureo vix nummo æſtimandus, galerus, qui plurimo ſæpe auro ante poſitus, interdum etiam ſummis principibus denegatus eſt) ibi in pauperes, & in humiles etiam monachos, modo virtutum radiis ſplendeſcant, indiſtincte confertur. Huiuſmodi veſtium, togarumque differentias innumeras habebant Romani, quibus reuerendi magis erant magiſtratus, & quarum nulla modo ratio eſt. Vnde Senatores, qui cum Othone cœnabant, in tumultu militari, in-

[q] *Plut. in Poplic.*

[r] *Liu. lib. 5.*

certas latebras petiiſſe, legimus *proiectis inſignibus*, [f] quemadmodum verbi gratia, erant ornamenta conſularia, [t] triumphalia, [u] prætoria, & alia pleraque, quæ citra dubitationem, vt obtinerentur, in animis ciuium mirabiles virtutis amores excitabant. Et quemadmodum illecebra ſignum quoddam eſt, quo deuians accipiter ab aucupibus reuocatur, ſic antiquitus coronæ, & modo equitatuum inſignia, quas cruces diximus, itidem illecebræ eſſe deberent, quibus liberalis princeps ſuos populos ad egregia virtutis opera inuitaret. Boni agricolæ finis eſt, arboris, quam plantauit, fructum colligere; ipſa virtus ea eſt arbor, quam ſtudioſus domi plantauit, cuius fructus alius nullus, quam honoris præmium. Id profecto non ambigimus, vberrimum virtutis præmium, fructumque ipſam eſſe virtutis poſſeſſionem; ſed quemadmodum anima, dum corpus hoc habitat, cibi materialis indiget, non quidem propter ſe ipſam, quę cibo æthereo veſcitur, ſed vt ſibi adiunctum corpus rectius ſuſtentetur: ſic homo virtute præditus non propter ſe ipſum, ſed propter patriæ, familiæ, conſanguineorum, amicorum, denique propter ipſius virtutis gloriam, ne ſcilicet in ſe ipſo eadem virtus debito fulgore, ac pulchritudinis ſuæ ornamento deſtituta compareat, hoc honoris ſignum concupiſcit. Si cui igitur honores ob virtutum merita debentur, curet princeps, vt liberali manu eum cohoneſtare, ac remunerari valeat: quam quidem rem etiam pluma aliqua, aut veſte diuerſicolore, aut pileo, aut huiuſmodi reculis minimo diſpendio comparatis efficere ſe poſſe, intelliget.

f *lib.17.*
t *ibidem.*
u *l.12.*

Romanos in interpretandis auſpiciis ritus, moreſq. ſuæ religionis accurate obſeruaiſſe.

DISCVRSVS III.

CVm Germanicus exercitum contra Germanos apud Viſurgim, vnde victoriam retulit, adduxiſſet, *pulcherrimum augurium octo aquilæ petere ſyluas, & intrare viſæ fuerunt*; vnde ad milites exclamauit ille, *Irent, ſequerentur Romanas aues, propria legionum numina*; ſed præter illud augurium, milites, ipſeque Cæſar aliud obſeruauerant, quod ſcilicet *vnus hoſtium latina lingua ſciens, a[...]to ad vallum equo, voce magna, coniuges, & agros, & larga ſtipendia, ſi quis transfugiſſet*, pollicitus fuerat: Quod interpretabantur, *ſumpturum militem Romanum Germanorum agros, tracturum coniuges*, & accepto omine, hoſtium matrimonia, ac pecunias prædæ deſtinabant. Acceſſerat, quod eadem nox Germanico lætam quietem tulerat, *videratq. ſe operatum, & ſanguine ſacro reſperſa prætextâ pulchriorem aliam manibus auiæ Auguſtæ accepiſſe.* [a] Ex quibus cognoſcimus, non tantum apud priſcos Romanos, ſed etiam ætate Tiberii eandem perſuaſionem de auguriis, auſpiciis, & ſimilibus cœleſtibus nuntiis in militaribus animis viguiſſe. Nihilominus diſſertationum auctor quidam co-

a *lib.pr.*

dam conatus eſt probare, Romanos auſpicia interpretatos fuiſſe, perinde vt neceſſitas ferebat, eaque rebus agendis pro prudentia accommodauiſſe.[b] Sed non abs re fuerit, quo pacto aſſertionem hanc probet, diſpicere: primumque, quod affert exemplum, illud eſt Papirii Curſoris, qui prælium cum Samnitibus commiſſurus, pullarium prius in auſpicium miſit, cumq; pulli non paſcerentur, pullarius auſpicium mentiri auſus, tripudiũ ſoliſtimum conſuli nuntiauit. Erat autem ſoliſtimum tripudium, cum cibus, quia ipſum pulli nimis auide caperent, in terram cadens, pullorum accurſationem quaſi tripudium efficiebat. Lætus Conſul Papirius, auſpicium egregium eſſe, ſignum pugnæ proponit, & exire milites in aciem iubet: quibus dum intentus Imperator eſſet, altercatio inter pullarios orta de auſpicio eius diei, auditaque ab equitibus Romanis: Qui rem haud ſpernendam rati, Sp. Papirio fratris filio Conſulis, ambigi de auſpicio, nuntiauerunt, qui cuncta ad patruum detulit: cui ille, *Tu quidem macte virtute, diligentiaque eſto: qui auſpicio adeſt, ſi quid falſi nuntiat, in ſemetipſum religionem recipit, mihi quidem tripudium nuntiatum Populo Rom. exercituique egregium auſpicium eſt.* Centurionibus deinde imperauit, vt pullarios inter prima ſigna conſtituerent. Priuſquam concurreretur, emiſſo temere pilo, ictus pullarius ante ſigna cecidit, quod vbi Conſuli nuntiatum eſt, *Dii ſunt in prælio*, inquit, *habet pœnam noxium caput.* Ante Conſulem hæc dicentem coruus voce clara occinuit, quo lætus augurio Conſul, affirmans, nunquam humanis rebus magis præſentes affuiſſe Deos, ſigna canere, & clamorem tolli iuſſit, *præliumque commiſſum eſt atrox, & felix.*[c] Hoc in facto nihil ego artificioſæ inflexionis recognoſco, quæ quidem tunc adfuiſſet; ſi non ignorans ab initio, pullos nõ paſtos fuiſſe, dixiſſet, id eueniſſe, quia non eſurirent, vel nimium comediſſent, vel commodius paſcerentur, interimque ad ſuam mentem inflexo auſpicio, omnino pugnare decreuiſſet. Verum, quo melius hæc percipiantur, ſciendum eſt, antiquitus totam rerum ſacrarum curam ſacerdotibus relictam fuiſſe, adeo vt ex iis, quæ ipſi nuntiabant, res agendas gubernarent: quod ſi fraus aliqua intercederet, culpam in autores recidere, putabant, ſufficere ipſis, ſi bona fide auditas res peragerent. Cuius rei apud Polibium pulcherrimum ſuppeditant exemplum Feciales.[d] Quod in præſentia nequaquam reticendum videtur. Cum enim pactum inter Romanos, populumque aliquem percutiebatur, Fecialis manu lapidem tenens, hæc verba proferebat. *Si recte, ac ſine dolo malo hoc fœdus, atque hoc iuſiurandum facio; dii mihi cuncta felicia præſtent: ſin aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus ſaluis, in propriis patriis, in propriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis ſepulcris ſolus ego peream, vt hic lapis è manibus meis decidet: nec plura locutus, manu lapidem deiiciebat.* Hoc pacto cæteros, qui res ſacras adminiſtrabant, egiſſe puto; quod ex iis Conſulis ipſius verbis elicitur. *Qui auſpicio adeſt, ſi quid falſi nuntiat, in ſemetipſum religionẽ recipit:* iis vero ſuffeciſſe, ſi bona fide, quæ audiſſent, crederent, perficerentq;, indicant illa, *Mihi quidem tripudium nuntiatum Populo Rom. exercituique egregium auſpicium eſt.* Ergo ex iis, quæ conſiderauimus, non elicitur, quod autor ille eliciendum

[b] l.1. diſ.14.
[c] Liu. l.10.
[d] lib.3.

dum

dum eſſe, putat, neque ea ætate, quæ ab V. C. annos 460. continebat, doctrina vlla, quæ Deos, & auſpicia contemneret, irrepſerat; vnde Liuius de nepote illo Conſulis ſubnectit, *Iuuenis ante doctrinam Deos ſpernentem natus.* Ergo (mihi obiicietur) fuit aliquando, cum Romæ auſpicia, & religionum ſacra ad res agendas accommodabantur. Reſpondeo, nunquam ſceleſtos defuiſſe; atque vtinam modo, cum Chriſtiani ſumus, iis careremus, res noſtræ felicius ſuccederent, ſed hæc impietas ſerius in Vrbem recepta fuit. Eſt nihilominus obſeruandum, nunquam ad tantam hominem deueniſſe impudentiam, vt quod ſinguli facere audent, vt legum limites tranſiliant, idem ab omnibus conſenſu publico, etiam corruptiſſimis temporibus perpetretur. Eorundem Romanorum exemplum afferam. Ptolomæus Auletes Ægypti Rex Romam venerat, Senatum rogans, vt ſocium ſe regno expulſum armis reſtitueret; Romani, vt mos erat, maxime quia quædã per illos dies prodigia euenerant, libros Sibyllinos conſuluerunt, in quibus repertum eſt, *Si Rex Ægypti alicuius indigens aduenerit, amicitiam ei non eſſe denegandam, nullis autem copiis eum adiuuandum: ſin ſecus factum fuerit, labores & pericula non defore.* Rex largitionibus omnes fere Senatores corruperat, neq; deerant pleriq;, qui propter munera, quæ ab ipſo ingentia ſperabantur, Ptolomæum in regnum cum exercitu reducere cupiebant, ſed religione vetante, id in Senatu obtineri non potuit, quanquam poſtea Gabinius fauore Pompeii regem reduxit. Id autẽ contigit circiter annum 699. cum Vrbs vitiis vndiq; ſcateret, & regiis largitionibus corruptiſſima eſſet: & nihilominus conſenſu publico nunquam aduerſum religionem itum eſt, imo Gabinius condemnatus fuit. [e] Paullatim deinde hæc ſcelera in remp. inuecta ſunt, quemadmodum etiam noſtris temporibus vigent, ſed ea fuerunt, eruntq; ſemper deteſtabilia. Quanto magis eadem Chriſtianis principibus exoſa eſſe decet. Ex quibus videtur dicendum, quod olim Euripidi Plato, *Ignoſcendum ſibi, quod tyrannidis laudatorem poetam è ſua rep. abegerit.*

[e] *Dion l. 39.*

Plurimum intereſſe, quo armorum genere vtamur in bello.

DISCVRSVS IV.

CVm C. Furius Creſinus veneficii fuiſſet aliquando accuſatus ideo, quia ex paruo agello vberiores, quam ex ampliſſimis agris vicini, fruges colligebat; coram iudicibus inſtrumenta ruralia produxit, quæ affabre laborata, grauiſſima, tritaq;, neq; rubiginoſa erant, aſſerens, non alia ſibi veneficia, non excantationes eſſe, quam arma illa, & labores, quos ipſe cum ſuo famulitio dies noctesq; in colendo agro impendebat. Haud pridem paruum quoddam ex Germania allatum inſtrumentum vidimus, quo breui horæ ſpatio ex feneſtra clathræ ferreæ euellebantur; quod aliquis hominum fortiſſimorum numerus longiori tempore non præſtitiſſet; adeo multum eſt, media ad finem ducentia bene eligere: nam ſi quis ſingulorum, quotquot in mundo ſunt, hominum diuerſarum nationum vires conſideret, exiguam quidem inter ipſos differentiam dignoſcet, cum omnes v-

nius formæ, eorundem humorum, earundem qualitatum participes ſint, in hoc autem vno inuicem diſcrepant, quoniam aut arte, aut benigno cœli influxu quidam præ aliis prudentiam & ingenium conſecuti ſunt, quo ſeſe cęteris adeo pręponunt, vt ii ſi reliquis comparentur, veluti cœlo delapſi Dii videantur. Proinde auorum noſtrorum memoria trecenti Hiſpani exercitum ſex & octo millium Indorum in fugam coniiciebant, & profligabant; adeo vt eæ gentes Hiſpanos, tanquam numina quędam expaueſcerent: quemadmodum & Cæſar de Romanis Gallos idem cenſuiſſe refert: nam cum admiranda ab ipſis fieri cernerent, ad hunc modum loquebantur, *Non ſe exiſtimare, Romanos ſine ope Deorum bellum gerere.*[a] Hinc vnuſquiſq; ſibi perſuadeat, Romanos Hiſpanis, Gallis, aliiſq; gentibus non viribus, ſed ingenio, bellandiq; modis, & artibus ſuperiores extitiſſe. Inter quas artes præcipua erat ſcientia, qua partim hoſtes facilius offenduntur, partim eorum vires & damna cautius repelluntur. Quoniam autem ad inferendum hoſti damnum multum refert, cuiuſmodi ſit armorum vſus, longe maior in hoc q̃. cæterarum nationum, Romanorum fuit induſtria, ſicut in iis bellis præſertim, quæ Tiberius contra Germanos geſſit, videre eſt; nam licet Germani ſatis auderent, neq; fortitudine deſererentur, tamen ob hoc ſolum, *genere pugnæ & armorũ ſuperabantur.*[b] Vbi apparet, longas barbarorum haſtas propter locorum anguſtias minus iis vtiles fuiſſe, & Romanos ſcutis gladiiſq; armatos expeditiores extitiſſe: & quamquam locus hic minus integre probat, hoc vel illud armorum genus anteferendum eſſe, quia ſitus in culpa eſt; tamen à me citatur, vt aſſertionis meæ fundamentum iaciam, pateatq;, armorum differentia quanti momenti ſit in prælio: poſteaquam hoc ſolo teſtatur autor, Germanos ſuperatos fuiſſe, neq; id obſcurius paulſo ante innuit, cum ſcripſit ex ore Germanici, *Non campos modo militi Rom. bonos, ſed ſi ratio adſit, inter truncos arborum, & enata humo virgulta, perinde haberi, quam pila, & gladios, & hærentia corpori tegmina: denſarent ictus, ora mucronibus quærerent: non loricam Germano, non galeam: ne ſcuta quidem ferro, nervove firmata, ſed viminum textus, vel tenues vel fucatas colore tabulas: primam vtcunque aciem haſtatam; cæteris præuſta, aut breuia tela.*[c] Neque mirum eſt, eadem de cauſa idem accidiſſe Britannis, *apud quos nulla loricarum galearumve tegmina.*[d] Et alibi de gladiis eorum loquens, obtuſis, eos vituperat, longeque acutis Romanorum gladiis inferiores eſſe oſtendit.[e] Qui Romani, inquit Vegetius, irridebant eos, quicunque cæſim feriebant, vtpote vulneribus minime lethiferis afficientes, cum qui punctim feriunt, ſi paullo penetrauerint, occidant. Id excellentius adhuc in bello Sarmatico comprobatur, vbi armis Romanorum atque Sarmatarum comparatis, cognoſcitur, Sarmatarum arma propter nimiam grauitatem iis pernicioſa, nedum inutilia fuiſſe, *at Romanus miles facili lorica & miſsili pilo, aut lanceis aſſultans, vbi res poſceret, leui gladio inermem Sarmatam (neque enim defendi ſcuto mos eſt) comminus fodiebat.*[f] Sed quæ innuit Tacitus, relata prius fuerunt à Liuio, vbi dixit, *genus armorum, pugnaque hoſti aptius erat.*[g] Quamquam locus ille ratione ſitus contra Romanos eſt. Verum

[a] libr. 2. de bel. Gall.
[b] Tac. lib. 2.
[c] lib. 2.
[d] lib. 12.
[e] In Agric.
[f] lib. 17.
[g] lib. 32.

gnarus autor ille, quantum referat armorum aptitudo, cum inquirit, quomodo Alexander magnus, ſi ad occidentem arma conuertiſſet, cum Romanis congreſſus, ſeſe geſſiſſet, conſiderat, Romanos omnino victuros fuiſſe, etiam propter opportunitatem armorum, quia Rom. clypeo melius, quã Macedonico corpora tegebantur, & pilum, quia proiiciebatur, commodius quam ſariſſa feriebat.[h] Hæc pila duplicis generis fuiſſe, refert Vegetius, alterum erat pedum quinque, & ſemiſſis, & ferrum triangulari figura nouem vnciarum, quod eius temporibus ſpiculum vocabatur, alterum minus pedum trium & ſemiſſis, ferro item triangulari quinque vnciarum, eius temporibus verutum nuncupatum.[i] Et alibi inquit; ferrum ita fuiſſe accommodatum, vt ſcuto infixum non extraheretur.[k] Quod Cæſar confirmat, inquiens, Gallis magno ad pugnam fuiſſe impedimento, *quod pluribus eorum ſcutis vno ictu pilorum transfixis & colligatis, cum ferrum ſe inflexiſſet, neque euellere, neque, ſiniſtra impedita, ſatis commode pugnare poterant, vt multi diu iactato brachio, præoptarent ſcutum manu emittere, & nudo corpore pugnare.*[l] At ſi Liuius attendatur, huiuſmodi pilorum temperatura non eadem fuit ſuperioribus ſeculis, nam in bello contra Samnites, itemque contra Gallos, in quo Conſul P. Decius interfectus eſt, iuſſerunt legati, vt pila humi iacentia in hoſtes iacerentur: quod factum eſt anno ab V. C. 458.[m] Sed certa res eſt, centum fere poſt annis, viuente Scipione, pila ſic temperata in vſu fuiſſe, cum eadem Polybius recenſeat, quæ Cæſar: nam pili telum, quo Velites vtebantur, narrat, *lignum habuiſſe longitudine plerunque bicubitali ſpiculum, vnius ſpithamæ: haſtati vero telum gerebant vtrinque hamatum eadem, qua lignum, longitudine; cuius nexus, ſtructuraq́, tam firmiter muniebant ad medium vſque lignum inſerentes, crebriſq́, fibulis, clauiſq́, transfigentes, vt non prius nexus vtendo, quam ferro tracto relaxaretur.* Neque tutum eſt affirmare, Romanos vſu pilorum caruiſſe, cum Liuius narrat anno ab V. C. 414. Romanor. phalanges prius ſimiles Macedonicis, poſtea manipulare eorundem aciem fuiſſe.[n] Quo in loco etſi nullam de pilis & haſtis mentionem facit, tamen veriſimile eſt, cum phalangibus non pila, ſed haſtas coniunctas fuiſſe, hoc eſt, arma tantum, quæ proiectitia non eſſent. Sed apud Romanos haſtas in vſu fuiſſe, non propter equites tantum, & auxiliares milites, ſed etiam propter triarios, apparet ibidem apud eundem Liuium, cum refert, *triarios conſurrexiſſe, & receptis in interualla ordinum antepilanis, principia Latinorum* perturbauiſſe, *haſtis ora fodientes.* Quod modo dixi, auxiliarios haſtis vſos fuiſſe, non eſt dubitandum, etiam ad Imperatorum vſq; tempora: quandoquidem de Britannis Tacitus hæc verba ſubdit: *Si auxiliaribus reſiſterent, gladiis ac pilis legionariorum, ſi huc verterent, ſpatis & haſtis auxiliariorum ſternebantur.* Si quis ſumpto ex armis Romanorum argumento ſic arguat: Romani pilis orbem terrarum debellauerunt, ergo nos etiam Chriſtiani bombardis, quæ pilis meliores ſunt, mundum vincere poterimus: præter ſophiſmata cętera, in hũc ille errorem incidet, quia proiecto pilo neceſſe erat ad ſingulare certamen deſcendere, *vbi mars atrociſſimus.*[o] In bombardis autem bellicisq; tormentis hęc vix, ac ne vix quidem toto die neceſſitas ingruit.

[h] *lib. 9.*
[i] *lib. 2. c. 15.*
[k] *lib. 1. c. 20.*
[l] *lib. 1. de bel. Gall.*
[m] *Liu. 10.*
[n] *Liu. l. 8.*
[o] *Liu l. 2.*

Hinc aſſerere poſſumus, longe clariora fuiſſe, quæ Romani ſpatis, quam quæ pilis geſſerunt; cum ſæpius legatur, à Romanis ſiue ob iram, ſiue ob feſtinationem pila proiecta, & ad gladios ventitatum fuiſſe, vnde maior occiſorum copia. Sic Virginius conſul faciendum putauit; nam exercitus eius, fixis in terram pilis, gladios arripuit.[p] Et in pugna cum Etruſcis, temere abiectis pilis, idem factitatum eſt.[q] Et prælio cum Samnitibus commiſſo, in quo Conſul fuit P. Philo, inquit Liuius, Romanos, ne mora in concurſu pilis emittendis, ſtringendiſq; inde gladiis eſſet, pila, velut dato ad illud ſigno, abieciſſe, ſtrictiſq; gladiis curſu in hoſtem latos fuiſſe.[r] Idem ſimiliter factum fuit contra Etruſcos in conſulatu Fabii Rutiliani.[s] Et paullo poſt in lacu Vadimonis, neutra ex parte pila proiecta, ſed gladiis certatum fuiſſe narrat. De his igitur gladiis loquens, addit, quo tempore Romana reſp. cum Philippo Perſei patre bellum geſſit, nihil æque Macedonum animos perterruiſſe, quam vulnerum latitudinem, quæ Romani ipſorum cadaueribus infligebant, nam Hiſpanico gladio admodum breui vtentes, corporibus brachia, capita truncis diuidebant, & pleroſque inteſtinis extractis aſpicientes Macedones, nunquam ſimilem terrorem animis conceperant, cogitantes, *aduerſus quæ tela, quoſque viros pugnandum eſſet.*[t] Contra de Thracum romphæis memorat, in ſyluis propter transuerſos ramos maximum ipſos ex earum longitudine impedimentum accepiſſe.[u] Tanta demum eſt vtilitas, quæ ex armorum opportunitate recipitur, vt in prælio nauali, quod inter Romanos & Polixenidam confectum fuit, nulla maior fuerit ratio, cur Romani victoriam conſequerentur, niſi quia iaculis igniferis vſi, hoſtem anteuerterunt. Neq; Auguſtus Antonii claſſem apud Actium opportunioribus armis, quam igne iacto, ſuperauit.[x] Quod vero non militum numerus, ſed genus armorum victoriam pariat, ex eius colloquii, quod Tiridates à Corbulone popoſcit, conditionibus deprehenditur: nam mille equitum præſidium Tiridatis affore ſibi dicebat: quantum Corbuloni cuiuſq; generis militum aſſiſteret, non ſtatuere; dummodo poſitis loricis & galeis, in faciem pacis veniretur. Cuicunq; mortalium, ſubdit autor, *nedum veteri, & prouido duci, barbaræ aſtutiæ patuiſſent: Ideo arctum inde numerum finiri, & hinc maiorem afferri, vt dolus patraretur: nam equiti ſagittarum vſu exercito ſi detecta corpora obijcerentur, nihil profuturam multitudinem.*[y] Ex quibus, quæ diximus, ad poſtremum aſſerendum eſt, tutelaria arma adeo comparanda eſſe, vt defendāt quidem, ſed non ita aggrauent, vt ea geſtantes inutiles reddantur; cumque duo debeat miles noxia arma habere, alterum, quod cominus, alterum, quod eminus feriat, Romanos vtiliſſima ambo illa habuiſſe, pilum ſcilicet, & gladium. Verum quoniam & Tacitus & Liuius eodem tempore mentionem de genere pugnæ iniicientes, illud non ſemel repetunt, *genus armorum & pugnæ*, ipſiq; de armis tantum locuti videntur, non fuerit inutile, ſi de modo pugnandi nonnihil ad hæc inquiſiuerimus.

[p] *ibidem.*
[q] *ibidem.*
[r] *lib.9.*
[s] *ibidem.*
[t] *lib.31.*
[u] *ibidem.*
[x] *Dion l.50. in fine.*
[y] *lib.13.*

Quo genere pugnæ prælia expediantur, multum referre.

DISCVRSVS V.

DIuerſum armorum genus cum diuerſo dimicandi genere adeo implicatur, vt niſi inuicem diſſertatione peculiari diſtinguantur, quædam inter ea genera confuſio ſuboriri videatur. Nam Tacitus, vbi non minorem fuiſſe Germanorum, quam Romanorum audaciam, ſed genere pugnæ, & armorum illos victos fuiſſe, recenſuit, in locorum anguſtiis longarum haſtarum ineptiam, & impedimenta conſiderat: cum contra, Romani pectoribus innixis ſcutis, gladiiſque procera illa Germanorum membra agiles cæderent, hoſtiumque ſtrage viam ſibi aperirent. [a] Modo, haſtas, ſcuta, genus pugnandi omittentes, expeditam Romanorum in pugnando agilitatem, ac promptitudinem, Germanorum vero ſtabilitatem perpendemus. Vtque dicenda facilius intelligantur, ad illam Liuii de Alexandro diſputationem redeundum eſt, qua, vbi de armorum differentiis locutus, pergit de genere pugnæ; *Statarius vterque miles, ordines ſeruans, ſed illa phalanx immobilis, & vnius generis, Romana acies diſtinctior, ex plurib. partibus conſtans, facilis partienti, quacunque opus eſſet, facilis iungenti.* [b] Hoc loci non inficiatur Liuius, & Romanos, & Macedones ſtabiles in pugna fuiſſe, vnde illos ſtatarios appellat. Neque obſtet, quod Tacitus Romanæ agilitatis meminerit, nam agilitas ſtatariæ pugnæ nulli eſt impedimento: ait quidem, Macedonicam phalangem immobilem fuiſſe, hoc eſt, Romanis ſtabiliorem, & *vnius generis*, quodque ego interpretor, nulla arma præter haſtas habentem, ſed Romanam aciem fuiſſe diſtinctiorem, & *ex pluribus conſtantem*, hoc eſt, cohortibus diuiſis, & diuerſitate armorum inſtructam, & pari facilitate diuidebatur coniuncta, diuiſa coniungebatur. Illuſtrabo locum Cæſaris teſtimonio, quo exercitus coarctandi, dilatandique vtilitas eluceſcit: nam in illo cum Neruiis commiſſo periculoſiſſimo prælio, nullo meliore, ne ab eis profligaretur, remedio vſus eſt, quam, cum videret inclinantes milites, quia nimis arctati gladios expeditos non habebant, iuſſit, vt dilataretur, quo agilius dimicarent. Hoc pacto impetu hoſtium repreſſo, poſtmodum Cæſar animaduertit, legionem ſeptimam ab hoſtibus valde turbari, vnde tribunos militum admonuit, operam darent, vt legiones paullatim coniungerentur, coniunctæque hoſtem vehementius aggrederentur: quæ res militibus animos addidit, neque permiſit hoſti, vt Romanorum poſſet exercitum circumuenire. [c] Hinc perſpicue apparet, diſciplinæ gnaris militibus promptum fuiſſe, ſeſe partiri, ac latitudinem occupare, itemque coniungi, & coarctari: quibus artibus illudebantur hoſtium conatus, & illuſi vincebantur. De phalange autem Liuius diuerſe opinari videtur; nam in ſitu aliquatenus anguſto inutilem reddi innuit iis verbis, *Phalanx, quam inutilem vel mediocris iniquitas loci*

[a] Tac. lib. 1.
[b] Liu. l. 9.
[c] l. 3.

[d] lib. 34. *efficeret.* [d] Contra, vbi ſitu adiuuabatur, impenetrabilem eſſe, demonſtrat: nam arctis militibus, & denſiſſimarum haſtarum cuſpidibus aduerſus hoſtes cõuerſis, pila nihil nocebant, quia quaſi in teſtudinem quãdam ob ſcutorum denſitatem cadebant, neq; Romani gladiis poterant ſeſe appropinquare; quibus tamen gladiis ſi forte haſtam aliquam truncauiſſent, haſtile fragmẽto ſuo ſimul cum integris haſtis vallum Macedonum non minus explebat: quo in loco Liuius phalangem *cuneum Macedonicum* appellat. [e] vtq; ex toto illo bello, quod cum Perſeo geſtum [e] lib. 12. eſt, colligitur, Romani ex frequentib. pugnis, quo potiſſimum dimicandi genere contra Macedones vti deberent, in ipſo pugnandi actu didicerunt, quemadmodum ex iiſdem Liuii verbis in vltimo contra Perſeum prælio factũ fuiſſe, cognoſcitur. *In medio ſecunda legio immiſſa diſſipauit phalangem, neq; vlla euidentior cauſa victoriæ fuit, quam quod multa paſſim prælia erant, quæ fluctuantem turbarunt primo, deinde diſiecerunt phalangem, cuius conferta, & intentis horrendæ haſtis, intolerabiles vires ſunt: ſi carptim aggrediendo circumagere immobilem longitudine, & grauitate haſtam cogas, confuſa ſtrue implicantur: ſi vero ab latere, aut ab tergo aliquid tumultus increpuit, ruinæ modo turbantur: ſicut tum aduerſus cateruatim incurrentes Romanos, & interrupta multifariam acie obuiam ire cogebantur, & Romani, quacunque data interualla eſſent, inſinuabant ordines ſuos: qui ſi vniuerſa acie in frontem aduerſus inſtructam phalangem concurriſſent, quod Pelignis principio pugnæ incautè congreſſis aduerſus cetratos euenit, induiſſent ſe haſtis, nec confertam aciem ſuſtinuiſſent.* [f] [f] lib. 34. Poſſet aliquis obiicere, me de modo inſtruendorum militum, & de ipſo pugnandi genere confuſe tractare: at ſecus ſentiet fortaſſe, quiſquis ea, quæ in medium affero, diligenter perpenderit; Nam Liuius ipſe, de cuneis Celtiberorum loquens, inquit hæc: *quo tantum valent genere pugnæ,* [g] vt quacunque impetum [g] lib. 40. faciant, ſuſtineri non poſſint: nam quamuis ſimul cum ordine militari ipſa dimicatio connectatur, ipſa tamen dimicatio non eſt ordo. Volens itaque Cæſar pulcherrimo exemplo, qualis Romanorum militum fuerit agilitas, oſtendere, narrat, in quodam prælio contra Germanos, cum hoſtes phalangis in morem arcti, ſcutis ſeſe occulerent, à Romanis è ſuperiore loco illos pilis vulneratos fuiſſe. [h] Et nihilominus contra Cæſarẽ ipſum talibus aliquando barbari vſi ſunt [h] l. 2. de bell. Gall. artibus, modiſq; pugnandi, vt maximo labore ab iis ſeſe potuerit defendere; Cuius rei aliquod exemplum eo libentius afferam, quia a res noſtras non minimũ ſpectat. Clariſſimum autem Eſſedarii ſpecimen ſuppeditant: Erant hi milites ex eſſedis pugnãtes, qui vndequaq; diſcurrentes tela coniiciebant, atq; ipſo terrore equorum, ſtrepituq; rotarum ordines Romanorũ plerunq; turbabant; cumq; ſe inter equitum turmas inſinuare poterant, tunc ex eſſedis deſilientes pedib. præliabantur. Interim vero aurigæ paullum è prælio ſecedebant, atq; ita ſe collocabant, vt ſi illi à multitudine hoſtium premerentur, expeditum ad hos receptum haberent: atq; ita mobilitatem equitum, peditumq; ſtabilitatem, in præliis præſtabant, tantumq; vſu quotidiano efficiebant, vt *in decliui, ac præcipiti loco incitatos equos ſuſtinere, & breui moderari, ac flectere, & per temonem percurrere, & in iugo*

inſiſtere,

inſiſtere, & inde ſe in currus citiſſimæ recipere conſueuerint. [i] In ſimilem difficultatem, cum traiecisset in Britanniam, ſe incidiſſe, ſcribit: nam Romanos propter armorum grauitatem, quod neque inſequi cedentes poſſent, neque ab ſignis diſcedere auderent, minus aptos eſſe, intellexit ad illius generis hoſtem, equiteſque ſuos magno cum periculo dimicare, propterea quod barbari conſulto plerunque cederent, & cum paullulum ab legionibus Romanos remouiſſent, ex eſſedis deſilirent, & pedibus diſpari prælio contenderent: accedebat huc, vt nunquam conferti, ſed rari, magniſq; interuallis præliarentur, atq; alios alii deinceps exciperent, integriq;, & recentes defatigatis ſuccederent.[k] Cum Numidis haud diſſimili in Africa prælio Cæſari valde cauendum fuit; nam Numidæ leuis armaturę cum equitibus procurrentes, inter legionarios pedites iacula coniiciebant, nouoq; genere pugnæ Cæſarianos mirifice vexabant; cũ vero Cæſar animaduertiſſet, ordines ſuorum iis concurſib. renouatis turbari, edixit per ordines exercitus, ne quis miles à ſignis quatuor pedes longius procederet.[l] Cõtra eoſdem procurrentes oportuit, Cæſarem milites in ordinem, & intra cancellos locare, ſicq; ex priſtina bellandi conſuetudine excedere: nam deluſis barbarorum artib. Romani, tanquam fortiores, facile vincebant: quibus tamen artibus aliquando defatigati quatuor horarum ſpacio vix paſſus centum pedibus conficere poterant: quo ſpacio neq; ipſe, neq; exercitus à quarta vigilia ad decimam vſq; diei vllum cibum ceperat, fuitq; coactus equites ſuos, qui ſitim amplius ferre non poterãt, remouere, vtq; legiones inuicem ſubſequerentur, mandare, cumq; in modum Numidarum impreſſionem vſq; ad noctem perferre; quib. difficultatibus circũlatus Cęſar, milites ſuos, quaſi laniſta quidam, non imperator, tanquam tyrones gladiatores, non veteranos, & victores condocefecit; *quo pedes ſe reciperent ab hoste, & quemadmodum obuerſi aduerſariis, & in quantulo ſpacio reſiſterent, modo procurrerent, modo recederent, comminarenturque impetu, ac prope quo loco, & quemadmodum tela mitterent, præcepit.* Adnotandum autem eſt, bellatorem illum inuictum, tot caſibus, tot victoriis illuſtrem, *factum eo tempore tardiorem, & conſideratiorem*, ſuam ſolitam velocitatem repreſſiſſe, ſuoſque veteres mores dereliquiſſe.[m]

Ex quibus facile coniicitur, non poſſe quemquam omnib. numeris abſolutum ducem vocari, niſi in diuerſis ei regionib. & contra diuerſas nationes, & differentib. bellandi modis ſuam ipſius virtutem exercere, atq; experiri contigerit. Acciderat inſuper eidem nouum, & inuſitatum dimicandi genus cũ elephantis, quos Scipio in exercitu habebat viginti, & cẽtum.[n] Cui difficultati Cæſar occurrit, remediumque inuenerat. Etenim *elephantos in Italiam tranſportari iuſſerat, quo milites ſpeciem, & virtutem beſtiæ cognoſcerent, & cui parti corporis eius telum facile adigi poſſet, ornatuſque, ac loricatus elephantus cum eſſet, quæ pars eius corporis nuda ſine tegmine relinqueretur, vt eo tela coniicerentur, præterea vt iumenta beſtiarum odorem, ſtridorem, ſpeciem conſuetudine caprarum non reformidarent. Quibus ex rebus largiter erat conſecutus: nam & milites beſtias manibus pertractabant, earumque tarditatem*

[i] lib. de bel. Gall.
[k] lib. 5.
[l] de bello Afric.
[m] ibidem.
[n] ibidem.

tatem cognoſcebant, equiteſque in eos pila præpilata coniiciebant, atque in conſuetudinē equos patientia beſtiarum adduxerat. [o] Cepit etiam conſilium, quo multitudini peditum, equitumq; Scipionis, à quibus perpetuo infeſtabatur, reſiſteret, vt trecentos ex ſingulis legionibus milites expeditos eſſe, iuberet, quod milites ſub onere, ac ſub ſarcinis defatigatos pugnare nō poſſe, exiſtimaret. Verum, quoniam elephanti non ſolum in hoſtes, ſed etiam in ſuos ſæpe ruunt, ſæuiuntque, ab Aſdrubale remedium inuentum fuit, *vt fabrili ſcalpro cum malleo occiderentur poſito inter aures ipſa in compage, qua iungitur capiti ceruix, eaque celerrima via mortis eſt in tanta molis bellua.* [p] Vbi noua ſunt genera dimicandi, atque offendendi, ibi noua oportet eſſe munimina, atque tutelas. Hinc Q. Metellus in Sicilia cum Aſdrubale bellum gerens, cum ipſe Aſdrubal centum triginta elephantos haberet; ad ſimile remedium confugit, vt profundis ante vallum foueis cauatis, iuberet haſtatis militibus, vt iaculis elephantos vexarent, eo ordine, vt cum ipſos incitatos viderent, tanquam terrore perciti ad caſtra velociter concurrerent: quo ſtratagemate, altera elephantorum parte in foueam cadente, altera contra ſuos ruente, victoriam Romani conſecuti ſunt. [q] Quemadmodum igitur ſi decem ſtrenui viri contra totidem item ſtrenuos armis paribus certarēt, iure merito, in quam partem inclinatura ſit victoria, dubitaretur; ſed contra, facile à quo victoria ſtaret, præſumeretur, ſi, cæteris paribus, altera pars armis melioribus vteretur; non aliter in bello armis bene inſtructus exercitus facilius hoſtem ſuperabit. Nam etiam in ſingulari certamine (inquit Liuius) duo quidam iuuenes Hiſpani ſanguine coniuncti cum certarent, *maior vſu armorum, & aſtu facile ſtolidas vires minoris ſuperauit.* [r] Et contra admirabiles Archimedis machinas, & inſtrumenta inuictam Romanorum potentiam nihil valuiſſe, compertum eſt. [ſ] Ex quibus exemplis elicimus, non ſolum maximam eſſe differentiam, quomodo prælia committantur, cum id obſeruantes Romani orbis terrarum dominationem occupauerint, imitantes in hoc genere, quicquid boni cæteræ nationes inueniſſent, aut perfeciſſent; ſed etiam ſtatuere poſſumus, cum Turcæ nobis numero, & militari diſciplina præcellant, neceſſe eſſe, vt ambas illas ipſorum prærogatiuas armis, & genere pugnandi exæquemus, & addentes animi fortitudinem, Zelum religionis, veræque gloriæ ſtimulum, ipſos ſuperare nitamur.

[o] Ibidem.
[p] Liu. l. 27.
[q] Frontin. l. 2. c. 5.
[r] lib. 28.
[ſ] lib. 24.

De Conſilio quodam ad Turcas in officio continendos.

DISCVRSVS VI.

GLoriatur Tiberius, ad Germanicum ſcribens, ſe, nouies à diuo Auguſto in Germaniam miſſum, *plura conſilio, quam vi perfeciſſe.* Neque abs re; nimirum ſciebat, ea imperia, quæ incruentis bellis obtinentur, cumulatiora laudibus eſſe. Neq; vero hanc, vbi reip. regimen aſſumpſit, opinionem depoſuit; etenim quia Romani magnitudinis ſuæ nullos tunc, exceptis Parthis, æmulos, & competitores ha-

res habebant, ibi Callidius, quam erga alios populos, omnibus artibus graſſandum, & omnem ad ipſos alliciendos induſtriam adhibendã eſſe, cenſuit: Proinde quia penes Auguſtum, quoad vixerat, aliqui è ſanguine Arſacidarum nunquam defuerant, ipſe quoque libenter illos quaſi obſides habebat, quo res Parthicas pro opportunitate turbaret, ſuetus illud dicere; *conſiliis, & aſtu externas res moliri, arma procul habere.* Verum haud inutile erit, conſiderare, cur regius Parthorum ſanguis Romæ detineretur; ſic enim principum artes, & dominationis arcana facilius retegemus. Sciendum autem eſt, cum Auguſtus Phraatem Parthorum regem amicum ſibi conciliauiſſet; regem aliquot ex filiis ſuis Romam educandos miſiſſe. Quæ res Populo Rom. per ſpeciem honeſta, diuerſa tamen vtrinque conſilia fouebat: rex enim non id reuera agebat, quod Romanos vereretur, ſed potius quia ſubditis ſuis non fidebat. Nam filiis Romæ degentibus, ſubditi ſi forte aſperius tractarentur, confugio illo priuabantur: quod ſi ſubditi nihilominus res nouas tentarent, à filiis, præſertim Romanorum auxilio munitis, ſibi ipſis timendum erat. Rurſum Auguſtus non vano animi ſenſu, quaſi pignora Arſacidarum educaret, ſed reconditiore conſilio horum amicitiam colebat, vt ſcilicet regiorum adoleſcentum ope, prout occaſio ſeſe obtuliſſet, ad ſecuritatem imperii propagandam vteretur. Deſunt reliqua, *& hanc lacunam habent etiam editiones Italicæ: prudenter, ne forte hoſtis fiat arcanorum conſcius.*

Ius gratiæ non dandum, neq; cuiuſquam noxas meritis compenſandas eſſe.

DISCVRSVS VII.

FAcere non poſſum, quin admirer, Tiberium, principem omnium ſeueriſſimum, tantum Vrgulaniæ conceſſiſſe gratiæ, atque potentiæ, vt teſtis in cauſa quadam, quæ apud Senatum tractabatur, venire dedignaretur, fueritque miſſus prætor, qui domi interrogaret: cũ virgines veſtales in foro, & iudicio audiri, quoties teſtimonium dicerent, vetus mos fuerit.[a] Et reuera nihil deterius, pernicioſiuſq; reſp. aut princeps vnquam facit, quam cum iuſtitiam, & gratiam ſimul cõfundit, & merita cum noxiis compenſat. Quem errorem, maximumq; in Rep. regenda peccatum Romani, antequam corruptis moribus eſſent, diligẽtiſſime cauerunt. Hinc etiamſi alter Horatiorum, Curiatios vincens, reip. ſalutem in tuto collocauiſſet; nihilominus cũ in reditu ab illo certamine, ſororem, quę virũ ſuũ ex Curiatiis alterum lugebat magis, quam victoriam fratris, reiq; publicæ vtilitatem gratulabatur, interfeciſſet, morte damnatus eſt: Quamquam autem abſolutus deinde fuit, hoc magis ideo factum eſt, quia, cum ad populum prouocaſſet, populus æquitatem hanc vtilitati publicæ poſtpoſuit, quam quia iure cauſæ abſolui mereretur. Itaq; neceſſe fuit, vt manifeſtam ſororis cædem piaculis quibuſdam lueret, *nempe capite adoperto vt ſub trãſmiſſo per viam tigillo, velut ſub iugo, tranſiret,*

[a] *Tac. l. 2.*

b lib.pr. *tret*, quod *ſororium tigillum ad Liuii vſq; tempora vocatum fuit.* [b] Neq; minus Manlii virtus elucebat, cum ab impetu Gallorum Capitoliũ ſeruauiſſet, ac proinde Imperii Romani ſalus virtuti eius deberetur: quæ tamen nihil obſtitit, quin propter
c lib.6. delictum, quod ſtatim ſubiungam, de ſaxo Tarpeio deiectus fuerit. [c] de quo prudenter autor quidam diſſerit. Verum Liuius, natus autor ad maieſtatem rerum Romanarum ſtylo adæquandam, ſi alicubi hanc ſententiam exerendam putauit, eandem quidem ibi ſapientiſſime exeruit, vbi de controuerſia, quę inter Carthaginenſes, & Maſſiniſſam vertebat, ſermonem inſtituit; cuius hiſtoria talis. Cum Romani Carthaginenſibus pacem conceſſiſſent, atque inter cætera, ne extra fines efferrent arma, neque ſociis Populi Rom. moleſtiam vllam faceſſerent, vetuiſſent, Maſſiniſſa autem, vt ſocius Populi Roman. Carthaginenſibus amplius quam ſeptuaginta oppida, caſtellaque ademiſſet, miſerunt ii Romam legatos, orantes, vt trium harum rerum vnam ab ſe impetrari ſinerent: vel ex æquo apud ſocium populum, quid cuiuſque eſſet, diſceptarent: vel permitterent Carthaginenſibus, vt aduerſus iniuſta arma pio, iuſtoque ſe tutarentur bello: vel ad extremum, ſi gratia pluſquam veritas apud eos valeret, ſemel ſtatuerent, quid donatum ex alieno Maſſiniſſæ vellent: modeſtius certe daturos eos, & ſcituros, quid dediſſent; ipſum nullum, præterquam ſuæ libidinis arbitrio, finem facturum. Romani, cum Romæ Guluſſa Maſſiniſſæ filius adeſſet, iuſſerunt extemplò, nuntiaret patri, vt de iis, de quibus Carthaginenſes querantur, legatos quam primum ad Senatum mittat: *ſi aliquid poſſent, Maſiniſſæ honoris cauſa, & feciſſe, &*
d lib.42. *facturos eſſe: ius gratia non dare.* [d] Iiſdem rationibus ductus Seruilius Seruium Galbam reprehendit, quod P. Æmilium accuſans, rogationem, quæ de triumpho eius lata fuerat, antiquare conaretur: nam iuxta antiquam Romanorum diſciplinam gloriæ fructus denegandus non erat ei, qui meruiſſet: quod ſi in aliqua re ipſe peccauiſſet, vnicuique liberum eſſe eundem accuſare, concluditque, *L. Paulum rei bene geſtæ præmium acquiſiuiſſe non minus, quam ignominia no-*
e lib.45. *tatus fuiſſet, ſi quid antiquo, recentique decore ſuo indignum patrauiſſet.* [e] Egregium quidem, atque vtiliſſimum inſtituendi principum filios genus eſt, vt equo hærere, haſtis certare, & militaria ludicra omnis generis exercere, non ignorent: at multo præſtantius eſt, illos iuſtitiam, & artem populorum regendorum, cui bellica diſciplina ſubditur, doceri: hæc ipſis perpetuo prælegenda & dictanda forent: hæc ſimul cum lacte imbibere, & creſcentibus annis meditari, mox ad actionem deſcendere deberent. Hæc ſola eſt doctrina tuta, hæc populorum amorem conciliat, hæc allicit plurimos, vt ſe tibi ſpõte ſua ſubiiciant: glorioſa eſt quia, cunctis ſe in cœlum efferentibus, in animis etiam inimicorũ æmulation: deſideriũ gignit: eſt diuinitatis particeps, quia nihil magis homines ęquat Deo, quam iuſtitia. Veruntamen, ne quis hanc Romanorum tantem credat fuiſſe virtutem, videndum eſt, quo pacto Spartani aduerſus eos, qui prẹmio, pœnave afficiendi erant, ſeſe geſſerint. In eo bello, ꝙ inter Spartanos, & Thebanos geſtũ eſt, in quo interfectus fuit Epaminondas, pulcherrimus, ſtrenuuſque adoleſcens

Iſida Febidæ filius haſtam manu tenens,altera gladium,cætera nudus,& inermis hoſtes adortus,indomitiq; leonis inſtar,obuios quoſq;vulnerans,illæſus ad ſuos reuerſus eſt:propter quam admirandam virtutem, & audaciam Ephori eum coronandum eſſe in præmium, cenſuerunt, at eodem nihilominus decreto mille drachmis condemnatus eſt, quod inermis tantum periculum ſubiuiſſet. [f] A Romanis ad Lacedæmones digreſſi, barbarorum in hac re mentem diſpicere,non eſt ſuperuacaneum: & quamuis exemplum, quod referam, multum barbariei, & crudelitatis admixtum habere videatur, nihilominus illud attente conſideranti, ex eodem fonte iuſtitiæ, quamuis aquis quodammodo turbatis, manare videbitur. Fuit aliquando Xerxes in expeditione contra Græcos à Pithio Lydo ſimul cum toto exercitu hoſpitio ſuſceptus; præterea ſpoponderat Pithius,ſe pecuniam in bello ei ſuppeditaturum,obtuleratque illi ingentem vim auri,atque argenti,quæ quadrageſies cẽtena millia aureorum conficiebat, demptis ſeptem millibus, quæ deerant: rex ipſum hoſpitem ſuum fecit, & ſeptem illa millia, quæ deerant,ſuperaddidit, illumque ad fidem ſeruandam animauit, promittens,nunquam fore,vt ita agentem neque in præſens,neq; in poſterum pœniteat. Ex quibus blandimentis Pithius ſumpta fiducia regem rogauit, vt ex quinque filiis,quos ſecum in Græciam abducebat,militiæ vacationem ei,qui natu maximus erat, indulgeret; vt ſui ipſius, & patrimonii curam gereret, cui rex:*Homo improbe, tune, cum ego ipſe in expeditionem eam aduerſus Græciam, filioſque meos,fratres, domeſticos, & amicos ducam, auſus es mentionem filii tui facere,qui meus es ſeruus,quem oportebat cum omni familia, & vxore me comitari? in eo, quod mihi obtuliſti, non permiſi,vt regem munificentia antecederes, imo te & quatuor filios liberaui tua munera, vnius autem, quem præcipue complecteris, damno multabere,* iuſſitque,vt maximus natu Pithii filius medius diſcinderetur, eiuſque diſciſſi dimidium ad dexteram viæ, dimidium ad ſiniſtram diſponeretur, & illac tranſiret exercitus. [g] Ex quo apparet, regem noluiſſe,quæ donauerat, repetere:neque pœnam, quam homo ille meruerat, remittere: quia cum rex contra Græcos publici boni cauſa expeditionem ſuſcepiſſet, poteſt vnuſquiſque dignoſcere,à Pithio priuatum commodum cauſæ publicę antelatum fuiſſe:quod, quemadmodum alibi diximus,in reip. gubernatione valde reiiciendum eſt. [h] Ab his Perſarum,Lacedęmonum,& Romanorum ſeueritatis exemplis Imperatores Romani maxime degenerauerũt;vnde cum Plancina non minus, quam Piſo maritus eius,quod Germanicum veneno ſuſtuliſſet, accuſaretur, Liuiæ Tiberii matris fauor, & patrocinium illam de carnificis manu liberauit: proinde cum Tiberius illud, quod maiores dixerant Guluſſæ, *ius gratiæ non dare*, dicere non poſſet; inquit autor, de cauſa hac ipſum *cum pudore, & flagitio differuiſſe*, [i] excuſans ſe,maternis precibus ad id compelli, cum tamen paullo antea, *honores fœminarum moderandos eſſe*,dixiſſet, matrique non niſi lictorem vnum conceſſiſſet, ara adoptionis, & ſimilibus vetitis: ſed iure ſe excuſabat, quia illo caſu Liuiæ repulſam *in diminutionem ſui* accipiebat. [k] In hoc autem matri ap-

[f] Plut. in Ageſilao.
[g] Herod.l.7.
[h] lib.pr.
[i] lib 3.
[k] lib.pr.

plaudens, ſibi ſatisfaciebat, quia Plancina à timore, quem Germanicus incuſſerat, ipſum liberauerat; atque inde forte Tiberius diſſeruit in Senatu *cum pudore & flagitio.* Et quamquam Plancina tandem criminis ſui pœnas dedit, [l] id nihilominus Tiberium non eximit à culpa, quo minus fauorem ipſi iuſtitiæ antepoſuerit: & morbi iſtius publici cauſa, quã deteſtamur, ea eſt, quam ſuperius diximus, quia ſcilicet duobus veluti pedibus, præmio, & pœna, omnes reſp. innituntur, [m] neq; diligenter, & exacte virtutis opera præmiis, flagitia vero pœnis afficiuntur, contra diuinæ iuſtitiæ præſcriptum, quæ nihil irremuneratum, nihil impunitum relinquit; imo, quemadmodum qui bonum opus non remuneratus eſt, primam cõmiſit iniuſtitiam; ita qui malum opus non caſtigauit, ſecundam: Quemadmodum Phocio de illo milite dixit, qui bis locum deſeruerat, ſemel, cum vlteriorem locum, quam dux præſcripſerat, occupauit; iterum, cum reuerſus, eum, quem prius elegerat, non retinuit. [n] imo cum probe facta nullis laudibus, ac præmiis afficiuntur, tunc ad deteriora homines inuitantur, ſumpto videlicet eo argumento, quod ſi bona opera non remunerantur, ergo neque mala puniuntur, vnde improbi audentiores fiunt.

[l] *lib. 5.*

[m] *ſupra eod. diſc. 2.*

[n] *Plut. in Phocione.*

Nihil Principi glorioſius eſſe quam illuſtres habere ſubditos quamplurimos.

DISCVRSVS VIII.

SI quis Principes interroget, eccur pumiliones, item leones, tigres, & id genus ferocia animantia domi nutriant, dubio procul, quia rara illa, neque paſſim vulgi oculis conſpectu facilia ſunt, ideoque ad eorum id magnitudinem ſpectare, reſponderent: Nam equorum greges quotidianis neceſſitatibus, & bello, canum multitudo venationi, ipſi etiam ſcurræ laxandis grauiſſimorũ virorum animis deſeruientes, aliquam præſeferunt cauſam vtilitatis, illa vero, quæ diximus, in ſpeciem tantum, aulæque ornamentum reſeruantur. Quod ſi ita ſe habet, quo rariora quiſque princeps in ſuis ditionibus habet, profecto ipſius gloria eo magis refulget. Proinde ii, qui præ cæteris ſapuerunt, principes omnem ad id induſtriam adhibendam eſſe, exiſtimarunt, vt antiquã nobilitatem in ſuo principatu ſartam tectam conſeruarent; vtque matrimonia inirent, ne familiæ deficerent, curauerunt, eorumq; paupertatem adiuuerunt non propter aliam cauſam, niſi quia quo illuſtrioribus imperant, eo ſibi maiorem imperantes gloriam vindicant. Inter cæteros id perappoſite Auguſtus præſtitit; non enim ſolum Hortalum Hortẽſii nepotem, vt vxorem duceret, hortatus, ſed ei pecuniam largitus eſt, ne, vt inquit autor, *clariſſima familia extingueretur.* [a] Idemque fecit Tiberius erga quoſdam ad paupertatem redactos Senatores, quamquam erga Hortalum non admodum benignus, *nobilitatem vtriuſque iuuandam præfatus.* [b] At vero ipſe priuſquam celebre illud quinquennium expleſſet,

[a] *lib. 2.*

[b] *lib. 2.*

hanc ſibi laudem præripi noluit:nam Collegæ ſuo in Conſulatu Valerio Meſſalę, cuius proauus Coruinus Auguſto, abauo Neronis, collega in eo magiſtratu fuerat, *donauit in ſingulos annos quingena ſeſtertia, quibus innoxiam paupertatem ſuſtentaret*, eandemq; exhibuit liberalitatem Aurelio Cottæ, & Aterio Antonino, ex illuſtribus familiis oriundis. [c] Et Salomon, qui fuit & maximus & ſapientiſſimus rex, inter prouerbia, *In multitudine*, inquit, *populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis.* [d] Sic nos tanto maiorem eſſe principem, aſſerere poſſumus, quanto ſplendore ac nobilitate illuſtrioribus leges præſcribit. Principum nomina ſubticebo, ſed illud mihi compertum eſt, cum inter duos dominos aliquando orta eſſet contentio, quod alter altero potiorem ſe eſſe dixiſſet; ita compoſitum fuiſſe diſſidium, vt alter declararet, ſe potioribus ſubditis quam ille, cum quo cōtentio erat, imperare. Et memoria recolo, cum aliquando Romæ à Cardinalibus Caſtilione, & Criuello cōuiuio exceptus fuiſſem, audiuiſſe ipſorum alterum narrantem, Pium IIII. Pontificem, cum ambos ſimul cum Vicecomite ad Cardinalitiam dignitatem promoueret, ad familiarum nobilitatem reſpexiſſe, quia ſingulæ inter maiores ſuos Pontificem habuiſſent. Non me latet, obiici mihi poſſe, me antiquius ſimpliciusq; loqui, quam hominem politicum, atque prudentem deceat. Nam quo populi ſunt humiliores atque abiectiores, eo tutius atq; tranquillius iis imperatur; Turcam huiuſce rei argumentum præbere, cui in regnis & prouinciis debellatis moris eſt nobilitatem extinguere: Ducem Valentinum, vt imperium ſibi in Eccleſiaſticis ditionibus conſtrueret, idem effeciſſe. Reſpondeo, nullam eſſe methodum compendioſiorem quam hanc, ad educendam tyrannidem, ſed mei muneris non eſſe tyrannos docere, bonos autem iuſtoſque principes vtinam aliquatenus dirigere concedatur; qui cum in terris imago quędam ſint, & vmbra ſummi illius Dei, curare potiſſimum debent, vt quemadmodum Deus Angelorum Hierarchiis in diuerſos ordines, gradus atq; officia diſtributis imperat, ſic ii penes ſe viros nobilitate & virtute præſtantes habeant, & omnis generis homines ſumma charitate ſuſtentent. Et quoniam quilibet princeps vnum, pluresve arbitratu ſuo diuitiis cumulare quidem poteſt, ſed antiquū creare nobilem non poteſt, ideo cum in aliquem nobilium harum plantarum ramum areſcentem incidit, purgare ipſum, vt ſuccreſcere poſſit, vtq; nobiliſſima illa planta conſeruetur, opem ferre neceſſe eſt: nam quemadmodum viliſſimus quiſq; agricola habebit quidem in agello ſuo pyra, ceraſa, ſed palmas, cedros, & huiuſmodi plantas non habebit, ita minimę cuiuslibet ditionis dominus habebit quidem, quibus imperet, ruſticos, ſcribas, pharmacopolas, ſed nobiliores nō item; magniſq; tantum principibus ſorte datum eſt, vt aliquando potioribus ſe & antiquioris nobilitatis viris dominentur. Huic diſſertationi coronidis loco addam locum ſacræ paginæ ex Ieremia, qui nihil ſub ſpecie Hieroſolymæ lamentabilius afferre videtur præ lamentatione illa, qua nobiles eius ciuitatis delendos fore, deplorans, *Abſtulit*, inquit, *magnificos meos dominus de medio mei.* [e] Principes igitur nobilibus viris opem ferant, ſubſidia vitæ, honeſtatiq; neceſſaria munifice

[c] lib. 13.

[d] Prouer. 14.

[e] 1. Lament.

largiantur, ſin, ne familiæ illæ extinguantur, at ſaltem ne ſui imperantis dignitas & gloria diminuatur.

Vbi multitudo deliquit, in ſingulos inquirendum non eſſe.

DISCVRSVS IX.

DEfuncto Auguſto, cum primum Tiberii facinus Poſthumi Agrippæ cædes fuiſſet patrata in inſula Planaſia, vbi fuerat ab Auguſto ob eius ferociam relegatus, quidam Agrippæ ſeruus nomine Clemens paucis poſt annis, cum ætate & forma haud diſſimili in dominum ſuum eſſet, non ſeruile inceptum aggreſſus eſt: nam cineres domini furatus, Agrippam ſe profeſſus erat, vagoque rumore iam multorum animos concitauerat, iamque Romæ, & per imperium viuere Agrippam, nō ſine diſcordiarum, armorumq; ciuilium periculo crebreſcebat. Tiberium autem anceps cura diſtrahebat, neq; ei ſatis, quid agendum, conſtabat, vi ne militum ſeruum ſuum coerceret, an inanem credulitatem tempore ipſo vaneſcere ſineret, cumq; dubitaret, ne in mora periculum foret, poſtremo Salluſtio Criſpo negotium dedit, qui cum vinctum in palatium traxit, quem deinde in ſecreta palatii parte interfici iuſſit, & clam auferri: ſubdit Tacitus, poſtquam hiſtoriam narrauit, *Quamquam multi è domo principis, equiteſque ac Senatores ſuſtentaſſe opibus, iuuiſſe conſiliis dicerentur, haud quæſitum.* [a] Nemo neſcius eſt, Tiberium omnium crudeliſſimum fuiſſe, vnde credibile non eſt, quæſitum non fuiſſe in ſocios criminis propter clementiam, ſed putandum eſt, principem noluiſſe, vt prouerbio dicitur, *irritare crabrones.* Neronis temporibus Puteolis Senatorius ordo, & plebs diſcordes tumultum non mediocrem ediderant; qui tumultus cum eo proceſſiſſet, vt ſeditio ad ſaxa, & minas ignium progreſſa, necem & arma perliceret, Nero data cohorte prætoria, ad Scribonios fratres eam curam tranſtulit, cuius *terrore, & paucorum ſupplicio* oppidanis concordia reſtituta eſt. [b] Diximus, Tiberium fuiſſe immanis crudelitatis principem, quis non idem de Nerone adſtruet? nemo tamen non videt, ſimilibus caſibus quam manſuete vterque ſeſe geſſerint, & ratio eſt, non tantum quia iuſtitia cum clementia coniungenda fuerat, & quia plerique gaudent, ſi quod alius cauſa faciunt, vt id clementiæ gratia egiſſe credantur: ſed etiam quia longe minora mala moderate agendo, quam crudelitatem exercendo, ſuccedunt: quemadmodum in conſilio, quod Otho in militari ſeditione cepit, adnotare eſt: nam cum milites tumultuarentur, ille blandimentis verborum, item ſeueritate animaduerſionis non in plures, quam in duos animaduerti iubens vniuerſis pergratus extitit. [c] Neq; Valens imprudenter effecit, cum Batauos in officio continuit *animaduerſione paucorum.* [d] Ille optimus inter cæteros dicitur artifex, qui non vnam tantum rei faciendæ experientiam, ſed plurimas

a lib. 2.

b lib. 13.

c lib. 17.

d lib. 17.

colle-

collegerit, vnde operationis illius ſcientiſſimus, in ea tuto feliciterq; ſuam poterit artem oſtentare. Cum Ariſtides certior factus eſſet, pleroſque Athenis generoſos ciues, quod ad paupertatem deueniſſent, à magiſtratibus, publicisq; muneribus excluſos, contra populum cõiurauiſſe, & niſi conſpiratio ex voto ſuccederet, velle ciuitatis ſtatum ſubuertere, hoſtibusq; adhærere; Ariſtides (vt erat ſapiens vir) tãto futuro incendio vt aliquod remedium afferret, curauit, vt octo ex coniuratis tantũ caperentur, & palam hortatus omnes, vt læto animo eſſent, quia prælium cum hoſte iamiam conſerendum declaraturum erat, quis erga patriam amicum, an hoſtilẽ animũ gereret, pœnitentię iis, qui latere credebant, locũ reliquit: eos vero, qui de ſalute ſua ambigebant, ad culpam illam delendam incitauit. Neq; ſolũ Græci, qualis Ariſtides fuit, Romaniq; Imperatores, & duces eorum in periculis eiuſmodi mitius agendum eſſe, ſenſerunt; ſed etiam iisdẽ veſtigiis inhæſerunt ii, qui antiquã remp. gubernarũt. Vnde laudantur Corn. Coſſus, & I. Medullinus Coſſ. quod paucis quibusdã punitis ſumma dexteritate atq; moderatione quæſtionem de Poſthumo tribuno militũ occiſo terminauiſſent. [e] Id contigit anno 342. Quem morem Romani retinentes, cum iam lapſi eſſent 203. anni poſt excitatam de Bacchanalibus quæſtionem, in qua innumera plebs & patricii comprehendebantur, patres vnanimi conſenſu prætori L. Puppio *id perſecare, ne ſerperet iterum latius, iuſſerunt.* [f] Quod ſi apud antiquos autores legeremus, quanta modeſtia, atque animi tolerantia potentiſſimi Imperatores plebis impatientiam ob annonæ penuriam tulerint, facili negotio, quam diuerſa ab aliis in huiuſmodi delictis puniendis via tenenda ſit, intelligeremus. Abſtinebo ab excellentium principum exemplis, ne ſpes imitationis præcidatur: ſed Claudii Cæſaris, ad crudelitatem propendentis principis, exemplo contentus, in memoriam reduco, eundem arctiore quadam ob aſſiduas ſterilitates annona, medio foro detentum fuiſſe à turba, conuiciiſque, ac ſimul fragminibus panis ita inſtratum, vt ægre, nec niſi poſtico euadere in palatium potuerit: neque tamen plebi iratus fuit, aut ne vnum quidem puniendum eſſe putauit, ſed curam maiorem ad inuehendos etiam tempore hyberno commeatus adhibuit, negotiatoribus certa lucra proponens, ſuſcepto in ſe damno, ſi cui quid per tempeſtates accidiſſet, & naues mercaturæ cauſa fabricantibus magna commoda conſtituit. [g] Neq; profecto absq; ratione in talibus principibus animaduertendũ eſt, modo crudeliſſime flagitia & ſcelera quęq; corrigi, modo per ſummã patientiã diſſimulari: propterea ꝙ illa inuiolabiliter punienda videntur, quę ex quadã contra ſuũ principẽ rabie originẽ trahunt, mitius a. quæ ab impatientia iuſtoq; dolore deriuanẽ, aliiſve de cauſis, quib. humana fragilitas vix, ac ne vix quidẽ poſſit reſiſtere: qualis erat populi fames, de qua modo egim', qualis diſcordia Puteolanorũ, quæ cõtra principem nõ tendebat, qualis militum Othonis tumultus, qui ꝓpter charitatẽ erga ipſum potius, q̃ propter aliã cauſam deliquerunt. Imo quiſquis eos, ꝗ pſeudoagrippę opẽ aliquã tulerũt, introſpexerit, excuſatione nõ indignos arbitrabitur, quia ex ſanguine Auguſti, cuius memoria apud Rom. venerãda erat, ori-

[e] *Liu. l.* 4.

[f] *lib.* 30.

[g] *Suetonius.*

undus putabatur. Quod ſi etiam error in ſimilibus, peccatumve maximum committeretur, tamen Chriſtiani principes eo maiorem pietatem ac miſerationem exhibere tenentur, ſiue clementiam ſpectes, ſiue prudentiam, quo mitiores atq; modeſtiores fuiſſe antiquos, alioquin crudeles principes animaduertunt. Neque ideo quia pleraq; feliciter, & ex animo ſucceſſerunt, in exemplum adducenda ſunt, ſed potius quia bene vel male conſilio directa fuerunt. Verum ſæpenumero ii, qui populorum gubernationi præficiũtur, data opera ſeuerius in eos animaduertunt, vt ex iis ſiue ad ſeditionem, ſiue etiam ad rebellionem cõcitatis, lucrum maius aucupentur, cum tamen ad ſolos principes damnum pertineat. Qui principes ſi huiuſmodi miniſtros aliquando eadem ſeueritate plecterent, qua ipſi iniuſtiſſimis modis miſeros populos haud raro affligunt, ſibi ipſis gloriam & ſecuritatem compararent, ſubditis vero quietem & tranquillitatem; paucorumque animaduerſione multos docerent, quo pacto ad honorem diuini nominis, ad principis beneficium, ad publicum bonum, non ad commoda priuata regendæ ſint prouinciæ.

Quale gymnaſium principibus frequentandum.

DISCVRSVS X.

QVicunq; in arte pingendi laudem aliquam parare cupit, eum videmus, obnixe laborare, vt antiqua opera, præſertim quæ à Romanis accepimus, perbelle imitetur, quoniam Romani hanc artem præ nobis calluerunt. Idem præſtant, quicunque in egregios Philoſophos euadere concupiſcunt, verſantes nocturna diurnaq; manu Græcorum libros, præſertim Platonis & Ariſtotelis, quoniam ii Philoſophi præ Romanis, & nobis etiam admiranda naturæ opera excellentius aſſecuti ſunt. Deniq; videmus, omnes ad alicuius artis decus atque culmẽ adſpirantes ad antiquiores, & doctiores, qui eam artem tractauerint, confugere. Soli principum filii (vt videtur) ea documenta percipere, eamque ſcholam frequentare negligunt, vnde artem, qua maximi principes euadant, ediſcere queãt. Quibus ſi exemplo filiorum Cęſarum Romanorum illam eandem ſcholam ego indicauero, ſpero fore, vt autoritate moueantur, neq; meum ſtudium improbẽt; pręſertim cum Romani melius, quam artem pingendi atq; ſculpendi, quas ex iiſdem Græcis hauſerunt, imo melius quam cæteras quaslibet artes, & exactius, quam cęterę nationes, hanc artem regendi intellexerint atque exercuerint. Videamus itaque, quo pacto Tiberius filium Druſum inſtituat: qua de re ita Cornelius: *Nec multo poſt Druſus in Illyricum miſſus eſt, vt ſueſceret militiæ, ſtudiaq; exercitus pararet, ſimul iuuenem vrbano luxu laſciuientem melius in caſtris haberi Tiberius, ſeque tutiorem rebatur vtroque filio legiones obtinente.* [a] Hæc verba examinantes facile, ſchola filiorum principum quæ ſit, intelligimus: tres enim innuit cauſas ad filiorum, qui mittũtur, vtilitatem ſpectantes, quartam ad eum, qui mittit. *In Illy-*

[a] Tac. libr. 2.

ricum miſſus eſt. Illyricum autem limes erat Romani imperii, vbi ad reprimendas barbarorũ incurſiones, etiam ad ipſos inuadendos legiones detinebantur: *ad exercitum miſſus eſt*, vt aſſuefieret militiæ, quæ prima eſt cauſa, deinde militum beneuolentiam ſibi pararet, & hæc altera, & ne in vrbe pigritaretur, aut laſciuiis æqualium corrumperetur, & hæc fuit tertia: ſed ad has quarta adiiciebatur pro Tiberio, quia ſe tutiorem rebatur, *vtroque filio legiones obtinente.* Ad primam conuerſus, diſcutiendum propono; militarem artem eius naturæ eſſe, vt oculis, & coram videri probarique debeat, non auribus & nunciis addiſci: nam tametſi pleraque ad artem hanc ſpectantia ex libris cognoſci queunt, aut ab iis, qui bello interfuerunt, addiſci, nunquam tamen, niſi quis reuera militię ſueuerit, perſuadebit cuiquam, vt miles exiſtimetur, eamve artem attingere, & per occaſionem exercere valeat; non ſecus atque accideret Muſicis illis, qui artem Muſicam egregie quidẽ callent, at cantare ignorant: aut principi alicui, ſi, vbi Muſicos egregios compaſſet, artem quidem ſcientes, ſed vocum grauitate, aut acumine, & ſuauitate neceſſaria carentes, pergeret coram omnibus profiteri, eoſdem eſſe præclariſſimos: credo enim auditores parum ex iis voluptatis hauſuros eſſe. Sed præter exempla poſſet etiam afferri ratio; nempe quia non ſufficit militi militarem artem animo comprehendiſſe, ſed manibus, pedibus, toto corpore vt ipſam repræſentet, neceſſe eſt. Hinc Tiberius ad Senatum ſcribens de duce eligendo, qui mitteretur in Africam, oſtendit, eligendum eſſe virum *gnarum militiæ, corpore validum, & bello ſuffecturum.*[b] Latius me explicabo, erit enim operæpretium. Militaris ars nihil mihi videtur aliud eſſe, quam quædam armorum meditatio, & exercitatio: miles autem ille melior erit, qui diutius atque diligentius in ea ſeſe exercuerit: exerceri vero vix poterit, niſi ab ineunte ætate inceperit. Modo rem acu tango, cæteris intactam, at verbis autoris incluſam, artem ſcilicet hanc in puerili ætate diſcendam eſſe; nam tertiam cauſam adducens, Druſum, inquit, miſſum eſſe in Illyricum, ne iuuenis vrbano luxu corrumperetur, & tamen ex hiſtoriis videre eſt, eum tunc adoleſcentulum fuiſſe: modo vt militaris ars nihil ſit aliud, quam armorum exercitatio, ipſa vox indicat, cum exercitus inde dicatur. Inſuper excellenter id ex proœmio operis Vegetii cognoſcitur, vbi ſcilicet animaduertit, Romanos Gallis fuiſſe numero minores, Germanis corporis magnitudine, Hiſpanis numero, & robore corporis, Africanis ſagacitate & opibus, Græcis cognitione diuerſarum artium, & prudẽtia: tamen iidem Romani armorum meditatione ſingulos illos debellauerunt, orbemq; terrarum deuicerunt. Virgilius egregie id innuit iis carminibus, quibus cæteris quidem populis ingeniorum, artium, eloquentiæq; laudem facile concedit, ſed Romanorum aſſerit opus eſſe, ſuperbos debellare, & ſubiectis ignoſcere: quæ ſine artis militaris ſcientia nemo præſtabit. Altera vero, quę Tiberium mouit, ratio fuit, vt ſtudia exercitus pararet, quę maximi momenti eſt: Nam priſci Imperatores nihil æque curauerunt, quam hæc militum ſtudia, adeo vt nunquam duces, qui Senatores eſſent, ad exercitus miſerint. Tiberius cuidam, qui ſuam de militibus ſententiam proferre auſus fuerat,

[b] *lib. 3.*

[c] lib 5. [d] lib. 17. [e] ibidem. [f] Lib. 16. [g] lib. 2.

iratus reſpondit, *repeririſſe prorſus, quod diuus Auguſtus non prouiderit.* [c] Galba nomine negligentiæ accuſatur, quod ab Othone conuiuio exceptus non animaduerteret, Othonem largitionibus militem corrumpere. [d] Proinde exercitus, vt in fide perſeuerarent, procul diſtinebantur. [e] deq; ducibus ipſis nunquam non aliqua ſuberat anxietas, & ſuſpicio. [f] Auguſtus inter alia dominationis arcana, vetitis, niſi permiſſum ingredi, Senatoribus aut equitibus illuſtribus, ſepoſuit Ægyptum, ne fame vrgeret Italiam, quiſquis eam prouinciam clauſtraq; terræ ac maris, quamuis leui præſidio inſediſſet. [g] Itaq; propter has ſuſpiciones neceſſe erat filios Cæſaris exercitibus miſcere, quo ſtudia exercitus pararent, neve milites alijs aſſueſcerent. Hinc adoptiones fiebant, & anxia ſucceſſionis cura habebatur, quo nempe milites principi fidem non modo in præſens, ſed in futurum præſtarent. Maiores domi Regum Galliæ (ſic vocabatur præcipuus regni magiſtratus) ij fuerunt, vnde familia Caroli Magni proceſſit, & coronam ſceptrumq; occupauerunt, & Marorucos depoſuerunt non aliam ob cauſam, niſi quia inertiſſimi Reges aulæ, militumq; ſuorum totam iiſdem Maioribusdomi curam delegauerant; Succeſſores Vghi Ciapettæ animaduertentes, hanc Maiorumdomi autoritatem in Comeſtabilibus quomodo renouatam, noſtris temporibus hanc dignitatem abrogauerunt. Ergo filios principum ad bellum proficiſci decet, vt militiæ aſſueſcant, noſcanturq; à militibus, militesq; viciſſim eos noſcant, deinum vt adoleſcentiam cum laude traducant, quę tertia ratio eſt: Nam fieri non poteſt, vt corpus multum, diuq; otio, laſciuiiſq; aſſuefactum, repente laborem tolerare queat. Neq; inexploratum mihi eſt illud, quod à ſapientiſſimo quodam autore [h] proditum eſt, delicias nullum afferre impedimentum militiæ, ideo quia etiam Artoxerxes nihil perterritus auro, purpura, aut luxu duodecim millium talentorum, quæ in ſui corporis ornatum impendere ſolebat, ex equo nihilominus deſcendit, potuitq; per aſpera, & montana loca longas regiones perambulare, ſingulis diebus viginti quinq; millia paſſuum pedibus conficiens. Nam quis mihi negauerit, multo facilius, multoq; minore fatigatione id præſtari poſſe ab eo, qui longa conſuetudine fuerit induratus, quam ab altero, qui ſolo animi vigore corporis imbecillitatem corrigere cogatur. Romana nobilitas Cæſarum temporibus deliciis admodum indulgebat; nihilominus quia ætate iuuenili bellicis laboribus operam nauauerat, hinc accidebat, vt neceſſitate cogente priſtinos mores reſumeret: adeo vt à ſe ipſa vix internoſceretur, quemadmodum de Othone ſcribitur, *Nec illi ſegne, aut corruptū luxu iter, ſed lorica ferrea vſus, & ante ſigna pedeſter, incomptus, ſamaeq; diſsimilis.* [i] Obiiciet mihi aliquis temporum noſtrorum morem, quo ſolent adoleſcentes equitare, haſtiludia, & alia meditamenta militaria ſub vmbra exercere, quos vt improbatos nolim, ſic libenter hiſtoriæ Guicciardini recordor, vbi de Galeatio Sanſeuerino loquens, inquit, *Hunc virum, dum ex Alexandrino prælio per fugam ſe ſubtraxit, egregie oſtendiſſe, quanta differentia ſit, equum artificioſe domare, atque tractare, & haſtas in variis Martialibus ludis confringere, quibus rebus cæteros Italos ſuperabat, & exercitum ducere.* [k] Ratio autem hæc eſt, quoni-

[h] Plut. in Artoxerxe. [i] lib. 18. [k] lib 4.

am omnia illa, quæ ad militarem gloriam, bellive ſimulacrum non diriguntur potius nominanda ſunt ludicra, quam vera meditamenta militum. Quicunq; vinum niue diluere & refrigerare aſſuefacti ſunt, ii ſi forte in calidam potionem inciderint, protinus coguntur exclamare, Hei mihi, hæc eſt decocta Neronis, & quicunq; puerilem ætatem laſciuiis, ludis, ſomno, & intemperantia perdiderunt, iis neceſſe eſt, vt ad bellum euntes pro impedimentis, vt faciebat Nero, exoletos ducant, & Muſicis inſtrumentis, aliiſq; delicatioribus plauſtra onerent. [l] Identidem Francus maximo temporum noſtrorum dedecore narrat, Luſitanos ad bellum Africanum profecturos, loricarum vice conquiſiuiſſe thoraces ſerico, atq; auro intextos, item vice duri, bisq; cocti panis, & aquæ onerauiſſe naues ſaccaro, & condimentis, diuerſisq; argenteis vaſis, tentoria vero ſericea, & peruſtromatibus ornata. [m] Hæc mea ſemper fuit ſententia, vt exiſtimauerim, M. Antonium Columnam, & Marchionem Peſcariæ, & Veſpaſianum Gonzagam non aliam ob cauſam in egregios milites euaſiſſe, niſi quod illis contigit ab adoleſcẽtia procul ciuilibus, domeſticisq; deliciis inter exercitus, & arma educari. Maxima cum animi voluptate lego, quod de Alexandro ſcribitur, cum Cariæ Regina miſiſſet ei delicatiſſima fercula, coquosq; peritiſſimos, reſpondiſſe, *à Leonida præceptore ſibi datos meliores, quam illi erant, coquos, iter nocturnum ad prandium, ad cœnam vero prãdii parſimoniam,* [n] innuens, ſe ab ineunte ætate in bellicis ærumnis, exercitatum eſſe, cum ſextum decimum annum natus Macedoniam permiſſu paterno rexiſſet, quo tempore Megarenſes profligauit, & paullo poſt ad Cheronæum bello interfuit, vnde nõ abs re Demoſthenes illum puerum vocauit. Hæc igitur eſt principum ſchola; & profectus, quem inde capiunt, eſt, vt ſe verendos atq; timendos hoſtibus reddant, charos militibus, ſubditis honoratos, mundi dominos, neque deeſt ipſis patribus, qui eos ad hanc ſcholam miſerunt, ſecuritas: vnde Tiberius *ſe tutiorem rebatur, vtroq; filio legiones obtinente.* Sed animaduertendum eſt, à Tiberio non modo legitimum & naturalem, ſed etiam adoptiuum filium, qui in imperio ſucceſſurus erat, ad exercitum miſſum fuiſſe: proinde videbatur ſibi ipſe Romæ tutior, quemadmodum & Veſpaſiano imperante, *manere apud exercitus Titum, ad omnes principatus noui euentus, caſusve vtilius videbatur.* [o] Sed Turca adoleſcentulos filios non tantum propter hanc cauſam in longinquis prouinciis ſepoſitos relegat, ſed etiam vt conſpiratio contra totam familiam difficilior ſit, tũ præterea quia ab ipſis filiis ſe tutiorem retur, cumq; ii in imperio ſucceſſuri ſint, decet, vt gubernandis populis, quæ ipſorum futura eſt ars, aſſueſciant. Igitur principes ad bellum filios mittant: nam dum peregre in exercitibus ambitionem ſuã occupauerint, a communi illa cupiditate, quam filii aduerſus patres fouere ſolent (inquirendi ſcilicet in ipſorum annos, deterioraq; machinandi) ſaltem abſtinebunt.

[l] *Suet. in Nerone.*

[m] *lib. 1.*

[n] *Plut. in eius vita.*

[o] *lib. 21.*

AEmulationem inter duces exitiabilem eſſe.

DISCVRSVS XI.

Nihil maximis arduisq; negotiis, ſiue pacis ſiue belli tempora ſpectentur, magis nocet, quam aut ducum, aut eorum, qui curis præfecti ſunt, inter ſe ipſos æmulatio. Quæ ex eo, quod plurimum accidit, ex contentione procedere ſolet, quis eorum ſit maior, & communi temporum noſtrorum vocabulo præcedentia vocatur. Contra quam diſcurſuum autor prudenter diſſeruit, oſtendens, non debere ciues, qui maiores honores obtinuerint, deſpicere minores; quod approbat exemplo Q. Fabii, qui cum Conſulatum geſſiſſet, biennio poſt in exercitu, in quo frater eius Conſul erat, in priuato ſtatu mortuus eſt. Conſilium quidem ſanum eſt, at parum obſeruatur. Neq; ſolum in rep. corrupta, ſed neque temporibus florentiſſimis vnquam legimus potuiſſe Romanos hoc vitio liberari: imo (quod peius eſt) obſeruamus, etiam inferiores gradu voluiſſe maioribus antecedere, quemadmodum Q. Fabio Maximo dictatori à Magiſtro equitũ accidit, vnde cum id ipſe, quanti momenti foret, exemplo cognoſceret, deſiderauit poſthac ſuis in conſulatibus, ſocium habere P. Decium Murem, qui cum in ſumma ſemper concordia vixit. Longum & ſuperuacaneũ opus eſſet, incõmoda, quæ ex contentione ducũ originem trahunt, enumerare: ſed præſertim L. Volumnius, qui ante eos, quos diximus, Conſul fuit, ob competentiam cum Collega ſuo Appio Claudio, expertus eſt, *quam prope ad vltimum diſcrimen ſuis & collegæ certaminibus nuper ventum foret*, [a] Quod ſi contigerunt hæc anno ab V. C. 457. dubitandum non eſt, quin multo maiora contigerint temporibus Imperatorum circiter annos octingentos: nam inter Vinidium & Corbulonem in accipiendis à Vologeſe obſidibus acerba fuit concertatio, ad quemnam ea ſpectaret obſidum traditio: imo notandum eſt, Vologeſem propentiore animo eos tradidiſſe, quia futuras inter duces diſcordias præuidebat, *an vt æmulationis ſuſpectos per nomen obſidum amoueret*. [b] Ideo Nero Policletum libertum in Britanniam miſit, *vt legatum & procuratorem diſcordantes conciliet*. [c] videntur inſuper rixæ & æmulationes inter Corbulonem & Petum. [d] Neq; infrequenter accidit, vt quo minores ſunt duces, eo maiores ſint diſcordiæ, *vel quia minoribus maior æmulandi cura*. [e] Vbi remedium, quod huic morbo appoſuit Tiberius, reticendum nõ eſt, vt ſcilicet non pares, vnde inter ipſos contentio ſuboriatur, ſed viri titulis, & autoritate differentes mittantur: quamobrem cum in Aſiam ad ſubueniendam prouinciam aliquis non nullius autoritatis vir mittendus eſſet, vbi adminiſtrabat quidam iam ex conſul imperium, *illuc delectus eſt M. Aletus è prætoriis, ne conſulari obtinente Aſiam, æmulatio inter pares, & ex eo impedimentum oriretur*. [f] Nos per hæc tempora vice quæſtorum, prætorum & cõſularium habemus Comites, Marchiones, duces, principes, ſed adeo corruptæ ſunt regulæ illius, quam vocant, præceden-

a Liu. l.10.
b lib.15.
c ibidem.
d lib.15.
e lib.20.
f lib.2.

ceden-

cedentiæ, vt qui maiorem dignitatem obtinent, aliquando coacti fuerint ob alienam peruinciam inferioribus cedere, dum per omnia exæquari ſe debere, putant. Vnde magnates Hiſpaniæ difficulter locum concedunt ducibus ab ipſo Rege delectis, etiamſi principes abſoluti ſint, multoque minus inter ipſos placabiliter agunt: Ex quo conſequitur exercituum maxima imperitia, cum altero imperante alter inferiora munia detrectet, niſi principem locum obtineat. Cui morbo forſan magna ex parte occurreretur, ſi in pleriſque, & in conſiliis regalibus aperte deciderentur, ac præſciberentur termini, differentiæque dignitatum, iiſque decernerentur differentes veſtes, tituli diſſimiles, munera diuerſa, & prærogatiuæ, ac priuilegia diſcrepantia. Inter optimas leges, quæ nuper ſancitæ ſunt, nulli concedit pragmatica lex, quæ in Hiſpania de abolendo titulorum abuſu promulgata eſt, is talis fuiſſet, vt iam nihil periculoſius haberetur, quam aliquem alloqui, aut ad aliquem ſcribere propter periculum offenſionis: niſi ex altera parte hæc titulorum adæquatio infimos redderet in concedendis, quos maioribus debent, locis difficiliores. At ſi diſcretis potius titulis nobilis vir appellatus fuiſſet magnificus, Comes ſpectabilis, Marchio illuſtris, aut perilluſtris, Dux, & Princeps illuſtriſſimus, fortaſſe in militaribus muneribus minores non auſi fuiſſent exęquare ſe maiorib. in multis licet appareāt inter ipſos diſparitates. Quo fere incōmodo dignitates carēt eccleſiaſticæ, cū Cardinales ob veſtes, ob titulos, ob honores diuerſi ab Epiſcopis, iis adeo præcellāt, vt niſi nimiū ſuperbiāt (qualis fuit Burgenſis Epiſcopus) nullus vnquam Epiſcoporum audeat cum Cardinalibus ex æquo contendere. Seuerus Imperator, maximæ authoritatis princeps, vt tribunis quatuor lictores præirent, ducibus ſex, legatis decem, quo honores iuxta ipſorum proportionen diſtinguerentur, iuſſit, atq; ita peractum eſt, adeo vt Romani equites tunc proprio ſigno à ſenatoribus diſcernerentur, animoque agitauit, vt omnes magiſtratus veſtibus peculiaribus vterentur.[a] Quæ omnia ideo dicta ſint, vt liqueat, hanc hominum, dignitatumque æqualitatem, quæ adeo excreuit, vt alibi priuati audeāt ſe Regi ipſimet exæquare, poſſe tolli, ſi aliquo viſibili, & vere palpabili ſigno ordines inter ſe diſtinguantur. Quæ res multas difficultates, quas quotidie vndequaque pullulantes videmus, conſopiret: dolendum eſt enim, eo prouectos eſſe infimates quoſdam, vt nolint ſummatibus in negotiis cum pacis, tum belli de iure ſuo quidquam decedere.

[a] *Lamprid.*

Quantum Romani ante omnia matrimoniis fauerint.

DISCVRSVS XII.

QVantum matrimonia Romanis omni fauore, ac priuilegio digna viſa fuerint, hinc dignoſci poteſt, quod in diſcordiis Liuiæ, atque Agrippinæ, alterius quidem Druſi, alterius Germanici vxoris, Agrippina præponebatur vxori Druſi *fama, & fœcunditate.*[a] Item cum Druſus, & Germanicus Aterio

[a] *lib.1.*

Agrippæ fauerent, vt magiſtratum conſequeretur, contra nonnulli allegabant, *vt iuxta legem inter candidatos numerus filiorum præualeret.* Neque multo poſt, cum miſer Germanicus deficientem ſe propter Piſonis inſidias cerneret, inter argumenta, quibus vtitur, vt amicos ad vindicandam mortem ſuam inflammaret, in fine orationis illius inquit, *numerate ſex liberos.* [b] Eodem anno cum vxor Druſi geminos peperiſſet, quæ res etiam domibus priuatis lætitiæ ſingularis eſſe debebat, tanto gaudio principis animum cumulauit, vt abſtinere nequiuerit, quin in Senatu referret, *nulli ante ſe Romanu principibus tale aliquid contigiſſe.* [c] Triennio poſt, Tiberius Druſo filio cum tribunitiam poteſtatem conceſſiſſet, curauit, vt eum Senatoribus commendaret, memorans illius vxorem, & liberos tres. [d] Ex quibus locis deprehenditur, iis temporibus filiorum procreationem in pretio fuiſſe. Quid mirum? hæc ratio in ipſa natura inſita eſt, cum Deus mari, fœminæque propter finem generationis principio naſcentis mundi ore ſuo mandauerit, vt creſcerent, & multiplicarent. Et miſeri exiſtimabantur, qui matrimonio coniuncti in orbitate viuebant: vnde Sara virum rogat, vt ex Agar ancilla filios ſibi generet, cum ab ſe ſuſcipere non poſſet. Cumque Iſaias, qui ante V.C. natus eſt, maximam Babyloniæ calamitatem prædicit, quæ de fecunditate gloriabatur, exprobrat illi, *quod futura ſit vidua, & non ignoratura ſterilitatem.* [e] Crœſus, qui ante Romæ libertatem vixit, fingens, ſe nolle Cambyſi aſſentari, rem dixit apposite adeo, vt nemo aulicorum ſagacius loqui potuerit: Nam cum Perſæ quidam Cambyſem maiorem eſſe Cyro patre, affirmarent, quia veteri imperio Ægyptum adieciſſet, Crœſus tantæ adulationis pertæſus, negauit, ipſum adæquandum eſſe patri, *quia Cambyſes careret filio, qualem Cyrus poſt ſe reliquerat.* [f] At quia ſterilitas, & fœcunditas opus eſt manuũ Dei, vnde Dauid, *& ſterilem facit matrem filiorum lætantem,* [g] procedentibus temporib. pœna cœlibatui iniuncta eſt; non autem ſterilitati, quia cœlebs quod filiis caret, inculpandus eſt, ſterilis non item. Vnde Plato, qui ſex vixit ætates poſt Crœſum pœnam iis proponit, qui poſt annos 35. vxorem non duxerint, & præter mulctam pecuniæ illos honoribus priuat. [h] Non ea mihi mens eſt, vt omnia, quæ ad hanc materiam dici queunt, congeram, quia hoc pacto libros facerem, non diſcurſus: ſed per has ætates iuuat omnium hominum cõſenſum inquirere, vt ſapiens princeps, qui ſuæ ditioni leges, quas vult, præſcribit, tot exẽplis, quæ longo ſeculorum interuallo acciderũt, perſuaſus, poſſit iuxta ſuam, ſuorumq; vtilitatẽ recte decernere. Cenſores Camillus, & Poſthumius quatuor vixerunt ætates poſt Platonem. *Hi æra pœnæ nomine eos, qui ad ſenectutem cœlibes peruenerant, in ærarium ferre iuſſerunt; iterum puniri dignos, ſi quo modo de tam iuſta cõſtitutione queri eſſent auſi.* Sed postponenda non ſunt verba, quibus Conſſ. vſi ſunt in cœlibibus arguendis. *Natura vobis quemadmodum naſcendi, ita gignendi legem ſcribit, parenteſque vos alendo, nepotum nutriendorum debito (ſi quis eſt pudor) alligauerunt. Accedit his, quod etiam fortuna longam præſtandi huiuſce muneris aduocationem eſtis aſſecuti, cum interim conſumpti ſint anni veſtri, & mariti, & patris nomine vacui: Ite igitur,*

[b] ibidem.
[c] ibidem.
[d] lib. 5.
[e] Eſa. c. 47.
[f] Herod. l. 3.
[g] Pſal. 112.
[h] lib. 6. de leg.

gitur, & nodoſam exſoluite ſtipem, vtilem poſteritati numeroſæ. [i] Cicero, qui nouem ætates poſt Camillum ortus eſt, in ſuis legibus cœlibes ex ciuitate abiicit, & I. Cęſar, qui eodem tempore vixit, Romam, ex Africano bello reuerſus, Cenſorium munus exequens, iis præmia propoſuit, qui filiorum procreationi incumberent; cum animaduerteret, ciuitatem ob multitudinem, quæ bellis ciuilibus conſumpta erat, ciuibus exhauſtam eſſe. [k] Vigeſimo octauo poſt anno Auguſtus Cæſaris ſucceſſor non ſolū pręmia propoſuit coniugatis, ſed aduerſus cœlibatum pœnas edixit.[l] Demum extrema eius ætate anno 762. præter legem à Papio, & Poppæo Coſſ. latam, quicunq; legeret, cum in claſſibus diuiſos ciues examinauit, pluresq; inter illos deprehendit cœlibes, ea, quæ coram iiſdē Auguſtus dixit, profecto valde admiraretur eximiam principis erga populum charitatem, & vtraq; eius oratio tam de laudibus coniugatorum, quam de cœlibatus deteſtatione lectu digniſſima mihi videtur. [m] Monita, quæ colligi poſſent ad comprobādam induſtriam, quam priſci adhibuerunt, quo matrimonia libera forent, fraudeſque, quæ patrari poterant, auferrentur, non aggregabo, ne longius, quam opus ſit, ediſſeram: nam cum aliqui immaturas puellas in matrimonio acciperent, quo pœnam aufugerent, vetitum fuit, ne ſponſalia fierent, niſi virgo decem annos expleuiſſet, cum ſcirent, duodecimo duci poſſe: ætati ſenili conſultum fuit, temporibus viduorum, ac viduarum ratio habita, diuortiis moderatio iniuncta, item conceſſum fuit, vt libertinæ, nataque ipſarum in matrimonium libere, præterquam à Senatoribus, acciperentur. Neque id mihi mirandum accidit; demiror potius, quomodo hæc, & ſimilia temporibus noſtris negligantur, quibus nihil priuilegii ad fauorem generationis reliquum eſt, niſi vt duodecim natorum pater immunitate à tributis gaudeat. Auguſtus illo diuinæ ſuæ mentis acumine probe cognouit, quanti prolis generatio referret: quod ante ipſū pariter Philippus Macedo Perſei pater obſeruauit eo Liuii loco, ad quem ego ſæpe confugere ſoleo: nam præuidens pacem inter ſe, ac Romanis diuturnam non fore, inter conſilia, quę cepit, alterum fuit ſubditos ad matrimoniorū celebritatē cogere. [n] Dicet aliquis, ſi ii, quibus vxor non eſt, cœlibes vocantur, quaſi cœleſtes, vt inqt D. Hieronymus, vtq; etiā dixit S. Auguſtin. quia cœleſtia numina ſine vxoribus degunt, quare tu eoſdē vituperare audes, Romanorū hominū, qui vera religione deſtituti fuerunt, exempla proponēs, præſertim quia hæ leges deinceps ab Impp. partim correctæ, partim aliquo moderamine mutatę? Reſpōdeo, quod etiam mediocris ingenii vir ſtatim reſponderet, vere cœleſtē eſſe continentium vitam, virginum vero vitam (vt ita dicam) cœleſtiſſimam eſſe: & cœlibes tales non ſupplicio, pœnave, ſed laude, ac veneratione dignos: verum de iis non vxoratis loquor, qui alienos toros contaminando, fœdiſque corporis voluptatibus operam nauando, non vt cœleſtia contemplentur, aut iis fruantur, ſed vt effreni ſuæ libidini ſatisfaciant, onera matrimonii detrectant. Non tamen opinor, leges Pappias renouandas eſſe, ſed tantum id præſtandum, quod

non

[i] *Val. Max. lib. 2. c. 4.*

[k] *Dion lib. 43*

[l] *lib. 54. anno 736.*

[m] *ibidem.*

[n] *Liu. l. 39.*

non multis ante annis Florentini præſtitere. Detrectas, neque vis ætate idonea prouectus vxorem ducere, non religione, non paupertate, non ſtudiis, non valetudine præpeditus? Eſto: viue tibi, vtere patriæ libertate, vtque id facilius efficias, tibi ne graue ſit, quod ab honoribus reip. arcearis, quoniam reſp. tuorum commodorum cupientiſſima tuæ tranquillitati obiicem vllum afferre non vult, & peculiari priuilegio omnibus te muneribus immunem facit. Contra, ſi forte ò tu Reſp. vel princeps videris ciuem, qui, ne domum patriam orbam relinqueret, prolem genuit à maioribus non degenerantem, vt, cum grauis annis publica onera ſuſtinere ipſe non poterit, ne deſit, qui recens, & robuſtior ea ferat, patriæq; neceſſitatibus conſilio, & armis ſubueniat; ſi ille cupiditatibus ſuis, commodiſq; detrahens, multis cum filiis ea, quæ ipſius ſolius erant, communicauit; ſi caſtus, ſi ſobrius vixit, ſi ſub reip. & priuatæ oneribus fortiter ſe geſſit; tu, inquam, opitulare ei, quantum potes, tuo ſplendore cum cohoneſtato; & oſtendito, quemadmodum ipſe nouos tibi ſubditos generare curauit, ita te in rebus, quarum indiget, ei non eſſe defuturum. Si minima optimæ, & propenſæ in fauorem matrimoniorum voluntatis indicia prætetuleris, tot tibi ex iis multiplicatis vtilitates conſequentur, vt tuam ipſius quamcunque ſpem anteceſſuræ ſint.

Quantum dedeceat, principem alterius principis hoſtis mortem aliis, quam bellicis artibus quærere.

DISCVRSVS XIII.

VT vnuſquiſque animo comprehendat, quantum dedeceat, principem hoſti cuilibet principi inſidias ſtruere, & contra ipſius vitam artibus machinari aliis, quam iis, quæ bellum, & Mars communis in medium proferre ſolet; in animum induxi meum, vt huic loco quædam vetuſtorum temporum exempla adiungam, memorans, cum ignominiam, & repulſam, quam paſſi ſunt, qui facinus ſimile attentauerunt, tum etiã laudes iis attributæ, qui operam ad idem ſcelus exhibitam recuſauerunt. Alterum peruulgatiſſimum eſt Fabritii exemplum, cui cum profugus à Pyrrho miles pollicitus fuiſſet, ſe veneno Pyrrhum ſublaturum, non modo ab huiuſmodi voce aures auertit, ſed eum ad Pyrrhum remiſit, admonuitque, vt ſibi à proditione caueret.[a] Alterum eſt Cæſarum temporibus, quod Tacitus refert, cum lectis in Senatu literis Adgandeſtrii Cattorum principis, quibus Arminium ſe veneno interempturum offerebat, tantummodo mitteretur ei venenum, Senatus reſpondit, *Non fraude, neq; occultis, ſed palã, & armatum Populum Rom. hoſtes ſuos vlciſci: qua gloria,* ſubnectit autor, *auſum fuiſſe æquare ſe priſcis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerãt, prodiderantque.*[b] Modo contra, videamus, quo pacto probetur T. Quintii Flaminii factum illud, cum legatus Populi Rom. ad regem Pruſiam, ad quem confugerat Annibal, eius mortem artibus procurauit: quare T. Liuius in hæc aurea verba erumpit, *Mores quidem Populus Rom. quantum mutauerit, vel hic dies argumento erit: horum patres Pyrrho regi hoſti armato exercitum in Italia habenti, vt à veneno caueret, prædixerunt, hi legatũ*

[a] Florus l. 13.

[b] libr. 2.

conſula-

conſularem, qui autor eſſet Pruſiæ per ſcelus occidendi hoſpitis, miſerunt. [c] Plutarchus vero, quaſi moleſte ferens hanc Populo Rom. maculam inuſtam eſſe, in Flaminium ſolum totam culpam ingenioſe detorquere videtur, inquiens, Senatoribus cum improbatum fuiſſe, quod gloriam ſperaſſet ex morte Annibalis, quem virum Romani ob clementiam, *tanquam inutilem ſenio, iamque deplumatam autem* dimiſerant. [d] Sed obiiciet nonnemo fortaſſe mihi exempla Sceuolæ, & Iudith. Cui reſpondeo, Sceuolæ caſum diſcrepare ab eo, in quo ſumus, cum priuatus ille hoc inceptum aggreſſus fuerit, non reip. iuſſu, quam Mutius conſilii ſui participem non fecerat; petiit ſiquidem veniam abeundi, ne profugus videretur, potius quam animo ſignificandi reip. quid cogitaret: tantummodo, vt Tiberim tranare liceret, rogauit, nō prædæ cauſa, aut illatas ab hoſte iniurias vindicandi gratia, ſed, inquiebat ille, *maius, ſi Dii iuuant, in animo eſt facinus.* [e] Et reuera patet ex Liuio, Senatum Sceuolæ mentem ignorauiſſe, quamquam ſecus hanc hiſtoriam recitat Dio. [f] Idem in altero Iudith exemplo dicimus; nam vbi verbis omni pietate, atq; prudentia refertis, vt Betuliç populum ob Olophernis ducis exercitus Medorum regis obſidionem afflictiſſimum cōſolaretur, quid factura eſſet, nemini detexit, tantum dixit, *Vos autem nolo ſcrutemini actum meum, & vſque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, niſi oratio pro me ad Dominum Deum noſtrum* [g] Præterea hæc mea ſemper fuit ſententia, vt ſacra hæc exempla minime ſint cum noſtris comparanda, vtpote quæ altiſſimis myſteriis, & allegoriis referta cum cæteris, quæ factum tantummodo reſpiciunt, nullam habere conſonantiam videantur. [h] Exemplum itaq; Mutii nondum relinquentes, addimus, ab aliis exemplis non minimum adhuc diſcrepare: nam cum militibus honeſtæ contra hoſtes fraudes concedantur, ad ipſos hoſtes pertinet cauere à peregrinis hominibus, qui ipſos conueniunt; quam virtutem, ſiue cautionem exercere non poteſt ille, in quem familiaris, aut hoſpes veneno graſſatur. Illud planum eſt, Cepionem Romanis valde improbatum fuiſſe, quod Viriatum, quamuis proditorem, hoſtemque reip. pecunia occidendum curauerit. Quod ſi exempla minus remota magis mouent, ad magnanimam illam Alphonſi regis Neapolitani, quam D. Rugerio Comiti Pallanzæ fecit, reſponſionem animum conuertamus: Obtulerat ille ſe, ſua manu occiſurum Regem Caſtellanum Alphonſi inimicum. Quod ſtatim Rex iuſſit, vt neque animo & cogitatione conciperet, inquiens, *Etiamſi totius mundi regnum conſecuturus fuiſſet, nunquam ſe tantum ſcelus permiſſurum* [i] Igitur fœdis huiuſmodi, ac ſceleratis modis nunquam vitæ principum inſidiæ ſtruendæ ſunt, niſi velimus nos, in quibus Chriſtianæ lux veritatis refulget, iis poſthaberi, qui Ethniciſmi tenebris obſeſſi, ſolo naturæ lumine ducebantur.

[c] *lib.39.*

[d] *Plut. in Flamin.*

[e] *Liu. lib.2.*

[f] *lib.5.*

[g] *cap.8.*

[h] *S. Thom. quæſtion. 104. art.1.2.*

[i] *Panormitanus de dict. & f. Alphonſi.*

FINIS LIBRI SECVNDI.

SCIPIONIS AMIRATI DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM *IN C. CORN. TACITVM,*

LIBER TERTIVS.

De ſummi Pontificis electione inanes eſſe omnes diſcurſus.

DISCVRSVS I.

PVlcherrimus præ cæteris videtur diſcurſus ille, quem paucis verbis Tacitus, [a] comprehendit, dum rerum humanarum viciſſitudinem, cunctiſq; in negotiis ludibria fortunæ admirans, inquit, *fama, ſpe, veneratione potius omnes deſtinatos fuiſſe imperio* (Claudiũ Cæſarem intelligit) *quam quem futurũ Principem fortuna in occulto tenebat.* Ex quib. haud raro mihi admirationi maximæ fuerũt ii, qui affectibus ducti, ſiue ſuæ ſagacitati nimium fidentes, de futuris Pontificib. aliquid ſe præuidere poſſe, ſibi perſuadent; naturalib. diſcurſibus, ac rationib. modo alterum ad Sedem Pontificiam euchentes, modo alterum detrudentes: adeo vt futurum Pontificem digito oſtendere, eiuſq; nomen certo diuinare videantur. Videntur a. ii, primam ad conſequendum Pontificatum dotem ętatem ſenilem requirere: fruſtra enim, aiunt, ſperãdum eſſe, vt alius, quam ſenex promoueatur, quia omnis alioquin ſeniorib. Cardinalibus ſpes præcideretur, ſi minorem natu ad Pontificatum extollerent, quo ipſo facto ſtultiſſimis ſtultiores eſſent. Quam tamen opinionem falſiſſimam eſſe, haud ita pridem oſtẽderunt Leo X. ad Pontificatum anno trigeſimo ſeptimo promotus, Bonifacius VIII. annó trigeſimoquarto. Neq; Clemens VII. neq; Sixtus V. Pius III. Pius V. aliiq; adeo ſenes erant, cum Pontifices creati fuerunt, quin ſeniores ante ſe Cardinales, neq; meritis impares habuerint. Alii pro re explorata credunt, nunquam fore, vt Pontifex exterus creetur.

[a] lib. 5.

Eoq;

Eoq; argumento nituntur,cum plures ſint Itali Cardinales, quam tranſalpini, nunquam paſſuros,vt extra Italiam Pontificatus efferatur; cæteras prouincias ſuis Regibus,atq; Imperatoribus contentas eſſe debere, quaſi res diuinæ ſecundum hominum menſuram gubernarentur. Quod quantum à veritate aberret, electio, quæ de Adriano VI. facta eſt, patefecit, qui non tantum exterus fuit,ſed neq; Italiam,neq; Romam vnquam viderat. Et Calixtus,& Alexander, qui tamen non mille abhinc annis Pontiff. fuerunt, Hiſpanos fuiſſe, nemo ignorat. Alii dicunt,Cardinales nobiliſſimis familiis ortos, & conſanguineis illuſtres omnẽ Pontificatus ſpem abiicere poſſe,cum tamen meo tempore Paulus III. & Paulus IV. nobiliſſimi fuerint, & Paulus IV. tot conſanguineos habuit, vt in tota Italia, an altera viris,& principatibus fecundior familia reperiatur, quam Caraffarum familia ſit, valde ambigam. Sed contra hos maioris momenti aliud militat, quia Clemens VII. non tantum nobiliſſimus fuit,ſed etiam erat in patria, & in Etrurię maxima parte(quamquam ſub ſpecioſo, modeſtoq; prætextu) omnibus ſolutus legibus Princeps. Quoties illud ego audiui,poſtquam Pontificatus è manu Caſſinenſium monachorum ereptus fuerit,nunquam amplius fore, vt ſeculares presbyteri monachos promoueant? Et quamquam euenerat, vt Sixtus IV. & Pius V. religioſi fuerint; mox aſſerebatur, nunquam nos, neq; nepotes noſtros ſimilem vnquam electionem viſuros. Et nihilominus hoc anno, in tanto Cardinalium numero, qui quatuor,& ſexaginta fuerunt, vno,atq; altero monacho, conſenſit Deus O.M. vt Frater Felix Perrettus ordinis minorum Conuentualium ad Pontificatum ſublatus ſit. Adeo vt neq; iuniores, neq; aduenæ, neq; illuſtres, neque monachi, prout exempla dicta demonſtrant, ab illo ſummæ dignitatis faſtigio arceantur. Dicunt nonnulli, nunquam aliquem ſummæ ſeueritatis virum Pontificem creatum iri: tamen ſeueriſſimus exiſtimabatur Pius V. Item à Pontificio culmine homines liberæ, apertęq; naturæ vulgi vocibus expelluntur: attamen apertiſſimi animi fuit Iulius III. Nõ admittunt animi ferocis,& militaris viros; tamen ferociſſimus fuit Iulius II. Quamobrem vere concludẽdum eſt, etiamſi omnes arbitratu ſuo ratiocinentur, & ipſimet Cardinales incredibili animorum anxietate ambiant Pontificatum, promotionem illam omni ex parte diuinum opus eſſe. Quod ſi aliquando ſanctiſſimam illam Sedem obtinuerant, qui omnes probitatis, atq; ſanctitatis numeros non expleuerunt, permiſit id olim Deus, quo noſtras iniquitates plecteret, quove impatientiam noſtram, fortitudinemq; exerceret, aut aliis de cauſis mortalium oculis minime cognitis, atque exploratis.

Remedia morbis, ſiue delictis publicis grauiora eſſe non debere.

DISCVRSVS II.

PRima egregii medici virtus eſt, ægrotantis hominis morbũ cognoſcere: altera recte explicare(vt inquiũt ipſi) actiua paſſiuis, morbũq; ſine vllis erroribus curare. Nam ſi remedia inualida ſint, morbus minime ſanatur, ſi nimis vehe-

…entia, atque grauantia, occidit hominem, nedum morbū expellit. Eodem pacto vir politicus, cuius munus eſt animi, perinde vt medici corporis morbos, curare, opportuna conquirat remedia, vt ſeruatis honeſtatis terminis, atq; proportione peccata ciuitatis corrigat. Qua de re Magnus Pompeius reprehenditur, quod, electus tertio ſuo conſulatu Cenſor, fuerit *grauior remediis, quam delicta erant.*[a] Cum legiones Germanicæ poſt ſeditionem reos occidere decreuiſſent, idque maxima crudelitate effeciſſent, Tacitus *trucia* illa caſtra appellat, *non minus aſperitate remedii, quam ſceleris memoria.* [b] Et Germanicus caſtra ingreſſus, iuſſit, vt cadauera comburerentur, abhorrens à dicto ſcelere, & *non medicinam illud plurimis cum lachrymis, ſed cladem appellans.*[c] Ex quibus exemplis documentum illud elici poſſe videtur, nempe cauendum eſſe, ne remedia grauiora ſint morbis. Quemadmodum Felix Paleſtinæ Præſes intempeſtiuis remediis delicta ſimiliter accendebat.[d] Et Liuius in tumultib. Manlii, *remediis grauiorib. concitatam fuiſſe ſeditionem*, recenſet.[e] Prudens, notatuq; digniſſima eſt conſultatio, quam T. Quinctius Flaminius Corynthi coram legatis omniū Græciæ rerump. habuit: fatebatur enim, non ignorare, ſi ſine excidio Lacedæmonis fieri potuiſſet, nullā pacis cum Tyranno Nabide mentionē admittendam eſſe. Verum cum ipſe nō aliter, quam cum excidio Spartanę ciuitatis opprimi poſſit, ſati° viſum eſſe, tyrannū debilitatum, totiſq; virib. ad nocendum cuiquam ei ademptis, relinqui, quam *interiri vehementiorib. quam quæ pati poſſent, remediis ciuitatē ſinere, in ipſa vindicta libertatis perituram.* [f] Sano itaq; conſilio omnes populi toto orbe terrarum meretrices è ciuitatib. ſuis minime abigendas eſſe, putauerūt, perpendētes, hoc remedium, quamquā per ſe ſaluberrimum, pariturū (ſi humana fragilitas reſpiciatur) adulteria, inceſtus, ſtupra, alioſq; concubit° ſordidiores, & illicitos magis, quam meretricū, vnde remediū grauius morbo euaderet. Quodq; ſpectat ad hoc luxuriæ crimē, cōſiderantes priſci Romani, præter conſuetā meretricū libidinē, non infrequēter accidere, vt etiā nobiles matronę inhoneſtę comperirētur, quo caſu pœnę grauiſſimę ſubiacebant, optimū remediū putauerunt, vt impudicas inhoneſtarēt, ipſas cogēdo, vt ore ſuo flagitiū cōfiterentur. Verū quia corruptis in dies magis morib. matronę hanc libidinū profeſſionē contemnebant, aliā tulerunt legem, qua cauebatur, cuicunq; auus, aut pater, aut maritus eques Rom. fuiſſet, careret culpæ profitendę beneficio, ſh. e. artē meretriciā impune exercere ne permitterentur. Proinde videre mihi videor, nonnullis morbis vnicū eſſe remediū remedia omittere, nonnullis dedecus, nōnullis pœnam præfigere. Quoniam vero neq; poſſum, neq; me decet, vt quaſi legiſlator criminib. pœnas præſcribam, ſufficiet mihi exemplorum varietate legentium mentem ad ea, quæ iis caſib. cōducunt, aperire. Quod autem omittere remedia optimū aliquando ſit remediū, tunc autor patefacit, cū Tiberii principatu Romanis luxu corruptiſſimis, de ſumptuaria lege inſtauranda agitatū eſt. Cum n. quibuſdam videretur, mediocria remedia non ſuffectura, Tiberio integrū negotium relatum fuit, qui ſæpe apud ſe penſitato, an coerceri tam profuſę cupidines poſſent, *nū coercitio plus dāni in remp.*

ferret,

[a] Tac. l. 3.
[b] lib. pr.
[c] ibidem.
[d] lib. 12.
[e] lib. 6.
[f] lib. 34.
[g] Tac. lib. 2.

ferret, quam indecorum attrectare, quod non obtineretur, vel retentum ignominiam & infamiam virorum illuſtrium poſceret, poſtremo literas ad Senatum compoſuit, quibus ſcripſit, *Si ſecum antea Ædiles conſilium habuiſſent, neſcire ſe, an ſuaſurus fuerit, omittere potius prævalida, & adulta vitia, quam hoc adſequi, vt palam fieret, quibus vitiis impares ciuitas Romana eſſet.*[h] Proinde Cato, *melius eſſe*, inquiebat, *improbum hominem non accuſare, quam præuaricari.*[i] Medici quædam tempora diſtinguunt, quibus propter caloris aut frigoris exceſſum, ægrotis pharmaca non porrigunt: ita in morbis ciuilibus quędam ſunt tempora, quibus remedia prętermittenda. Ideo I. Cæſar Roſcillo & Ægo fratribus Gallis deficientibus, non eſſe tempus illud animaduerſionis exiſtimans, rem diſtulit totam.[k] Et alibi de Senonibus loqués, precibus Eduorum illis ideo dat veniam, excuſationemq; accipit, quod æſtiuum tempus inſtantis belli, non quæſtionis eſſe arbitrabatur.[l] Similiter aliquando neceſſe eſt, quo aſperiora remedia deuitentur, dedecoris pœnam populis proponere, ac minari; quam pœnam pleriq; vtiliorem ferro compererunt. Ideo inter Ægyptiacas leges hæc potiſſimum obſeruabatur, vt contumaces, & ii, qui militiam deſeruiſſent, nequaquam occiderentur, ſed tale dedecus ſubirent, vt cum illud eluere, niſi virtute, non poſſent, ad difficilima quæq; ſe obiectarent, vt amiſſum honorem reciperent.[m] Et quidam populi, apud quos fœminæ humore melancholico agitatæ ſe ſuſpendebant, nullum putauerunt melius remediũ, quam vt nudas illas ſuſpenderẽt, quo cęterę turpi nuditatis illius ſpectaculo deterrerẽtur. Non igitur ſemper capitis damnatio, ſicuti nonnulli putant, vtile remedium eſt, imo aut aſperius, aut debilius, quam morbus ipſe, cui applicatur, aliquando deprehenditur. Quare alibi videbimus, quo pacto Auguſtus Liuiæ vxoris conſilium ſequens, neminem interficiendo, aduerſus ingruentia mala pleraq; ſe tueatur.[n] Et ſuperius oſtenſum fuit, egregium eſſe illud remedium, vbi plurimi noxii ſunt, non in omnes inquirere,[o] etiamſi de ſeruis iudicatum fuerit, optimum eſſe remedium, omnes quæſtioni ſubiicere, quamuis pauci deliquiſſent.[p] Et nihilominus in ciuitatibus quædam inualeſcunt, & eo proueuntur, vt inuſitata remedia arripienda ſint, quemadmodum de Vrbe Roma L. Quinctius dicebat, non videri ſibi eam tali modo ægrotantem, vt remediis conſuetis ad ſanitatem redigi queat.[q] Similis fuit Claudii Neronis vox, cum in verba illa erupit, *Non eſſe eum reip. ſtatum, vt ordinariis conſiliis deberet, aut poſſet gubernari*, vnde duces intra fines prouinciarum ſeſe continerent, ea tantum bella, quæ Senatus mandauiſſet, exequentes.[r] Ex quo concluditur, ne princeps erret in remediis adhibendis, maximam ei competere ipſorum cognitionem, ne ipſis debilibus, nimiumve rigidis morbos magis nutriat quam curet. Et quod ad remediorum qualitatem pertinet, quomodo in agro Hydruntino phalangiæ morſibus occurratur, non abs re fuerit explicare, finemq; imponam diſſertationi. Iacet ægrotans ex phalangiæ morſu (morſus autem inuiſibilis eſt) inſtar cadaueris, niſi quod oculos faciemque, inſtar ignis, inflammatam habet, cui cum per plurima experimenta ſciatur, purgationes, & medicorum quaſcunq; medicinas nihil prodeſſe, aduenit fiſtu-

[h] lib. 3.
[i] Liu. l. 34.
[k] l. pr. de bell. ciu.
[l] l. 6. de bell. Gall.
[m] Diodor. Sic. l. pr.
[n] lib. 15. diſc. 7
[o] libr. 2. diſc. 8.
[p] lib. 14.
[q] Liu. lib. 2.
[r] lib. 17.

lator quiſpiam, qui fiſtulam ſonans, ægrotantis motum obſeruat, ipſumq; forte immobilem videns, ſonitus mutat, quouſque aſpicit cum manibus, tum pedibus extremitates digitorum moueri: vnde cõiecturam capiens, hunc eſſe morbo reſpondentem ſonitum illum eundem, & nõ alium feſtinanter continuat: quo miſer ille, tanquam horribili vinculo ſolutus, pedes, mox brachia, deinceps corpus totũ mouet, deq; lecto ſe cum impetu proiiciens, perinde atq; mille illum diaboli obſideant, totos dies ſaltando, poſterisq; diebus multis idem efficiendo, & ſæpe quinq; aut ſex fiſtulatores quotidie defatigando, vtpote qui tanquã adiutores ſecum ſaltant, nunquam ceſſat, donec digeſto veneno priſtinam valetudinem recuperauerit. Curet itaq; charitas optimi principis, vt ſonitum grauibus ſubditorum morbis honeſta proportione reſpondentem inueniat, quo reſp. quã fortaſſe per iniuriam ſiuit ipſe ęgrotare, ſanetur. Vel quia (vt eſt humani generis imbecillitas) eadem reſp. ex ſe ipſa languet, ipſe princeps, qui à Deo dux, & paſtor gregis humani electus eſt, ſit etiam medicus ille, qui ferro, igne, laqueo, aut manſuetioribus inſtrumentis populorum abigat, & curet infirmitates.

Miniſtros per gradus promoueri debere, non per ſaltum.

DISCVRSVS III.

SI antiquorum militiam tantopere à ſcriptoribus celebratam oculis inſpicere poſſemus, quod ii præſtantes adeo duces euaſerint, nihil quidquam miraremur. Diximus ſuperius, quale ſit principum filiorum gymnaſium, nunc adnecto Tiberium Cæſarem, qui cuncta nutu ſuo gubernabat, nepotes gradatim ad officia promouere conſueuiſſe. Proinde *filiũ Germanici Neronem iam ingreſſum iuuent. à patribus in Senatu cõmendauit, vt quinquennio maturius, quam per leges, Quæſturã peteret, allegabatq; petente Auguſto idem ſibi, Druſoq; fratri decretũ fuiſſe:* ſubdit autor, nõ dubitare ſe, quin defuerint, *qui eiuſmodi preces occulti illuderent*; quemadmodum etiam Auguſtum irriſum fuiſſe, veriſimile eſt, innuens, cum fuerit in amborum poteſtate quidlibet iubere, & exequi, ab huiuſmodi rogationibus eos abſtinere potuiſſe: attamen *hæc* (addit) *initia faſtigij Cæſaribus erant.*[a] Agrippina, cũ ſe magis minabunda, quam pauida, à criminibus, quæ ſibi contra filium imputabãtur, expurgat, hanc quaſi gradariam promotionẽ excellenter manifeſtat, dum Neroni exprobrat, ei materna induſtria dignitatem proconſularẽ delatam, & deſignatũ Conſulem eſſe, & *cætera adipiſcendo imperio.*[b] Cũ Liuius de Rom. ducibus, qui ſeſe Alexandro, ſi forte Italiã aggreſſus fuiſſet, obiecissent, mentionẽ facit, vndecim eos recẽſet: at ſi quot eſſent Alexandri duces, diſquireremus, dubio procul nihilo minorem numerum comperiremus. Volebat quidem Marchio Vaſti, pater Marchionis illius, qui modo in Belgio militat, aliquem ex principibus Neapolitanis ſecum habere, vt ad militarem ſcientiam promoueret, eoq; pacto ſupremũ ducis

a lib. 3.

b libr. 13.

nunus inter ſuos populares conſeruaret, ſed antequam diem extremũ clauderet, deſperauit hac de re, dictitans, *Neapolitanos prius Colonellos eſſe velle, quam milites, prius Generales quam Colonellos.* Et Q. Fab. Maximus ſatis clare docuit, in maximis imperii neceſſitatibus ad homines virtute præſtantes confugiendum eſſe, dum obſtitit, oppoſuitq; ſeſe, ne T. Ottacillius; qui tamen neptem ex ſorore vxorem habebat, Conſul crearetur, *quia imparem eum, neque talem, qui Annibali opponi poſſet, putabat.* [c] Notat Liuius anno 545. creatos fuiſſe Cenſſ. L. Victurium Philonem, P. Licinium Craſſum, ex quibus Craſſus, cum antea nunquam Conſul, prætorve fuiſſet, ab ædilitate ad cenſuram peruenerat; nihilominus propter Victurii mortem magiſtratum irritum fuiſſe, quia Licinius ſeſe ab eo abdicauerat, [d] quaſi omnia infeliciter eueniſſent, quia, quæ ſeruanda erant, intermiſſa fuerunt. Neque minimi fuerunt ſtrepitus, & oppugnationes, quas M. Furius, & M. Curius Tribb. plebis interpoſuerant, ideo quia T. Quinctius Flaminius ex quæſtura ad conſulatum pertingere adſpirabat: *iam*, inquiebant, *ædilitatem, præturamquè faſtidiri, nec per honorum gradus documentum ſui dantes nobiles homines tendere ad Conſulatum, ſed tranſcendendo media, ſumma imis continuare.* [e] Qui conatus quanquam irritus fuit, nihil tamen obſtat, quin iuſtimis de cauſis id attentauerint. Neque negligenda eſt contentio, quæ inter L. Portium Licinium Conſulem & Q. Fuluium Flaccum excitata eſt. Is, quia ædilis deſignatus fuerat, præturam petebat, cui Conſul ſeſe opponens, allegabat, nullo in ciuitate libera ferendo exemplo deberi à deſignato ædile præturam peti: reſque eo proceſſit, vt ſententia Conſulis obtineret. [f] Verum in militaribus muneribus, dum viguit diſciplina, quia multum referebat, ne errores committerentur, diligentior ratio habebatur. Vnde Feſtus ſcripſit, Martem Gradiuum dictum fuiſſe, propterea quod gradatim, & per ordinem militaria officia diſtribuenda ſint. Hinc Rufus *diu manipularis, dein Centurio, mox caſtris præfectus.* [g] Vnde fiebat, vt cum dux, quid ipſemet paſſus eſſet, non ignoraret, ſciret etiam, quouſque miles, quem regebat, pati deberet aut poſſet. Idcirco inter militares gradus militum promotio opus magis diuinum, quam humanum habitum fuit, nõ modo quia gradatim promouebãtur, ſed etiã quia modus, qui obſeruabatur, plane mirificus & ſingularis erat. Quãdoquidem cum vnaquæq; legio decem cohortibus contineretur, ſi, verbi gratia, contingebat, vt aliquis primę cohortis miles ad gradum aliquem promoueri poſſet, non ad primam ipſam, ſed ad decimam cohortẽ promouebantur, quemadmodum ſimiliter, ſi contingebat ad maiorem gradum in decima cohorte aliquẽ promoueri debere, in alia honorẽ obtinebat, & ſic deinceps, donec auctis ſtipendiis ad primam reuerteretur. Idcirco Vegetius inquit, primi pili centurionem, poſtquam diuerſis quaſi ſcholis ſingulas cohortes circũierat, tandem in prima primatum conſequebatur, vnde vniuerſę legioni commoda cõtingebant innumerabilia. [h] Locus hic fortaſſe obſcurus, niſi quib. noti ſunt ordines, quos militia Romana tuebatur, illuſtratur quodã T. Liuii loco, vbi cum Sp. Liguſtinus rationem reddere teneretur graduũ, quos in militia obtinuerat, ob

[c] *Liu. libr. 24*

[d] *lib. 7.*

[e] *lib. 32.*

[f] *lib. 29.*

[g] *Tac. l. 2.*

[h] *lib. 2. c. 21.*

rat,ob oculos magna ex parte ponit, quo pacto id fieri conſueuerit. Quod ſilentio inuoluendum non eſt, *Miles*, inquit, *factus ſum P. Sulpitio, C. Aurelio Coſſ. In eo exercitu, qui in Macedoniam eſt tranſportatus, biennium miles gregarius fui aduerſus Philippum Regem: tertio anno virtutis cauſa decimum ordinem haſtatum aſsignauit Conſul Flaminius.* Non me latet, primum haſtatum in ſecunda cohorte eſſe centum militum, ſecundum vero eſſe centum quinquaginta militum, ſed qua proportione deberem gradatim ad decimum haſtatum promotionem applicare, non video. Neq; bene exploratum habeo, an ibi denotare velit, ſe decurionem creatũ fuiſſe, hoc eſt, decem militibus præpoſitum, quem, inquit Vegetius, ſuis temporibus vocatum fuiſſe, *contubernij præfectum.* Verum vlterius procedens idem Liguſtinus oſtendit, quo pacto deuicto Philippo, in Italiam reuerſus, M. Porcio Coſ. in Hiſpaniam profectus ſit, quod fuit anno 559. à quo creatus fuit primus haſtatus prioris centuriæ. Iam diximus, quis fuerit primus haſtatus, ſed quid primæ centuriæ haſtatus importet, ignoro. Tertio iterum voluntarius miles factus eſt in eo exercitu, qui aduerſus Ætolos, & Antiochum Regem eſt miſſus, vbi à M. Acilio eidem primus princeps prioris centuriæ eſt aſſignatus, qui regebat ſeſquicenturiam, hoc eſt, pedites centum quinquaginta. Quæ dignitas forte maior erat quam primi haſtati, & quam ducentos habere pedites in ſecunda centuria: Reportatus in Italiam bina ſtipendia emeruit. Anno 575. in Hiſpaniam cum L. Flacco iterumq; cum Sempronio Graccho profectus eſt: A Flacco virtutis cauſa ex prouincia ad triumphum deductus eſt: A Tib. Graccho quater intra paucos annos primum pilum duxit. Hic gradus non modo ob aquilæ cuſtodiam dabatur, ſed quadringentos pedites in principiis regebat. Demum poſtquam ſex ciuicas coronas ſe meruiſſe, quater, & tricies ab Imperatoribus donatum eſſe, & ſtipendia annua viginti duo in exercitu emerita habere, narrauit, anno 583. à tribunis primæ legionis maior annis quinquaginta primipilus creatus fuit.[m] Igitur principes munera per gradus, non per ſaltus diſtribuant: quo pacto ducum ſeminarium eiuſmodi excitabunt, quorum opera & virtute hoſtes, nedum non timere, etiam contemnere poterunt.

[m] *lib. 42.*

Vnde potentiorum voluntates adeo mobiles ſint, vt perraro aulica vitæ periodus eodem fauore ad finem vſque perſeueret.

DISCVRSVS IV.

CRiſpus Salluſtius, Salluſtii illius celeberrimi rerum Romanarum ſcriptoris ex ſorore nepos, maximo vſus eſt fauore Imperatoris Tiberii, quamuis extremis vitæ temporibus, quemadmodum etiam Mecœnati cum Auguſto acciderat, gratia hæc diminuta fuerit, vt inquit Tacitus, *fato potentiæ raro ſempiternæ.*[a] Cuius rei rationem inquirens autor, id fortaſſe euenire diuinãs, *an ſatias*, inquit,

[a] *lib. 3.*

capit aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum iam nihil reliquum eſt, quod cupiant. Neq; dubitandum eſt, quin id omnino verum ſit, hoc eſt, fore, vt qui aliquando in præſens fauore principum vtuntur, tandem odio aut contemptui habeantur: Sed nos primo id exemplis, deinde ratione probabimus. Seianus, qui omnium maximum Tiberii fauorem nactus erat, cui cenſuere patres effigiem, quæ apud theatrum Pompeii locaretur, [b] præceps lapſus eſt, atq; adeo lapſus, vt aulicis perpetuum eſſe debeat documentum, ne dominorum auræ nimium confidant. [c] Nam iis, cum primum te in altum ſuſtulerint, nihil aliud reliquum eſſe videtur, niſi vt, quandocunq; libet, te detrudant, agantq; præcipitem: Alexandro Magno nemo Clyto charior extitit, quem tamen manibus ſuis occidit. [d] Honores, quos Seiano populus Rom. Tiberii conſenſu detulit, propemodum infiniti fuerunt: ſed illis, quos voluntate Aſſueri Aman conſecutus eſt, maiores minime extiterunt. [e] Cuius tamen gloria in cruce quinquaginta cubitorum altitudinis finita eſt. Neq; dici poteſt, Plautianum ſummam apud Seuerum gratiã non inueniſſe, veruntamen ita ſe geſſit, vt Seuerus paſſus fuerit, eum coram ſe occidi, & ex feneſtra in viam conſpiciendum populo proiici. [f] Si ad proximiora noſtris tempora animum aduerterimus, fauores, quos Iohannes Aragoniæ Rex Aluario de Luna impertiit, non ſine admiratione memoria recolimus. Nam Rex pluris illum, quam nonnullos ſanguine ſuo regio oriundos fecit: pro ipſo diſcordiis, bellisq; toti regno, ſuæq; ſaluti periculoſis ſe ſubiecit: ipſum diuitiis immoderatis cumulauit, dignitatibus & prærogatiuis cohoneſtauit: nunquam delatoribus, qui ipſum accuſarent, aures præbuit: deniq; tamen carceribus mancipatum publice ipſum Burgi capite damnauit. Temporibus fere noſtris, vt refert Guicciardinus, Cardinalis Eboracenſis memorabile, quid poſſit in aulis principum fortuna, inuidiaq;, exemplum dedit. Nam ab Henrico VIII. Angliæ Rege ingenti autoritate donatus, in eum ſtatum deuenit, vt ereptis illi pecuniis, ſupellectile ditiſſima, reditibus Eccleſiaſticis (præter minimam quandam portionem) cũ paucis familiaribus in Epiſcopatum ſuum fuerit relegatus; deinde iterum ob alia indicia in ius vocatus, ſecundo die infirmitatis ſuæ, dum ad Curiam tenderet, infeliciter occubuit. [g] Deſcendamus etiam ad tempora, locaq; paullo viciniora. Magnus Dux Etruriæ Franciſcus ex tota ditione ſua Mondragonem, olim ſibi chariſſimum, maximęq; exiſtimationis hominem expulit. Ergo nihil verius eſt, quã vt rariſſime ii, quos magni principes beneuolentia complectuntur, in finem vſque eodem ſtatu perfruantur. Cuius rei plurimæ poſſunt eſſe cauſæ, inter quas vniuerſalis eſt conſueta fortunę mutatio: Quę nonnullis à principio ad finem vſq; proſpera eſt, nonnullis ſemper item aduerſa: accidit etiam, vt cum aduerſa principio fuerit, mox læta atq; ſecunda fiat: nonnullis vero læta principio, demũ infauſta ac turbida euadit. Proinde pulcherrima ſunt ea verba, quæ Pompeius Corneliæ vxori poſt Pharſalicum conflictum dixit: *Fortunam perſeuerantius illum expectauiſſe, quam ſui moris eſſet,* [h] adeo vt mirandum non ſit, ſi gratia principũ ſuorum perdiu feliciter vſi aulici, tandem fauoris eorum aura immutata, fortunæ

[b] *lib. 3.*
[c] *lib. 5.*
[d] *Plut. in Alex.*
[e] *Eſther. c. 3.*
[f] *Herodianus lib. 7.*
[g] *libr. 19.*
[h] *Plut. in Pomp.*

mutationem experiantur. Quod ſi dux, & miles perſæpe in bello profligatur, ſi nauta mari naufragatur, ſi ædificator ſæpenumero ex ædificio ruit: quid mirum fuerit, ſi aulici in tempeſtoſo aulæ pelago aliquando naufragium patiantur. Pleriſque fauorem amittunt, & ruunt in aula, cum fundamenta illa, quibus nitebatur fauor, ſublata ſunt: Hæc autem fundamenta multa diuerſaq; poſſunt eſſe, quia plurimæ, diuerſæque ſunt rationes, quibus ad aliquem amore proſequendũ impellimur. Cui ſimilitudini autor accommodat Plancinæ Piſonis vxoris exemplum: quæ Germanici venenati ſuſpecta, ob amorẽ Liuiç non minus, q̃ propter odium, quod ei cum Agrippina intercedebat, viuere permiſſa eſt: at poſt q̃ hę mortuę fuerunt, amore odioq; illarũ, quibus vita Plancinæ innitebatur, ſublatis, Plancina debitas luit pœnas, &, ſicut inquit autor, *vt odium & gratia deſiere, ius valuit.*[i] Præterea in pleriſq; ceſſat, deſinitq; fauor, quia eius (vt M. Dux Etruriæ dictitabat) naturæ ſunt, vt neq; Arno explerentur: quemadmodum ſimile huic fuit Antipatri dictum de Demade. Quamobrem cum gratię pro meritis ſufficientes nunquã ſibi impertiri videantur, aduerſus dominos arrogantiæ vitio inficiuntur, & contumaci quodam ſilentio quæcunq; obſequia præſtiterunt, perpetuo exprobrare videntur: quo principibus nihil moleſtius eſt, neq; frequenter id ſine ratione, cũ ab ipſis iiſdem, dum famulis vtuntur, bene merendi tota ratio pendeat. Ludouicus XI. Galliæ Rex, dum ad hanc rem illum autoris locum citaret, *grauiorum facinorum miniſtros quaſi exprobrantes aſpici,*[k] ad Cominæum conuerſus dixit, nihil felicius aulico homini contingere poſſe, quam cum princeps in eum aliquod inſigne beneficium contulerit, quod idẽ aulicus parum promeritus ſit, nam eo collato beneficio princeps ipſe magis alligatur, q̃ ſi aulicus diuturna quæq; obſequia præſtitiſſet: ideo quia naturaliter princeps maiori illos complectitur amore, qui eidem plurima debent, quam contra, quibus ipſe. Sed quid neceſſe eſt, cauſas cur principum fauor, & aura flaceeſcat, inquirere, cum eæ innumeræ ſint, cumq; eædem poſſint tam famulantis, quam principis culpa procedêre. Operæprecium eſſet, quibus artibus hic ſcopulus euitandus eſſet, oſtendere, ſed inter cætera nullã ipſe video potiorem, quam philautiam excutere, atq; ita ſibi perſuadere, non virtutum, nõ induſtriæ meritis vllis hanc fortunam quæſitam eſſe, ſed ſolo nutu diuino, qui in animis principum, dum ii te primo adſpexerunt, illam erga te propẽſionem excitauit. Quod non ex me, ſed ex ſacris antiquorum Iudæorum literis depromo, qui cum aliquem charum principi ſignificant, ea verba, quæ ſemper plurimi feci, proferunt, *Inuenit gratiam in oculis eius.* Quæ Dei prouidentia, ſi conſtanter ab aulico crederetur, neceſſario eueniret, non modo vt ipſe erga dominũ ſuum modeſte ſe gereret, deq; ſe non ſuperbe ſentiret, Deo acceptam totam fortunam referens, ſed alienorum malorum miſerens, libentius aulicorum nænias ob ingratitudinem aulicorum mitigaret. Quo caſu te ita manſuetũ, animiq; cõpoſiti aſpiciens princeps, nunquã tibi iraſcetur, itemq; aula, cum te ſuum videat deprecatorem, interceſſoremq;, tibi omnia bene volet, vtilitatemq; tuã promouebit, nedum non impediet, & propter tuorum operum cõſcientiam timoris ex-

i lib. 5.

k lib. 14.

ecrs lætiſſimos annos tranſiges. Hæc ad tuendam atque conſeruandam principū gratiam plurimum proficiūt. Hanc autem amittere(modo ne ruas,& in præceps labaris)infelicitati non eſt tribuendum, quia extremitas annorum aliquod laborum leuamen, imo &animi corporisq; tranquillitatem requirit: proinde Similis, qui ſub Adriano Imperatore maximos honores adeptus eſt, ad priuatam vitam ſponte ſua reuerſus, negotiorum vacationem eſi obtinuiſſet, ſepulchro ſuo iuſſit inſcribi, *Hic iacet Similis, cuius quidem ætas multorum annorum fuit, cæterū ſeptem annos vixit.*[l] Verum ſi in longe maiori fortuna Sylla dictaturam depoſuit; ſi Diocletianus tanq̃ onus grauiſſimum, imperium vltro abiecit, idemq;, vt Collega eius Herculeus faceret, ſuaſit.[m] Si temporibus noſtris Carolus V. & viribus & virtute priſcis Imperatoribus minime inferior, vitā non tantum priuatā, ſed pene monaſticā, tot filio regnis relictis, amplexatus eſt: nonne quiuis priuatus homo eximiæ felicitati, fortunæq; tribuere debet, ſi abſq; præcipiti herilis gratiæ iactura, cum ad priuatum otiū redactum eſſe contigerit? Imo quemadmodū Socrates ſenectuti gratias habebat, q̄ ipsū ab horrendis, turpibuſq; libidinū monſtris exemiſſet; ſic ſapiēs aulicus principi ſuo gratias agere vel maximas deberet, quod illum è ſyrtibus atq; innumeris aulicæ vitæ ſcopulis eripuerit, quodq; exuberantē illam auram tunc moderatus fuerit, cum portui ſalutis propinquo, & ſenectam ætatem proſpicienti, non amplius ventis impellentibus, etiamſi proſperis ac benignis, ſed magis malacia auræq; remiſſione opus erat.

[l] *Dio in Adr.*
[m] *Eutrop. l. 9.*

Non decere propter minutas quaſque res principibus moleſtiam faceſſere.

DISCVRSVS V.

ILlorum Principum, qui multos perpetiuntur labores, neq; ſciunt ſe imperandi labyrinthis facile explicare, magis bona voluntas, quam virtus laudanda eſt: idq; duplici de cauſa, altera, quoniam, qui bene artem ſuam norunt, ipſius artis opera ſine difficultate peragunt; altera, quia principibus non eſt propter minimas res exhibenda moleſtia. Alterius rei ſingulare præbuit exemplum I. Cæſar, qui bello Africano cum equites, pediteſq; ſuos, quo pacto ſiſtere ſe locis, quo receptui canere, pugnæ ſeſe offerre promptiſſimos, & ſine impedimentis, tricisve vllis militaria munia adimplere, monuiſſet: refert Hircius ſiue Oppius, hæc ab ipſo Cæſare non coram facta fuiſſe in vallis, ſed vt militaris artis peritiſſimum decebat, per nuntios ſub pellibus manentem, executum fuiſſe, aliiſq;, q̄ peragendū erat, mandauiſſe.[a] Rurſus habentur manifeſta, atq; clariſſima Tiberii verba, quibus, cū Capreis degeret, ad Senatum epiſtolam ſcripſit, qua Senatores arguebat, q̄ *cuncta curarum ad principem reiicerent.*[b] Illud n. nihil eſt aliud, quam cuncta confundere, & iubere manui, vt pedis officiū ipſa exequat: vnde negotia impedimētis adiunctis, difficiliora euadūt, quia melius manibus, quam pedibus quiſq; ambulat. Principes perinde atq; artifices eſſe videntur, qui ſuæ materiam, & inſtrumenta artis præ manibus habent, lapides, cementa, ferramenta, & huiuſmodi

[a] *lib. pr. de bell. Afr.*
[b] *Tac. libr. 3*

cętera: quæ modo acutiora, modo latiora, modo breuiora reddunt, iiſq; eas formas tradunt, quę opificio abſoluendo conducunt. Quod ſi inſtrumenta eloqui poſſent, ſimulq; ea, quæ ſibi dicerentur, intelligere, putabimusne, cum aduerſus ea magis lapicida iraſci debeat, vt malit iraſci lapidi, quod durus nimium ſit, an ſcalpro, malleo, ſubulæve, quod obtuſa ſint, neq; ſuum munus expleant? Certe niſi inſaniret artifex, non lapidi, cuius natura eſt, vt durus ſit, ſed ſcalpello ſubulęve, quia ſuas partes non exequerentur, excandeſceret: Eiuſdem modi princeps eſt, cui dubio procul populus, vt artifici materia, ſubiicitur; ſed nutibus, & per miniſtros, quibus ipſe tanquam inſtrumentis, immediate vtitur, eum gubernat. Igitur nulla principi cura maior incumbit, quam vt ipſos miniſtros curet, neque enim Iohannis aut Petri querimonias audire ipſum decet, cum ii miniſtros adire poſſint, niſi fortaſſe ipſos miniſtros accuſarēt; ideoq; alibi diximus, veram principum artem eſſe homines cognoſcere. [c] Quia ſi bene princeps ſemel elegerit, iam omni cura ſolutus eſt: ad hoc Tiberius reſpexit, cum in Senatu dicens, ſe neq; ædilis, neq; prætoris, neq; conſulis perſonas ſuſtinere, ſubdit, *maius aliquid & excelſius a principe poſtulari.* [d] Nam princeps propter maiora conueniendus eſt, quam ſi verbi gratia de re œconomica agendum ſit, non quia hę curę ad reip. ſalutem non ſpectent, ſed quia ad eos magiſtratus pertinent, quorum humeris id ponderis commendatur. Neq; enim principum virorum vitæ ad alium finem, quam ad noſtri exemplum, perſcriptæ fuerunt, vel quo peccata, quæ ipſi commiſerunt, euitemus, vel vt egregia opera, quæ fecerunt, imitemur. De Themiſtocle ſcribit Plutarchus, ſolitum illum fuiſſe dicere, quemadmodum nauis Salaminia (dicetur clarius hodierno vocabulo quaſi Venetus Bucentaurus) nō propter minimos vſus educebatur, ſed tantummodo ad principes excipiendos, ſimilesq; ſolemnitates, ſic Athenienſium remp. opera eius non niſi in ſummis difficultatibus, & cauſis illuſtribus, non propter minutas quaſq; res vti ſolere. [e] quod apophtegma alibi Pericli attribuitur. [f] Neq; id ſine ratione contingit: non quia maximos viros, cum opus eſt, rerum etiam mediocrium functio dedeceat, ſed quia dum in rebus minutis curandis tempus diſperditur, eę, quæ maioris momenti ſunt, per incuriā negliguntur: quemadmodū Iohannes ſculptor Bononienſis querebatur, quod cum Deus ipſum creauiſſet, vt coloſſos, ingentesq; machinas ſculperet, Magnus Dux Franciſcus eo (ita requirente occaſione) in auiculis, piſciculis, lacertis, & eiuſmodi minutis animalculis ſculpendis nunquam nō vteretur: Quo tædio M. Dux Ferdinandus illum liberauit, dum in ſculpenda nobiliſſima M. Ducis Coſimi ſtatua ipſius ingenium occupat. Principes, dum negotiorum curam miniſtris deferunt, citra dubitationem odio illo, quo alioqui premerentur, ſi omnium autores apparerent, ſeſe exonerant. Quod ego non ob id tantum ſuggero, quia debeant principes inuidiam & obtrectationem, quibus iuſtitiæ adminiſtratio coniungitur, effugere, ſed etiam quo, dum ſe tanquam tertiam quandam perſonam exhibent, clarius conſpiciatur, iuſtitiam illam eſſe, quę ita iuſſit, non principis voluntatem. Nam Magni Ducis Coſimi reſponſio illa cui-

[c] lib. 13. diſc. 5

[d] lib. 3.

[e] in polit.

[f] in Pericle.

dam matronæ facta valde adnotanda eſt: Illa cum filii ſui, qui magnum quoddam delictum patrauerat, vitam à principe deprecaretur, Dux reſpondit, *Cauſæ illius cognitionem ad Octouiros ſpectare, eorumque arbitrii eſſe ſententiam pronuntiare.* Tiberius autem, cui neque virtus, neque ſapientia, dummodo vellet, vnquam defuit, *vim principatus ſibi firmans, imaginem antiquitatis Senatui præbebat, poſtulata prouinciarum ad diſquiſitionem patrum mittendo.* [g] Porro quicunque, vt maioribus negotiis operam nauet, parua negligit, id etiam conſequitur indirecte, vt parua feliciter ſuccedant; ea ſiquidem maioribus ſubordinantur, cum ordine conuerſo idem non eueniat: propterea quod qui diuitem punit, pauperem quidem perterrefacit, ſed non qui pauperem plectit, diuitem à delictis retrahit. Igitur quarumcunque recularum moleſtia principi non deferatur; is autem ſi virtute fuerit inſtructus, facilime iis reip. morbis medebitur, qui propter eorum malignitatem manus regiæ caſtigationem, opemque requirunt.

[g] *Tac. l. 3.*

Ab humili loco ad clariſſimam fortunam compendioſius virtute, quam fraude perueniri.

DISCVRSVS VI.

PErpauca in rebus humanis ea eſſe videntur, quæ aliquibus ſiue bonis, ſiue malis artibus aſſequi nequeamus: nam & mercatura, & furto diteſcimus, ad dignitates autem peruenimus bonis moribus, arte militari, doctrina, item lenocinando, aſſentando, aliiſque ſexcentis malis artibus: fama autem vitio non minus, quam virtute colligitur: ſed ſi quis cuipiam oſtendere vellet, compendioſiorem eſſe ad diuitias conſequendas improbitatis, quam mercaturæ viam, is nihil efficeret aliud, niſi quod in animis hominum vehementem quandam furandi cupiditatem incuteret. Quod neque bonum, neque verum eſt, cum facilius ſit, eiuſque rei maior exemplorum copia ſuppetat, vt quis ex humili loco ad altiora magis virtutis, quam vitii, fraudiſve ope conſcendat. Quapropter loquens autor de I. Floro, qui apud Treueros natus erat, deque I. Sacrouiro, qui apud Eduos, ob ipſorum, inquit, nobilitatem, & propter clara maiorum ſuorum geſta ciuitatem Romanam conſecutos fuiſſe, *cum id rarum, nec niſi virtuti precium eſſet.*[a] Vtrique mira voluntas inceſſerat experiundi, num fraude inualeſcere poſſent, enitebanturque libertatis titulo, quæ via ſeditioſiſſimo cuiq; frequens eſt, Galliæ priſtinam reſtituere libertatem. [b] Neque tamen aliud conſecuti ſunt, quam quod per ſe ipſos ſe occiderunt. Non me fugit, à priuatis mihi obiectum iri, temporibus Tiberii, iuxta noſtri autoris verba, conſulatum niſi per Seianum impetrari non potuiſſe, *neque Seiani voluntas niſi ſcelere quærebatur.* [c] Ergo ad ſupremam in rep. dignitatem magis fraude, quam virtute licebat conſcendere: hoc verum; neque etiam dubitandum, ſub malo principe citius vitio, & adulatione,

[a] *lib. 3.*
[b] *lib. 11. & lib. 20.*
[c] *lib. 4.*

quam virtutis auxilio ad ſumma perueniri: Sed neque inde ſequitur (omnibus temporum periodis conſideratis) facile, tutumque ſemper eſſe, etiam ſub iiſdem malis principibus vitiorum viam frequentare: Nam quamuis principes vitiis inquinati ſint, nihilominus infamiam nonnunquam horrent, aut maiores principes verentur, aut ſubditos ipſos. Quod ſi ſemel cupiditatibus ſuis ſatisfaciunt, bis, terque aliquo virtutis velamine mala opera contegunt, atque obuoluunt. Et ne à Tiberio diſcedamus, iam nobis planum eſt, ſolitum illum fuiſſe
[d] lib. pr. *neque eminentes virtutes ſectari, rurſus tamen vitia odio habere,* [d] & plerumque
[e] lib. 4. ſcelerum pertæſum miniſtros acerrime puniuiſſe, [e] conſueuitque diu in diſtributione munerum publicorum nobilitatem ciuium reſpicere, militarem experientiam, & pacis artium peritiam attendere. Quoniam vero à bonis principibus honores fraude non obtinentur; rurſus à malis ipſis aliquando virtus anteponitur, hinc ſequitur, in æquilibrio poſitis vicibus pluries virtute, quam vitio ad honeſta homines prouehi ſolere. Quod ſi ſcriptor aliquis defenderit, eos tantum virtute ad ſumma aſcendiſſe, qui ad principatum ex humillimo ſtatu promoti fuerunt, concluſeritque ſine virtute, aut ſine vi tales promoueri non potuiſſe, adducens ad ſuam ſententiam firmandam exempla Philippi, Agatoclis, Cyri, Iohannis Galeatii Vicecomitis, & Romanorum; maxime dubitandum eſt, ne multipliciter erret; primo quia cum omnes hi, excepto Agatocle, principes extiterint, exẽpla propoſitioni non reſpondẽt, cum ii ex principibus maiores principes, non a. ex priuatis principes euaſerint. Præterea de Romanorũ exemplo valde ambigo; præterq̃ ꝙ militaris fraus legitima eſt, & longe ab aliis fraudũ generibus diſtinguitur. Igitur cum illius autoris propoſitio vera tantũ in Agatocle comprobetur, qui ſolus vitiorum, fraudumque ope rex euaſit, idemque forte de Vicecomite, qui, quod duorum erat, ſoli ſibi vſurpauit, concedentes, cætera diuerſimode ſe habent. Veruntamen ad Romanorum fraudem deuenientes, quam falſo iis adſcriptam fuiſſe, aſſeruimus, comprobatur id ipſum Liuii verbis ijs, *Nam ſi etiam nunc ſub vmbra fœderis æqui ſeruitutem pa-*
[f] lib. 8. *ti poſſumus.* &c.[f] Quæ verba cum ab hoſte Populi Romani dicantur, nullius vigoris exiſtunt: quemadmodum in re ſimili errauit Conſtantinus Caſtriottus, qui in ſingularis ſui certaminis contentione cum vellet authoritate Platonis probare, *non viri, ſed mancipii eſſe, iniurias ferre, & ſatius eſſe, vt morti ſeſe ille dedat, quam viuat,* non animaduertit, verba illa Callidis eſſe, quæ à Socrate verſus fi-
[g] in Gorg. nem dialogi illius docte, ſancteque refutantur. [g] Igitur Liuiana verba in ore hoſtis Populi Romani attendenda non erant; nam ſi ea reſpicere vellemus, nullos Romanis peiores homines terra ſuſtinuiſſet, cum tamen mihi videatur, quicunque ipſorum geſta attente legerit, populum hunc nunquam aduerſus cæteros populos iniuſta bella mouiſſe: quod vero Annius Setinus mentiatur, hoc eſt, Romanos cum Latinis, cæteriſq; vicinis populis fœdere iunctos hac arte vſos eſſe, vt Setinos deciperent, & in ſeruitutem redigerent, ex hoc coniicitur, quia ne ſomniare quidem ab initio vnquam potuerunt Romani eam magnitu-

dinem,

dinem,ad quam deinde peruenerunt, vnde potuerint ad hunc ſcopum reſpice-re:verum ſi proceſſu temporis ſuam ipſorummet virtutem metientes, ac proinde ſe indignos putantes, qui cæteris populis cedant; digniſſimos autem,quibus cedatur,mundi dominationem arripere voluerunt; profecto aliud dicendum non eſt,niſi quod dixit Auitus, *patienda meliorum imperia.* [h] Quod noſter autor ex Liuio mutuatus eſt,qui dixit,ſocios ob moderatum,iuſtumque Romanorum imperium non recuſauiſſe ſe iis ſubiicere, iis verbis *,nec abnuebant, quod vnum vinculum eſt, melioribus parere.* [i] Quod autem de fraude Philippi, & Cyri diſſeritur,aſſero,non ſolum non conuenire cum Agatoclis,& Vicecomitis fraude, ſed totam illam eſſe virtutem, vim,artemque militarem, qua ſcilicet hoſtis ſuperatur,imitatione digniſſimam; quamq; omnes Chriſtiani Catholeci,& ſancti, nedum gentiles principes imitati fuerunt; proinde cum cæteris immiſcenda non eſt: quemadmodum neque decet Philippum, & Cyrum cum Agatocle, & Iohanne Galeatio comparare. Quod ſi quis hanc dubitationem alicuius excellentiſſimi, & præſtantiſſimi ſcriptoris autoritate ſoluere vellet,is legat, quæ de hac fraude ore Aſtyagis, artem militarem Cyrum nepotem ſuum edocentis, prodidit Xenophon. [k] Cuius fraudis exemplum,quia mihi perplacet, expromam; lectorem tamen admonens, vt autores ipſos legat, ne fortaſſe dum fraudem in bello conceſſam eſſe,defendo, errorem eſſe putet. Dicamus itaque hoc pacto:ſi dimicantibus duobus alter punctim ſe ferire velle frōtem ſimulet, mox cæſim crus petat, interrogo,an ſaucius ille arguere poſſit ſauciantem, quaſi ipſum prodiderit,quia faciem,quam reſpiciebat,ſe velle vulnerare innuens,crus, quod ille non defendebat, petiuiſſet:hæ, ſimileſque ſunt militares fraudes, neque diuerſis fortiſſimus,prudentiſſimuſque princeps Cyrus Armenium regem, vt ſe ei dederet,coegit:Qui aduerſus Aſtyagem auum Cyri fidem fallens, & in illius maioribus periculis tributum negans, meruerat, vt Cyrus hoſtiliter cum tractaret; adeo tamen indulgens extitit,vt eidem vitam,regnumque donauerit.Quod ſi fraus hæc eiuſmodi non eſt,qualem dixit eſſe contrarius autor;identidem actum illum,quem cum Ciazare patruo ſuo materno perfecit, omni crimine carere,putandum eſt. Quod ſi fraus ſimiliter credatur illa Philippi, cum Amphipolim Atheniēſib.conceſſit,vt Argeus aduerſarius eius ſibi traderetur;cū Pannonios muneribus ſibi conciliauit; cum Pauſaniam libertate amicum reddidit;cum Pœonios,& Illyrios iuſtis armis deuicit, totque alia perfecit, quibus filio apertam poſt ſe debellandi Perſici imperii viam reliquit; ſequantur fidenter hanc fraudem Chriſtiani Principes, diſcentes, potius optimis artibus inimicos vincere,quam conſanguineos,& amicos affligere. Hic eſt enim cardo,quo,omni reiecta dubitatione,tota veritas huius diſſertationis innititur.

[h] Tac.l.13.

[i] lib.22.

[k] libr.pr.

Princi-

Principibus, & magnatibus vulgi obtrectationes negligendas eſſe.

DISCVRSVS VII.

SÆpenumero contingit, vt magnates, principeſque, etiamſi, antequam quidquam geſſerint, circumſpectis, & optimis conſiliis vſi fuerint, ſi forte populum in malam partem res geſtas interpretari cognouerint, valde triſtentur: oſtendentes, magis alieno, quam ſuo ſe iudicio credere: In quo illum ipſum errorem capere videntur, in quem incidunt, quicunque eius rei, quæ per ſe nullum peccatum continet, ſcupulum, ſuperſtitionemque animo concipiunt. Quandoquidem ſicut ii, propter ſolam opinionẽ, quam de re aliqua, quod peccatum ſit, habent, ſi eandem fecerint, & peccauiſſe credunt, etiãſi reipſa nullum peccatum commiſerint: ita ipſi, quia dolore, ac pœnitudine cruciantur, quod populus conſilia non approbauerit, actionem alioquin laudabilẽ deturpant, indicantq; conſilium illud magis varium, & labantibus fundamentis innixum, quam ratione & ſcientia ductum fuiſſe. Quo fit, vt magnates obtrectationes huiuſmodi contemnere ſoleant, imo vituperationem totam in obtrectantes retorquẽdo, à crimine ſe eximunt, eoſdemque accuſant. Conquerebatur Populus Rom. quod vini penuriam patiebatur, cui reſpondit Auguſtus, *generum Agrippam huic rei ſatis prouidiſſe, cum tot aquas Romã, ne ſitirent, perduxerit.*[a] Similiter vituperabatur Tiberius, quod cum maior Galliæ pars defeciſſet, ipſe nihilominus Capreis delatoribus aures accõmodaret, vtque autor inquit, *in tanto rerum motu libellis accuſatorum inſumeret operam.* Quam famam ipſe contemnens, magis ac magis *in ſecuritatem compoſitus, neque loco, neque vultu mutato, ſed vt ſolitum, per illos dies egit, altitudine animi, an compererat, modica eſſe, & vulgatis leuiora.* Cum deinde illius belli exitus Romanis feliciter ſucceſſiſſet, tunc totum ſucceſſum Senatui ſcripſit, ſimul addens cauſas, cur ad id bellum profectus non eſſet, *non eſſet decorum principibus, ſi vna, alterave ciuitas turbet, omittere vrbem, vnde in omnia regimen.*[b] Arguebant identidem ipſum, cum Germanicæ legiones defeciſſent, quod filiis curam totam delegauiſſet, neque ipſe iuiſſet ad prouincias, ſed Tiberii animus *immotus fuit aduerſus eos ſermones,* profeſſuſque eſt ob eaſdem cauſas non eſſe remp. principemque in perniciem dandum, neque curas maiores relinquendas, vt medela minoribus afferatur. Quiſquis igitur bene rem aliquam propoſuerit, atque conſuluerit, promoueat illam audacter, neque quid vulgus blateret, dignetur attendere: alioquin animi leuitatem præſeferret, neque abſimilis foret ventos indicantibus apluſtribus, quæ in turribus editiſſimiſque locis collocantur, quæque ad motum ventorum mouentur: Et Dauid de iuſto viro loquens ait, *ab auditione mala non timebit.*[c] & Diuus Paulus, *per infamiam,* inquit, *& bonam famam.*[d] Quod dictum ſit, vt patefaciamus, non tantum politicos, ſed etiam

iuſtos,

[a] Sueton. in Aug.

[b] lib. pr.

[c] Pſal. 111

[d] 2. Cor. 6.

uſtos, ſanctosq; viros hanc gubernationis viam ingredi debere, ſcopum tantum reſpicientes, neque à Deo vel tantillum oculos dimouentes: quemadmodum equorum domitores efficere conſueuerunt, qui non quo equus falſis vmbris territus, illos abducit, tendunt, ſed quo ire propoſuerant, eo frenis, ſtimulis, verberibus equum vel inuitum conuertunt. Inſtituit Plutarchus aliquando fere ſimilem huic diſcurſum, arrepta occaſione, quam Timoleon obtulerat: qui tametſi egregie ſeſe geſſiſſet, dum tyranni fratris neci conſenſum præbuit, adeo tamē perterritus fuit, quia de illo parricidio mater illum arguerat, vt viginti annos rep. deſerta vitam ſolitariam egerit, perinde ac ſi ſceleratiſſimum opus adiuuiſſet. [e] Et ratio eſt, quia in accuſatione, quod fratrem occidiſſet, manifeſto delicto confuſus, ita reſpondere neſciuit. Occidi patriæ tyrannum, quia, cum patria quibuslibet coniunctis debeat eſſe nobis charior, quoties incidit, vt pater, aut filius, aut frater cum patria diſſideat, tunc omni conſanguinitatis vinculo reſoluto, patriæ charitatem anteferre debemus. Finis bellorum victoria eſt, tamen Torquatus victorem filium necat: quod fit ideo, quia diſciplina & obedientia præire victoriæ debet: hæc autem in eo, vt ducis nutum, non tuam voluntatem ſequare, poſita eſt. Igitur laudabile per ſe non eſt illud conſilium, quod bonus euentus ſubſequitur, ſed illud vere laudandum eſt, quod ſapienter capitur, etiamſi infelicem ſucceſſum nanciſcatur, quemadmodum Plutarchus Phocionis exēplo demonſtrat, qui de Leoſthene quandam victoriam gratulante dixit, *Ego quidem nollem, vt ille non viciſſet, tamen per mihi gratum fuiſſet, ſi meum conſilium ſecutus fuiſſet:* multoq; magis Ariſtidem quendam Platonis amicum collaudat, qui cum Dionyſio filiam ſuam in vxorem petenti negauiſſet, addens, malle ſe illam mortuam, quam tyranni vxorem videre; paullo poſt à Dionyſio morte damnatus, & interrogatus, an eiuſdem ſententiæ foret, reſpondit admirabili conſtantia, *Quarundam rerum, quæ fecerat, ſe pœnitere, non eorum, quæ dixerat.* Quare mihi videtur non modo neceſſarium eſſe, vt quis bene conſulat, ſed etiam vt conſilij rationes habeat in promptu, ne, ſi quid ei fortaſſe exprobretur, obmuteſcat, præſertim cū aliquando obiectiones tales eſſe ſoleant, vt difficilimam habeant reſponſionem, verbi gratia, ſi quis alicui, quod propter ſecretum adulterium vxorem occiderit, exprobrauerit, quaſi ipſemet ſibi in capite cornua affixerit, is reſpondere poteſt, quemadmodum, fœtido aliquo animale, ac putido eiecto, nullus reſtat domi fœtor, atq; immundicia, ita verum eſſe, cum mala fœmina de medio tollitur, dedecus omne domeſticum abradi, & filiabus exemplum præberi, ne materna veſtigia ſequantur. Romani de Pontifice conqueruntur, quod maiora à militibus, qui contra exules mittuntur, quam ab ipſis exulibus, damna patiantur, neque animaduertunt, militum incommodum breue, ab exulibus vero detrimenta perpetua fore, quaſi carcinomata in corporibus humanis incantationibus anilibus tollerentur, non plagis ac medicamentis acerbiſſimis, quorum vi ſanantur. Itaq; non ſolum cum prudenter egerimus, vulgi obtrectationes contemnendæ ſunt, cauſas, cur ita egerimus, reddentes, ſed etiam audacter ipſum reprehendendum

[e] *Plut. in Timol.*

eſt, quod obtrectare auſum fuerit: qua de re præter Auguſti autoritatem, quam diximus, aliud ſuppetit exemplum Tiberii, qui cum intellexiſſet, plebem Romanam ob annonæ penuriam maxime tumultuatam eſſe, ipſe oſtendens, vnde & quanto maiorem, quam Auguſtus in vrbem adduci annonam curauiſſet, incuſauit magiſtratus, patresque, quod non publica autoritate populum coercuiſſent.[f]

[f] lib. 5.

De nummaria re augenda.

DISCVRSVS VIII.

QVicunq; principum pro neceſſitatibus ſuis pecuniarum copiam deſiderat, is neceſſe eſt, vt quam maximam hominum habeat multitudinem: nã quéadmodum agri ſine hominum cultu, & induſtria ſteriles exiſtunt, ita vectigalia ſine agrorum fructibus non exiguntur. Eorum hominum multitudo principi cõmendatior erit atq; laudabilior, quorum magis commẽdabitur induſtria. Igitur curandum, vt ſubditus vnusquiſq; iuxta gradum ſuum in aliquo exerceatur, vtque otioſi abigantur, qui fucorum inſtar nihil reip. præſtant, niſi vt ſollicitarũ apum labores abſumant. Ex generibus artium atq; induſtriæ illud vtiliſſimum eſt, quod externis rebus minime indigens domi materiam nanciſcitur, quibus ad ſe exterorum monetam trahens, moneta propria domi cõſeruatur. Vnde conqueritur Tiberius, *lapidum cauſa,* inquiens, *pecuniæ noſtræ ad externas aut hoſtiles gentes transferuntur,*[a] etiamſi Themiſtocles Artimiũ Zelitem notarit infamia, quia aurũ è Media in Græciam adduxiſſet, ſed hoc alio fine.[b] Igitur multitudo hominũ, qui domi laborent, neq; pecuniam exportent, diuites ciuitates reddit. Hi autem in agricolas & mercatores diuiduntur, vnde duplex vectigal colligitur: ſed & aliud colligitur lucrum, quod reuera quædam principum mercatura vocari poteſt, & hoc fodinæ ſunt, quibus nemo, niſi princeps ipſe, manum admouet; neq; de alio reditũum genere, q̃ de his tribus Liuius locutus eſt, cum oſtendit, Philippum Perſei patrem, ſuſpicantem, aliquando fore, vt cum Romanis bellaret, theſauroque indigeret, *vectigalia regni non fructibus tantũ agrorum, portoriiſq; maritimis auxit, ſed metalla & vetera intermiſſa recoluit, & noua multis locis inſtituit.*[c] Quæ fodinę, etiãſi nihil inde, niſi ſumptuũ compenſatio, extrahatur, tamen ſummo principis emolumento cedunt, quia nihil de ſuo exponens, regnum auro reddit abundantius: inſuper ſubditus ſine principis damno laborum ſuorum fructũ colligit, quo dũ ad res victui neceſſarias comparandas vtitur, inde mercator & agricola rectius ſe habent, vnde auctis vectigalibus per conſequens principis reditus adaugentur. Modo cum de vectigalibus generatim dixerim, addo, cum ipſa malum quoddam ſint neceſſarium, debere principem eam operam dare, vt quam leuiſſima videantur. Idcirco ea fortaſſe magis toleranda videbuntur, quæ non ab omnibus exſoluuntur, ſed aut nomine pœnæ cõtinentur, aut ad quorum ſolutionem

[a] lib. 3. [b] Plut. in Themiſt. [c] lib. 39.

nemo

nemo impellitur, verbi gratia (vtar exemplo opportuno quidem, ſed non admodum honeſto) vt illa ſunt vectigalia, quæ ex meretricibus colliguntur: quæ ſi honeſtam cum viris ſuis vitam degerent, nemo illas cogeret, vt ſceleſtiſſimi lucri, quod per ſui corporis copiam facerent, partem aliis darent. Similiter in ciuitate licet vnicuique inermi viuere, ſed quia plerique ob ambitionem, neq; propter aliam neceſſitatem arma ferre cupiunt, non abs re iis, qui arma gerunt, vectigal imponi poteſt: item in luſoriis inſtrumentis: Poſſet autem princeps in eius legis proœmio monere populum, malle ſe, vt ſua ciuitate ludi exularent, quemadmodum etiam reuera abſq; vlla lucelli cupiditate hæc otiantium peſtis exterminãda eſſet. Si forte aliqua ditio & libertate ceciderit, tranſieritq; in principatum, res erit vtiliſſima feuda multa inſtituere: nam princeps ea ex modo redituum cariſſimo precio venderet; vtq; illi, qui circa hæc ſpeculantur, obſeruant, perraro accidit, quin centum annorum circulo feuda ad ſupremum dominum reuoluantur. Huc accedit, quod eodem tempore plura commoda quæſiturus eſſet, alterum exiſtimationis, quia dominis dominaretur, alterum ſecuritatis, quia nunquam minores domini reipub. mutationem, in qua æqualitas inducatur, feudiq; ius tollatur, admittent; tertium honoris tutelæque plurimorum ciuium, qui mercaturæ inſtabilitatem deſerentes, pecuniam in bonis ſtabilibus, maiori ſque ſplendoris collocarent; quod nihilominus mercaturam non minuit, excluditve; neque enim omnes tanti ſunt, vt feuda ſibi coemere valeant. Noſtris temporibus conſuetudo viget, vt principes pecuniam conquirere cupientes per miniſtros nummularios pecuniam à priuatis accipiant, reditum vero dantibus conſtituant (vt aiunt) octo, aut ſeſqui octo pro centenis nummis, quoad accipiens vixerit, plurimique probant, id maximo principibus emolumento cedere. A qua tamen opinione ego ſemper longiſſime abfui; propterea quod certi reditus indubie diminuuntur, accepta vero pecunia faciliime dilabitur, & raro ad tales contractus principes, niſi in extremis neceſſitatibus, deueniunt: poterunt autem forte minus obeſſe, ſi pecunia illa in aliqua latifundiorum, aut cuiuſcunque rei emptione, ſiue alio certo contractu colloccetur, cuius fructus damna cætera reſarciat: quoniam hoc caſu exæquatis rationibus manifeſtum lucrum fit, quoties emptores in principis, qui totam pecuniæ ſummam accepit, mortẽ obire contingit. Nihil autem pernicioſius puto, quam titulorum dignitatumque publicarum munera vendere, quia virtutum meritis locus aliquis omnino relinquendus eſſe videtur. Quod ſi quis obiiceret: quid ergo in extremis atque vrgentibus reip. neceſſitatibus agendum? Reſpondeo, id pręſentis tractationis limites excedere. Neq; alii deſunt modi, quibus pecunia decenter, legitimeq; conquiritur: Inter quos mirabitur quiſpiam, cur nõ connumerem agrorum culturam, aut ipſam mercaturam: Sed neutra principe viro digna eſt, ſi ad ſolius lucri finem inſtituatur. Proinde Tacitus de Tiberio, antequam in nequitias delaberetur, ſicuti ad finem principatus delapſus eſt, loquens, eumq; collaudans, hæc verba ſcribit, *Pauci per Italiam Cæſaris agri.* [d] Ratioq; in promptu eſt, quoniam

[d] *Tac. l. 4 in princ.*

ſi princeps oppidis, ciuitatibus, lacubus, fluuiis, exercitibus, omnium deniq; obedientia, ac veneratione perfruitur, æquitati conſentaneum videtur, vt ſubditos cæteris rebus vti frui permittat, præterquam quod omnibus iis regalibus, ac vectigalibus ſemetipſum priuat, quibus fruiturus eſſet, niſi ſua ea bona forent. Excipio tamen, niſi ea bona talia eſſent, quæ ſine ope ſubſidioque principis coli nō poſſent, quo caſu debet princeps, cum ad culturā ea reduxerit, emphyteotica facere, ſiue quocunq; modo locare, modo tota eorum cura ſubdito, non domino incumbat. Mercatura autem, ſi nobili viro indigna habetur (ſaltem in regiis ditionibus) ex ſe ipſo quilibet poteſt, quantum principem virum dedeceat, conſiderare. Quare à Q. Claudio trib. plebis lex promulgata eſt, qua vetabatur, Senatorium virum nauem habere ampliorem, quam vt trecentas amphoras portare poſſet: hæc enim agrorum fructibus domum vehendis ſuffectura videbatur, & verba Liuii ea ſunt, *quæſtus omnis patribus indecorus viſus eſt.* [e] & nihilominus propter plurima, quæ conſequuntur, annonæ cura ad principem ſummopere ſpectat: nam cum ea belli pacisq; temporibus plurimum maximumque habeat momentum, operæprecium eſt, vt in eadem ſeſe princeps occupet: nam ſi forte tantam annonę copiam habuerit, vt, vrgente fame, vicinis aliquando opitulari queat, ſtatim ingentem pecunię vim parabit, tale propter extrahendam ipſam vectigal imponens, vt cum ſubditorum extractionis facultatem petentium lucro ipſe non contemnendum emolumentum collecturus ſit. Verum ex omnibus lucris, reditubus, tributis ac vectigalibus nullum copioſius eſt, nullum honeſtius, nullū iuſtius, quam parſimonia, qua ſola vetuſtiores maiora aggredi auſi ſunt, & perficere potuerunt, quam quæ ſine ea ſucceſſores maximo diuitiarum culmine facere valuerint; adeo vt de Capitolio à Tarquinio Priſco ædificato loquens Tacitus dicat, erectum eo tempore fuiſſe *ſpe magis futuræ magnitudinis, quam quod modicæ ad hoc populi Rom. res ſufficerent.* [f] Et de eodem Capitolio ſcribens ſubdit, ab Horatio Puluillo iterum dedicatum fuiſſe ea magnificentia, vt ab immenſis, quæ ſubſecutæ ſunt, diuitiis magis exornari potuerit, quā amplificari. Hęc autem omnia inde fiebant, quia cum priuatim continentiam colerent, in publicis operibus maiorem poterant magnificentiam exhibere. Cum itaq; tanquam boni, & ſapientes viri, cognoſcerent, humanam vitam paucis eſſe contentam, neq; debere quemquam, vt intemperantiæ cupiditatibus ſatisfaciat, ſua prodigere, multas edixere leges, vt immoderatas palati voluptates frenarent. Et quoniam guloſitatis vitium in porco mille voluptates inuenerat, Cenſoria lege vetita in cœnis fuere (nam ea chariſſimo precio vaniebant) *abdomina, glandia, teſticuli, vulua, ſincipita verrina.* [g] C. Fannius Strabo, qui fuit poſt tertium Punicum bellum Conſul, ad cœnas niſi gallinam, neq; eam altilem, afferri vetuit: & M. Æmilius Scaurus, qui tribus & quinquaginta poſt annis Conſul fuit, glires vetuit, quemadmodum alii conchylia, & peregrinas aues vetuerunt. Præterea prudentiſſimi legumlatores ſummam rei veſtiariæ rationem habuerunt: propter quam anno 769. ab V. C. Siſenna Statilio Tauro, & L. Libone Coſſ. vetitum fuit, ne quis ſericas veſtes indueret,

[e] *Liu. l. 31. in fine.*

[f] *lib 19.*

[g] *Plin. l. 8. c. 51. 10. c. 50. l. 8. c. 57.*

duceret, [h] eodemque tempore per eandem legem interdictum fuit, ne ſolidum aurum menſis inferretur: in quo fortaſſe ad cælaturam, quæ maximo diſpendio laborabatur, reſpexerunt; non enim alia ratione auri, & argenti vſus prohibendus videbatur, cum in monetam facillime conuerti queat. Verum nulla reip. pernicioſior eſt corruptela, quam dotium immēſitas; quandoquidem aut iis familiæ pauperantur, aut quia virgines matrimonio carere coguntur, in monaſterium non ſponte, ſed vi detruduntur. Principes igitur omnino dotes, ne mediocrem ſummam excedant, moderari deberent; quoniam exploratum, certumq; eſt nobilium Romanarum dotes antiquitus parciſſimas fuiſſe: Nam cum P. Scipio Romam redire vellet, vt filiam matrimonio collocaret, reſp. quæ per ea tempora ducis illius in Hiſpania indigebat, hanc ſuſcepit curam, & quadraginta millibus æris illam nupſit; hæc autem ſumma ad quadringentos noſtrates aureos redigitur, & Valerius Maximus ad hanc rem adnotauit, Tatiam Cæſonis filiam maximi factam fuiſſe, quod in domum viri centum aureos nummos dotem attuliſſet, Meguliam vero quia millia quinque ſecum tulit, Dotatæ nomen accepiſſe. Quamquam mutatis temporibus dotes diuerſimode auctas fuiſſe, non me latet, idque vel maxime improbatur; non enim princeps hunc adeo irrepere, atq; inualeſcere errorem, permittere debet, vt, quod Romanis contigit, nobis etiam in dies pernicioſius contingat: nam trecentis abhinc annis adeo auctæ fuerunt, vt ſi Dantes Aligherius, qui de nimiis temporum ſuorum dotibus conquerebatur, reuiuiſceret, tempora ſua modeſtiſſima fuiſſe, fateretur. Et vero quidcunq; gulæ, quidcunque pompis, & immoderatarum dotium erogationibus ſubtrahitur, totum id in principis, & reip. vtilitatem conuertitur: quemadmodum enim pingue pecus paſtori prodeſt, ſic opulentia ſubditorum principis beneficiū eſt: qui amore parſimoniæ pauperum patrimonia conſeruans, & adaugens, poteſt deinde ingruẽtibus reip. neceſſitatib. ad particularia cuiuslibet æraria facile confugere. Magna quidem temporum noſtrorum felicitas videtur, vt aurum ex Indiis in maxima quantitate ad nos aduectum fuerit, & adhuc aduehatur, quamquam viri quidam docti, rerumque politicarum egregie gnari ſuſpicantur, num aurum, cuius tanta copia creuit, maiorem in remp. vtilitatem, an detrimentum inuexerit. Cui rei, aurum per ſe malum non eſſe, & nunquam niſi male quis vtatur, malum fieri reſpondentes, aſſerimus, principibus hanc curam competere, vt aurifodinas cuſtodiant, neque permittant aurum exportari. Nam Ioſaphat rex Iudæorum, cum rogaretur à rege Ocozia rege Iſraelis, vt permitteret hominibus ſuis ire cum claſſe, quam in Ophir auri cauſa mittebat, non permiſit. [i] Et certum eſt, eadem de cauſa reges Iudææ, quemadmodum etiam fecerat rex Salomon, claſſem in Aſiongaber Arabici ſinus portu habuiſſe. Aurum autem, quod inde efferebatur, adeo purum erat, vt quidam opinentur obrizon dictum fuiſſe, quaſi ophirizon, etſi non me latet, vocem hanc ab aliis aliunde deriuari. [k] Sed hæc quoque maior noſtra videtur felicitas, quod cum antiquitus illa nauigatio

[h] *Dion l. 57. Tac. libr. 2.*

[i] *in fin. 2. Reg.*

[k] *Plin. l. 13. c. 3*

ſi princeps oppidis, ciuitatibus, lacubus, fluuiis, exercitibus, omnium deniq; obedientia, ac veneratione perfruitur, æquitati conſentaneum videtur, vt ſubditos cæteris rebus vti frui permittat, præterquam quod omnibus iis regalibus, ac vectigalibus ſemetipſum priuat, quibus fruiturus eſſet, niſi ſua ea bona forent. Excipio tamen, niſi ea bona talia eſſent, quæ ſine ope ſubſidioque principis coli nō poſſent, quo caſu debet princeps, cum ad culturā ea reduxerit, emphyteotica facere, ſiue quocunq; modo locare, modo tota eorum cura ſubdito, non domino incumbat. Mercatura autem, ſi nobili viro indigna habetur (ſaltem in regiis ditionibus) ex ſe ipſo quilibet poteſt, quantum principem virum dedeceat, conſiderare. Quare à Q. Claudio trib. plebis lex promulgata eſt, qua vetabatur, Senatorium virum nauem habere ampliorem, quam vt trecentas amphoras portare poſſet: hæc enim agrorum fructibus domum vehendis ſuffectura videbatur, & verba Liuii ea ſunt, *quæſtus omnis patribus indecorus viſus eſt.* [e] & nihilominus propter plurima, quæ conſequuntur, annonæ cura ad principem ſummopere ſpectat: nam cum ea belli paciſq; temporibus plurimum maximumque habeat momentum, operæprecium eſt, vt in eadem ſeſe princeps occupet: nam ſi forte tantam annonę copiam habuerit, vt, vrgente fame, vicinis aliquando opitulari queat, ſtatim ingentem pecunię vim parabit, tale propter extrahendam ipſam vectigal imponens, vt cum ſubditorum extractionis facultatem petentium lucro ipſe non contemnendum emolumentum collecturus ſit. Verum ex omnibus lucris, reditibus, tributis ac vectigalibus nullum copioſius eſt, nullum honeſtius, nullū iuſtius, quam parſimonia, qua ſola vetuſtiores maiora aggredi auſi ſunt, & perficere potuerunt, quam quæ ſine ea ſucceſſores maximo diuitiarum culmine facere valuerint; adeo vt de Capitolio à Tarquinio Priſco ædificato loquens Tacitus dicat, erectum eo tempore fuiſſe *ſpe magis futuræ magnitudinis, quam quod modicæ ad hoc populi Rom. res ſufficerent.* [f] Et de eodem Capitolio ſcribens ſubdit, ab Horatio Puluillo iterum dedicatum fuiſſe ea magnificentia, vt ab immenſis, quæ ſubſecutæ ſunt, diuitiis magis exornari potuerit, quā amplificari. Hęc autem omnia inde fiebant, quia cum priuatim continentiam colerent, in publicis operibus maiorem poterant magnificentiam exhibere. Cum itaq; tanquam boni, & ſapientes viri, cognoſcerent, humanam vitam paucis eſſe contentam, neq; debere quemquam, vt intemperantiæ cupiditatibus ſatisfaciat, ſua prodigere, multas edixere leges, vt immoderatas palati voluptates frenarent. Et quoniam guloſitatis vitium in porco mille voluptates inuenerat, Cenſoria lege vetita in cœnis fuere (nam ea chariſſimo precio veniebant) *abdomina, glandia, teſticuli, vuluæ, ſincipita verrina.* [g] C. Fannius Strabo, qui fuit poſt tertium Punicum bellum Conſul, ad cœnas niſi gallinam, neq; eam altilem, afferri vetuit: & M. Æmilius Scaurus, qui tribus & quinquaginta poſt annis Conſul fuit, glires vetuit, quemadmodum alii conchylia, & peregrinas aues vetuerunt. Præterea prudentiſſimi legumlatores ſummam rei veſtiariæ rationem habuerunt: propter quam anno 769. ab V. C. Siſenna Statilio Tauro, & L. Libone Coſſ. vetitum fuit, ne quis ſericas veſtes in-

[e] Liu. l. 31. in fine.

[f] lib. 19.

[g] Plin. l. 8. c. 51. 10. c. 50. l. 8. c. 57.

dueret,

ducerct,[h] eodemque tempore per eandem legem interdictum fuit, ne ſolidum aurum menſis inferretur: in quo fortaſſe ad cælaturam, quæ maximo diſpendio laborabatur, reſpexerunt; non enim alia ratione auri, & argenti vſus prohibendus videbatur, cum in monetam facillime conuerti queat. Verum nulla reip. perniciosior eſt corruptela, quam dotium immẽſitas; quandoquidem aut iis familiæ pauperantur, aut quia virgines matrimonio carere coguntur, in monaſterium non ſponte, ſed vi detruduntur. Principes igitur omnino dotes, ne mediocrem ſummam excedant, moderari deberent; quoniam exploratum, certumq; eſt nobilium Romanarum dotes antiquitus parciſſimas fuiſſe: Nam cum P. Scipio Romam redire vellet, vt filiam matrimonio collocaret, reſp. quæ per ea tempora ducis illius in Hiſpania indigebat, hanc ſuſcepit curam, & quadraginta millibus æris illam nupſit; hæc autem ſumma ad quadringentos noſtrates aureos redigitur, & Valerius Maximus ad hanc rem adnotauit, Tatiam Cæſonis filiam maximi factam fuiſſe, quod in domum viri centum aureos nummos dotem attuliſſet, Meguliam vero quia millia quinque ſecum tulit, Dotatæ nomen accepiſſe. Quamquam mutatis temporibus dotes diuerſimode auctas fuiſſe, non me latet, idque vel maxime improbatur; non enim princeps hunc adeo irrepere, atq; inualeſcere errorem, permittere debet, vt, quod Romanis contigit, nobis etiam in dies perniciosius contingat: nam trecentis abhinc annis adeo auctæ fuerunt, vt ſi Dantes Aligherius, qui de nimiis temporum ſuorum dotibus conquerebatur, reuiuiſceret, tempora ſua modeſtiſſima fuiſſe, fateretur. Et vero quidcunq; gulæ, quidcunque pompis, & immoderatarum dotium erogationibus ſubtrahitur, totum id in principis, & reip. vtilitatem conuertitur: quemadmodum enim pingue pecus paſtori prodeſt, ſic opulentia ſubditorum principis beneficiũ eſt: qui amore parſimoniæ pauperum patrimonia conſeruans, & adaugens, poteſt deinde ingruẽtibus reip. neceſſitatib. ad particularia cuiuslibet æraria facile confugere. Magna quidem temporum noſtrorum felicitas videtur, vt aurum ex Indiis in maxima quantitate ad nos aduectum fuerit, & adhuc aduehatur, quamquam viri quidam docti, rerumque politicarum egregie gnari ſuſpicantur, num aurum, cuius tanta copia creuit, maiorem in remp. vtilitatem, an detrimentum inuexerit. Cui rei, aurum per ſe malum non eſſe, & nunquam niſi male quis vtatur, malum fieri reſpondentes, aſſerimus, principibus hanc curam competere, vt aurifodinas cuſtodiant, neque permittant aurum exportari. Nam Ioſaphat rex Iudæorum, cum rogaretur à rege Ocozia rege Iſraelis, vt permitteret hominibus ſuis ire cum claſſe, quam in Ophir auri cauſa mittebat, non permiſit.[i] Et certum eſt, eadem de cauſa reges Iudææ, quemadmodum etiam fecerat rex Salomon, claſſem in Aſiongaber Arabici ſinus portu habuiſſe. Aurum autem, quod inde efferebatur, adeo purum erat, vt quidam opinentur obrizon dictum fuiſſe, quaſi ophirizon, etſi non me latet, vocem hanc ab aliis aliunde deriuari.[k] Sed hæc quoque maior noſtra videtur felicitas, quod cum antiquitus illa nauigatio

[h] *Dion l. 57. Tac. libr. 2.*

[i] *in fin. 2. Reg.*

[k] *Plin. l. 13. c. 3*

non niſi triennio conſiceretur, modo in itu, redituque vix pauci quidam menſes abſumantur.

Principem exemplo magis, quam pœna proficere.

DISCVRSVS IX.

OPportuna præterito continuatur diſcurſui inueſtigatio, nũ princeps magis exemplo, quam pœna proficiat. Nam ſiue parſimoniã, ſiue virtutem, quã cunq; velit, inter populos introducere, plus exemplo, quã pœnis, legibuſq; obtinebit, quemadmodũ patet Veſpaſiani exemplo, qui à Tacito præcipuus appellať autor ſuorum temporũ parſimoniæ, iis verbis, *obſequium inde in principẽ, & æmulandi amor validior, quam pœna ex legib. ac metus.*[a] Sententia non modo pulchra, ſed etiam veriſſima, cuius quotidiana habentur experimẽta: Adeo vt certa fieri poſſit concluſio, quales ſunt principes, tales eſſe ciues, itemque ex aduerſo: quod nimis manifeſte patuit in principatu Vitellii, quo omnes duces compotationibus, & comeſſationibus ad exemplum Imperatoris indulgebant, vnde non diſſimilia illa ſcripta ſunt verba, *Legati, tribuniq. ex moribus Imperatorum ſeueritatem æmulantur, vel tempeſtiuius conuiuiis gaudent.*[b] Plutarchus, qui principum vitam ſcribens, alios optime, quomodo viuãt, edocet, id ob oculos nobis ſubditorum Dionyſii exemplo perbelle ponit. Nam ijdem principem ad literarum ſtudia incumbentem obſeruantes, omnes pariter doctrinæ, & philoſophiæ operam dabant, ſcribitq;, totam aulam puluerulentam fuiſſe ob ſtudia eorum, qui geometricas figuras delineabant.[c] Non defuit autor, qui diſſeruit, peccata populorũ à principibus oriri, reſpiciens potiſſimum in T. Liuio ad exemplum Timaſithæi, qui ſummo Liparitanorũ magiſtratu fungens, noluit, vt Romanorũ legati, q Apollini dona ferebant, iniuria afficerentur, imo iis blandiens multitudinis animos religione repleuit, *quæ multitudo*, inquit Liuius, *ſemper ferme regẽti eſt ſimilis.*[d] Poſſum ego ex noſtratib. Braccium Martellum Epiſcopum Lupiarum in medium afferre, quo certe maior non erat Timaſithæus: is in ea ciuitate cum clerum admodum flagitioſum repeiſſet, nullum vnquam clericorum cuſtodię mancipauit, imo illud vſurpare conſueuit, *quia carceres erant aliquantulum mali, neminem ex ſuis presbyteris ibi velle habitare*, quaſi vero in carcerẽ trudi actus foret voluntari⁹, paucis tamen annis imagine puriſſimę ſuæ, immaculatæq; vitę id cõſecutus eſt, vt clerum totum ad optimam, & cuiuis Prælato etiam ſeueriori tolerabilem frugẽ facile reduxerit. Ex quib. quicunq; nutu populos gubernant, cognoſcere queunt, quantum pari iure cenſeantur, pondus, quod humeris geſtant, & honor, quem capite ferunt, poſteaquã præter bonum, malumve, quod ipſimet operantur, potiſſimum vitiis, virtutibuſq; ſubditorum cauſam præbent. Quæ res animum Platonis, vt aulam Dionyſii frequentaret, commouit, ſperans ſanato Dionyſio, fore, vt toti Sicilię mederetur; quę ſimul cum rege ſuo nõ febre, aut rheuma, ſed ebrietatis, laſciuiæ, aliorumq; animi morborum affectionibus ægrotabat.[e] Audiui à quibuſdam, cum ſecula valde corrupta vident; dicentes huius rei cauſam eſſe tẽporis malignitatem: quæ opinio à noſtro autore permittitur, cum ſeculi illius à

[a] Tac. l. 3.
[b] lib. 18.
[c] Plut. in Dione.
[d] lib. 5.
[e] Plut. in Dione.

prodigalitate ad parſimoniam mutationem Veſpaſiano attribuens, ſubdit, *niſi forte cunctis in rebus eſt quidam veluti orbis, vt quemadmodum temporũ vices, ita morum vertantur.* Quod inde potiſſimum apparet, eſſe falſum, quia eodẽ tempore, quo Romanorum mores erant boni; regum Aſiaticorum mores peſſimi erant, vnde Perſeus Eumenem defraudare ſatagit. [f] Quem nulla res inter viuos ſeruauit, niſi celebris, & peruagata de eius morte opinio. Et paucis ante annis Ætoli Nabidem tyrannum Lacedæmoniorũ occiderunt. [g] Quæ mors licet Romanis peropportuna, tamen non modo ipſi hoc ſcelere abſtinuerunt, ſed literæ duorum Scipionum, Aſiatici, & Africani, leguntur, quibus factum illud vehementer improbant. [h] Inter meliores, quas rex Hiſpaniæ tulit leges, illa quidẽ optima fuit, quæ titulorum multitudinem ſuſtulit, quemadmodum & ſuperius dictum eſt: ſed pulcherrimum fuit ipſius legis procemium, quod, quamuis rex legi non ſubiiciendus videatur, nihilominus regiorum titulorum moderatione eidem velle ſe ſubiectum eſſe, profeſſus eſt; ſciens nimirum, quanti faciendum ſit principis exemplũ; cui adſtruit, ꝙ Liuius inquit, anno ab V. C. 544. M. Claudio Marcello, & M. Valerio Læuino Coſſ. cum Senatus vidiſſet, propter Annibalis bellũ maximam ingruere pecuniæ, remigumq; neceſſitatem, Conſules edixiſſe, vt priuati ex cenſu, ordinibuſque, ſicut antea, remiges darent cum ſtipendio, cibariiſque: ad quod edictum tantus fremitus hominum, tantaque indignatio fuit, *vt magis dux, quam materia ſeditioni deeſſet, dicebantque ſe, vt dent, quod non habent, nulla vi, nullo imperio cogi poſſe, bona ſua venderent, in corpora, quæ reliqua eſſent, ſæuirent, ne vnde redimantur quidem, quidquam ſupereſſe:* Cumque in maximis difficultatibus conſilium hæreret, Læuinus Conſul patribus ſuaſit, ſi quid inferiori iniungendum eſſet, id prius in Senatores, equiteſque ſtatuendum, ſic fore, vt omnes obediant: ideo eos hortabatur, vt ſinguli remp. iuuarent, ita vt annulos ſibi quiſq;, & coniugi, & liberis, quæ ad Deorum cultum ſpectant, reſeruarẽt, cæterum omne aurum, argentum, æs ſignatum ad triumuiros menſarios extemplo deferrent, *nullo ante Senatuſconſulto facto, vt voluntaria collatio, & certamẽ adiuuandæ reip. excitaret ad æmulandum animos omnium.* In hæc autem, narrat Liuius, tanto animo conſenſum, tantumq; argenti, & auri collatum fuiſſe, *vt nec triumuiri accipiẽdo, nec ſcribæ referẽdo ſufficerent; ita ſine edicto, ſine cohortatione magiſtratus, nec remige in ſupplementum, nec ſtipendio reſp. eguit.* [i] Cæſar ſimiliter, cui artes hę non latebant, ipſe etiam in bellis ciuilib. ſuum equum primo, deinde alienos ablegauit, vt periculo omniũ adæquato ſpẽ fugæ auferret. Quales igitur deſiderat rex, vt ſint ſubditorũ mores, talẽ ſe cõfingat, ſic breui tẽpore multos ſibi ſimiles effectos deprehẽdet. Neq; (ꝙ ad priuatos magis ſpectat) tẽporũ iniquitatẽ, vel hominũ mores reꝓhẽdat, quos, vt meliores faciat, in manu ſua eſt: nã hoc pacto inaduertẽter ſibiipſi, ꝗ cauſã dat, obtrectaret. Quin etiã id peiꝰ eſt, cũ haud cõtẽti principes exempla ſui ꝗcunq; libet, & perſępe minime bona ꝓbere, imo peſſimã vitã agẽtes, peſſima documẽta dantes, alliciũt ad vitia homines, interdũ cõpellunt, ſicuti Nero in ſcenã tot patricios Romanos adduxit; vnde pecuniã iis etiam, vt peccarent,

[f] Liu. l. 42.

[g] Liu. l. 35.

[h] Liu. l. 37.

[i] Liu. l. 26.

tantum abeſt, vt non peccarent, erogabat; quæ *merces in eo, qui iubere poteſt, vim neceſsitatis affert.* [1]

[1] *lib. 14.*

Nihil ſceleſtius eſſe, quam fraudes nomine religionis inuoluere.

DISCVRSVS X.

QVemadmodum turpes fœminæ, quo magis comuntur, ac poliuntur, quo-ve magis ditiſſimis, ac nobiliſſimis veſtibus exornantur, eo conſpicuam magis turpitudinem ſuam facere vident: ita in vitio contingere liquet, videlicet vt quo magis virtutis faciem induere conatur, eo magis ſuam detegat iniquitatem. Quod ſi, cum forte adulatio libertatis ſpecie velatur, vel quando detrectatio vult laus videri, nauſeam capimus, quanto deteſtabilius erit, cum religionis penicillo occultas cogitationes noſtras colorare conamur? vnde adeo exoſi Chriſto D.N. hypocritæ fuiſſe videntur. Neq; fortaſſe labor eſſet, quædam conſiderando, vnde hic morbus procedat, inueſtigare. Ac primum vtamur Othonis exemplo. Is imperium ambit; ecce primum malum, quo aliena cupit: non poteſt imperium occupare, niſi ſe Galbæ amicum ſimulet; ecce proditionem: vt magis militum animos accenderet, oſtendit, Deos per horribilem tempeſtatem indicauiſſe, adoptionem Piſonis cœlo inuiſam, *aduerſus impios hebeſcere ſydera, ruere tempeſtates,* [a] ecce ſacrilegium, quo adiuuante ſimul cum cæteris artibus, quæ à noſtratibus fortaſſe non abhorrentur, aliena occupantur, homines decipiuntur, ditiones bellis affliguntur, Deus irridetur. Aſyla Græcis erant templa, quæ tutelam, ſalutemque confugientibus præbebant: hæc autem adeo multiplicata fuerunt, totque ibi nequiſſimi ſerui profugi, tot defraudatores, tot homicidiorum rei ſeruabantur, vt ſi immunitas illa ſublata fuiſſet, maximæ cum populis controuerſiæ non defuturæ eſſent, quippe qui huiuſmodi facinoroſos homines ſpecie religionis defendendæ tutabantur. Cum itaque hæc abſurda corrigenda forent, legati Romam miſſi fuere, quorum precibus iis aſylis, quæ priuilegium ſibi vſurpauerant, remotis, antiquiſque monumenitis examinatis, nimiæque licentiæ freno iniecto, aliiſque remediis, tandem iis iuſſum eſt, *ne ſpecie religionis in ambitionem relaberentur,* [b] propterea quod dum antiquitatis aſylorum priuilegia oſtenderent, videbantur ſuorum cum Populo Romano, vel ante illum cum Regibus Macedonum, aut Perſarum meritorum memoriam velle refricare. Alibi etiam hoc factum Tacitus reprehendit, vbi de Anglorum defectione loquens, inter cæteras eius cauſas hanc memorat, quod cum ibi Claudio templum dedicatum eſſet, ſacerdotes illic deſtinati *ſpecie religionis fortunas effundebant.* Adduxi hæc loca, vt probarem, quantum nobis Chriſti fidelibus turpe ſit his modis graſſari, poſteaquam etiam ab idololatris pro re turpiſſima id habitum, & Græcis exprobratum eſt, monitumque, ne in turpitudines has relabantur.

[a] *lib. 17.*

[b] *lib. 3.*

Vnde

Vnde in dignitatibus expectationem, quæ vulgo habebatur, alij quidem ſuperant, alii vero fruſtrantur.

DISCVRSVS XI.

PRopter ſæuitiæ & peculatus delicta quædam, quæ C. Syllanus Aſiæ proconſul patrauerat, cenſuit in Senatu Corn. Dolabella, poſt increpitos Syllani mores, *ne quis poſthac vita probroſus, & opertus infamia prouinciã ſortiretur, idq; princeps diiudicaret: nã à legibus delicta puniri, quãto fore mitius in ipſos, melius in ſocios, prouideri, ne peccaretur?* Aduerſum quæ diſſeruit Tiberius, nõ quidem ſibi ignara, quæ de Syllano vulgabantur, ſed *non ex rumore ſtatuendum, multos in prouinciis, contra quam ſpes aut metus de illis fuerit, egiſſe: excitari quoſdam ad meliora magnitudine rerum, hebeſcere alios.*[a] Sæpe mihi venit in mentẽ cogitare, vnde accidat, in publicis muneribus alios melius, alios deterius, quã de iis erat opinio, ſeſe geſſiſſe. Inter eos, qui ſe ipſis quaſi maiores fuerunt, numeratur Veſpaſianus, *omnium ante principum in melius mutatus*; de contrario Galba, qui *maior priuato viſus, dum priuatus fuit, & omnium conſenſu capax imperij, niſi imperaſſet.*[b] Cum altero comparari poſſet Pius IV. qui opinionem omnium ſuperauit, alter Clemens VII. de quo item dici poſſet, omnium conſenſu Pontificatus capacem futurum, niſi Pontifex fuiſſet. Vt aptius hæc dubitatio explicetur, confugiendum ad capacitatem illam, de qua diximus, cum quædam melius, quam per ſe ipſa, ſimilitudinibus & imaginibus percipiantur. Accipiantur igitur vaſa duo, alterum mediocre, ſed liquore aliquo plenum, alterum magnum, ſed fere vacuum. Plenum vas fingamus hominem illum eſſe, qui gradum virtuti, ſufficientiæq; ſuæ parem obtinet, vt verbi gratia, ſi quis partem exercitus regat, quod munus ideo (vt de ſe Aſcanius Cornia dicebat) rectiſſime adimplet, quia pondus illud eius virtuti & experientiæ proportione reſpondet, vtq; de Poppæo Sabino Tacitus, *par negotiis, neque ſupra erat.*[c] Et T. Liuius de L. Quintio Dictatore creato, *animum illi non defuiſſe poteſtati parem.*[d] Sed reuera totum pondus exercitus humeris eius graue nimium foret. Quicunque autem interim vident hunc adeo ſe in eo gradu fortiter gerentem, extemplo arguunt, quemadmodum in eo ſatisfacit, ita fore, vt maiora munera æque ſuſtentare poſſit, neq; animaduertunt, illius vas liquore iam plenum eſſe, cui ſi ſuperadderetur alius, redũdaret ſtatim, effluieretq;. Is Galba fuit, qui dum inter priuatos vixit, recte ſibi commiſſis muneribus perfunctus, maior ſe ipſo futurus apparuit. Vaſa autem magna, ſed fere vacua, ii ſunt homines, qui ingenio & virtute præ cæteris pollent, at gradibus, diuitiis, autoritate, quæ ipſos cohoneſtet, carent. Ad hos vulgus hominum non reſpicit, idcirco fere negliguntur, vel quia ipſi oſcitãter res ſuas peragunt (in quibus rebus, vtpote virtuti ſuæ imparibus, vt aliquam de ſe ipſis expectationem concitent, nullum animum adiiciunt) vel quia, dum nonnihil aliquando conditioni ſuæ incõgruens dicunt, faciuntve, tanquam in-

[a] lib. 3.
[b] lib. 17.
[c] libr. 5.
[d] lib. 4.

ſanientes & phantaſtici exiſtimantur: at vero ſi magnitudo fortunæ illis afflauerit, vaſque ipſorum impleatur, inſperato in cogitationibus, & operibus ipſorum ea maieſtas, animique generoſitas erumpit in lucem, quæ ab humilitate fortunæ antea oppreſſa iacere videbatur. Inter hos homines mirabile fuit exemplum Nicolaus ille Rentius, qui cum vaſtum plenumq; Romanis ſpiritibus animum haberet, ideoq; ſemper magna ſpirare, ac dicere conſuetus, & profiteri, ſi Romanorum tempore natus fuiſſet, magnum ſe virum futurum fuiſſe, ſed tamen fore, vt verſis rebus, ipſe Romanæ reipubl. ſtatum inſtauret; plerique omnes ipſum, quẽadmodum recitant hiſtoriæ, dementem & nugatorem putabant, neque quid blateraret, admodum curabant. Quam tamen opinionem retractare coacti ſunt, cum ipſe creatus Vrbis tribunus, & cuncta ad ſe trahens, euaſit vir ſummæ apud omnes reuerentiæ, imo etiam timore digniſſimus, quamuis proſpera dulcique fortuna ebrius paruo temporis progreſſu mores mutauerit. Veſpaſianus item, quia vias, quarum curator mandato principis erat, bene purgari neglexerat, meruit, vt Caius iuberet, ei togam luto, ſordibuſq; impleri, parumq; abfuit, quin periret, cum iniuſſus Neronis Muſicas reliquit, vnde illius contra ſe iram concitauit. Qua de re admirandum non eſt, quia ad ſimilia nugamenta minime natus erat, eiuſq; vas amplam Imperii curam atq; gubernationem, quam deinde conſecutus eſt, requirebat.

Vnde potiſſimum vetera vrbis ædificia collapſa fuerint.

DISCVRSVS XII.

LEpidus imperante Tiberio obtinuit à Senatu, vt baſilicam Pauli inſtaurare, atque exornare poſſet: quod factum eſt anno ab V.C. 775.[a] Hęc baſilica ſiue porticus arſit anno 35. ante annum 740. veluti narrat Dio, adeoq; arſit, vt ignis ad Veſtæ vſq; graſſatus fuerit, & ſacra à Veſtalibus in palatium translata; ſubditque idem autor, hanc porticum verbo quidem ab Æmilio, qui ab eo, qui primus hãc fecerat, genus ſuum trahebat, re autem ab Auguſto, & Pauli amicis refectam fuiſſe.[b] Narrat alibi Dio, cum hæc porticus perfecta fuit, Æmilium Lepidum Paulum illum fuiſſe, qui ipſam abſoluerat anno ab V.C. 720.[c] Et à Plinio inter vrbanas magnificentias hæc baſilica propter columnas phrygias mirabilis nuncupatur.[d] Sed hoc parum refert: eſt enim attendendum, hanc porticum ſpatio 35. annorum bis inſtauratam fuiſſe. Ibidem autem, vbi de iſtius baſilicę reſtauratione fit mentio, legitur, theatrum Pompeii, quia caſu combuſtum fuerat, à Tiberio inſtauratum, cumq; nollet alieni nominis honorem vſurpare, permiſit, vt nomine primi ædificatoris Pompeii vocaretur, fortaſſe vt Auguſto compararetur, qui Pauli baſilicam, non adiecto ſuo nomine, inſtaurauerat. Hoc theatrum inſtar Mithilenæi, ſed maius pulchriuſque[e] capax quadraginta millium hominum

[a] Tac. l. 7.
[b] lib. 54.
[c] lib. 49.
[d] libr. 35. c. 23.
[e] Plut. in Pomp.

num, [f] ob admiranda ornamenta magnificum, [g] ædificatum fuit à Pompeio bis Conſule anno 699. [h] Et quemadmodum apud Tacitum legere eſt, oportuit poſt annum 76. illud reſtaurare, neque certe triginta vix anni ſilap fuerant, vt, cum iterum combuſtum fuiſſet, à Claudio renouatum fuit, teſte Suetonio Tranquillo. [i] Et S. Hieronymus idem ædificiũ anno vrbis milleſimo exarſiſſe teſtatur. Quod ſi hæc ita ſe habent, cur inquirimus, quis Romanas antiquitates tot ſeculis deſtruxerit, ſi tam breuibus temporis interuallis baſilica Pauli, theatrum Pompeii toties dirutum eſt? Mihi maior erit labor huiuſmodi ruinas perſcribere, quam aliis perlegere. Idcirco alia quædam exempla ad hanc veritatem comprobandam in medium adducam; decet enim, obſtinatos conuincere, & innocentes harum ope probationum à calumniis vindicare. Auguſtus in Vrbe tẽpla vetuſtate collapſa, vel igne abſumpta reſtituit. [k] Tiberius præter memoratum theatrum idem effecit in aliis templis, quæ poſtea Libero, Liberæ, Cererique; dedicata fuerunt, [l] preterquam quod imperante ipſo, etiam gymnaſium combuſtum eſt. [m] Caligula Syracuſarum muros, qui ceciderant, item Deorum templa renouauit. [n] Veſpaſianus, cum ciuitatem ruinis pene ſepultam reperiſſet, Capitolium combuſtum ædificat, & ædificia ſtruentibus immunitates & areas largitur. [o] Sub Tito filio incendium quoddam, quod triduo perdurauit, maxima vrbi damna peperit, neque quidquam curæ atque induſtriæ omiſit, vt ea reſtitueret. [p] Nihil enim diu contra temporis violentiam ſtare poteſt, proinde etiam Adrianus Pompeii ſepulchrum iam collapſum inſtaurat. [q] Antoninus Pius illud Adriani ſepulchrum reſarcitur, & Græcum ſtadium renouauit, & amphitheatrum, pontem ſublicium, pharum, portum Caietæ, Terracinæ, & pleraque; redintegrauit. [r] Admirandum tamen eſt, qui Ægypti pyramides tot ſeculis contra temporis iniuriam inuiolatę permaneant: Sed Romæ quęnã ædificia fuerunt, quæ non, inquam, ſeculis, ſed paucorũ annorum ſpatio non dilapſa fuerint, neque; reſtaurationis indiguerint? Neque; equidẽ propter ipſorum imbecillitatẽ; ſed quia vbi celebritas eſt hominũ, ibi caſuũ etiã frequentia quãplurimorum; vnde conſumptiones, ruinæque; plures eueniunt. Quam minimũ tẽporis portæ Seueri trans Tiberim durauerunt? [ſ] Alexander Seuerus nonne plurima vetuſta ædificia renouauit? is n. ad inſtaurandum theatrum, circum, amphiteatrum, ærarium vectigalibus iis vſus eſſe ſcribitur, quæ à lenonibus, meretricibus, & id genus nebulonibus exſoluebantur. [t] Idem princeps omnes fere Traiani pontes inſtaurauit. [u] Imperator etiam Tacitus autoris noſtri gentilis, qui anno Dñ. 228. ſuſcepit imperium, vt damna Capitolii inſtauraret, nonne priuatos, quos in Mauritania habebat, agros adſignauit? [x] Ex tot autoritatibus videtur abſque dubio concludi poſſe, muros quoſcunque; & ædificia, grandia licet, & fortiſſima, conſueuiſſe, aut igne, aut diuerſis caſibus tandem corruere, niſi quis ea reſtituenda & conſeruanda curet: proinde mirandum non eſt, ſi abſentibus ab vrbe Imperatoribus, quorum hæc cura fuerat, penitus dilapſa fuerint. Veruntamen à Diuo Gregorio, cæteriſque; Pontiff. Romanis antiquitates minime fuiſſe deſtructas, atque diſper-

[f] Plin l. 36. c. 1.
[g] Plin. l. 7. c. 3.
[h] Dion l. 39.
[i] in Claudio.
[k] Suet. in Aug.
[l] Tac. lib. 15
[m] Tac. l. 2
[n] Tranq. c. 21.
[o] idem ibidem cap. 8.
[p] idem in Tito. c. 8.
[q] Dion de Adriano.
[r] Iul. Capitol.
[ſ] Spartianus.
[t] Lamprid.
[u] ibidem.
[x] Vopiſcus.

ſas, ex iis, quæ dicta ſunt, manifeſtum fecimus. Quam tamen operam non ideo præſtitimus, quod etiamſi illas deſtruxiſſent, aut diſperſiſſent, adeo vituperandos putemus, ſed quia reuera id minime fecerunt; neq; puto neceſſe eſſe oſtendere (quod antiquitatis peritos non latet) Chriſtianos vſq; ad Conſtantini tempora in humillimo ſtatu detentos, imo à gentibus perpetuo afflictos tortoſq; fuiſſe: Neq; credibile eſt, vt auſi fuerint gentilium templa dilapidare, cum longe maioribus curis miſerrimi angerentur. Nam Diocletianus, qui ſuſcepit imperium anno Chriſtiano 288. & vndecimam omnium atrociſſimam contra nomen Chriſtianum perſecutionem inſtituit, vna nocte Natalitiorum Domini viginti Chri-

[y] Niceph. l. 7. c. 6. ſtianorum hominum millia in templo combuſta eſſe voluit. [y] Cæteros omitto: Sed compertiſſimum eſt, poſtquam Conſtantinus baptiſmatis lauacro regenerat Chriſtianos fouiſſet, Eccleſias exædificaſſet, perſecutiones ſuſtuliſſet, priuilegia, & immunitates Chriſtianis largitus eſſet, nihilominus gentilium templa ab eo minime deſtructa, imo permiſſum fuiſſe, vt vnuſquiſq; arbitratu ſuo, quã vellet, religionem coleret: quod Euſebius clare docet, adeo vt nullus dubitationi

[z] l. 2. c. 59. de vita Conſt. locus relinquatur. [z] Quod ſi in Phœnicia in Ciuitate Conſtantiæ Deorum ſtatuæ dirutæ fuerunt, teſtatur idem Euſebius, hoc ab illis populis, qui veræ ſalutis

[a] libr. 4. cognitionem ſuſceperant, & inania idola reiecerant, ſponte factum fuiſſe. [a] Igitur minime credendum eſt, quod Imperator omiſit, id Pontifices facere auſos fuiſſe: qui cum per ea tempora imperatoriæ poteſtati ſubiicerentur, a Conſtantino tot beneficiis affecti, decreta ipſius non infregiſſent. Neq; ipſo defuncto, quod ſucceſſit anno 340. facile fuit, gentilium res perturbari, cum iiſdem temporibus Iulianus & Valens Impp. iiſdem valde fauerent, imo idololatriam iterum exſuſcitarent, permittentes, vt Ioui, Dionyſio, Cereri, cęteriſq; Diis ſacra fierent. Valens autem Cæſar anno Domini 381. mortuus eſt. Poſt quem dubitandum nõ eſt, quin Vrbs ſexies ab hoſtibus capta, direptaq; fuerit: ab Alarico anno 413. à Genſerico anno 57. ab Odoacre anno 79. à Theodorico anno 97. à Beliſario anno 543. à Totila anno 55. Quibus temporibus neceſſe eſt, vt Roma cum propter aggreſſiones, & damna ab hoſtibus illata, tum etiam propter miſerias, & propter paupertatem, & impotentiam reſtaurandorum ædificiorum deturpata valde fuerit; quemadmodum ex ſeipſo vnuſquiſq; ſine aliorum exemplorum, atque autoritatum auxilio diſpicere poteſt. Ex quibus non video, quo pacto Sancto Gregorio hæc culpa inuri, eidemq; ruinæ antiquę Romę attribui poſſint, cũ tot publicæ priuatęq; calamitates nunquam non cõiecutæ fuerint. Et reminiſcẽdum inſuper eſt, etiamſi Gotti & Longobardi Vrbem ſine vlla vaſtitate occupatam retinuiſſent, tamen ruinas, præſertim ſtatuarum, multo magis ab Vrbis defenſoribus, quam ab oppugnatoribus ortas fuiſſe, dum, vt aut hoſtibus viam intercluderent, aut quo illum procul arcerent, ſtatuarum cumulum obiecerunt, quemadmodum Sabinus à Vitellianis oppugnatus fecit in Capitolio; is enim re-

Tac. l. 19. *uulſas vndiq; ſtatuas decora maiorum in ipſo aditu vice muri obiecit.* [b] Sed quæ crocodili lachrymæ, quæ blanditiæ fuiſſent illæ Sancti Gregorii, ſi antiquorum imagi-

nes, &

nes, & Vrbis ornamenta ipſe deſtruens temporum ſuorum miſerias deploraret, lamentans, Senatum, populumq; diminutum, Vrbem combuſtam, demum etiam ædificia vrbana ruere? [c] Hoc autem, ſi cætera deeſſent, fortiſſimum eſt argumentum, à Pontificibus antiquas ſtructuras non fuiſſe deiectas, quia Bonifacius Papa poſt Gregorium obtinuit, à Phoca Imperatore, vt Pantheon Agrippæ poſſet in honorem B. Mariæ Virginis, omniumq; martyrum dedicare. Quod factum eſt anno Domini 607. Sed anno poſt quinquageſimo quis Romam venit, vt inde omnia ærea ornamenta, cæteraque aſportaret, niſi Conſtans Imperator? Cui reſtitit Vitalianus Pontifex, quamuis cito pœnam luerit, tunc ſiquidem tegulas æreas Panthei, Bonifacio à Phoca donatas abſtulit. Neque hoc loco Tiberis inundationes colligo, quibus Vrbs diuerſis temporibus ingentes ruinas paſſa eſt; cumque iam videatur D. Gregorius iniuſte ob dirutam Vrbem accuſari, d vnum addam, peſſimum illũ ac deteſtabilem quorundam neotericorum ſcriptorum morem eſſe, qui, quoniam vnum, atque alterum minus bonum Pontificẽ habuimus, vel quia quędam ętates corruptiſſimos mores admiſerunt, vituperandi, imo, quod peius eſt, irridendi totam Chriſtianam religionem occaſionem arripiunt, & hos etiam tranſcẽdentes, impie nedum ignoranter, de iis tractant, quæ non intelligunt, quorum ignorant principia, fines non vident, maximo animæ ſuę detrimento, neq; minus eorum pernicie, qui rerum ſeriem neſciẽtes, & ſcribentib. perinde vt ſcribunt, fidẽ adhibentes, cæcorũ veſtigia cœci inſequẽtes, in mare errorum immerguntur: vnde exitum inuenire nequeunt. Hoc etiam adiungam, veterem fuiſſe gentilium morem, quæcunque mala poſt Chriſtum natum in rep. acciderent, vt ea Chriſtianis imputarent, quemadmodum eleganter innuit Tertullianus, *Si Tiberis*, inquit, *aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arua, ſi cœlum ſtetit, ſi terra mouit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad leonem.* Vixit Tertullianus Seueri, & Caracallæ temporibus: at quamquam omnium ærumnarum cauſæ in Chriſtianos referebantur, nemo tamen ædificiorum ruinas iis imputauit.

[c] *homil. 18. in Ezech.*

Nequaquam falli eos, qui viros magnates humillime reuerentur.

DISCVRSVS XIII.

TAcfarinas in Africa plurimis contra Romanos proſperis ſucceſſibus adeo ſuperbiuit, vt ad Tiberium legatos miſerit, petitum, vt ſibi, ſuoque exercitui ſedes in Africa concederet, alioqui nullum bello finem fore; Tacitus inquit, *Non alias magis ſua, populique contumelia Rom. indoluiſſe Cæſarem, ferunt, quam quod deſertor, prædo hoſtium more ageret.* [a] Non deeſt autor, qui differit, probareque

[a] *lib. 3.*

conatur, falli perſæpe homines, dum ſibi perſuadent, modeſtiæ artibus ſe poſſe ſuperbiam vincere, affert autem Romanorum exemplum, qui cum Latinis mo- deſte ſe gerentes, illos longe arrogantiores reddiderunt. Et quamuis huic opi- nioni reſiſtere nolimus, negamus nihilominus vnquam Romanos ſuæ erga La- tinos dignitatis oblitos fuiſſe, verum (vt prudentiſſimos viros decebat) Samni- tibus, qui de Latinis conqueſtum venerant, dubiam reſponſionem dederunt: pigebat eos reſpondere, Latinos in ipſorum Romanorum poteſtate iam non eſ- ſe, quod ſi cogere illos voluiſſent, valde verebantur, ne eorum animos abalie- narent. Sed quod in textu Liuii ſequitur, mentem noſtram valide adiuuare vide- tur. Etenim L. Annius Setinus hoc reſponſo, quaſi Romani non propter pru- dentiam ita dixiſſent, ſed quia viribus ſuis contra Latinos diffiderent, ferocior factus, auſus eſt petere, vt Conſul alter Romanus, alter ex Latio crearetur. Ob quam petitionem adeo excanduit T. Manlius Romanorum Conſul, vt iuraret, *ſi tanta dementia patres conſcriptos cepiſſet, vt ab Setino homine leges acciperent, gladio cinctum vẽturum ſe, & quemcunq; in curia Latinum vidiſſet, ſua manu interempturum.*[b]

b lib.8.

Vnde coniicitur, quantum aberrent illi, qui à magnatibus, & potentioribus ali- quid his artibus impetrare conantur; cum iis enim modeſte, non arroganter a- gendum eſt. Alibi idem Liuius id nobis innuit exemplo Ætolorum, quibus pa- cem à Romanis petituris, & antiquas cum iis confœderationes, & ſua cum Po- pulo Rom. merita oſtentare meditantibus, L. Valerius Flaccus oſtendit, ne mul- tifacerent ea, quæ iis alias violata fuerant, *confeſsionem iis culpæ magis profuturam, & totam in preces orationem verſam.*[c] Sequiturque, *non in cauſa, ſed in moderatione, & clementia populi Romani ipſorum ſalus poſita erat: ſeque iis fauturum apud Conſulem, & in Senatu, dummodo infimis precibus pacem peterent.* Ætoli Flacci conſilio nul- lum morem gerentes, ſed quaſi benefacta Romanis exprobrando, verbis acrio- ribus omnium aures læſerunt, cumque miſerationis indigerent, iram, odiumq; ſibi parauerunt, adeo vt iis iuſſum fuerit; excederent vrbe eodem die, per XV. au- tẽ dies Italia, iniunctumq; , ſi ſine venia ducum legatos amplius miſiſſent, fore, vt tanquam hoſtes tractentur. Sed quid clarius, quam Tuſculanorum factum il- lud, qui cum errauiſſent, ad preces conuerſi, *plus illis miſericordia ad pœnæ veniam impetrandam, quam cauſa ad crimen purgandum valuit?*[d] Nemo cogitet, aliunde res politicas melius intelligere poſſe, quam ex hiſtoriarum ſcriptoribus: propterea quod ab iis non ſpeculationem obſcuritatibus, ſed factis ipſis, vtque dicitur, in ære numerato monumẽta afferũtur, quę quotidie accidũt in regnis, & rebuſpub. gubernandis, de bello, de pace, de confœderationibus, de omnibus publicis ne- gotiis. Cum autem exempla congero, nihil aliud intendo, quam veritatem pate- facere; ideo cogito vlterius ad Ætolorum exemplum aliud Rhodiorum adnecte- re. Hi cum in Senatu Rom. contra Ætolos verba facerent, animoſque Senatorũ commouere tentarent, ad ipſorum magnitudinem, & clementiam magis, quam ad quidcunque reſpicientes, ex voto cuncta conſecuti ſunt, Romaniſque (vt in- quit autor) *apta magnitudini Romanæ oratio viſa eſt.*[e] Obiiciet aliquis, nos in tem-

c lib.36.

d lib.9.

e lib.37.

pora Ro-

poraRomanorum non incidiſſe: proinde cum magnanimitas ipſorum vbiq; deſideretur, modeſtiam nocituram potius, quam profuturam videri, quemadmodum Varroni, cladem Cannenſem legatis Capuanorum reuelanti nocuit.[f] Qui textus magis adiuuat intentionem autoris contraria diſſerentis, quam cæteri, qui ab ipſo allegantur. Sic præterea oratores Pompeii ad Ptolomæum valde ſibi propter animi abiectionem obfuerunt.[g] Ad quæ reſpondeo, aſſerens, quicunque ſubmiſſe ſe gerit, vt plurimum prudenter, vtiliterque facere: nam aut debilior eſt, quemadmodum Rhodii, & Ætoli erant, tuncque dubio procul erga potentiores obſequia proderunt: aut potentior eſt, ſed propter fortunæ aduerſitatem in aliquo periculo verſatur; tunc, ſi aliquando fortunæ malacia ſucceſſerit, non in eum, qui modeſte egerit, ſed in eum, qui in arrogantiam elatus fuerit, omnia damna redundabunt; quemadmodum Latinis, & Capuanis accidit: nam hi pariter, ſicut Latini, petierant, vt ex Coſſ. alter Capuanus crearetur. Tutiſſimum igitur conſilium eſt, erga potentiores modeſte ſe gerere, ſicuti neq; inane monitum eſt, vt cum vanis, ſuperbiſq; hominibus cautius tractemus, quoniam ii tibi aut, mutatis fortunæ vicibus, nocebunt, aut in præſens nihil proſunt, cum de tuis malis nullam ſoleant curam ſuſcipere.

f *lib.23.*

g *lib.3. de bel. ciu.*

FINIS LIBRI TERTII.

SCIPIONIS AMIRATI DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM *IN C. CORN. TACITVM,*

LIBER QVARTVS.

Principibus æque curanda eſſe ea, quæ per ſe ipſos, ac ea, quæ per ſamulos, per amicos, per conſanguineos per miniſtros expediunt.

DISCVRSVS I.

INter laudabilia Tiberii inſtituta, quæ Tacitus adnotauit, prius quam ex bono, ſaltem ex prudente principe, in malum, ſceleſtumque verteretur, illud vnum fuit, quod Auguſta domus aleret *modeſta ſeruitia.* [a] Non enim ignorabat Cæſar, vt reip. gubernandæ, priuatarumque rerum egregie gnarus, quantam ſeruorum flagitia dedecoris notam inurant dominis. Et Galba (quod ad ipſum attinet) malus non fuit princeps, tamen ſerui, libertique ſceleribus ſuis non modo illius famam dehoneſtauerunt, ſed etiam de imperio detruſerunt. *Iam aſſerebant,* inquit autor, *cuncta venalia præpotentes liberti: ſeruorum manus ſubitis auida, & tanquam apud ſenem feſtinantes;* itemque alibi, *Eadem quoque nouæ aulæ mala æque grauia, non æque excuſata.* [b] Quibus verbis aulam Galbæ cum Neronis aula comparat. Cur autem Galba non excuſaretur, ea ratio eſt, quia Galba princeps bonus exiſtimaba-

[a] lib. 4.

[b] lib. 17.

tur, req; vera talis erat, atq; ideo minus excuſabilis, quod eius liberti ea, quę Neroniani, facerent: proinde adnotandum eſt, quod illi Otho exprobrat, *Nondum quartus à victoria menſis, & libertus Vitellij Aſiaticus Policletos, Patrobios, & vetera odiorum nomina æquabat.* [c] Fecundiſſimus eſt exemplorum ager Tacitus, vnde aliorum autorum exempla conquirere neceſſe non erit. Idem igitur autor gener ducis, quo ſua prudentiorem, fortioremq; non tulit ætas, de ſocero hæc ſcribit, *Animorum*, inquit, *prouincialium prudēs ſimulq; doctus per aliena experimenta parum proſici armis, ſi iniuriæ ſequerentur, cauſas bellorum ſtatuit excidere, à ſe ſuiſque orſus: primum domum ſuam coercuit, quod pleriſque haud minus arduum eſt, quam prouinciam regere; nihil per libertos, ſeruoſque publicæ rei.* [d] Duo hic adnotanda videntur, alterum, quod domum ſuam ſi quis ordinet, bellorum cauſas tollit, alterum, non minus arduum eſſe domum, quam prouinciam regere. Hoc in Paulo IV. vſu compertū eſt, qui ſanctiſſimus atq; innocentiſſimus Pontifex nepotum mores ex ſuis moribus metiens, ſerius eorum peccata animaduertit, & quanquam in iis puniendis parcus non fuit, tamen quin plurima mala iam reſp. paſſa fuerit, obuiam ire nequiuit. Quod autem ſeruorum ac miniſtrorum ſceleribus non tantum ambitioſi duces, vt à ſuis principibus deficiant (etſi ii, vt diximus, hanc plerunq; occaſionem deficiendi quærunt) ſed etiam miſeræ, ac tyrannidis onere defeſſæ prouinciæ ad rebellandum inducantur, clariſſime apparuit in Antonio Felice Pallantis fratre, Claudiiq; liberto, qui à Ioſepho Claudius Felix nuncupatur. [e] Qui ad Paleſtinam gubernādam miſſus adeo nefarie ſe geſſit, vt magnam ei rebellioni cauſam ipſe attulerit. [f] Audio ſæpe, miniſtros laudari quoſdam, tanquam principibus fructuoſos, ideo quia regii peculii augendi methodum aliquam excogitauerint: neq; miſeri principes animaduertunt, lucra ſua ab vna parte vnciarim creſcere, ex altera libratim diminui; immemores, *ſatius eſſe oues tondere quam deglubere.* Druſus item Friſiis tributum iuſſerat modicum pro anguſtia rerum; *vt in vſus militares coria boum penderent, non intenta cuiuſquam cura, quæ firmitudo, quæ menſura:* donec Olenius è primipilaribus, regendis Friſiis impoſitus, *terga vrorum delegit, quorum ad formam acciperentur.* Sunt hæc elephantis paullo minora animalia, ad quorum menſuram tributa redigi volebat. Quæ res ei prouinciæ perdifficilis Friſios ad rebellandum adegit. [g] Delectus militum ex ſua natura grauiſſimus erat; cum autem apud Batauos delectus fieri deberet, factus eſt (inquit autor) miniſtrorum auaritia, ac luxu, nam ii ſenes aut inualidos conquirebant; rurſus impuberes, ſed forma conſpicua (vt eſt pleriſq; procera pueritia) ad ſtuprum trahebantur; hinc per compoſitos ſeditiónis autores Germania tota deſciuit. [h] Non ergo ſatis eſt, innocentiam profiteri, ſi altera ex parte miniſtri, amici, frater, ſoror, nepotes furantur. Qua in re ii, qui candidioribus à natura moribus imbuti ſunt, frequentius peccare videntur, dum ex morum ſuorum probitate cæteros fore ſibi ſimiles, perſuadent: quemadmodum etiam Cicero Q. fratri in prouinciam deſcendenti præcepit, vt miniſtros, amicos, ſeruos diligentiſſime caueret. [i] Tiberii principatu in Senatu diſputatum fuit, num prouinciarum adminiſtra-

[c] *lib. 18.*

[d] *in Agric.*

[e] *lib. 20. c. 5. de antiq. Iud. l. 2. c. 2. de bell. Iud.*

[f] *Tac. l. 12 & lib. 21.*

[g] *lib. 4.*

[h] *lib. 20.*

[i] *Epiſt. 1. l. 1.*

tores ſecum vxores ducere deberent, & quanquam irrita fuit conſultatio, tamen Cæcina vehementer contrarius cenſebat, *ne quem magiſtratum, cui prouincia obueniſſet, vxor comitaretur; ineſſe aiebat mulierũ comitatui, quæ pacem luxu, bellũ formidine morentur: non imbecillem tantum, & imparem laboribus ſexum, ſed ſi licentia adſit, ſæuũ, ambitioſum, poteſtatis auidum:* & inter cætera obiecit, nunquam repetundarum fuiſſe aliquem accuſatum, quin plura vxoribus obiecta fuerint. [k] Igitur principes tam ſeculares, quam Eccleſiaſtici comitatus ſuos circumſpiciant, & expurgent quam diligentiſſime: quod ſi S. Auguſtinus cum ſorore cohabitare noluit, non propter ipſam, ſed propter mulieres, quæ penes ipſam viuerent, nobis mulieres quæcunque pluribus de cauſis abigendæ videntur, ac præſertim, ne, cum genus ſint auariſſimum, rapacitatis vitium noſtris moribus inſerant. Quod ſi Principes maximam induſtriam adhibent, vt publici theſauri hirudines puniantur, diſpiciant modo, quonam pœnæ genere ii, qui alienum honorem ſuffurantur, afficiendi ſint.

k lib. 3.

Maxime cauendum in aulis, ne præ ipſo principe quenquam colere videamur.

DISCVRSVS II.

BEatos duces Romanos, dixit Corbulo, cum in medio fere victoriæ, ad quam adſpirabat, contra Germanos, literis Claudii Cæſaris iuſſus fuit, vt præſidia cis Rhenum referret. [a] Sic nos felices eos appellare poſſumus, quibus contingit, vt in bene conſtituta rep. aut ſub moderato, & ſapiente principe naſcantur. Quandoquidem ſi quid ſecundum virtutẽ fecerint, præmium conſequuntur, ſi præ ignoratione peccauerint, tolerantur, ſi indifferenter vixerint, nullas moleſtias patiuntur; quod ſi forte deliquerint, ſic caſtigãtur, vt amplius delinquere non audeant: quæ pars quędam eſt minoris infelicitatis. Sub malis autem principibus aſſentatorem eſſe, aut contumacem rudemq; ęque nocet. Virtutis exuberãtia ſcopulus eſt periculi plenus: ſimplicitas vero aſtutię nomen fert, & liberalitas corruptela videtur: nobilitas & diuitię mortis illecebrę ſunt. Quodq; miſerius eſt, dum vnuſquiſq; ambigit, ſuſpẽſumq; animũ gerit: num ꝙ facit, recte faciat; animi põdet, an ſuæ actiones laudem mereantur nec ne: ſaltem an excuſationẽ veniamq; reperturæ ſint, ignorat. Iã incipientis anni Kalendę aduenerant, & iuxta morem, quẽ noſtra ſimiliter religio recepit, vt ꝓ ſalute principum preces ad Deũ effundãtur, cũ Pontifices cæteriq; ſacerdotes pro incolumitate principis vota ſuſciperent, Neronẽ quoq; & Druſum iiſdem Diis cõmendauere: qui adoleſcentes Tiberio conſanguinitatis nodo cõiuncti patrẽ Germanicũ habuerant, Germanicus a. Cæſari ex fratre Druſo nepos erat; ad ſummã pueri ſucceſſores in Imperio, iiq; erant, in quibus tota domus dignitas, & magnitudo recumbebat: nihilominus tantam indignationem concepit animo Tiberius, adeoq; impatienter indoluit,

a lib. 11.

æquari

æquari adoleſcentes ſenecta ſua, vt auitos Pontifices percontatus ſit, *num id precibus Agrippinæ, aut minis tribuiſſent*, neq; eo contentus, in Senatu oratione monuit in poſterũ, *ne quis mobiles adoleſcentiũ animos præmaturis honoribus ad ſuperbiam extollerer.* [b] Verũ quid effeciſſet, ſi fortaſſe iniuriis, cõtumeliiſve affecti fuiſſent? cũ matri eius, à qua Imperiũ fere dono acceperat, Senatus maximos honores decerneret, ſingulos hortatus eſt, *muliebres honores moderandos eſſe*: idẽ ſe facturum in iis, quæ ad ſeipſum pertinerent. [c] Indignatus eſt alibi, maternum nomen in quadam inſcriptione nomini ſuo præpoſitum fuiſſe. [d] Iterum prætoriæ cohortis ducem Macronem videns, arcto amicitiæ vinculo cum C. Caligula deuinctum *non abdita ambage occidentem ab eo deſeri, orientem ſpectari exprobrauit.* [e] Neq; quoniam ſolum Tiberium in medium adduximus, putet quiſquam, non eſſe id commune cæteris principibus vitium, cũ in hiſtoriis reip. Ro. de Philippo Macedone legatur ægerrime eum tuliſſe, ꝙ Demetrium frequentes Macedones ſtiparent, *& alterã iam ſe viuo regiã eſſe, indignatum.* [f] Et nihilominus eius ille Rex familię fuit, ꝙ minus quam cęteri quicunq; Alexandri ſucceſſores in ſuos deſæuiit. Poſſent aliorum principum exempla accumulari: ſed qui his nõ edocetur, ei neq; innumera prodeſſe poterunt. Quod ſi in principibus noſtris huiuſcemodi animorũ perturbationes non animaduertuntur, nemo tamen cogitet, ipſos intra pectoris penetralia non rabere, atq; indignari, quoties fratrem, filium, nepotem aut præponi ſibi vident, aut adæquari. Quæ rabies aut ira, quid vtilitatis, quidve beneficii priuatis hominibus allatura ſit, ex ſeipſo quilibet animo ſuo volutare poteſt.

[b] lib. 4.
[c] lib. pr.
[d] lib. 3.
[e] lib. 5.
[f] lib. 35.

Quiſquis obſequia principi deuouit, is cuncta feliciter ac prudenter à ſe geſta eius virtuti atq; fortunæ attribuat.

DISCVRSVS III.

SI vicerit dux, principes virtuti atq; fortunæ victoriam tribuere, fructumque laborum ſuorum alteri cõcedere; ſi vincitur, ſibi malam fortunam imputare, profecto arduum onus eſt, ac perdifficile. Quam rem vt miremur, ſuperuacaneũ eſt, quia principes inſtar Deorum, à populis venerationem expoſcunt, ac proinde cum iis tanquam cum Diis agendum eſſe videtur. Id excellenter præſtitit Germanicus, cum in Germania maximam de hoſtibus reportauiſſet victoriam: nam congeſtis armis trophæum erexit ſuperbo cum titulo, quo Marti, Ioui & Auguſto ea monumenta ſacrauit, de ſe vero nihil addidit, victoriæ fructum Tiberii exercitui attribuens: & cauſas autor quærens, ſubiungit, *metu inuidia, an ratus conſcientiam facti ſatis eſſe.* [a] Obiiciet aliquis: Hoc quid aliud eſt, quam aſſentandi artes docere? Reſpondeo, homines modeſtos, non adulatores eſſe debere. Cũ Germanicus Tiberii nepos, per adoptionem filius, futurus imperii ſucceſſor, omniumq; perſpicaciſſim⁹ princeps, videret, ita faciendũ eſſe, quo pacto poterat

[a] lib. 2.

non hominibus,temporibuſque ſeſe accommodare? veruntamen id neque ſatis fuit: Vtq; omnes ex ſe ipſis dignoſcant, monitum hoc perutile eſſe, neq; nos iſta caſu diſcutienda propoſuiſſe, ob oculos ponam Silii exemplum; qui cum ſeptem annos in Germania exercitui imperauiſſet, tandem odio à Tiberio habitus eſt, auctumq; inde, quia ſæpe iactauerat, ſui vnius autoritate legiones ſuas non defeciſſe,ſine quibus Tiberius maxima pericula non effugiſſet: hiſce autem verbis *deſtrui fortunam ſuam Cæſar, imparemque tanto merito rebatur.* Et legionum fides virtuti ducis attribui videbatur; quamobrem Cæſar Silii aucupatoribus aures præbuit, eoq; res deuenit, vt mortem ſibi conſciſcere ſatius putauerit,neq; propter aliam cauſam Antonii primi potentia euanuit, niſi *nimis commemorandus,quæ meruiſſet.* [b] Hæc exempla abunde, vt opinor,ſufficiunt: ſed quia plerique ſtatim non perſuadentur,addam,non diſſimilem fuiſſe cauſam,cur Clytus necatus fuerit: nam ira excandeſcens dixerat nonnunquam Alexandro, ipſum armis Macedonum ſaluum eſſe. [c] Id Cario,qui venam Cyro præcidit,vitam abſtulit: idem Mitridati, à quo Cyrus occiſus fuit, quia cum Artoxerxes hunc honorem ipſe cuperet, vt Cyrum fratrem occidiſſe crederetur, ferre non poterat,vt alii eo decore collucere vellent,quo ſemetipſum illuſtrare ambiebat. [d] Contra,Agrippa idcirco Auguſti beneuolentiam ſibi quæſiuit, quia cum rei militaris eſſet ſcientiſſimus,omnium laborum ſuorum fructum, gloriamq; principi deferebat. [e] Et Tacitus, maximam ſocero Agricolæ laudem tribuens,illum,inquit, *nunquam in ſuam famam geſtis exultauiſſe,ad autorem & ducem,vt miniſter,fortunā retuliſſe.* Quod ſi affectibus,immuni animo iudicauerimus,non inficias ibimus, merito, maximoque iure principes à ſuis ducibus hoc magnitudinis ſuæ tributum exigere:Nā quamuis ipſi hominem virtute inſignire nequeunt,at certe poſſunt ipſo vtentes declarandæ virtutis occaſionem largiri: præterquam quod id etiam conſuetudine vſurpatur, vt quod exercitus facit,duci: quod vero dux, principi referatur. *Læto Othone,& gloriam in ſe trahente,tanquam & ipſe felix bello,& ſuis ducibus,ſuiſque exercitibus remp. auxiſſet.* [f]

[b] lib. 20.

[c] Plut. in Alex.

[d] Plut. in Artox.

[e] Dion lib. 54.

[f] lib. 17.

Virtute inſignes viri etiam ſub malo principe prouehere ſe, atque illuſtrare poſſunt.

DISCVRSVS IV.

QVicunq; Florentinos annales euoluerit,is comperire potuit,nonnullos in rep.nonnullos ſub principibus, alios ſub principibus, & non in rep. alios in rep.& non ſub principibus floruiſſe: alios demum neq; de rep.neq; de principibus contentos fuiſſe. Idcirco neceſſario concludendum eſt, quemadmodum horum poſtremi,quia nullius iis ſtatus congruit,improbādi ſunt, ita primos laudandos,vtpote qui ſtatibus, modiſq; gubernationum,in quibus degunt,ſeſe adaptantes, placidum & tranquillum mare ſulcantes, ad ſalutis portum ſine vllo

naufra-

naufragio appellunt:ii vero,qui tametſi ſub principum flagitioſiſſimorum tyrãnide ſecundum virtutem adeo vixerunt,vt aliena nequitia nihil ipſis obfuerit,hi profecto inter omnium ſapientiſſimos connumerandi ſunt. Et autor de M.Lepido loquens, miratur, virum hunc temporibus Tiberii grauem, & ſapientem vixiſſe, itemque fato functum fuiſſe honorifice, vnde dubitationem proponit, *num fato, & ſorte naſcendi,vt cætera,ita ſit principum inclinatio in hos, offenſio in illos, an vero ſit aliquid in noſtris conſiliis, liceatque inter abruptam contumaciam, & deforme obſequium pergere iter ambitione,ac periculis vacuum.* [a] Sed ipſe fatetur alibi,huius rei cauſam ex virtutibus, vitiiſque hominum procedere: Sic ſocer Agricola omnem famæ oſtentationem fugiens, moderationis,prudentiæque artibus iracundiam,ſæuitiamque Domitiani mitigabat: vnde,*Sciant*,inquit,*quibus moris eſt illicita mirari,poſſe etiam ſub malis principibus magnos viros eſſe, obſequiumque ac modeſtiam,ſi induſtria,ac vigor adſint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, ſed in nullum rei poſt vſum,ambitioſa morte inclaruerunt.* [b] Nemo igitur dicat; ſi temporibus illis vixiſſem,dixiſſem;feciſſem:nam huic reſponderi poſſet,quod Seriphio homini Themiſtocles, *Recte ais*,inquit, *ob patriæ gloriam ſplendorem aſſecutus ſum, ſed neque ego,ſi Seriphius eſſem,euaſiſſem clarus,neque tu, ſi Athenienſis.* [c] Nemo inficiari poteſt,quin perinde vt in tempeſtoſo mari,maiora pericula,& ærumnæ ſub malo, quam ſub bono principe ferendæ ſint, ſed ex maioribus difficultatibus maior gloria reſultat;ſic gloriæ amplitudine periculi magnitudo temperetur, & auſpice M.Lepido ſperet vnuſquiſque etiam ſub malo principe laudem ſibi parare:hanc enim viam ſimiliter calcauit L.Piſo,*nullius ſeruilis ſententiæ ſponte autor, & quoties neceſſitas ingrueret, ſapienter moderans.* [d] Hæc ipſa veſtigia preſſit Ælius Lamia, & Cocceius Nerua, etiamſi hic (latet autem cauſa) non à principe coactus,imo ab ipſo diſſuaſus,abſtinẽtia vitam finire maluerit.[e] Hos laudabiliter L.Voluſius ad tertium vſque ſupra nonageſimum annum inſecutus eſt,qui poſt Tiberium (quod mirere) per Caligulæ, per Claudii imperia illæſus ad Neronis vſque imperium euaſit.[f] Sed quamquam noſtra ſecula diuino, & Chriſtianæ religionis beneficio tyrannis carent, ideoque quilibet contra principem contumax,& impudens minus excuſandus eſt,nihilominus non deſunt,quos Lepido, Agricolę,Piſoni,Lamiæ,Neruæ,Voluſio comparemus.

[a] lib.4.
[b] in Agric.
[c] Plut.in Themiſt.
[d] Tac.l.5.
[e] ibidem.
[f] lib.3.

De bannitis, & facinoroſis hominibus.

DISCVRSVS V.

FAcile mihi perſuaderem,facinoroſorum, proſcriptorumque hominum factiones inter peculiares temporum noſtrorum miſerias collocandas eſſe, niſi obſeruarem, Romanos ipſos neque viribus ſuis, neque ſapientia, qua plurimum pollebant,huic malo obuiam ire potuiſſe; nam anno ab V.C.294. quater mille quingenti ſerui eo audaciæ prouecti fuere, vt duce quodam Erdonio Sa-

bino Capitolium Romanum noctu occupauerint,dumq;maiora tentarent,oppreſſi fuere,ſed non ſine Conſulis Romani,qui P.Valerius Publicola erat, morte.[a] Anno 620.quidam Syrus nomine Eunus fractis compedibus, congregata in Sicilia ſeruorum manu,iuſſū exercitum comparauit,& poſt hunc alter nomine Cleo, collectis ſeptuaginta millib. hominū, ſæpius cum exercitib. Romanis deprælíatus eſt; cumq; à prætorib. qui,vt ipſos debellarent, miſſi fuerant, vinci non poſſent,C. Fuluius huic bello conficiendo cōſul creatus eſt.[b] Triginta trib. poſt annis excitatū iterum in Sicilia ſeruile bellū opera M.Aquilii cōſulis confectū eſt.[c] Et quemadmodū corporis humores aliquādo ſtatas quaſdā periodos habent,ſic iterum triginta poſt annis in Campania quatuor & ſeptuaginta gladiatorum deſperatione terribile bellum conflatū eſt: qui ſub Criſo, & Spartaco ducib.in ingentem multitudinem aucti,Claudiū Pulchrum legatum, & P.Vorenū prætorem vicerunt.Et quamquam deinde prætor Q.Arius Criſum cum viginti millibus ſeruorū interemit,attamen Spartacus alio prælio C. Lentulum conſulē afflixit,damnaq; intulit maiora L.Gellio,& Q.Ario prætori;neq; Spartaci victoriæ intra hos cancellos conſtitere: nam iterum exercitum Romanū proconſule C.Ceſſio,& prætore Gn.Manlio miſerrime diſſipauit,neq; potuit vllus huic bello exitus inueniri, donec M.Craſſus profligatos illos omnino deleuit.[d] Verum, ne etiam mare, ſcopuliſque huius peſtilentiæ calamitate carerent, haud diſſimile huic fuit piraticum paucis poſt annis bellum: Et quamuis Gn.Seruilius contra piratas fortiter ſe geſſiſſet,nihilominus quia cruenta victoria fuerat, Gn. Pompeio abſoluendi huius belli munus iniunctum fuit.[e] Tiberii principatu in Numidia Tacfarinas, ſeruilis fere conditionis homo, non contentus Africam excurſionibus,& latrociniis fere occupauiſſe, in tantam elatus eſt arrogantiam,vt, ſicuti diximus, Romano Imperatori minaretur, nunquam ſe ceſſaturum à vexanda rep. niſi ei ſolum, vbi cum exercitu conſiſteret, adſignaretur. Neque hæc vexatio vnius æſtatis, aut hyemis ſpatio durauit: nam ab anno 770.vſque ad annum 777.protracta eſt. Claudii temporibus Troſobor quidam in Cilicia collectis latronibus non modo montanis, fortibuſque in locis, ſed etiam in aperto campo, & ad maritima loca deſcendit, & incolis, agricolis, mercatoribus,nautis incredibilem moleſtiam attulit:neque illos Curtius Seuerus equitatu frenare potuit, neq; Antiochus rex, in cuius hæc ditione damna patrabantur,potuiſſet eoſdem vi ſuperare, niſi prius adulationibus, doliſq; diuiſos decepiſſet,& Troſobore cum quibuſdam de præcipuis occiſo, per clementiā, cæteris non pepercisſet.[f] Vere itaq; poſſumus affirmare,veluti humana corpora, humorum aliqua parte corrupta, diuerſis moribus infeſtantur, ſiue vt domus omnes muribus incoluntur, aut ex immunditiis quædam vermium genera naſcūtur;ſic in ditionibus, ſtatibuſq; ,atq; imperiis, ſiue parua, ſiue mediocria,ſiue magna ea ſint,fieri non poſſe,quin huiuſmodi miſeriæ plus minuſve oriantur,prout occaſiones,quę ad ipſa mala producenda opportunæ ſint,ſeſe offerunt:nam piratico bello maximū attulit alimentum bellum illud,quod inter Romanos,& Mitrida-

tem re-

[a] *lib.3.*

[b] *Florus l.56.*

[c] *Florus de bell. ſeru.*

[d] *Flor. de bel. Spartaci, & l. 95.96.97.*

[e] *Flor. de bell. pirat. & l.99. Plut. in Pomp.*

[f] *lib.12.*

tem regem gerebatur: bellum autem ſeruis, exulibuſq; mixtum ex tribunitiis ſeditionibus, ciuilibuſq; diſcordiis emanauit: cætera ſeruilia bella excreſcente ſeruorum numero profecta ſunt: ij ſiquidem viribus ſuis penſitatis, & ex catenarum materie gladiis, piliſque conflatis tandem magis fame, quam ferro deuicti ſunt. Tacfarinas vero ob vrbis longinquitatem vires aſſumpſit, nec non ob prædæ cupiditatem, itẽ quia militaris artis non imperitus glorioſum quemcunque exitum ſocordi, miſeræque tranquillitati præferre maluit, idemque magna ex parte de Troſobore dicendum videtur. Igitur mirandum non eſt, ſi temporibus noſtris Marconius quidam iniuriis contemptum addens, in Calabria regem ſe dixit, perinde atq; in bello piratico idem Athemius paſtor feciſſe, legitur: is enim purpura veſtitus, ſceptro argenteo vtebatur, & inſtar regum faſcia frontem cinxit: Minuſque mirandum, Marcum quendam Sciaræ Romanos Pontiff. regemq; omnium potentiſſimum contemnentẽ totius Samnii regioni non minus, quam ditioni Eccleſiaſticæ infeſtum fuiſſe, & claſſico, vexilliſq;, quaſi legitimus hoſtis, non latro, ſcelera ſua ſpecioſis colorib. obtexiſſe. Nam etiã piratę auratis nauibus, ſericis velis, remis argento illuſtrib. ignobilitatem profeſſionis, facinorumq; nequitiam velauerunt.[g] Itaq; neceſſe eſt remedia exquirere: ea vero, quæ hactenus prudentia ſummi Pontificis in pręſens excogitata ſunt, profecto merentur, vt poſteritati conſideranda proponantur. Nam inter cætera iuſſum eſt, ne annona extra munita loca habeatur, ne panis in agreſtibus locis coquatur, ne plumbum, & tormentarius puluis vendatur, ne ſutores, neve fabri ad ſoleas equorum operam pręſtent, vt vela, remiq; nauibus detrahantur, vt facinoroſorum hominum interfectores præmio afficiantur, vt ipſis opprimendis tintinnabula pulſentur, vt ipſis iiſdem venia, imo ſi ſocios interficiant, præmiũ proponatur, quo nullum remediũ vtilius eſt; nemo inſuper cum ipſis verſetur, & alia huiuſmodi prudentiſſima remedia. Verum quia nõ abs re fuerit fortaſſe diſpicere, nũ his alia adiungi queant, ego ea, quę vetuſtiores ob ipſorum expugnationem obſeruauerunt, recenſere, & hoc loco aggregare conſtitui. Ac primũ conſtat, totã huius molis ſummã in vno illo viro conſiſtere, cui munus hoc iniũgendum ſit, nã cum prętores ſatis non eſſent, legimus, Romanos ad conſularẽ autoritatẽ conuerſos fuiſſe: proinde ad bellũ piraticum cõficiendũ nullum Pompeio maiorem, quẽ pręficerent, ducem habuerunt: autoritatẽ autem, quę fuit ipſi demandata, ampliſſimã fuiſſe, non ignoramus. Nam nulli antea duci ſimilis cõceſſa fuerat, vtpote quę non ſolum toti mari, ſed etiam ad omnes ciuitates, & loca, quę ſpacio triginta quinq; milliũ paſſuũ mari appropinquabant, extendebatur, cum poteſtate XV. viros eligendi, qui eadẽ autoritate, quã Pompeius habebat, perfungerentur: præterea ex ærario quantã libuit pecuniam tollere poſſet, neque eius rationem vnquã reddere teneretur. His remediis à Senatu adhibitis, quorũ ſimilia per hęc tempora omiſſa non fuerunt, hic totus fuit Pompeii conatus, vt piratas paullatim in anguſtias redigeret: Quoniã vero militibus, ducibuſque abundabat, occupatis omnib. mediterranei maris ſinibus, portubuſq; piratas inſequi

[g] Plut. in Pomp.

cœpit,

cœpit, qui in Ciliciam fugientes, hic ab ipſo facilius deuicti fuerunt: verum quia noſtri exules, & banniti in continenti nobis negotium faceſſunt, ideoque Tacfarinati ſunt ſimiliores, artes referam, quibus Tiberius per Blæſum ducem contra ipſum vſus eſt. Commiſit Blæſo Tiberius, vt pacatis cæterorum armis ſpe veniæ Tacfarinatem omnino interciperet: quæ pactionum blandimenta alicui fortaſſe videbuntur indigna principe, præſertim erga ſceleſtos, neque legitimos hoſtes: Sed præterquam quod iſtud non eſt paciſci, quia dantur, non viciſſim accipiuntur conditiones, ſi alicui ſecus videretur; ſuggero tamen, moneoque illud, ſapientis principis eſſe, ſi vrgeat neceſſitas, amariſſimum indignitatis calicem forti animo ebibere: Et quoniam principes non ſolent hoc ſeculo, quantam Pompeius obtinuit, ducibus ſuis autoritatem, vireſque impartiri, ideo iiſdem artibus, quibus Tacfarinas vtebatur, Blæſus vtendum ſibi putauit. Et quemadmodum hic plures per globos incurſabat, ſimulque inſidias tentabat; item Iunius Blæſus in tres partes exercitum diuiſit, alteram Corn. Scipio, alteram Blæſus filius: tertiam ipſe ducebat, quo ordine à fronte, à lateribus, plerumque à tergo Numidæ cæſi, aut circumuenti ſunt. Cumque adhuc laboraretur, tripartitum exercitum plures in manus diſperſit, prępoſuitq; centuriones virtutis expertæ, nec, vt mos fuerat (iſtas autem particulas recte conſideremus) acta æſtate retraxit copias, aut in hybernaculis veteris prouinciæ compoſuit, *ſed diſpoſitis caſtellis, per expeditos, & ſolitudinum gnaros mutantem mapalia Tacfarinatem proturbabat*: quo exemplo, quam difficile ſit, exules inueſtigare, doceamur. Blæſus autem Tacfarinatis fratre capto Romam regreſſus eſt, ſed properantius, quam expediret; cum paullo poſt bellum validius, quam prius, ſuſcitatum fuiſſet: Sed Tiberius pro confecto interpretatus, Blæſum à legionibus Imperatorem ſalutari, honoreſque triumphales permiſit. [k] Tacfarinate igitur validiore, quam vnquam extitiſſet, P. Dolabella dux poſtea delectus eſt, qui *non graui, nec vno incurſu conſectandum hoſtem vagum*, [l] putauit; ſed prædatorias militum manus delectis Mauris commiſit, deinde exercitum quatuor agminibus diuiſit, ſingulas partes legatis, ac tribunis aſſignauit, *ipſe vero conſultor aderat omnibus*: tandem ſemiſomnos barbaros oppreſſit, ſicque Tacfarinas dolo magis, quam iuſto prælio interfectus eſt. Quoties ego cogitatione reuoluo, vnde ad euellendas malas baſce plantas tanta ſuboriatur difficultas, tot cauſæ occurrunt, vt mirum non ſit, ſi effectus, quos experimur, conſequantur; quia cum deſperantibus hominibus dimicantes, oportet nos numero admodum ſuperiores eſſe, eoq; magis, quoniam ii labori magis aſſuefacti velocius ambulant, equitantque, facilius famem, frigus, æſtum, ſomnum, dormiendiq; incommoditates præ cæteris tolerant, vnde ſi forte fugiunt, nemo illos aſſequitur; quod ſi numerus expugnantium par ſit, ipſi exules plerunque victores euadunt; ſi incommoditates patiendæ ſint, hoſtem iis inſuetum eludunt; habent enim inter ſe arctiorem ex neceſſitate diſciplinam, cumque vt plurimum vno ducantur duce, non curant inuicem præponi, neque mutuo rixantur; quę res plerunque magna negotia impediunt, neque vllam mi-

k lib. 3.

l lib. 4.

niſtrorum,

niſtrorum, aut multitudinis rationem habent, quia cuncta vi faciunt, vnde negotia non retardantur. Igitur cum huiuſmodi hominibus caute agendum; nam niſi numero valde ſuperentur, non modo ex iis victoria ſperanda non eſt, ſed dedecoris, notæq; ſingularis maximum imminet diſcrimen. Nouum pridem videbatur, Alphonſum Piccolomineum intercipi, vinciq; non poſſe, & nihilominus rerum præteritarum euenta docent, non minimum opus fuiſſe, illum tandem capere; cum M. Duci Etruriæ ad hunc capiendum neceſſe fuerit præficere exercitui omnium expertiſſimum, Belgiciſq; bellis exercitatiſſimum ducem multis cum egregiis militibus, ex quibus pleriq; ſaucii ſimul cum ipſo duce fuere. Itaq; cum hæc conſideratio tanti ſit momenti, non inutile fore, cenſerem, ſi diſpiceremus, vndenam hoc in rep. irrepat, & vnde alia regio magis, quam alia hoc genere hominum inficiatur, quia exploratis morbis, perinde vt medici conſueuere, facilius tutiuſq; remedia apponuntur. Neq; fortaſſe omni ex parte aberrabimus, ſi dixerimus, exules hos, & armatos reip. fucos ex otio produci: propterea quod quicunq, aliqua re occupantur, in vniuerſum minus, quam otioſi peccant. Quocirca quiſquis huiuſmodi ſceleſtis & proſcribendis hominibus carere laborat, is caueat, ne otioſi in ſuis ditionibus homines degant. Otium enim duo genera mendicantium hominum, quaſi fucorum, gignit: debilis & puſillanimus ſtipẽ quærit, fortis autem & robuſtus in campum progreditur. Ideo principum egregium ſemper opus fuit, montes ad vias parandas excindere, paludes ad aeris puritatem exſiccare, ædificia ſacra ſeu prophana vaſtæ magnitudinis erigere, quibus mendici fureſq;, duæ ciuitatum peſtes, tolluntur. Vbi factiones ſunt, ibi homicidia frequentiora eſſe neceſſe eſt. Neq; defuit autor, qui has factiones principibus ſalubres, proinde diſſimulandas eſſe diſſeruit, cum hæc ad feroces populos facilius regendos recondita quædam ſit ars, ne viribus alioqui concordibus à domino ſuo deficiant: Quæ quidem ſententia ſceleratiſſima eſt; neque enim vnquã princeps vllus imperio tranquillo frui poterit, niſi harum diſcordiarum, & factionum cauſas extirpet: miror q;, cur principes ſeueriora cõtra hos remedia nẽ admoueant, cumq; cæteris in rebus ad libitum virga ferrea vtantur, in hoc oppreſſi lethargo quodam nullum licentiæ frenum iniiciant, & audientes plerunq; vaſtari agros, ſubditos interimi, violari mulieres, religionem proculcari, negligere videantur. Neq; fortaſſe omittendum eſſet monitũ illud, vt quam pauciſſimi delinquentium proſcriberentur, ideoq; in Etruria pauciores eiuſmodi homines reperiuntur, quia debitores, & obærati minimam oppreſſionem patiuntur, neq; enim in quouis loco ſacro capi poſſunt, neq; domi, ſi ianua clauſa ſit, neque omnibus horis, neq; quibuſdam feriarum diebus, neq; in palatiis publicis; deniq; nemo capi poteſt, niſi prius in ius vocetur, multiſque dilationibus fruatur. Venetiis vero quemadmodum inter improuiſa, & inter penſitata delicta maxima ſit differentia, ſic etiam exiſtimarem, maximam inter cauſas delictorum differentiam faciendam eſſe, neque contra omnes æque procedendum: aliter ſiquidem puniendus videtur, qui hominem graſſandi cauſa, quive graſſatorem ipſum oc-

ciderit. Quamobrem iis, qui nō voluntarium homicidium patrauerant, ſacra Iu-
[m] Numer. 35. dęorum lex aſylum concedebat. [m] Exulum ac latronum multitudinem alet oc-
caſio, & opportunitas regionis, ſi montibus aſperis, ſi locis confragoſis ac diru-
ptis, ſi denſis ſyluis abundauerit: ex quibus quanq̃ in regno Neapolit. frequen-
tiſſima ſint latrocinia, nihilominus in agro Hydruntino, aut Barenſi, vtpote in
planis locis vix credo, vnq̃ fuiſſe, cum inter Samnites & Calabros nunquam de-
fuerint. Quæ res efficit, vt vbi maius periculum, ibi diligentia maior adhibenda
ſit. Idem accidit in finibus imperii vniuſcuiuſq;: nam hac atq; illac pertranſeun-
tes exules, & ea loca frequentantes, facile conſequitur, vt incolę peiores fiant, qui
ſuis propter delicta bonis fiſco addictis, inducuntur ipſi etiam, vt ex rapto viuāt:
quo caſu ſi principes vtilitati ſuæ amorem iuſtitię pręponētes, curarent, vt ſcele-
rati vbicunq; deliquerint, ſuorū ſcelerū pœnas aliquo modo luerent, dubio pro-
cul minor eſſet nequiſſimorum latronum numerus. Sed hoc etiam inter politicæ
adminiſtrationis pręcepta refertur, vt princeps alterius principis exules foueat, q̃
fuit veterum Aragoniæ regum ars contra Pontifices, quæ tandem illos perdidit.
Hæc mea eſt opinio, exules, quos per hoſce menſes in Italia patimur, non dico
principium, ſed ſaltem incrementum traxiſſe ex fame, quę hoc biennio per Italiā
graſſata eſt: cui fami, qui boni principes ſunt, obuiam ire conātur charitatis cau-
ſa; qui prudentes, pro ſtatus conſeruatione; qui gloriæ cupidi, propter gloriam;
qui v. malitioſi & auari, ne fructum, qui ex multitudine auctiore iis ꝓficiſcitur, a-
mittant. Ad multa igitur reſpiciendū eſt, & remedia diligenter conquirenda, ca-
uentes, ne ſint grauiora morbis, & dum ditiones exulibus expurgare intēdimus,
ne ſuppliciis, pœniſq;, quas iis, qui cum illis verſati ſunt, aut opem iiſdem aliquā
tulerunt, irrogamus, exules ipſos magis multiplicemus q̃ minuamus. Aliud n. pu-
to delictum, verſatū aliquem eſſe cum exulibus, vt prędę partē lucretur, vt de in-
imicis vindictam ſumat, vt ſupra cæteros tremendus euadat: & rurſus aliud eſt, iis
aliquid largitum eſſe, ne fruges ab iiſdem incendantur, ne pecora & armenta in-
terficiantur, ne ve noceant; quia neminem ſua prodigere, non ignoramus. Quod
ſi amore Dei res paruas vix pauci elargiuntur, non eſt credendum, magnas res à
quoquā, niſi per ſummam vim, huiuſmodi nebulonibus donari. Neq; æquitati
congruit, vt cum tu princeps, vt latronum numerus creſceret, permiſeris, in eoq;
plurimum deliqueris, ego priuatus duplicem pœnā patiar, alteram ab ipſis, quia
illos paſcere coactus ſim, alterā à te, quod illos pauerim. Militū etiam ſtationes nō
adeo rigidæ, atq; immites eſſe debent, vt ſubditi modeſtius à latronibus publicis
tractati, ab illis plus q̃ ab his abhorreant. Quod attinet ad remedia, dum perpen-
do, exules noſtros omnes Italos eſſe, nullos aduenas, ideoq; omnes lingua, veſti-
bus, effigie nobis haud diſſimiles, ac proinde facilimū ipſis eſſe, cū res vident de-
ploratas, mutare nomina, & Romā aut Neapolim proficiſcentes, dominis famu-
lari, mox diminuto periculo, iterum ſe ipſos colligere; neceſſarium videtur duces
ipſos (quod ſuperius dixi) extinguere, maximumq; operæ preciū eſt, multitudini
veniam proponere, vt ducem tradat: imo vt hic facilius capiatur, nō abs re foret,

annuos

annuos certos redditus tradenti, aut occidenti conſtituere. Verum adhæc ſaluberrimum illud additur remedium, vt dogmata imitãtes Eccleſiaſtica, caueatur, ne in ciuitaté recipiatur quiſpiam, niſi à patriis magiſtratibus aliquod literarum teſtimonium habeat, quod clerici *dimiſſorias*, milites *paſſaportum* appellant. Vnum huic diſſertationi veluti coronidis loco adiiciam: obſeruandum eſſe, ne remedia, quæ ad expellendos bannitos ſuſcipiuntur, vnguentis quibuſdam ſimilia ſint, quibus ſcabiei medela affertur; nam ea, corpore intus malis humoribus infecto, per momenta ſanare quidem videntur, ſed extemplo morbus regreditur, cum tamen egregii medici partes ſint, præcauere, ne amplius ſuccreſcat.

Cur magnis viris negati honores gloriam adaugent.

DISCVRSVS VI.

IN Africam pleriq; duces ad compeſcendos Tacfarinatis motus miſſi fuerant: quorum tres iam confectum bellum interpretantes, Tacfarinate viuo, aureas ſtatuas laureatas in ciuitate meruerant: poſt hos autem miſſus P. Dolabella, quanquam legionem, quam cęteri, non habuiſſet, bellum finiuit, occiſo Tacfarinate: nihilominus à Tiberio negatus fuit illi triumphus; q, inquit autor, factum eſt, ne Blæſi, qui ante Dolabellam eidem bello præfuerat, & Seiani ex ſorore nepos erat, gloria minueretur: *ſed neq; Blæſus illuſtrior, & huic negatus honor gloriam intendit.*[a] [a] *lib. 4.* Ælius Lamia Tiberii temporibus propter egregias animi virtutes magnę fuit exiſtimationis ſenator, qui cũ Syrię præfectus deſignatus illuc nunq̃ iuiſſet, Vrbis tamen præfecturam conſecutus eſt: *eiq; non permiſſa*, inquit autor, *prouincia dignationem addiderat.*[b] [b] *lib. 5.* Cauſam aucti honoris inquirẽs, nullã aliam reperio, niſi quod actionum principis populus ſpectator, perpetuo illas examinat, hominesq; quaſi in lance poſitos trutinat, cumq; benemeritos ingratis modis haberi cernit, & quæritans, num id eorum culpa procedat, neq; id comperiens, concludit, totum id culpa principis prouenire, vnde magis ac magis repulſi hominis meritum adauget. Ad quod fortaſſe Cato maior reſpexit, cum dixit, *Malle ſe ab hominibus, cur ſtatuam non haberet, quam cur haberet, exquiri.*[c] [c] *Plut. in apopht.* Igitur tranquilliore animo repulſæ ferri deberent, cũ denegati honores gloriã augeant, cumq; plurimi nõ defuerint, q ſponte illos recuſauerũt, vt inter cæteros Mecœnas, qui equeſtri dignitate contentus triumphaliũ, & conſulariũ virorum gloriam antecellebat. Hunc Salluſtius Criſpus imitatus eſt, qui eques priores ciuitatis anteceſſit, *quamquã prompto ad capeſſẽdos honores aditu.*[d] [d] *lib. 3.* A ſagaciſſimo ſcriptore noſtro hic mos præpoſter' appellatur, quod oblique honor idẽ maiorq; obtineatur, exemplo Mellæ fratris Gallionis, nec non Senecæ Lucani poetæ fratris: nam Mella honoribus abſtinuerat, *per ambitionem præpoſteram, vt eques Romanus Conſularibus potentia æquaretur.*[e] [e] *lib. 16.* Quod nos ita interpretemur, ſaltem eos honores, qui in noſtra non ſunt poteſtate, non

eſſe anxie ambiendos: nam cum viri probi etiam affectatam paupertatem improbent, multo magis affectatam honorum negligentiam, & contemptum in ſinixtram partem interpretabuntur: illi vero honore digni habebuntur, qui nō ſimulatione; neq; per præpoſteram ambitionem, neq; ſua culpa dignitatibus carent, ſed principum ingratitudine excluduntur.

Principum, ac populorum naturam diligenter inueſtigandam eſſe.

DISCVRSVS VII.

C*Vnctas nationes, & vrbes populus, aut primores, aut ſinguli regunt.* Quicunq; horum gubernat, neceſſe eſt, cum mores, & naturam eorum, quibus moderatur, non ignorare. Igitur, quemadmodum ſi populus, aut nobiles gubernant, eorum mores attendendi, iiq; ſapientes, temporumq; gnari habentur, quos gubernationis modus non latet, ſic omnibus ad vnius autoritatem conuerſis, huius mores, menſq; introſpicienda videtur: *hæc conquiri, tradiq; in rem fuerit.* [a] Cum primum ab ineunte ætate Ariſtotelis rhetoricen tractaui, admirandi illius Philoſophi induſtriam ac ſapientiam ſuſpexi; vix enim intelligebam, quid ad rhetoricam cōferret, ſenum, iuuenum, diuitum, pauperum, ſimiliumq; mores cognoſcere, cum hæc in arte oratoria M. Tullii omiſſa fuiſſe mihi viderentur; donec longo annorum vſu deprehendi, voluiſſe Philoſophum, & maximo quidem iudicio, vt illa tractatio præmitteretur, quia quantislibet eloquentiæ coloribus artibuſq; nūquam ii, apud quos dicitur, moueri poterunt, ſi, eorum moribus ignoratis, iis opportuna ſubticeantur. Omnium humanarum actionum finis eſſe videtur, vt aut mala vitentur, aut vt honor & vtilitas quæratur, aut publicis rebus conſulatur in pace, in bello. Idcirco diligentiſſime ſingulorum mores conquirendi ſunt, vt quæ ad res priuatas publicaſque pertinent, apte perſuadere poſſimus. Et quemadmodum non eſſet inter bonos agricolas collocandus ille, qui etiamſi tempora ſerendi fruges, item oleas, viteſq; & earum propagines plantandi noſſet: tamen terræ naturam, quæ vertenda eſt, an aliquas plantas reiiciat, an libenter innutriat, ignoret: ſic politici viri nomine indignus ille eſt, qui huius artis naturæ principum cognoſcendæ expers eſt. Principis autem nomine cenſentur, non ſinguli tantum, ſed etiam optimates & populus ipſe. Plutarchus, qui ſummus, grauiſſimusque Philoſophus extitit, quiq; ea, quæ ſcripſit, Gratiarum digitis ſcripſiſſe videtur, præ cæteris, quę laborauit, opuſculis eminet, laudemq; maximam promeretur illud, quod de politica arte conſcripſit, in quo poſt primā aſſertionū ſuarum baſim, quæ eſt, Vt quis ad remp. accedat non ambitionis, ſed publici boni cauſa, exemplo, neceſſe eſſe, mores ciuium cognoſcere, ſubiungit: ideoq; multis verbis Athenienſium naturā tradit, iram eos in promptu quidem gerere, ſed tamen placabiles eſſe, & ſuſpicaces magis, quam veri tenaces, alioſque mores eorum adnotat: de Carthagienſibus inquit, eos eſſe rudes, melancholicos, ma-

[a] lib. 4. Tac.

cos, ma-

cos, magiſtratibus obſequentes, ſubditis moleſtos, ad pericula pigritantes, iræ impotentes, & crudeles. Hanc autem morum cognitionem neceſſariam eſſe, recitat, quia ignoratis eorum propenſionibus, inter quos tibi viuendum eſt, facilius cogitationes tuæ falluntur: quod non minus in ciuitatibus, quam in amicitiis regum contingere conſueuit. Ex quibus ea mihi ſemper fuit ſentẽtia, vt exiſtimauerim, non propter aliud ab hiſtoriographis ſparſas eſſe in ipſorũ operibus de moribus gentium narrationes, niſi vt legentes doceantur, quomodo cautius, & maiore cum fructu pacis, bellique tempora gubernentur. De Gallis, inquit Liuius, eos iracundos eſſe, [b] & religioni parum deditos, [c] alibi illos laboris, & æſtus impatientes, *primaque eorum prælia pluſquam virorum, poſtrema minus quam feminarum eſſe.* [d] Cæſar eos in capiendis conſiliis ſagaces putat, [e] temerarios, primæque opinionis tenaces, [f] feroces quidem principio belli, ſed ferendis calamitatibus, & laboribus effeminatos. [g] Tacitus Græcorum animos promptos appellat ad noua, & mira, [h] & antiquitatum curioſos. [i] Et à Liuio dicuntur, *gens lingua magis ſtrenua, quam factis.* [k] Idem autor, *Hiſpanorum inquieta, auidaque in nouas res eſſe ingenia,* dixit. [l] Numidas ante omnes barbaros in Venerẽ effuſos, [m] apud eundem autorem Rhodii de quibuſdam gentibus loquentes, de Athenienſibus ſigillatim dixere, Athenienſium populum celerem, & ſupra vires audacem eſſe ad conandum: Lacedæmoniorum cunctatorem, & vix in ea, quibus fidit, ingredientem: præterea dixerunt, totam Aſiæ regionem inaniora parere ingenia, & Rhodiorum ipſorum timidiorem eſſe ſermonem, quod excellere inter finitimas ciuitates videantur. [n] Sanctus Paulus Cretenſes cum Epimenide dixit eſſe, *ſemper mendaces, malas beſtias, ventres pigros.* [o] Tacitus Germanorum, Gallorumque *obnoxia morbis corpora* dixit, [p] & ipſe quoque eos æſtuum intolerabiles vocat, & Iaziges equitatu pollere, [q] Germanos *lætam bello gentem,* [r] Iudæos in religione pertinaces, [s] Parthos iniuriarum impatientes, [t] Ægyptum autem, prouinciam aditu difficilem, annonæ fœcundam, ſuperſtitione, & laſciuia diſcordem, & mobilem, inſciam legum, ignaram magiſtratuum. [u] De Sarmatis, mirum dictu eſſe, *vt ſit omnis Sarmatarum virtus, velut extra ipſos: nihil ad pedeſtrem pugnam tam ignauum, vbi per turmas aduenere, vix vlla acies obſtiterit,* [x] barbaros generatim machinamenta, & aſtus oppugnationis ignorare, [y] *iis cunctationem ſeruilem, ſtatim exequi regium videri,* [z] eorum fidem fluxam eſſe, [a] Liuius etiam, *barbaris ex fortuna pendere fidem,* teſtatus eſt. [b] De regibus dicit, nullam iis æquitatis, nedum vilium rerum curam eſſe, [c] ad timorem pronos, &, cum redierit ſecuritas, magis voluptate, quam religione vinci. [d] Ligures *durum in armis genus* vocat Liuius. [e] Lucanos mutabilem cum fortuna fidem gerere. [f] De Romanis Tacitus *eos nec integram ferre poſſe ſeruitutem, nec integram libertatem.* [g] Plebem Romanam appellat *cuncta interpretantem,* [h] *ſermonum auidam,* [i] gignendis inimicitiis fœcundam, [k] diſcordiarum cupidam, [l] rimandis offenſis ſagacem, [m] facilem ad accipienda, credendaque omnia noua, cum triſtia ſunt. [n] Verum de præſentibus rebus ſermo inſtituatur. Guicciardinus Bononienſibus magnilo-

[b] lib.5.
[c] lib 35.
[d] lib 10.
[e] libr.4.
[f] lib.7.
[g] lib.3.
[h] lib.5.
[i] lib.18.
[k] lib.8.
[l] lib.22.
[m] lib.29.
[n] lib.45.
[o] ad Titum 1.
[p] lib.18.
[q] lib.19.
[r] lib.20.
[s] lib.21.
[t] lib.5.
[u] lib.17.
[x] ibidem.
[y] lib.12.
[z] lib.5.
[a] lib.19.
[b] lib.28.
[c] lib.2.
[d] lib.20.
[e] lib.17.
[f] lib.8.
[g] lib.17.
[h] lib.19.
[i] lib.13.
[k] lib.18.
[l] lib.16.
[m] lib.20.
[n] lib.17.

quentiam, Caſtellanis magnanimitatem tribuit. Fortaſſe vt poeſi quiſpiam inſeruiret, Genuenſes peruerſos homines appellauit, Senenſes vanos, Florentinos auaros, inuidioſos, ſuperbos. [o] Scriptor quidam hiſtoriarum Neapolitanos petulantes vocauit. [p] Matthæus Villanus ex Iſidoro dixit, Græcos natura leues eſſe, Romanos graues, Afros aſtutos, & malitioſos, Italos feroces, & acres; deinde ad Etruriam ſuam deueniens, Senenſes leues homines vocat, Piſanos aſtutos, & malitioſos, Peruſinos feroces, & acris ingenii, Florentinos tardos, graues, iracundos, Æmiliæ populos infidos. [q] Modo, quanti ſit momenti, populorum mores diſtinguere, Auguſti exēplū afferā, vnde nō inaniter nos diſſerere dignoſcatur: is enim *inter arcana imperii*, hoc eſt, inter ſapientiæ recōdita monita ſucceſſoribus id reliquit, ne vlli Senatori, aut equiti iniuſſu Cæſarum in Ægyptū proficiſci liceret: ne quis occupata ea prouincia, quæ clauſtra maris cuſtodit, & exercitibus alendis opportuna erat, *Italiam fame obſideret.* [r] Vnde etiam factum eſt, vt cum cæteris prouinciis Senatores præficerentur, hęc equitibus Romanis delegaretur, à quib. vtpote minoris autoritatis, minus timendum eſſet. Quis non videt, totum hoc arcanū ex cognitione, quam regionis, & populorum habebat Auguſtus, pendere? nimirum & fæcunditatem illius, & horum leuitatem callebat: Quæ niſi explorata habuiſſet, id conſilii ſucceſſoribus dare non potuiſſet. Inſuper, vt clarius huius vtilitas experientię pateſcat, obſeruandum propono Venetorum exemplum, quibus, cum olim Turca quædā confœderationis capita miſiſſet, Latinis verbis concepta, Dux eorū Andræas Grittus cōciues ſuos monuit, ne id admitterent; redigerentur ea pacta in Turcicam linguam: nam legem eſſe, moremq; Turcarum, vt ea, quæ ſuo idiomate ſcripta non ſunt, obſeruare nō teneantur. [ſ] Principum vero mores, naturamq; inueſtigare, perdifficile eſt. Etenim qui gemmas, earumq; precium optime ſe cognoſcere profitetur, is vt plurimas eiuſdem generis gemmas viderit, atq; tractauerit, neceſſe eſt, nos autē integram principum cognitionem nanciſci difficulter poſſumus, cum quia principū haud magna eſt multitudo, tum magis quia inſociabiles nobiſcum ſunt, & ab eorū etiā adſpectu adeo arcemur, vt neq; Heſperidum horti æque vigilanter cuſtoditi fuerint.. Quę difficultas omnib. adeo perſpecta eſt, vt nullius probationis indigeat: Principes vitia ſua diuitiis tegunt, eoſq; imitantur, qui ſuffumigiis, & odoramētis quemcunq; fœtorem expellunt, vnde ipſorū flagitia, prauoſq; mores intelligere arduū eſt. Qui minus acute diſcernit, ſæpe principē cum principatu confundit, neq; animaduertit, & pacis, & belli tēpore, vel propter bonas leges, vel propter ducis, aut miniſtri alicuius virtutē, multa laudāda, in quib. principis nullę partes ſunt, accidere cōſueuiſſe. Cui rei duo duces, Romanus alter, alter Gręcus luculētiſſimum adſtruunt teſtimonium. Perſeo in duabus magnis, honeſtiſq; rebus vere regius animus erat, *in vrbium donis, & in Deorum cultu*: in cęteris quinā homo eſſet, ſatis non conſtabat: amicos enim nunquā alloquebatur, vix notis familiariter arridebat: munificentia inęquali ſeſe, alioſq; ludificabatur: quibuſdā honoratis, magnoq; æſtimantibus ſe puerilia, vt eſcas, aut luſus, munera dabat, alios

[o] *Dantes paſſim.*

[p] *Boccatius Fab.2.die 4.*

[q] *lib.10.c.42.*

[r] *lib.2.*

[ſ] *Bembus.l.4. hiſt.Ven.c.60.*

nihil

nihil expectãtes ditabat;itaq; neſcire, quid ſibi vellet, quibuſdam videbatur, qui-
dam ludere eum ſimpliciter, quidam haud dubie inſanire, aiebant.[t] In Claudio [t] *Liu. lib. 41.*
quid ad magnificentiã, quid ad eloquentiam in ſcriptis defuit? nihilominus quis
fatuus, aut immemor magis, imo quis crudelior, ac ſcelestior? Legatur Tacitus,
quamuis, quæ de ipſo ſcripſit, non omnia ſuperſint. Virtutes igitur vitiis immi-
xtæ difficilem principum cognitionem faciunt. Quædam nihilominus monere
non pigebit, vnde pluſminuſve natura principum dignoſci queat: In quo medi-
cos imitabimur, qui cum latentes in corpore humores, oculis inſpicere nequeãt,
ex pulſuum motione, vrinarum indiciis, & morborum effectibus eos coniiciũt.
Peſſimũ de eo principe iudiciũ fieri poteſt, qui vni cuncta regendi onera cõmit-
tit: Nam ſi vnus imperio ſufficit, quare ſe ipſum poſtponit? nonne inde ſe ipſum
aut ignauię, aut rerum ignorationis accuſat? Quod ſi multorũ indiget, cur vni o-
mnia demandat? qui ſi defecerit, in anguſtias illum coniecturus eſt; ſi ſuperbiue-
rit, deprimere ipſum laborioſum fuerit. Visne principis mores cognoſcere? qui
latus eius tegunt, conſiderẽtur. Quod ſi, inquies, perſæpe malos principes bonis
miniſtris vti ſolere; Obſerua, quo pacto illos beneficiis afficiat: ſæpe principibus
etiam malorũ virorũ obſequia emolumento ſunt, ſed hi vtilitate, non honorib.
compẽſandi eſſent. Illud verum eſt, cogi nonnunquã principes variis modis, va-
riiſq; moribus gubernare: at ſi obſeruaueris eorum animos mobiles, neq; in ſuis
actionibus conſtantes eſſe, tunc diminutæ mentis, minimæq; prudentiæ ſi quis
eos exiſtimet, non aberrabit: nam ſapientes principes ſibi conſtare, & certa ra-
tione duci conſueuerunt, reſq; agendas eminus præuident, neq; in veritatis co-
gnitiõne diutius ambigũt. Inter ciues duo ſunt hominum genera, plebs, nobili-
tas: plebs annonæ abundantia exhilaranda eſt, iuſtitiæ timore frenanda: nobili-
tas autem vt honoris ſtimulo adigitur, ſic pudoris freno corrigitur. Si nobiles nõ
timuerint, ſi plebeios non puduerit; ſi famem hi patiantur, illis vero ad princi-
pem aditus intercludatur, pro re comperta habendum eſt, remp. minus recte ſe
habere; quia princeps rerum, atque hominum naturæ cuilibet obniti neq; de-
cet, neque poteſt; eandem naturam, niſi ad vitia vergat, fouere, ac ſecundare ſa-
nius eſt. Dixit ſapiens quidam, medicorum multitudinem in ciuitatibus intem-
perantiæ ſignum eſſe; ſic neque bonum ſignum eſt, vt quotidie princeps carnifi-
cinas exerceat, non quia non irroganda ſint improbis ſupplicia, ſed quia bonis
legibus prouidendum erat, ne delinquatur, neve improborum numerus
excreſcat. Multa addi poſſent; ſed hiſce anſis præbitis pręſtat, vt
lector his vtiliora per ſe inuenturus ad hoc argu-
mentum ex ſe ipſo cogitet.

Vera-

Veraces hiſtoriarum ſcriptores punire, impudentiam, imo etiam ſcelus eſſe.

DISCVRSVS VIII.

INter ſcelera Tiberii non poſtremum illud cenſendum eſt, cum accuſationem illam admiſit noui, ac tunc primum inauditi criminis, quod Cremutius Cordus editis annalibus, & laudato M. Bruto C. Caſſium *Romanorum vltimum* dixiſſet: Ipſe autem ſe defendens; Titus Liuius, aiebat, eloquentiæ, ac fidei præclarus in primis Gn. Pompeium tantis laudibus tulit, vt Pompeianum eum Auguſtus appellaret, neque id amicitiæ eorum offecit; Scipionem, Afranium, hunc ipſum Caſſium, hunc Brutum ſæpe vt inſignes viros nominat. Allegabat, Aſinium Pollionem idem in ſcriptis ſuis effeciſſe; Meſſalam Coruinum Imperatorem ſuum Caſſium prædicauiſſe: vtrumque nihilominus opibus, atque honoribus peruiguiſſe. Marci etiam Ciceronis libro, quo Catonem cœlo æquauit, quid aliud dictator Cæſar, quam reſcripta oratione, velut apud iudices, reſpondit? Antonii epiſtolæ, Bruti conciones falſa quidem in Auguſtum probra, ſed multa cum acerbitate habent: carmina Bibaculi, & Catulli referta contumeliis Cæſarum leguntur, ſed ipſe diuus Iulius, ipſe diuus Auguſtus & tulere iſta, & reliquere, haud facile dixerim, moderatione magis, an ſapientia: namque *ſpreta exoleſcunt, ſi iraſcare, adgnita videntur.* [a] Quo equidem nihil verius eſt. Exitus huius accuſationis fuit, vt Cremutius exitum præuidens, abſtinentia vitam finiuerit; libroſque per ædiles cremandos cenſuere patres, & manſerunt occultati, & editi, iamque Cremutium inter hiſtoricos numeratum fuiſſe, probat Suetonius, qui ipſum allegat. [b] Tacitus igitur hinc pulcherrimum eliciens documentum, ſubdit hæc verba. *Quo magis*, inquit, *ſocordiam eorum irridere libet, qui præſenti potentia credunt extingui poſſe etiam ſequentis æui memoriam: nam contra, punitis ingeniis gliſcit autoritas, neque aliud externi reges, aut qui eadem ſæuitia vſi ſunt, niſi dedecus ſibi, atque illis gloriam peperere.* Iam videor mihi videre, quid ſibi velit Tacitus: Nempe moleſte fert, vt de ſimilibus rebus iudicium fiat: vnde alibi de quibuſdam carminibus, quæ Fabritius Veiento contra ſenatores, & ſacerdotes ſcripſerat, tradit, autorem Italia depulſum fuiſſe, libros vero exuſtos; *quamquam conquiſiti, lectitatique fuere, donec cum periculo parabantur, mox licentia habendi obliuionem attulit.* [c] Vt mea fert opinio, hac in re diſtinguendum eſt: nam ſi autores contra bonos mores, aut contra religionem ſcripſerunt, tunc minime dubitandum videtur, quin libri tollendi ſint. Quocirca fruſtra conqueruntur quidam, quod huiuſmodi opera à religioſis noſtris cenſoribus caſtigata fuerint: nam etiam Lacedæmonii libros Archilochi è ciuitate ſua exportari iuſſerunt, quod eorum parum verecundam, ac pudicam lectionem arbitrabantur: Noluerunt enim ea liberorum ſuorum animos imbui: *ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodeſſet.* [d] Similiter acuſantur à qui-

[a] *lib.4.*

[b] *in Aug.*

[c] *lib.14.*

[d] *Val. Max. l.6.c.3.*

buſdam noſtrates, quod veris ſcriptorum nominibus ſublatis, eoſdem libros, additis aliorum nominibus, ediderint: quod nihilominus iidem Lacedæmonii fecerunt eo tempore, cum ab improbo viro prolatam ſententiã quandã approbãtes, mox eandem, ſed ſub nomine probi viri amplexati ſunt. [e] Principibus quoq; aut priuatis maledicendi ſtudio detrahere, ſicut Veiento fecit, quemadmodum deteſtabile eſt, ita etiã pœnã meretur: neq; iniuſte cum ipſo factum eſt, cum ei aqua, & igni interdictum fuerit: quod ſi Antiſtius quoq; plexus, iure ſecum actum fuiſſet. [f] Cum autem princeps læditur, ſi ſuas ipſe condonet iniurias, non alienas, id in maximam redundat ipſius laudem, quemadmodum Tiberius cum C. Cominio effecit. [g] At vero ſcriptoribus vetare, ne hiſtoriam ſcribentes in principum, ſiue priuatorum vitam, moreſq; pro ipſorum meritis inuehantur, perinde turpe & inhoneſtum exiſtimo, vt ſi ne eorundem virtutem laudent, prohibeantur: recteq; dixit noſter autor, vir, qui res agendas, & præcepta ſcribendi maxime omnium calluit, proprium eſſe eorum, qui annales ſcribunt, officium, ne virtutes ſileantur, vt prauis dictis factisque ex poſteritate & infamia metus ſit. [h] Idcirco non video, quo pacto excuſandi ſint ii, qui Guicciardino arrogantiam attribuunt, ideo quia liberius principum, qui ſua ætate vixerunt, mentionem fecerit. [i] Neq; Iouius recte accuſatur: quanquã reuera in nonnullis criminibus, laudibuſq; confingendis quorundam iudicio nimius eſt. [k] Neq; fortaſſe iure improbat Iohannes Caſa eos, qui de viro aliquo referentes aliquid, illud accuratius deſcribunt, & minuta quæq;, veluti capillitium, & ſimilia repræſentãt. Nam magnus etiam ille ſolutæ orationis ſcriptor narrat, *Blondellum fuiſſe corpore breuiuſculo, perelegant i, polit iore, quam muſca ſit, pet aſat um, capillatum, adeo vt neq; pilus illi trãſuerſus maneret.* [l] Quandoquidem cum hiſtoria ſit rerum tum magnarum, tum paruarum diuerſis temporibus, lociſq; ab hominibus geſtarum narratio, quemadmodum tempora, quibus eæ res contigerunt, diſtinguenda ſunt, ſic aliquando neceſſe eſt, modo loca, modo minutas circumſtantias, hominum dotes deſcribere, vt omniũ clariſſima cognitio habeaẽ. Proinde noſter autor ſuis quaſi coloribus depingere videtur nõ modo mores Tiberii, [m] Galbę, [n] Othonis, [o] Vitellii, [p] qui Cæſares fuerunt, ſed multorum aliorum: de Mamerco inquit, cum fuiſſe maiorum ſuorum opprobrium, [q] Lucium Vitellium exemplar apud poſteros adulatorii dedecoris, [r] Romanum Hiſponem egentem, ignotum, inquietem, [s] Flauium monoculum, [t] Iulium Pelignum ignaui animi, & deridiculo corporis deſpiciendum, [u] Gn. Piſonem ingenio violentum, & obſequii ignarum, [x] Caſſium Seuerum ſordidæ originis, maleficæ vitæ, ſed orandi validum, [y] & mille alios eiuſdem farinæ. Verum quæ luculentior inueniri poteſt probatio, ſcriptores neque puniendos, neq; arguendos, neq; ab inſtituto ſuo retrahendos, ſed potius adhortandos eſſe, quam illa, quod in libris Chriſtianam veritatem continentibus peccata fidelium Chriſti non diſſimulantur? Ibi ſiquidem Magdalena peccatrix dicitur, Matthæus publicanus, Thomas incredulus, Paulus perſecutor, Petrus magiſtri abnegator, alii maioribus in periculis profugi, ac deſertores. Igitur pia-

[e] *Gellius, l. 18 c. 3.*
[f] *lib. 14.*
[g] *lib. 4.*
[h] *lib. 3.*
[i] *Iouius Bapt. Leo.*
[k] *Michael Ang. Brutus.*
[l] *Boccac. die 9. fab 8.*
[m] *lib. 1.*
[o] *lib. 17.*
lib. 18
[r] *lib 19.*
lib 3.
lib 5.
lib. 1.
lib. 2.
lib. 12.
lib. 2.
[y] *lib 4.*

culum, imo imprudentia ſumma videtur, punire ſcriptores, eoque magis, quia cum orbis domini non ſimus, vt Romani, pro re explorata nobis eſſe poteſt, ſi quis in Italia ſcribere prohibitus fuerit, non item poſſe in Germania vetari; quodque non audebunt Germani ſcribere, ſcribent Galli, aut Hiſpa[illegible] aliæque nationes, vbi linguæ, ſcriptoreſque non deſint. Nunquam negabo, quin nonnulla ſilentio inuolui debeant, quemadmodum etiam à natura edocti, partes corporis minus honeſtas abſconditas eſſe volumus, cumque eas nominare neceſſe eſt, alio eas nomine, verbis etiam obtegimus. Noſter autor huic pulcherrimum ſuppeditat exemplum, cum eorum nominibus abſtinet, qui Neroni inſeruientes ſcenam ingreſſi fuere, *quos*, inquit, *fato functos ne nominatim tradam maioribus eorum tribuendum puto.*[z] Excuſabat nempe illos, qui ſcelere, præmiiſq; principis ad dedecora, vnde potius retrahendi fuerant, impellebantur; præterquam quod *merces ab eo, qui iubere poteſt, vim neceſſitatis* habet. Quare ſapientiſſimus autor Plutarchus negat, ſaltem ob naturæ humanæ reuerentiam debere quenquam hac ſcribendi, dicendique libertate priuari, modo prudentia limites circumſcribat. At vero nimis propenſo erga ſcriptores animo fortaſſe viſus fuero, ſi addidero, pleroſque adeo ſcriptoribus indulgere, vt lętentur de maioribus ſuis vera ſcripta fuiſſe, etiamſi cum vituperatione: cum quocunque modo magni ſcriptores aliquem nominauerint, gloriam eidem afferre videantur. Proinde Vincentius Acciaiolus patricius Florentinus, neque bonarum literarum imperitus dicere ſolebat, ſibi, gentique ſuæ maximo honori ducturum fuiſſe, ſi vno Dantis verſiculo aliquis ex ſuis maioribus nominatus fuiſſet, etiamſi ille, cuius mentio facta eſſet, in profundioribus inferorum cauernis collocaretur; cum alioqui non ignoret, parum referre, num poëtarum fabulis in cœlum referantur animæ, an ad inferos detrudantur.

[z] lib. 14.

Laudabilem morem eſſe, vt principes per ſupplices libellos negotia peragant.

DISCVRSVS IX.

MOris quippe tum er[illegible], quamquam præſentem ſcripto adire.[a] Quam antiquus mos fuerit, cum principibus ex ſcripto tractare, hinc perſpicue patet; quod Seianus, licet arctiſſimam cum Tiberio familiaritatem, imo & autoritatem haberet, ipſum tamen ſcripto adiuit. Nōnulli arbitrati ſunt, id propter principū ſuperbiam inſtitutum fuiſſe, quaſi, ſi cum illis oretenus ageretur, magnitudinis ipſorum quædam diminutio, nimiaq; ipſorum cum ſubditis familiaritas videretur; quemadmodum Pallas nihil vnquā libertis, niſi nutu, aut manu ſignificauit; quod ſi plura demonſtranda eſſent, ſcripto vtebatur, ne vocē conſociaret.[b] Crediderè nonnulli, conſuetudinem hanc propter principum ignorātiam in vſu eſſe, qui cum ex tempore reſponſa petitionibus dare neſciant, hoc machinamento ex

[a] lib. 4.

[b] lib. 14.

to ex ſcriptis reſpondeant. Quorum quidem criminum iniuſte principes accuſantur, quia plurimæ ſeſe offerunt cauſæ, quibus id efficere coguntur: præcipua autem ea eſt, quod cum è conſpectu principis nemo mœſtus, aut male contentus diſcedere debeat, quoties ipſe princeps ſcriptum quæritat, neq; repulſam vllam affert, videtur petentes non negligere, eoſq; ſpe lactare, adeo vt ſeſe conſecituros ea, quæ petierunt, minime deſperent. Præterea cum aliquando dubiæ ſint petitiones, neq; primo aſpectu appareat, iniuſtæ ſint, necne, optimum videtur conſilium, vt illud temporis ſpatium princeps ad conſultandum ſibi reſeruet: quod ſine ſcripto fieri non poteſt; cum neq; deceat principem de priori ſententia decedere, ne imprudentiæ, aut temeritatis notam ſubeat. Similiter ſi, verbi gratia, petieris à principe ius arma ferendi, ipſe vero ſtatim illud tibi voce concedat, nonne vides ſi forte armatus inceſſeris, & in miniſtros, ad quos hæc cura pertinet, incideris, quibus principis volũtas ignota eſt, primum, quod exequentur, fore, vt carceribus te dedant, donec voluntatem principis explorent? Itidem cum pleriq; in poſtulationibus ſuis importuni, aliqui indiſcreti exiſtãt, non abs re videtur, vt ii principibus, quaſi morum cenſoribus, innoteſcant, & ab ipſis corripiantur; quemadmodum M. Dux Coſimus fecit cum Petro Erandez, cui veniam diſcedendi, & commendatitias, eodemq; tempore pecuniam petenti, nihil aliud reſpondit, niſi *nimis multa ab ſe peti.* Alteri vero nobili homini, qui ſatellitum præfecturam petebat, reſcripſit, *Homini quidem munus illud conuenire, ſed familiæ eius nequaquam.* Petro Saluiato arma gerendi poteſtatem roganti, reſpondit, *quia adoleſcẽs eſſet ab eius patre primum veniam petendam.* Igitur negotia optime codicillis tractantur: præterquam quod etiam quicunq; rogat, petitque, prudentius, cautiuſque mentem ſuam eo modo explicare poteſt, quam ſi verbis agendum foret. Cum autem homines priorem ſententiam faciliime deſerant, non negligenda cautio eſt, vt quæcunq; obtinuerimus, ſcriptis teſtata ſuperſint.

Prælia nocturna vitanda eſſe.

DISCVRSVS X.

EXemplorum vſus anceps eſt; nam quamuis iidem caſus eſſe videantur, tamẽ loca, tempora, perſonę plerunq; diuerſæ ſunt: at quoties exemplũ cum præcepto coniungitur, præceptum autem apud prudentes, qui ea de re ſcripſerunt vniforme reperitur, dubitandum non eſt, quin axioma efformari queat, omnibuſq; ad imitandum proponi. Cum de Thracum rebellione, contra quos Poppæus Sabinus miſſus eſt, ſcriberet Tacitus, refert, tranſlatis in hoſtium conſpectu Romanorum caſtris, permiſſum iis fuiſſe, vaſtare, excurrere, trahere prædas, *dum tamen populatio lucem intra ſiſteretur, noctemq; in caſtris tutam, & vigilem capeſſerẽt.*[a] Quo loco perſpicue patet, nocturnas excurſationes in arte militari vetitas eſſe. Antonius I. inter cæteras cauſas, quib. conatur militibus perſuadere, nõ eſſe Cremonæ oppugnationem noctu tentandam, *non ſi pateant*, inquit, *portæ, niſi ex-* [a] *lib* 4.

[b] lib. 19.

plorato, niſi diu intrandum. [b] Sed videamus, quid hac de re ſenſerit Liuius; propterea quod ſi veteris reip. geſta cum iis, quæ Cæſares geſſerunt, coniunxerimus, inſtar eorum, qui Platonem cum Ariſtotele conciliant, egregiam profecto operam præſtiterimus: quæ res vniformitatem, ſanitatemq; doctrinæ patefacit. Cũ tamen Annibal hoſtem ſibi parem Q. Fabium inueniſſet, ſeq; ſuis artibus peti cognoſceret, ideoq; quo pacto illum deciperet, machinaretur, inquit Liuius, *Q. Fabium intra vallum milites continuiſſe ab nocturno vtique abhorrens certamine.* [c] Multis ante annis eiuſdem fuit ſententiæ Poſthumius Tyburtinus maximæ virtutis dux, qui legatis ſuis *nec ante lucem mouere iubet manum, inter nocturnos tumultus moderatu difficilem.* Cæſar duo nobis tradere videtur exempla, quibus nocturna prælia deuitentur: alterum ſub Petreio, & Afranio Pompeii ducibus, alterum ſub Curione duce ſuo: primo diſputabatur, an quædam locorum anguſtiæ occupandæ eſſent, futuræ nempe maximo exercitui auxilio, cumq; nonnulli opinarentur, noctu illuc eundum, alii ſeſe obiecerunt, inter cætera dicentes, *nocturna prælia eſſe vitanda,* [d] eoq; loci redditur & aſſignatur ratio: quia ſcilicet miles in bellis ciuilibus expanefactus magis timori cedit quam religioni, lucem diei in oculis vniuſcuiuſque aliquid verecundiæ allaturam, neq; minus reuerentiæ tribunis à centurionibus dari: quibus rebus milites frenari, & in officio contineri ſolent. Similiter cum ſuaderetur Curio, vt ad caſtra noctu reuerteretur, ambigens, ne milites deficerent, ſecederentve, reſpondit, eos, qui id perſuadere nitebantur, opportunitatem delinquendi quærere, propterea quod exercitus pudore, atque timore refrenantur, *quibus rebus nox maxime aduerſaria eſt.* [e] Ex quibus autoritatibus nempe à Fabio anno ab V.C. 537. vſque ad Poppæum Sabinum circiter annos 779. colligitur, & ab ipſo Poppæo, & ab Antonio Primo, & ab Afranio, & à Petreio, & à Curione, & Q. Fabio Maximo, præterea à Cæſare, Liuio, Tacito nocturna prælia vituperanda, ac proinde fugienda eſſe. Obiiciet quiſpiam, ergo qui noctu præliari nixi ſunt, errauerunt, vt inter hos Annibal? Imo reſpondeo, optime eum feciſſe; omnes enim, quicunq; nocturnas dimicationes quæſiuerũt, propter meliorem aliquam conditionem illas quæſiuerunt, eoque magis ab eo, contra quem procurantur, fugiendæ ſunt. Et experientia, quam L. Martius contra bina Carthaginenſium caſtra, quæ vna nocte maxima hoſtium clade capta fuere, admirabilis eſt, [f] totq; alia exempla prætermittentes, vnius reminiſcimur in præſentia, quod ad Magnum Ducem Coſimum, qui noctu arcem Camolienſem cum cepiſſet, ad principatum Senenſis reip. viam ſibi aperuit. [g] Sed quod nocturna prœlia alioqain fugienda, nonnunquam procuranda ſint, ſi opportunitas adſit, docet Liuius perappoſite, dum Carthaginenſium claſſem refert, noctu tentauiſſe Lilibæi portum intercipere, ſed cum ab Hierone Syracuſano Romani hac de re moniti fuiſſent, & Carthaginenſes id reſciuiſſent, *quod rem haud fore cum imparatis cernebant vſque ad lucem portu ſe abſtinuiſſe.* [h] Noſter autor nocturnorum incommoda prœliorum innuit Germanorum exemplo, qui vino ignibusque plurimis, quos excitauerant, incaleſcentes, dum cum Romanis dimica-

[c] lib. 22.

[d] lib. 1. de bel. ciu.

[e] lib. 2 ibid.

[f] Liu. l. 25. in fine.

[g] Adr. l. 20.

[h] Liu. l. 22.

rent,

rent; proiiciebant *tela per tenebras vana*: contra, cum ipſi locis micantibus degerent, *Romani conſpicuam barbarorum aciem, & ſi quis audacia, aut inſignibus effulgens, ad ictum deſtinabant.* Barbari hoc animaduertentes, ignem extinxerunt, deinde in nouos errores lapſi ſunt, neque declinandi, neque feriendi prouidentia, & *ignauorum ſæpe telis fortiſſimi cadebant.* [i] Cæſar de nouis bellandi generibus, quæ ciuilium bellorum inter ſe & Pompeium occaſione inuenta fuerant, loquens, inquit, Pompeianos, cum animaduertiſſent ignium ſplendorem à Cæſarianis ſuſcitatum, noctu caſtra ſine ſtrepitu egreſſos, vno impetu omnes ſagittas eiaculatos, ſtatim ad ſuos reuerſos fuiſſe: quibus rebus edocti Cæſariani, poſtmodum alibi ignes accendebant, alibi ſtationes habebant. [k] Neque Pompeii ipſius exemplum prætermittendum eſt, vnde aliud circa nocturna prælia documentum reſultat: etenim cum noctu Mithridatem regem aſſecutus fuiſſet ad Euphratem, & propter eiuſdem noctis pericula cum ipſo decertare nollet, conſilio ſuorum in contrarium ſuadebatur, non quia Pompeii opinio laudanda non eſſet, ſed quia lucente, & iam iam occidente Luna, maximam debellandi hoſtis opportunitatem adeſſe cognoſcebant: nam cum Romanorum vmbræ contra barbaros longiſſimæ eſſent, milites Mithridatis diſtantiam Romanorum videre non poterant, & contra ipſas vmbras ſpicula eiaculantes, credenteſque vulnera corporibus infligere, inaniter vires ſuas conterebant. Cui rei perſimile eſt, quod Tacitus de Flauianis recitat, fuiſſe tunc ipſis æquiorem lunam à tergo: hinc maiores equorum virorumque vmbræ, & falſo, vt in corpora, ictu, tela hoſtium citra cadebant. At Vitelliani aduerſo lumine collucentes, velut ex occulto iaculantibus, incauti offerebantur.[l] Propter has igitur cauſas vitentur nocturna prælia, niſi aggredientium commoditas, aut opportunitas aliqua contrarium perſuadeat.

[i] *lib. 20.*

[k] *lib. 3.*

[l] *Tac. l. 19.*

De delatoribus, & de accuſatoribus.

DISCVRSVS XI.

QVemadmodum qui prodigum laudat, liberalem eum vocat: rurſus qui liberalem vituperat, prodigalitatis eum vitio taxat; ſic quicunque delatoris ſedecus tegit, accuſatorem eum appellat: qui vero accuſatorem vituperare intendit, is delatoris eidem cognomen appingit. Igitur delatoris & accuſatoris differentiæ ita obſeruandæ videntur, vt ſine erroris periculo inter ſe diſcriminentur: propterea quod qui accuſatorem virum bonum eſſe poſſe intellexerit, delatorem autem nunquam non ſceleratiſſimum; ſaltem diſcrimen illud effugiet, ne improbum iudicet probum, aut probum improbum. Delatoris exemplum eſt: Romæ illuſtris eques erat T. Sabinus, qui mortuo licet Germanico, non omiſerat coniugem, liberoſque eius percolere, *ſectator, comes in publico, poſt tot clientes vnus, eoque apud bonos laudatus, & grauis iniquis.* Erant ſi-

liter Romæ Senatores quatuor, qui prætura functi conſulatum ambiebant, ad quem *non niſi per Seianum aditus neq; Seiani voluntas niſi ſcelere quærebatur.* Hi Sabini animum penitius explorare deſtinantes, Latiari Sabino has partes detulere, vtpote qui modico vſu Sabinum contingens, facilius ſtruere dolum poſſet, cæteris teſtibus adfuturis: Igitur Latiaris iacere fortuitos primum ſermones: mox laudare conſtantiam, quod non vt cæteri, florentis domus amicus adflictam deſeruiſſet: ſimul honora de Germanico, Agrippinam miſerans, diſſerebat: & poſtquam Sabinus effudit lachrymas, iunxit queſtus, audentius iam onerat Seianum, ſæuitiam, ſuperbiam, ſpes eius, ne in Tiberium quidem conuitio abſtinet: *iique ſermones tanquam vetita miſcuiſſent, ſpeciem arctæ amicitiæ facere.* Ac iam vltro Sabinus quærere Latiarem, ventitare domum, dolores ſuos quaſi ad fidiſſimum deferre. Cum autem Latiaris multum de ſuo ſine conſecutus ſibi videretur, conſultant Senatores, quonam modo ea plurium auditu acciperentur: viſum fuit, vt tectum inter, & laquearia tres Senatores, haud minus turpi latebra, quam deteſtanda fraude, ſeſe abſtrudant, foraminibus & rimis aurem admoueant, ſicque peractum eſt, doliqueſucceſſere, & ſtatim delatus Sabinus Seiano victima cecidit. [a] Hinc haud obſcure cognoſcitur, mentem delatoris non erga principem charitate, non honeſti amore, ſed ſui boni cupiditate, hoc eſt, conſulatus conſequendi gratia ad tantum ſcelus adductam fuiſſe. Non propter ſalutem ſuam hæc principi retulit, quaſi pœnæ periculum vitaturus, ne conſcius putaretur, ſed vafre amicum, & miſericordem ſimulans, intimos Sabini ſenſus rimatus eſt, qui nihil alioqui cum eo communicaturus erat. Item videtur, quantam quatuor illi Senatores fœditatem ſubeant, videlicet quo ſe Conſulatu cohoneſtent, apertam inhoneſtiſſimæ perfidiæ turpitudinem non recuſant. Hæc igitur eſt delatorum natura. Accuſatorem modo diſcutiamus. Iubet Plato, vt non tantum amicorum & familiarium, ſed noſtra etiam crimina accuſemus, vt cum hæc manifeſta fuerint, eæ pœnæ nos conſequantur, quas meremur, & hoc pacto ad ſanitatem redigamur: cui rei vtiliſſimam dicit eſſe oratoriam artem, quo ſi virgis cædendi ſumus, cædamur, ſi catenis, ligemur, ſi exilio, eiiciamur, ſi morte, occidamur. [b] Alibi vero inquit, eum, qui nemini infert iniuriam, eſſe quidem honore dignum, ſed qui in cauſa eſt, ne etiam alter iniurius ſit, cum duplici honore, imo etiam maiore honorandum eſſe: propterea quod is vni tantum, hic plurimis hominibus aſſimilatur, cum aliorum iniuriam principibus manifeſtat. [c] Et alibi, inquit, eodem crimine pollutos eſſe eos, qui ſcientes delicta, tacent, neque dant operam, vt & ipſi, & reus in iudicio expurgentur. [d] Ante Platonem Solon Athenienſium legiſlator non modo hanc legem tulit, vt vnuſquiſque alienam cuiuſcunque iniuriam accuſare poſſet, ſed interrogatus, quænam illa ciuitas eſſet, vbi tuto ac feliciter viuere concedatur, reſpondit, *illam, vbi qui nullam ſentit læſio-*

[a] *Tac. l. 1.*

[b] *in Gorg.*

[c] *l. 5. de leg.*

[d] *in Eutiphr.*

nem,

nem, damnumve, iniuriam tamen alienam tamquam ſibi factam accuſat. [e] Et Chriſtus D. N. accuſationem inſtituit, cum, fratre inſanabili reperto, mandauit, vt diceretur Eccleſiæ. [f] Igitur accuſatio, & per conſequens accuſator ipſe optima res eſt, ideo quia non alio fine, quam beneficio, atque vtilitate peccantium mouetur, præterquam quod publicum totius ciuitatis bonum inde conſequitur: cum publicæ tranquillitatis interſit, vt delicta puniantur, neque probis bona eripiantur, aut quocunque modo ab improborum rapacitate, audacia, ſcelere lædantur. Proinde à Romanis inſtitutas fuiſſe accuſationes cernimus, neque defuit, qui eo vtiliores in republic. accuſationes eſſe, quo calumniæ ſunt perniciosiores, diſſeruit. Totus igitur huiuſce negotii cardo eſt, cum accuſatio vtilis & honeſta, delatio exitioſa, & ſceleſta ſit, ne permittatur, vt delator atq; explorator coram iudice ſub accuſatoris perſona compareat: cui morbo occurrens autor melius ceteris quibuſcunq; quid inter ſe diſcrepent, docet, dum tradit, C. Syllanum proconſulem Aſiæ repetundarum à ſociis poſtulatum fuiſſe: quæ vere accuſatio dici poteſt; cum ſocii iure ſua damna reſarciri petant: mox Mamercus Scaurus vir conſularis, Iunius Otho prætor, Brutidius Niger ædilis (& hoc eſt exploratorum delatorumque ſcelus) ſimul corripiunt hominem, obiectantq; violatum Auguſti numen, ſpretam Tiberii maieſtatem. Contra quos Mamercus antiqua exempla iaciens, L. Cottam à Scipione Africano, Ser. Galbam à Catone Cenſorio, P. Rutiliũ à M. Scauro accuſatos. Sed autor, vt delatoris ſcel', magis conſpiciendũ atq; dignoſcendum proponat, *videlicet,* ſubdit, *Scipio & Cato talia vlciſceba ntur, aut ille Scaurus: quẽ proauum ſuũ, opprobrium maiorum, Mamercus infami opera dehoneſtabat.* [g] Quid ergo de huiuſmodi delatorib. dicendũ eſt? an fortaſſe hæſitabimus pronuntiare, eos calamitatem & perniciẽ humani generis eſſe, cum hunc Mamercum virum iam conſularem maiorum ſuorum opprobrium autor appellare non vereatur? Profecto nihil verebimur, cum is aliud nihil intendit, quam amici detrimentum, ſuique ipſius vtilitatem, aut ſaltem in alterum pericula iacere *in ſubſidium ſui.* [h] Ad ſummam *genus hominum* vocantur, *publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam ſatis coercitum, ſed per præmia eliciebantur.* Felicia noſtra tempora fateor, quia tanti flagitii fœditate non polluuntur: nam quoties conſidero, Neronem Germanici filium ab exploratoribus obſeſſum, à Liuia vxore delatum, & illius ſecreta Seiano adultero prodita, & dum recordor, infelicem hunc adoleſcentem non animo turbido, ſed iracundo, vt magnatibus accidit; quædam de Nerone Imperatore effutiuiſſe, *utque coram Nerone ſe defendere dabatur,* [i] facere quidem non poſſum, quin vel maxime illius miſerear. Sed quid turpius, quid crudelius, quam quod contra eundem Druſum facinus perpetratum eſt? cui Tiberius ſummæ vir experientiæ, reique militaris ſcientiſſimus, in imperii faſtigio collocatus, delatorum auxilio eam iniuriam intulit, vt pateretur inuehi in eum defunctum, probraque corporis obiici, & factorum dictorumque eius deſcripta per dies recitari; aſtitiſſe tot per annos, qui vultum,

gemitus,

[e] *Plut. in Sol.*
[f] *Matth. 18.*
[g] *lib. 3.*
[h] *lib. 3.*
[i] *ibidem.*

gemitus,occultum etiam murmur exciperent;lectitatum fuiſſe, vt quis Druſum egredientem cubiculo pulſauerat,exterruerat q; : etiam ſua verba centurio ſæuitiæ plena,tanquam egregium, voceſq; deficientis adiecerat, cum famæ moriens Druſus extrema vitæ alimenta rogaret: *& potuiſſe auum hæc legere, & in publicum promere,vix fides.* [k] Sed hæc impuriſſima Tiberii anima in eo fortaſſe nonnullam meretur laudem, quod tandem horum delictorum nequitiam puniuit. [l] Neque Latiaris accuſationum ſuarum fructu defraudatus eſt. [m] Neque Mamercus ſuo tempore impunitus euaſit. [n] Neque Seianus exploratorum alumnus ex cruētis ſæuitiæ ſuæ campis aliud,quam pungentes, ac venenatos tribulos,& ſpinas collegit, quæ ſibi,domuique ſuæ corda transfixerunt. [o] Neq; dubium eſt, quin,cum iam ſcelerum horum publice tæduiſſet, fuerint expulſi delatores : adeo vt etiam contra Chriſtianos antiquitus inquiſitio ſæuiſſima iiſdem modis ſublata fuerit; vnde, cum D. Cyprianus à paterno proconſule interrogaretur,vt Chriſtianos reuelaret,animoſe reſpōdit, *leges Romanorum decreuiſſe, ne delatores audirentur, ex ſeipſo magiſtratus inquireret.* [p] Sed prætermiſſis contra delatores ambagibus,non idcirco arbitror ego,adeo timendam eſſe, atque fugiendam delationis infamiam,vt, inſtar equorum vmbras fugientium, dum ab altera parte malum deuitamus,ex altera in maiorem perniciem incidamus. Quod ſi ego nullum perturbatum animum indicans rogatus fuero , vt coniuratis aliquibus me aggregem,cur occidam iniquiſſimo ſilentio meo principem ? cur ob ſtolidam alienorum malorum miſerationem,aut ob inanem falſę infamię timorem, filios meos patrimonio, me vitæ huius vſura priuare, meæque familiæ notam meritę inhoneſtatis inurere velim? Sufficit,à me blanditiis non eſſe illectum quenquam, quo eius arcana reſcirem: quod ſi alter animi mei tranquillitatem, reuelans,quæ ſilere præſtabat,turbauit, cur meo maximo periculo eum non accuſabo? Hoc itaque perutile ſit diſſertationis noſtræ documentum, vt delatorū vitio cognito, atque explorato,illud tanquam peſtem diligenter fugiamus , & quicunque generoſitatis titulum cuſtodire deſiderat, notam hanc viperino ſanguine cautius effugiat: Verum ſi aliena ſtultitia eo te forte trahit, vt ſine tuo, aut vitæ principis diſcrimine res communicata reuelanda ſit,omnino magiſtratibus cuncta deferre oportet, neq;, vt ſtolidi faciunt,timendum eſt, quod nullo timore dignum,ne quadret in nos illud: *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* [q] Quod nonnulli dixerunt , eum,qui aliquid eiuſmodi communicauerit, ſtatim interficiendum eſſe,ſtultum conſilium eſt;quia res illicita perpetratur , neq; interfector omnino periculum euadit. Neque Philippi Stroccii ſenioris cautio, cum Princiuaſſi de Stuffa dixit, *Ibo, & magiſtratui deferam,* tuta eſt:quia monitus alter,vitæque periculum timens, curabit, vt potius homicidii, quam rebellionis cauſa patriæ iacturam faciat: hoc enim pacto ſperabit, eandem patriam ſe poſſe facilius recuperare. Neq; præterea mihi probatur,vt cum præcognoueris,aliquē velle tecum ad ſimiles ſermones deſcendere, illos præcidas, aut alio conuertas; quia neque hoc adeo tutum eſt, vt fortaſſe putas, præterquam quod etiamſi ar-

[k] *lib.5.*
[l] *lib.4.*
[m] *lib.5.*
[n] *ibid.*
[o] *ibid.*
[p] *Paul. Diac. in eius vita.*
[q] *Pſal.13. & 52.*

cana ex-

cana exploranda tibi non ſunt, non video, cur oblatam eorum notitiam refutes, & ipſa occultes; Quin etiam admiror, à Guicciardino alioquin ſapiente homine, iuriſque perito, reprehendi Marchionem Peſcaræ, quod tot fraudibus, vafriſq; modis Moronem illexerit ad huiuſmodi arcana reuelanda, quo poſſet ipſum deferre, ſicque ex peccatis alienis adulatione promotis magnitudinem ſui quærere.[f] Nam qui eius hiſtoriam non oſcitanter perlegerit, is intelliget, Moronem adiuiſſe ad ædes Marchionis, non Marchionem ad Moronis.[t] Poſteaquam autem Moronus ad tale diſcrimen Marchionem adduxerat, vt ſe conſcium amplius negare non poſſet, idemq; Marchio præter proditionis culpam inde vitæ periculum ſubiturus eſſet, hinc equidem neceſſe erat, vt tot ex Morone circumſtantias expiſcaretur, quibus delatis apud Imperatorē fidem inuenturus eſſet: alioquin imprudentiſſimum conſilium fuiſſet, ſi rebus incertis, ſimulq; moleſtiſſimis Cæſaris animum ſibi deuincere voluiſſet, cum præſertim locuturus Marchio de rebellionis cauſis arma & exercitus Cæſaris autoritate, virtuteq; incredibili tractaret; cum præterea nemo ignoret, vbi deſunt teſtimonia, perinde haberi is, qui negat, atq; is, qui ait; neq; nouum ſit, vt accuſatores plerumq; eodem, quod accuſant, crimine laborent; quemadmodum Fenio Ruffo accidit, de quo dictum fuit ab inquiſitis, *eundem conſcium coniurationis, & inquiſitorem tolerari non potuiſſe.*[u] Orandus igitur eſt Deus, aut ne quis in talia te pericula coniciiat, aut vbi coniecerit, vt aliquo pacto euadas.

[f] *libr.16.*
[t] *ibidem.*
[u] *Tac. lib.15.*

FINIS LIBRI QVARTI.

SCIPIONIS AMIRATI DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM *IN C. CORN. TACITVM,*

LIBER QVINTVS.

Ad eos, qui principum comitatus frequentant, monita quædam.

DISCVRSVS I.

CVm principibus ludere, acerbisque eos facetiis ridere, valde intutum eſt; cum enim ipſarum *in longum memoriam teneāt,*[a] opportunitatem tibi nocendi ſi compererint, quemadmodum Fuſio Tiberius,[b] & Vetuſtino Nero,[c] eam non prætermittent. Ne cures ab iis ea, quę occulunt, exquirere, ne tibi iraſcantur, quemadmodum idem Tiberius Aſinio Gallo, & Lucio Aruntio.[d] Proinde aliquando neceſſe eſt *cum iis perinde agere, ac ſi non intelligantur.*[e] Neq; principi obloqui vtile eſt, cum vita in diſcrimine ponatur: ſed plerique etiam ab adulatione læduntur, ſeq; deludi ſuſpicantur, idcirco poſtquam te tanquam vilem improbumq; hominem deprehenderint, tantum aberit, vt beneficia & grati animi ſpecimen ab ipſis nullū accipias, vt etiam dedecore atq; ignominia afficiaris: hinc Tiberius acerbe Senatores increpuit, quod eius occupationes diuinas, quodq; dominum dixiſſent.[f] Cū præpotentibus ſi negotia tractaueris, noli cum iis pertinaciter agere, moroſe cum iis paciſci: nam ſi Tiberius id à Tacfarinate perpeti nequiuit,[g] & Imperatori

[a] lib. 5. in prin.
[b] ibidem.
[c] lib. 15.
[d] lib. pr.
[e] ibidem.
[f] lib. 2.
[g] lib. 3.

Carolo V. perplacuit, quod dux Mediolani fiducialibus quibuſcunque literis renuntiaret, ſeque eius autoritati totum committeret, [h] quid te priuatum hominem, aut forte ſubditum decebit? Conſanguineis & affinibus Principum relictis, in ipſos intuere, neque aut fratri te nimium deuincito, aut filio: nam idem Tiberius excanduit, quod pro ſalute aliena, etiam nepotum, vota publica conciperentur. [i] Quamuis eorum familiaritate vtare, ſcripto illos adire, vtque cæteros de vulgo, te profiteri decet: nam ſic etiam Seianus ipſe, qui alter erat Tiberius, cum Tiberio negotia ex ſcripto agitabat. [k] Si tibi nocuerint, ne hiſcere quidem tibi licet; nam Vitia infelix mater necata eſt, quod filii necem fleuiſſet. [l] Si forte aliquid poſſides, quod illis placeat, ne expectes, vt rogent, quia Valerius Aſiaticus ob hortorum ſuorum magnificentiam, quorum cupiditas Meſſalinam inceſſerat, extinctus eſt. [m] Et pauper ille Nabor, quia vineam ſuam negauerat, lapidibus obrutus fuit. [n] Nunquam intermittantur gratiarum actiones, hæcque omnium ſit colloquiorum clauſula, etiamſi nulla ſit occaſio, nullumque meritum, cur gratiæ agantur, id enim percommode Seneca ſuo docuit exemplo, cum idem cum ſuo diſcipulo Nerone nunquam non effecerit. [o] Quo honorificentioris, & amplioris es fortunæ, eo cautior eſſe debes, [p] diuitiarum ſiquidem amplitudo P. Anteium ad mortem ſibi conſciſcendam coegit. [q] Fama etiam militaris virtutis effecit, vt Oſtorius Scapula interimeretur. [r] Rara item ac ſingularis Thraſeæ virtus ipſum ad mortem pertraxit. [ſ] Vnde noſter auctor inquit, Nerone imperante, *ignauiam pro ſapientia habitam fuiſſe.* [t] Ne exprobres vnquam dominantibus obſequia præſtita; aut beneficia in ipſos collocata: imo quidquid effeceris, totum id ab ipſorum amplitudine atque autoritate manauiſſe, profiteare: quo Silius errauit. [u] Inuidiam deuita, & magiſtratu perfunctus aliquo, ad principem reuertens, comitatum nimium abiice; hoc enim vt neglectum obfuit Piſoni. [x] Sic cautiori Agricolæ obſeruatum profuit: qui ab Anglia rediens, vrbem noctu ingreſſus eſt. [y] Quod idem effecit Pompeius, vt conciuium inuidiam effugeret. [z] Ne ſplendido, pompoſisq; veſtibus ornato famulitio, principis inſtar, vtare, quia hoc Domitianus neq; in fratris ſui genero tulit. [a] Et Salomon inquit, *Ne glorioſus appareas coram rege.* [b] Neq; nobilitatem tuam coram principe iactes, nam Caligula, *Vnus eſto*, dixit, *rex, vnus dominus.* [c] Marſus Syriæ proconſul, Agrippæ, regibusque pleriſque, qui illi obuiam iuerant, iuſſit, vt vnusquiſq; domum ſuam iret. [d] Ne oſtendas, vitam filii tui tibi chariorem eſſe, quam regis vitam: nam quid Xerxes Pythio Lydo dixerit, feceritq;, quod ex quinq; filiis vnum ab expeditione bellica retinere voluiſſet, non ignoramus. [e] Innumera monita adnecti poſſent, verum quicunque ponderabit hæc, naturam, moresq; principum obſeruans, alia per ſemetipſum nullo negotio reperiet. Neque quiſquam dicat, quia noſtri principes neq; Domitiani, neq; Nerones eſſe videntur, neq; cæteris, quos diximus, ſimiles exiſtunt, hęc pręcepta ſuperuacanea eſſe: nam etiamſi propter errata huiuſmodi capitis non damnaberis; tamen cõpertiſſimum tibi erit, non propterea apud eos

[h] Guicc.
[i] lib. 4.
[k] lib. 4.
[l] lib. 5.
[m] libr. 11. in fine.
[n] lib. 3. reg. c. 12
[o] lib. 14.
[p] ibid.
[q] lib. 16.
[r] ibid.
[ſ] ibid.
[t] in Agric.
[u] libr. 4.
[x] lib. 3.
[y] in Agric.
[z] Plut. in Pomp.
[a] Tranq.
[b] parab. 25.
[c] Suet.
[d] Ioſeph.
[e] Herod. l. 7.

te gratioſiorem fore. Et prudentiſſimus is exiſtimabitur, qui cum principe ſuo omni dexteritate atque cautione verſabitur.

Ex hominibus minimæ famæ ac probitatis bona ſæpe conſilia prodiiſſe.

DISCVRSVS II.

IAm diſſeruimus alibi, nonnullos principum aut meliores aut peiores, quam communis opinio ferebat, euaſiſſe.[a] Sed neq; deſperandum eſt, quin ab homine, qui improbus habeatur, aliquando bona aliqua ſententia proficiſcatur, quemadmodum accidit in Iunio Ruſtico, qui componendis patrum actis à Tiberio delectus fatali quodam motu ſemel Coſſ. monuit, ne in cauſa Agrippinæ & Neronis relationem inciperent, diſſerebatq;, *breuibus momentis ſumma verti poſſe, dandumq; interſtitium pœnitentiæ ſenis*: quo ſermone omnes in admirationem rapuit, cogitantes, qui fieri potuerit, vt ex ore illius talia prodirent; *neque enim* (inquit autor) *antea ſpeciem conſtantiæ dederat*.[b] Simile à Liuio refertur adnotatu dignissimum: nam cum diſputaretur in conſilio Achæorum, num contra Nabidē arma ſuſcipienda forent, nec ne, Philippus Macedonum rex profeſſus eſt, dempturum ſe eis curam, modo tantum pararent militum, quantum ad Oreum, & Chalcidem, & Corynthum tuenda ſatis ſint, vt ſuis ab tergo tutis, ſecurior bellum Nabidi inferret, & Lacedæmoniis. Non fefellit Achæos, quo ſpectaſſet tam benigna pollicitatio, auxiliumq; oblatum aduerſum Lacedæmonios; Id quæri, vt obſidem Achæorum iuuentutem educeret ex Peloponneſo ad illigandam Romano bello gentem; & id quidem coarguere Cycliades prætor Achæorum, nihil attinere, ratus, id modo cum dixiſſet, *Non licere legibus Achaorum de aliis rebus referre, quam propter quas conuocati eſſent, decreto de exercitu parando aduerſus Nabin facto, concilium fortiter ac libere habitum dimiſit, inter aſſentatores regios ante eam diem habitus.*[c] Adeo vt nunquam videatur de quoquam deſperandum, vtut flagitioſus & vitioſis opertus eſt, quin aliquando verbis aut factis malam de ſe exiſtimationem corrigere atq; cohoneſtare poſſit: quemadmodum neq; debet quiſquam adeo ſibi fidere, quod bonam antehac nominis ſui famam parauerit, vt æque bonis moribus in poſterum viuendum ei non eſſe putet: vnde non ſine admiratione legendum eſt, quod de Vitellio ſcribunt, poſtquam more maiorum, ſummaque virtute prouincias rexiſſet, poſtea Romæ aut timoris, alteriuſve rei cauſa itaque abſurdæ erga Impp. adulationi ſeſe dedidiſſe, vt apud poſteros turpiſſimum impudentiæ atq; aſſentationis exemplum exhibuerit, *& iuuentutis bona per flagitioſam ſenectam obliterauerit.*[d] Contrarium vero in C. Valerio Flacco obſeruandū eſt, qui cum ob adoleſcentiam negligentem, luxurioſamq; L. Flacco fratri germano, cognatiſq; aliis ob vitia inuiſus eſſet, creatus Flamen à P. Licinio Pont. Maximo, ita repente exuit antiquos mores, vt nemo tota iuuentute haberetur

prior,

[a] *lib. 3. diſc 11.*
[b] *lib. 5.*
[c] *lib. 32.*
[d] *Tac. l. 5.*

prior;& cunctis probatus, ad plurimas reip. dignitates eius famæ conſenſu elatus eſt. Neque procul ab hoc argumento diuagabor, ſi aſſeruero, quemadmodum poſſunt ob allata exempla nonnunquam ab improbis bona conſilia,& honeſta facta proficiſci ; ſic cuiquam viam præcludendam non eſſe , vt ad bonam frugem reuertens amiſſæ honeſtatis famam recuperare,vitæq; anteactæ ignominiā emendare poſſit. Idcirco cum Fabius contra concilium retuliſſet , vt deliberaret , quid de Caſſio Altinio Arpinate agendum eſſet , qui prius deficiens à Romanis,poſtea Arpos,ſi ſibi præmium foret , ſe proditurum eſſe, promittebat:vbi maior pars pro transfuga eum verberandum;negandumq;eſſe,cenſebat,vt ad Faleriorum, Pyrrhive proditorem tertium transfugis documentum eſſet : prudentiſſimus Fabius contra ea dixit,imo documentum poſteris ſtatui oportere, ſi quis reſipiſcat,& antiquam ſocietatem reſpiciat : *quod ſi abire à Romanis liceat, redire ad eos non liceat,cui dubium eſſe, quin breui deſerta ab ſocijs Romana res ſœderibus Punicis omnia in Italia vincta viſura ſit.* [e] Hinc perſpicue apparet,vt iræ, atq; ſæuitiæ obuiam eatur,eo magis nos ad miſericordiam propendere debere erga illos,qui olim nobis noxii tandem ad ſanitatē redierunt : perinde vt Romani erga Cerites veniam petentes faciendum putauerunt , qui non tantum præſentem cauſam reſpexerunt,ſed etiam antiqua beneficia , *vt maleficii,quam beneficii potius immemores eſſent.* [f] Hæc ſunt præcepta,quibus Deo, hominibuſque gratam operam nauamus : videmus enim humanas gubernationes à diuinis non valde abſimiles eſſe, imo ſecundas quodammodo agere , quemadmodum exemplis comprobatum eſt; vnde ſanctus,doctuſque Præſul Auguſtinus inquit, vſuuenire,*vt talem aliquando, tanquam hoſtem lædamus, quem paullo poſt fratrem eſſe noſtrum, comperturi ſumus.*

[e] lib.24.

[f] lib.7.

Nihil eſſe leuius,quam auræ populari fidere.

DISCVRSVS III.

AVram popularem infidam,minimæq; certitudinis eſſe, omnes pene autores conteſtati ſunt,inter quos noſter autor exemplum Agrippinæ, & Neronis afferens,ea verba ſcripſit, *Simul populus effigies Agrippinæ, & Neronis gerens circumſiſtit curiam.* [a] Qui tamen populus nihil quicquam obſtitit , quin haud multis poſt diebus vterq; malum exitum ſortirentur. [b c] Eadem vulgi leuitas,& inconſtantia in Galba patefacta eſt, cui vulgares applauſus & blandimenta nihil profuerunt. [d] Imo contra Othonem orauit Vitellius tanquam apud alterius ciuitatis Senatum , populumq;. [e] Erga Vitellium ſimiles obſeruantur applauſus, dū inimicos eius necandos,& occidendos eſſe populus clamabat. [f] Ratio autem leuitatis huius eſt, quia nullam firmitudinem in conſiliis habet, & breuibus amoribus ab altero ad alterum fouendum facile tranſit, modo fortuna vertatur: Vnde dictū fuit,populum , *quæcunq; Vitellij cauſa effecerit, eadem erga Veſpaſianum*

[a] lib.5.
[b c] ibid. & Dion.l.58.
[d] Tacit. l. 17.
[e] ibidem.
[f] lib.19.

[g] ibid. *effecturum.* [g] Poſſet conſiderare non nemo, fauorem, auramque populi, qui ſuam libertatem amiſit, perniciosum magis, quam vtilem eſſe, at non item de populo, cuius integra ſit libertas, enuntiari poſſe, qui cum voluntati adiunctas vires habeat, poteſt erga eos, quos ſemel ſuſcepit colendos, conſtantiam, fidemque ſeruare. Quod tamen ipſe nego, cum eadem ſit vtriuſque leuitas, quemadmodum in Populo Romano erga M. Manlium compertum fuit, qui ſaxo Tarpeio deiiciendus, & poſtea deiectus, nullum a populo, quem implorabat, auxilium ſenſit. [h] Nulla ergo ſpes in populo collocanda eſt: Neque tamen eos, qui penitus ipſum aſpernantur, recte facere dixerim; nam quemadmodum ſi quis militum beneuolentiam malis artibus acquiſiuerit, laudem nullam promeretur, ſed *bonis artibus ipſorum animos conciliare non dedecet,* [i] ſic virtute, & propter virtutis fines publicum amorem ſibi quærere, honeſtum conſilium eſt, & Tacitus alibi de Senatu, & Populo loquens appellat, *nunquam obſcura nomina.* [k] Verum hæc ſerio pertractemus; populus enim arenæ inſtar leuiſſimus eſt: Itaque diſtinguamus; Aut populus liber eſt, aut ſubiectus: ſi ſubiectus eſt, ambiẽs ipſius auram contra reipub. ſtatum, rerumque naturam peccas, quia cum in vno principe ſalutis ſpem collocare debeas, populum reſpicere mauis, cui quicunque innititur, is, vt ruat, neceſſe eſt: quod iis non vſuuenit, qui ſolum principem reſpiciunt, & ab eo tantum dependent. Hoc autem ipſum in Cotta Meſſalino perſpectum eſt, qui cum dixiſſet, ſi M. Lepidum, & L. Aruntium, quibuſcum ob rem pecuniariam diſceptabat, Senatus defendiſſet, fore, vt ipſum tueretur Tiberiolus, recognouit, ſpes ſuas fallaces fuiſſe. [l] Iam diximus homini politico principum mores non debere inexploratos eſſe. [m] Qui principes cum ipſimet obſeruari, populos autem præteriri velint, ægre ferre ſolent, ſi filii ſui, nedum cæteri poplicolæ ſint, *diſplicere regnantibus ciuilia filiorum ingenia.* [n] Tacitus harum differentiarum diligentiſſimus explorator, neque minus ad eas docendas ſollicitus magiſter, nonnullorum ignorantiam oſtendit, qui temporum obliti, neque loca diſtinguentes, in ſuis, & in alienis rebus valde aberrant, quemadmodum Mutinenſes, dum arma, & pecuniam offerrent, arguit, quia oppreſſi timore *appellabant patres intempeſtiuo honore.* [o] Igitur manifeſta imprudentia eſt, aliquid magnifacere, cum aliquid aliud pluris faciendum eſt, maxime ſi tota ſpes in eo collocetur. Si vero populus liber eſt: tunc aut rempublicam pauci regunt, aut plures; ſi pauci, eadem ratio eſt, quæ in principatu, quia idem autor (ne cæteros politicos ſcriptores attingamus) dixit, *paucorum dominationem regiæ libidini propiorem eſſe.* [p] Quod ſi reſpublica omni ex parte popularis eſt, quibus artibus popularem auram captas, ſi contigerit, vt in alium non minus, quam tu callidum incidas, per eaſdem artes idem populi amor tibi eripietur: Quod vel maxime confirmatur M. Menenii, & Lucii Publii tribb. plebis exemplo, qui ſurgentem Manlii coniurationem omnino elidere conantes, tandem inter ſe ipſos conuenerunt, omittendum eſſe Manlium, dum cum plebe coniunctus eſſet; eam ab ipſo ſegregandam eſſe, imo ipſius plebis auxilio inuadendum, vt ſuis

[h] Liu. lib. 6.
[i] lib. 17.
[k] lib. 18.
[l] lib. 5.
[m] l. 4. diſc. 8.
[n] lib. 2.
[o] lib. 18.
[p] lib. 5.

viribus

Viribus rueret, perpendentes, *nihil eſſe minus populare, quam regnum.* q Iiſdem artibus Cato plebem à Catilina ſeiunxit, dum Senatum conſuluit, vt per eoſdem Catilinæ aſtus plebis vota conciliarentur.[r] Neque opportunius præceptum inuenitur, cum abſurdæ rei alicui, quæ in aliquo reipublicæ ſtatu inualuerit, remedium adhibendum eſt, quam earum inſtrumenta, viaſque artium intercidere, quibus ad eam autoritatem quiſquam peruenire potuit: nam conſilium illud, cum reipublicæ incommoda, & abſurditates iam inualuerunt, tunc temporibus parendum eſſe, & procraſtinandum potius, quam reſiſtendum, non ſemper ſanum, laudandumque videtur.

[q] *Liu. lib. 6.*
[r] *Plut. pol.*

Malos principes conſcientiæ flagello ſatis puniri.

DISCVRSVS IV.

VEriſſimum eſt, principes poſſe, quia legibus ſoluti ſunt, viuere atque agere, vt libet,[a] neque enim Deus illos cuiquam ſubditos eſſe voluit: ſed nihilominus cum vitioſe, aut crudeliter agunt, nemo credat, illos impunitos eſſe, aut eo maioribus ipſos non affici ſuppliciis, quo ea minus apparent, quove ab altioribus principiis originem ducunt: tunc enim acrioribus ſtimulis animus ipſorum dilaniatur, quemadmodum Tiberii epiſtola quædam ad Senatum ſcripta oſtendit, in qua, *Quid ſcribam*, inquit, *vobis, P. C. aut quomodo ſcribam? aut quid omnino non ſcribam hoc tempore? Dii me, Deæque peius perdant, quam perire me, quotidie ſentio, ſi ſcio. Adeo*, ſubdit autor, *facinora, atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant: neque fruſtra præſtantiſsimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus, & ictus, quando vt corpora verberibus, ita ſæuitia, libidine, malis conſultis animus dilaceretur.*[b] Hic autem ſapientiſſimus Philoſophus Plato eſt, apud quem tyrannus ſeruus dicitur, cupiditatum ſceleſtiſſimarum adulator, nunquã ſibi acquieſcens; quod ſi quis eius animi penetralia ingredi, & introſpicere poſſet, proprio timore, & anxietate oppreſſus, rerumque innumerarum indignus appareret.[c] Verum quia quo propinquiora ſunt pericula, eo videntur magis animos timore percellere, ideoque proximis, & minus remotis commouemur magis, quam antiquis exemplis; operæprecium eſt diſpicere, quid Italus autor, Tacito, niſi deterreat antiquitas, minime poſtponendus, hac de re opinetur, qui de Alphonſo Neapolis rege refert, *Certum, exploratumq́; eſſe, Alphonſum conſciẽtiæ ſuæ viribus tortũ, noctu diuq́; nullã animæ requiem habuiſſe, vnde iam necatorũ principũ vmbras, populumq́; contra ſe ſupplicii poſcẽdi cauſa concitatũ per ſomnũ videre ſibi videbatur, & fugæ ſuæ conſilio cũ nouerca regina tantummodo cõmunicato, quod eiuſdem reginæ precibus, neq́; fratri, neq́; filio reuelari voluit, neq́; biduum triduumve expectare, quo regni ſui annum integrum expleret, fugæ ſe dedit qua-*

[a] *Ariſt. 3 pol.*
[b] *lib. 5.*
[c] *lib. 9. de rep.*

tuor comitatus triremibus pretioſiori ſupellectile regia onuſtis; in ipſo autem diſceſſu tantum de Gallis terrorem animo conceperat, vt ab iis iamiam circumdatus ſibi videretur, adeo vt minimum ſtrepitum exaudiens facile conuerteretur: ſic, quaſi timeret, cœlum, & elementa fœdus contra ſe iniuiſſe, Mazariam Siciliæ municipium, quod antea Ferdinandus Hiſpaniæ rex eidem elargitus fuerat, nauigauit. [d] Hæc ſunt hiſtoriarum Guicciardini monumenta, quibus ſimilia item in Neronis animo comperta fuere, qui perfecto Agrippinæ matris necatæ ſcelere, eius noctis reliquo, modo per ſilentium defixus, ſæpius pauore exſurgens, & mentis inops lucem operiebatur, tanquam exitium allaturam: & quamquam adulatores, quod ſui muneris erat, perficiebant, templaq; adibant, quaſi de periculo, quod princeps euaſiſſet, gratias acturi, ipſe inquietas noctes tranſigebat, & quia *non vt hominum vultus, ita locorum facies mutatur, obuerſabatur maris illius, & littorum grauis adſpectus, & erant, qui crederent, ſonitum tubæ collibus circumeditis, planctuſq; tumulo matris audiri.* [e] Rerum ſimilitudo me vel inuitum trahit, vt Herodis animi pauores repræſentem, cum Mariannem vxorem ſuam interfecit: qui ſine ſatellitio vllo, ſine extrinſeca vlla vi, à nemine in ius vocatus, ſed ex ſe ipſo ſe accuſans, & condemnans, noctes, atque dies exagitabatur, & rabidi hominis inſtar, ſemper Mariannem inuocans, furiebat: quo tormento ſe immunem fore, ſperans, ſi conuiuiis, tripudiiſque indulgeret, paullo poſt animaduertebat, ſine vxore accerſitas illas voluptates ſibi amaras fieri, fletuſque cauſam adaugere: demum quaſi amentatus, cum ſterneretur menſa, ſeruis, miniſtriſque ſuis iubebat, vt reginam aduocarent, & quaſi ceſſantem accedere mane, iterum veſperi iubebat, vt eam vocarent. [f] O moras longas, tædiique pleniſſimas, ô miſerum Herodem, & quamdiu expectaturum. Marianne per ſcelus, ſæuitiamq; tuam necata iacet in ſepulchro, & quam in oculis ferebas, imo oculis anteferebas, vitaque ipſa chariorem habebas, modo vermibus eſcam dat. Reuera fuit illa aduerſus te aliquantum peruicax, & ſuperba: ſed quænam etiam viliſſima ancilla ob eximiam pulchritudinem non ſuperbit? Eius pudicitiæ, animi magnitudini, regum vnde oriunda erat, nobilitati nonnihil tua feritas concedere debebat: Quod ſi fratrem, agnatos interfeceras, regno, & pontificatu gentem eius ſpoliaueras, mirandum tibi non erat, quod tot anguſtiis circumſepta erga te aliquando minus blanda, & hilaris eſſet: ecce iam illam occidiſti, deinde reditus eiuſdem moraris, tibique ipſi carnifex torqueris. Ex quibus iam quotus quiſque non credet, principes, quos Alphonſus occiderat, reuixiſſe, & non in ciuitate tantum regali, ſed in ipſa regia arce pro tribunali conſediſſe, ibique coram rege ipſo eundem regem vmbras illas condemnauiſſe, regnoque declarauiſſe indignum, quodque priuatis concedi ſolet ſpatium temporis, vix regi permiſſum fuiſſe, vt conuaſatis rebus ſuis è regno excederet? ſunt hæc monita, & exempla vera, non poëtarum fabulæ, duobus Cæſaribus, & altero Iudææ, altero Neapolitano regibus comprobata.

[d] lib. 1.

[e] lib. 14.

[f] Ioſeph. de antiquit. Iudaor.

De antiquorum religione ad vulgi captum.

DISCVRSVS V.

INter pulchriores, quas Tacitus inſtituit, diſſertationes,[a] pulcherrima mihi ea viſa ſemper eſt, quam de fato interſerit, *num ſcilicet res mortalium fato, & neceſſitate immutabili, an ſorte voluantur:* nam ibi poſtquam eorum opinionem recitaſſet, qui diuinam prouidentiam reiiciebant, quia pleroſque probos miſeriis premi, pleroſque malos felicitate frui viderent, ad diuerſam opinionem tranſit eorum, qui fatum interpretabantur ſimul cum arbitrii libertate: quodque cum Chriſtiana doctrina bene cõgruit, ſubdit, *neq; mala, vel bona, quæ vulgus putet; multos, qui conflictari aduerſis videatur, beatos, at pleroſque, quãquam magnas per opes, miſerrimos, ſi illi grauem fortunã conſtanter tolerent, ſi proſpera inconſulte vtantur.* Quod antea magna ex parte à Platone dictum eſt, cum dixit, virum probum, quia temperatus, & iuſtus eſt, ideo felicem eſſe; iniuſtum vero, ſiue is magnus, robuſtus, paruus, debilis, pauper, diues exiſtat, ditiorque Cynira, Midave, ſemper infelicem, miſerumque eſſe.[b] Quam Taciti, & Platonis, cæterorumque autorum eadem ſentientium aſſertionem quoties perpendo, facere non poſſum, quin eos reprobandos putem, qui eo quia Romani Chriſtianam fidem ignorarunt, parum ipſos religionis ſuæ obſeruantes fuiſſe, crediderunt; quemadmodum videtur autor quidam vellé probare, quaſi Romani, prout neceſſitas requirebat, religionem inflecterent, commodiſque, & occaſionibus accommodarent, vnde pene docere nititur, nos etiam idem facere poſſe. Quod, vt clarius dignoſcatur, pauca quædam eius verba attexam; quæ ad Chriſtianos principes directa, deque religione tractantia ſunt hæc;[c] *Debent, inquit, omnibus, quæ in fauorem religionis emergunt, fauere, & pondus, autoritatemque addere: quod eo magis faciendum ab ipſis eſt, quo prudentiores ſunt, rerumque naturalium peritiores: quia vero modus hic à ſapientibus obſeruabatur, ideo opinio miraculorum orta eſt, quæ etiam in falſis religionibus celebrantur; quæ vndecunque exeant, adaugenda ſunt.* Quæ opinio, moduſque loquendi magis vafrum, ſagacemque, quam religioſum, atque moralem hominem decet, cuius mores cum ſimplicitate, ac puritate coniuncti ab omni fraude abhorrere debent. Sed profecto nihil eſt aliud fraudare, quam rebus perſonam quandam imponere: mihi autem non tantum falſum videtur, Romanis religionem fuiſſe contemptui, ſed etiam profiteor, illo diſcurſu ſemen quoddam religione abutendi, deque ea minus legitime, ac decenter ſentiendi anſam præberi. Idcirco hoc opere meum inſtitutum erit, oſtendere, huiuſmodi opiniones in veritate hallucinari: Et quia ſcripſit ille, à Romanis auſpicia pro vtilitate reipublicæ declarata, & accepta fuiſſe, & religionem apud eos artem quandam, & prudentiæ partem fuiſſe; iam me eidem antehac oppoſui, dum

[a] lib.5.

[b] lib.2.de legib.

[c] lib.1.c.12.

[d] *l. 2. diſc. 2.*

profeſſus ſum, Romanos à religione pependiſſe, non à Romanis religionem. [d] Sed in præſens denuo memet opponens, vbi de religione Romanorũ loquitur, operæprecium mihi viſum eſt hoc loco craſſa Minerua diſſerere, quid ſit religio, ſaltem vt patefaciam, ſi Romani in ipſa decepti fuerunt, quod negari non poteſt; id à ſe ideo non fuiſſe factum, vt cæteros, multo minus vt ſe ipſos deciperent. Dico igitur, religionem nihil aliud eſſe, quam rerum diuinarum ſcientiam, perinde vt ſi quid ſit phyſica, interrogemus, reſpondeatur, eam ſcientiam eſſe rerum naturalium: ſcientia vero rerum diuinarum eſt, pro re comperto habere, Deum eſſe, cognoſcere ea, quæ humano intellectui cognitu ardua ſunt, quid ſit Deus, quomodo adorandus, quomodo orandus, &c. Talis vero ſcientia eſſe Deum, & eſſe cœleſtem aliquam in rebus omnibus creatis potẽtiam, adeo communis opinio eſt Chriſtianorum, Iudæorum, Maumetanorum, & idolatrarum, (niſi quod hi plures conſtituunt Deos) vt iure Athenienſes Diagoram expulerint, quod auſus fuiſſet ſcribere, neſcire ſe, an Dii eſſent, necne, aut ſi eſſent, quid eſſent. Hæc autem ſcientia, vel ipſius pars, ſiue rudia ipſius principia ita homini innata ſunt, vt eſt hominis proprium rationis capax eſſe, imo vt eſt ſecundum naturam eſurire, & ſitire: Quocirca cenſeri poteſt ſimul cum homine orta, cum fieri non poſſit, ſi oculos in cœlum conuertat (vnde natura illos conceſſit, vt à brutis diſcreparemus) quin extemplo perſuaſio quædam animis innaſcatur, ingentis huius, & admirandæ machinæ aliquem fuiſſe maximum architectum: ex cuius machinæ conſtructione quemadmodum coniiciendum eſt, eum potentiſſimum, maximum, & ſapientiſſimum eſſe; ita etiam dum cernimus, quo ordine cœlum conſeruetur, eiuſque influxibus inferiora gubernet, ſtatim iudicabimus, eum non tantum bonum eſſe, ſed etiam ſummam, excelſam, ineffabilem bonitatem: & pedetentim procedentes, cum bonum ipſum fatemur, nunquam credere poterimus, non eidem mala opera valde diſplicere; credentes autem potentiſſimum, nunquam ſuſpicabimur ea impunita relictum iri. Dum vero pleroſque tyrannos, & potentiores feliciter viuere cernimus, & quotidie feliciores eſſe; credendum eſt, alibi rationem reddituros: proinde apud cunctos fere populos non ſolum ea viguit opinio, eſſe Deum, ſed eſſe etiam deſtinata quædam loca, vbi præmia, pœnæque merentibus diſtribuantur. Quemadmodum autem vbique nemo non credidit, Deum viuere, neque de eius bonitate, atque potentia vſquam dubitatum eſt (eſſet enim, vt puto præter naturam, ſi quis Dei abnegator reperiretur) ita plerique in ipſius definitione errauerunt: nam alii Solem eum eſſe, dixerunt, alii ignem: Thales dixit, mentem mundi eſſe; Anaximander ſtellas; Democritus animam mundi, alii aliud. Et ſicuti qui littora relinquit, quo longinquius nauigat, eo magis ab iis recedit, ita non defuerunt, præſertim vetuſtioribus, & Romanorum temporibus plurimi, qui non vnum, ſed plurimos eſſe Deos opinati ſunt, qui mundum totum regerent, tametſi inter hos vnum cæteris præfecerunt, quem Iouem diuûm, atque hominum patrem nuncupauere. In tanta autem diuerſarum opinionum fluctuatione in-

concuſſe

concuſſa remanſerunt quædam fundamenta de Dei potentia, & bonitate non minus, quam de prouidentia, quam ſigillatim de rebus inferioribus gerit, de animorum immortalitate, de voluntatis libertate, de præmiis, pœniſque æternis, etiamſi in hoc quidam diſſenſerunt Quamobrem quiſquis naturali diſcurſu, ſoloque hiſtoriarum lumine ductus ad has res examinandas animum intenderit (namque nos Chriſti fideles harum diſſertationum non indigemus, cum veritatem nemo noſtrum ignoret) ad certam veriſſimamque deueniet cognitionem, nihil eſſe dubitandum, quin principio vna tantum religio fuerit, quæ à Deo ipſo ſtatim poſt mundi creationem generi humano affixa, atque inſita fuit: cui rei adſtruunt poëtarum libri, qui à ſcriptoribus ſacris in pleriſque, vt in diluuiis, gigantibus, eorumque bello, & quampluribus aliis minime diſcrepant: quæ religio, quamquam per partes altera facta fuiſſe videtur, nunquam tamen adeo deformata fuit, quin ipſius effigies vera, ac lineamenta diſcernantur. Quod videtur maxime comprobari ex eo, quod ſimiliter accidit in religione, quam Chriſtus Dominus noſter ſeuit: Nam cum toto fere terrarum orbe ſuſcepta fuiſſet, ſtatim nihilominus plurimæ hæreſes enatæ ſunt, naturam, & eſſentiam Chriſti diuerſimode aſſerentes, eiuſque doctrinam varie interpretantes, cum tamen omnes conueniant, etiam Mahumetanus ipſe, eundem Ieſum Chriſtum ſanctiſſimum, ſapientiſſimum, rerumque mirandarum effectorem fuiſſe: adeo vt ſi adorationem excipiamus, quæ, cum plures Dii adorantur, idololatria dicitur, & demptis ritibus, ac differentiis quibuſdam, in cæteris cognoſcatur, priſcam gentilium religionem à Iudaica non valde differre. Et quiſquis Romæ ſancitas N. Pompilii leges conſiderat, & rurſus Moyſis inſtitutiones prælegerit, tantam inter eos ſimilitudinem deprehendet, vt (niſi hæc Diaboli inuentio fuerit, quaſi vt Deus vellet ipſe adorari) difficile ſit inficias ire, Iudaicas ceremonias per Numam Pompilium expilatas fuiſſe. Inter cætera, quæ propter diuerſas religiones euerſa fuere, præcepta naturæ vt plurimum intacta remanſerunt; vnde non minus apud gentiles, quam apud Iudæos, & Chriſtianos vetatur homicidium, item matrem, filiamve cognoſcere, furari, alteri quomodocunque nocere. Quod ſi morales leges ab omni mendacio nunquam abhorruerunt, nihil dubitandum, quin pariter religio, vtpote legibus omnibus nobilior, & donum Dei, cuncta, quæ per ſe ipſa deteſtabilia ſunt, improbet, damnetque. Hinc nemo legiſlaturam aggreſſus eſt, quin prius probe conſiderauerit, ſuas Deo, atque naturæ leges accommodandas eſſe; quia priuſquam ædificarentur ciuitates, hominumque cœtus congregarentur, in ipſis campis, & cauernis religionis inſtinctus aderat; ideoque ſi quis religionem politicæ vitæ accommodandam eſſe, dixerit, perinde eſt, ac ſi dicat, anni conſtitutiones, vt hyemem, æſtatemve, hominibus accommodandas eſſe, non homines ipſis. Quod ſi quis aliter aliis temporibus factum fuiſſe, ſiue interpretatum contenderit; is omnino ſibi perſuadeat, aliquam ibi aut vim, aut fraudem non defuiſſe. Cambyſes ſororis amore

captus, cum inhoneſtam hanc cupiditatem Deorum voluntate, & religionis inuolucro velare cogitaret, ne ſceleſtus, & contra Deorum voluntatem feciſſe videretur, Magos interrogari, iuſſit, num aliqua reperiretur lex, quæ cũ ſororibus concubitum permitteret. Regii iudices, cum ſeſe iamiam morituros ſuſpicarentur, ſi forte legem talem reperiri negarent, ſcientes ſororio illum amore flagrare, cum manifeſtum profari mendacium nollent, aliud paullo inhoneſtius (ſi animum ipſorum attendamus) protulerunt, videlicet affirmantes, verum eſſe, eiuſcemodi commixtionem nulla lege probari, ſed etiam compertius eſſe, Perſarum reges omnibus legibus ſolutos eſſe; vnde mos apud Perſas inualuit, vt ſorores in matrimonium ducerent. Quod exemplum auide ſequuti fuere Alexandri Magni ſucceſſores in Ægypto. Hæ interpretationes apud Turcas non difficulter inueniuntur, vna præſertim, quæ marium concubitus adſtruit, nam cum ipſi æque ac Chriſtiani turpitudinem hanc diuinitus deteſtabilem habeant, tamen fraudem legi facientes, interpretationem quandam ſomniauerunt, qua ſe poſſe, aiunt, quomodolibet rebus bello quæſitis abuti; vnde voluptatem huiuſmodi iure belli comparatam legi minime contrariam eſſe prædicant. Hoc non fecerunt vetuſtiores Romani, qui quotieſcunque cupiditatibus ſuis ſatisfacere voluerunt, nunquam Deorum voluntatem ſinixtre interpretati ſunt, aut ſi forte nonnulli id aliquando auſi fuerunt, pro ſummo flagitio habitum fuit. Proinde ii neque exemplo, neque documento eſſe debent, eoque inhoneſtiores hæ artes erunt, quo cum mendacio coniunctiores. Quod autem Romani minime omnium abuſi fuerint religione, & alibi diximus, & quoties hoc ſe argumentum offeret, ſæpius lectorem commonere non deſiſtemus, vt, cum patefactum fuerit, hanc de Romanis opinionem falſam eſſe, caueat vnuſquiſque princeps, ne ad huiuſmodi conſilia animum intendat, mentiſque ſuæ generoſitatem iis inficiat, habeatque pro comperto, ſicuti religio, humanis artibus vt augeatur, non indiget, ſic mendacium nemini conducere. Romanis autem nunquam non ſeruile, abiectique animi vitium mendacium fuit.

Ob indigna principum matrimonia quantum ſubditi triſtentur.

DISCVRSVS VI.

SI quis principes inſtar Deorum mortalium eſſe autumet, is profecto non longe à veritate aberrabit: nam ab iis honor & vtilitas, duę res tantopere à mortalibus æſtimandæ, proficiſcuntur. Ideo à ſubditis vt plurimum diliguntur, quodq; filio pater eſt, quod vxori vir, quod diſcipulo magiſter, idem eſt ſubdito dominus:

Proinde perleganter poeta ille dominorum charitatem cum vxoria charitate comparauit. Hinc etiam fit, vt ſubditi, quibus nulla fortaſſe eſt ſuos amandi principes occaſio, tamen eos ſe diligere ſimulent, vſque adeo vt ſine ipſorum præſentia viuere ſe non poſſe profiteantur: Quare cum Tiberius in inſulam Capreas ſeceſſiſſet, Senatores crebris precibus ipſum, & Seianum *efflagitabant, ſui viſendi copiam facerēt.*[a] Ille etiam bipedum peſſimus Nero de ſe ipſo Romam reuerſus ſimulanter ait, *vidiſſe ciuium mœſtos vultus, audire ſecretas querimonias, quod tantum aditurus eſſet iter, cuius ne modicos quidem egreſſus tolerarent, ſueti aduerſus fortuita adſpectu principum recreari.*[b] Hoc procemiolo vſus ſum, vt principes ex eo, quod plurimum accidit, putantes, ſe ſubditis ſuis charos eſſe, per conſequens nō ignorent, quemadmodum ſubiecti populi de victoriis ipſorum, de magnitudine, de probitate mirifice lætantur, ſic de ipſorum quibuſcunq; iacturis, & de qualibet exiſtimationis ipſorum diminutione vehementer perturbari. Inter cætera vero hoc ſubditos maximo mœrore afficere conſueuit, cum videlicet ipſi principes indigna ſe matrimonia ineunt; quemadmodum in Vrbe accidit, cum Iulia filia Druſi, qui Druſus Imperatoris Tiberii filius fuerat, nupſit Rubellio Blando, cuius auum Tybure oriundum pleriq; inter equites Romanos recordabantur: ideoq; Tacitus, poſtquam Romanorum calamitates quaſdam recenſuit, *tot luctibus*, inquit, *funeſta ciuitate, pars mœroris fuit, quod Iulia Druſi filia quondam Neronis vxor denupſit in domum Rubellij Blandi, cuius auum Tyburtem equitem Romanum pleriq; meminerant.*[c] Hæc autem Iulia iam vxor Neronis, filii Germanici, fuerat: Et quemadmodum matrimonium illud tum temporis Populo Romano pergratū; ſic contra, cum indigniſſimum alterum idem populus cerneret, nubente filia Seiani filio Claudii Cæſaris, vehementer iniucundæ eæ nuptiæ fuerunt, vtque inquit autor, *aduerſis animis accepta.*[d] Quia inter annales Taciti ingens quidam hiatus eſt, deſuntq; innumera, non poſſumus de matrimonio Seiani cum Iulia Germanici ſorore quidquam legere: ſed antea innuerat autor, quantum dedeceret, vt illa, cui auunculus Auguſtus, ſocer Tiberius, ex Druſo liberi, ſe, ac maiores, & poſteros municipali adultero fœdaret.[e] Et re vera nunquam non fuit exoſa affinitatum diſparitas, vt de Quirinio cum Lepida legimus.[f] Verum poſſet aliquis obiicere, iſta non Tiberio, ſed Auguſto imperante contigiſſe: qui ſapientiſſimus licet princeps, quem omnes gentes admirabantur, nihilominus filiæ Iuliæ M. Agrippā maritum dedit, virum quidem fortem, & ſocium victoriarum, cæterum (vt inquit autor) *ignobilem loco,*[g] talemq;, vt inſanus ille Caligula, ne ſe ipſius nepotem aſſereret, de illo ſolitus eſſet dicere, Agrippinam eius matrem non Agrippæ filiam fuiſſe, ſed ex inceſtu, quem Auguſtus cum filia commiſerat, ortam.[h] Cui rei obuiam imus, aientes, vbi maior ratio militat, ibi minores ceſſare debere. Non enim Auguſtus, vt priuignus Tiberius, æque ſecure poſſidebat imperium, neque Seiani filius, neque Rubellius Blandus Agrippæ merita æquabant, neque Roma adeo publicis tempeſtatibus turbabatur, quemadmodum eo tempore fluctuabat, cum Agrippæ matrimonium celebratum fuit: præter-

[a] Tac. l. 4.
[b] lib. 15.
[c] lib. 5.
[d] lib. 3.
[e] lib. 4.
[f] lib. 3.
[g] lib. pr.
[h] Suet. in Cal.

quam quod Auguſtum, vt illud efficeret, plurimæ cauſæ impulerunt, præſertim conſilium Mecœnatis: qui breuiter ei oſtendit, euectum adeo Agrippam, taliq; autoritate munitum, vt neceſſe eſſet, aut ipſum generum accipere, aut occidere. [i] Quin etiam ſummæ prudentiæ & generoſitati tribuitur, dominationis retinendæ cauſa matrimoniorum inæqualium indignitatem deuorare; proinde optimo iure à duce Mediolani rex Federicus reprehenditur, quod matrimonium filii ſui cum filia Alexandri Pontificis Maximi recuſans, dum ad dignitatem retinendam reſpexit, regnum perdiderit, cum tamen ſatius fuiſſet regni conſeruationem momentaneæ voluntati anteferre. [k] Neque dubitatio vlla eſt, quin inter cauſas regnorum mutationis ab Ariſtotele conſideretur matrimonii violatio, quemadmodum accidit Archelao. [l] Quod ſi Carolus primus conſanguinitatem Nicolai III. non recuſauiſſet, fortaſſe Siciliæ iacturam non feciſſet, [m] adeo vt neq; Alphonſus eo tempore primogenitus ducis Ferrariæ arguendus eſſe videatur, quod imperii ſui ſeruandi cauſa Lucretiam Borgiam, alioqui propter immenſam ducis Valentini ambitionem periturus in vxorem duxerit. [n] Igitur ſicuti non debet princeps abſq; vrgente neceſſitate indigna matrimonia contrahere, ita indignitatem hanc ſubire non recuſabit, cum de aliquo rei maioris periculo vitando tractatur; nam ditionibus, imperioq; conſeruato amiſſa exiſtimatio facile quidem recuperari poteſt, at ſemel amiſſo imperio, fruſtra ſe poſſe quis ſperabit exiſtimationem retinere.

[i] Dion l. 54.
[k] Guicc. l. 4.
[l] l. 5. c. 10. polit.
[m] Io. Villanus l. 7. c. 54.
[n] Guicc. l. 5.

An debeant principes ſapientes extrema, & ſumma rerum exigere, neq; mediocribus acquieſcere.

DISCVRSVS VII.

MIratur Tacitus, Lentulum Getulinum, qui legionibus Germanicis præerat, ad Tiberium ſcripſiſſe, *ſucceſſorem non aliter, quam indicium mortis accepturum: ideoq; firmarent velut fœdus, quo princeps cæterarum rerum potirētur, ipſe prouinciam retineret*; ſubdit deinde: *hæc (mira quamquam) fidem ex eo traxiſſe, quod vnus omnium Seiani affinium incolumis, multaque gratia manſit.* [a] Et reuera ſi cæteris in rebus Tiberii prudentia, & ſagacitas commendanda eſt, in hoc vel maximam laudem meretur, quia nihil deterius ac perniciosius principibus eſt, quam in extrema neceſſitate quenquam ponere. Quod ſi Tacitus, quemadmodum ſolet, paucis verbis indicare videtur, Tiberium hæc paſſum fuiſſe, quia ſe iam ad occaſum vergere, reſque ſuas magis exiſtimatione, quam vi gubernari cognoſceret; aſſerendum pariter videtur, quia vnuſquiſq; noſtrorum principum ſuis vitiis vrgetur, aut forte, quia nemo Tiberium viribus æquat, neceſſarium eſſe, vt à ſubditis indignitates perferant, ne vitæ regniq; periculum ſubire cogantur. Quod ſi ſapientis principis eſt, forti pectore amarum dedecoris alicuius calicem ebibere, vt maiora deuitet diſcrimina, ſicuti paullo ante oſtendimus, quanto magis quan-

[a]

do princeps rogatur, inſimiſq; precibus obſecratur à populis, vt aliquid elargiatur, aut permittat, promptum ſe, beneficumque exhibere debet, neque ſummum & exactum in omnibus quærere, ne, quas res cum honeſtate concedere poterat, paullo poſt maiore cum dedecore illis cedere cogatur. Cuius rei optimum teſtimonium Roboam rex Iudæorum reddere poterit, qui propter contumacia rudiaq; verba maiorem regni ſui portionem amiſit: ſed ad noſtra deueniamus. Cum animaduertiſſent Senenſes, Hiſpanos id cogitare, vt arcem communirent, ſæpe Imperatorem ſupplices rogauerunt, vt antiqua ipſorum erga imperium obſeruantia, fideq; contentus, ipſorum patriam, quaſi diffidens eidem, hoc iugo ne grauaret. Quam petitionem cum precibus nullis, nullaq; arte impetrare potuiſſent, coacti fuerunt, ſe ab Hiſpanis ſubtrahere, arcem diruere, eius pręſidiũ expellere, Gallicisq; partibus contra conſuetum ipſorum genium adhærere. Et quamuis ciuitas deinde in poteſtatem Cæſaris reciderit, tamen talis exitus cõſecutus eſt, vt Senę in alterius, de quo non credebatur, poteſtatẽ venerint. Sub idẽ fere tempus dux Octauius gener Imperatoris Caroli, patris necem, quodq; eundem titulum ducatus Parmę & Placentię nondum impetraſſet, patienter ferens, Imperatori obnixe ſupplicauit, vt ſaltem Parmæ cum dignitate ei manere liceret, cumq; totam huius rei ſpem amiſiſſet, ipſe etiam perinde vt Senenſes, ad Gallos deficere coactus fuit: quo conſilio Cæſareis partibus valde officiente, cum orta eſſet ſuſpicio, velle Cæſarem totius Italiæ dominatum arripere; tandem nihil Cęſar aliud lucratus eſt, niſi quod poſt diſpendia ac pericula pleraq; etiam Placentia duci reſtituenda fuerit, nedum Parmæ poſſeſſio ei turbaretur. Oraculum eſt, quod vulgo dicunt, *Qui ad cuncta adſpirat, eum nullius rei potiri.* Et ſapiens felixque videtur, quicunq; cupiditatibus ſuis modum, & felici fortunæ frenum imponere non ignorat. Quamobrẽ diuinum, aut vix humanum mihi videtur Scipionis opus illud fuiſſe, cum eaſdem victo Antiocho pacis cõditiones obtulit, quas, antequam vinceretur, obtulerat: *Quas pares,* inquit Liuius, *paribus ferebamus conditiones, eaſdem nunc victores victis ferimus.*[b] Habuit Carolus Cæſar Franciſcum Gallorum regem captũ in cuſtodia, cumq; de eo liberando ageretur, variæ diuerſæq; conſultationes habebantur, quibus pactis & conditionibus dimitteretur. Neq; defuere, qui magnanimitatis & clementiæ laudem ſapienter propoſuere: ſed dum vtilitas quæſita eſt, & à benignitate fortunę maior fructus, quam ipſe, quem ſponte dederat, colligi ſperabatur, nihil inde conſecutum eſt aliud, niſi moleſtiarum, odiorum, bellorum immortalium multiplicatio, quodq; maioris eſſe mõmenti videtur, perpetuum impedimentum, ne Cæſar contra infideles & barbaras nationes mirabiles progreſſus faceret. Quiſquis Græcas hiſtorias euoluerit, is intelliget, Seleucum, quia minus quam honeſte ac regie Demetrium bello captum tractauiſſet, nihil inde adeptũ fuiſſe beneficii, aut etiam laudis & honoris; quaſi fortunæ, quæ pulcherrimam gloriæ occaſionem ei obtulerat, beneficio abuſus fuiſſet. Contra, Philippo Mariæ Duci Mediolani accidit, qui cum Alphonſum Aragoniæ regem captum liberaliter dimiſiſſet, præter illuſtrem, maximamque no-

[b] Liu. l. 37.

que nominis exiſtimationem, quam eo facto nactus eſt, amicum ſibi comparauit, qui citra omnem dubitationem ſe, ditionemq; ſuam pro eius ſalute expoſiturus erat. Igitur quicunq; largiri poteſt, libenter elargiatur: qui vero cogitur ad largiendum, is inſtar Tiberii, donet, quod vendere non poteſt: Hic enim dum vires, & autoritatem ſuam contra Getulicum experiri noluit, diſcrimina mille euaſit, cumq; ſibi ſine dedecore amicum ſeruauit, conceſſis tantummodo paucis quibuſdam rebus, ne totius iacturam faceret. Coronidem valde memorabili exemplo apponam. Mauritius Saxoniæ Dux cum ab Imperatore ſe læſum profiteretur, eo quod Philippum Haſſiæ Lantgrauium captiuum diutius haberet, cui Philippo Mauritius fideiuſſerat, non fore ipſum Cæſaris mancipem perpetuum, cumq; dimiſſionem protrahi videret, deq; Cæſaris fide dubitaret, ideoque apud cæteros Germaniæ principes male audiret, quaſi amicum & affinem prodidiſſet, adeo vt ſæpe idem Mauritius in manum vxoris Lantgrauii ſe tradere conſtituerit, donec vir eius redimeretur: altum & generoſum vindictæ genus excogitauit, quo ſe ab huius quaſi ignominiæ labe vindicaret: captaq; temporis opportunitate, quo Cæſar Oenoponte non multo comitatu degebat, nihil tale ſuſpicans, quod in vallium anguſtiis ſtrenuam ſpeculatorum manum collocauiſſet: exercitu feſtinanter congregato, vallium clauſtris occupatis, fugatis ſpeculatoribus, & inceptum facinus incredibili ardore proſequens, improuiſum Cæſarem Oenoponte morantem adortus, eum intercipere ſperabat. Qui repentino terrore oppreſſus, incertus quid ageret, neq; ſui compos, demum fuga Villacum vſq; ſalutem quærere coactus fuit. Cum interim Mauritius ſupellectile argentea, qua Cæſar menſis vtebatur, arrepta, Oenoponte triumphauerit; glorians, fugatum à ſe fuiſſe principem, quo inter omnes Chriſtianos principes à Carolo Magno eo vſq; maiorem nulla viderat ætas.

Quantum momenti ferat in reip. negotiis ſola principis exiſtimatio.

DISCVRSVS VIII.

QVin imperia, & dominationes viribus ſuis conſtent, & ſuſtententur, dubitandum non eſt: at vero compertiſſimum aliquando fuit, vnciam nominis & exiſtimationis alicuius principis plus, quam centenas auri libras, & per conſequens plus quam arma valuiſſe: nam opinio illa, quod multitudinem principum amicorum habeas; tuos in officio continet inimicos, ne tibi vnquam moleſtiam faceſſant, perterret, teq; perpetua ſpe fulcit, vt in tuis neceſſitatibus nunquam ſubſidia defutura ſint; quamobrem cum nobiles Parthi Romam domeſtici diſſidii cauſa veniſſent, duo à Tiberio petierunt, vt ſibi ipſis Phraatem Phraatis filium concederet, eo prætextu, quaſi à Cæſare mitteretur, vtq; inquit autor, *nomine tantum, & autore opus, vt ſponte Cæſaris, vt genus Arſacis ripam apud Euphratis*

cerneretur.[a] Quid igitur illud eſt, quod inquit Liuius, quod cum Sidicini contra Samnites cum Campanis coniungerentur, *Campani magis nomen in auxilium Sidicinorum, quam vires ad præſidium attulerũt?*[b] Qua autoritate ductus quidam autor, probare nititur, nunquam amicitiam cum eo principe ineundam eſſe, qui opinione magis quam viribus verendus ſit. Nam id procedere videtur, quotieſcunq; contra hoſtem tuum eius principis nomine vteris, qui eiuſdem tui hoſtis viribus minor ſit, quales erant Campani: qui idcirco paullo poſt à Samnitibus deuicti fuerunt. Verum quoties princeps, cuius autoritati & exiſtimationi inniteris, hoſti tuo viribus anteſtat, nihil quidquam dubitandum videtur, quin ſola ipſius exiſtimatio, nomenq; te defendere queat, cum hoſtis ſibi perſuadere debeat, ſi tibi moleſtus eſſe voluerit, fore, vt potentiorem irritet. Sic Cæſari Vbii dicebãt, nominis Romani exiſtimationem talem eſſe, vt in extremis etiam Germaniæ finibus propter amicitiam & coniunctionem ipſorum cum Populo Ro. ſe tutiſſimos putarent.[c] Quod ſi rex Galliæ cum Florentina rep. bona fide fœdus iniuiſſet, ſolum ipſius nomen ſine viribus vllis contra Eccleſiam, & regem Neapolis plurimum profeciſſet. Quin etiam nomẽ & exiſtimatio per ſe ipſam ad maxima perficienda, etiamſi vires fortaſſe longo interuallo ſuperat, efficax eſt. Idcirco prudentiſſimus dux Suetonius Paullinus inter cætera, quæ Othoni conducebant, plurimi facit, quod ab illo ſtaret ſenatus, populusq; Ro. *nunquam obſcura,* inquit, *nomina, etſi aliquando obumbrentur.*[d] Et de ipſo Othone dictũ fuit, longinquas prouincias eius vexillis adhæſiſſe, non quod omnino vellent, ſed quia *erat grande momentum in nomine vrbis, & prætextu Senatus.*[e] Et Cornelius Fuſcus T. Appium Flauianum, vt Veſpaſiani partes ſequeretur, hortationibus impellit, non quod ipſe induſtriæ Flauiani indigeret, ſed vt, cum Titus conſulatu perfunctus eſſet, *conſulare nomen ſurgentibus tum maxime partibus honeſta ſpecie prætenderetur.*[f] Verum quid per antiqua exempla vagamur, ſi nuper in Gallicis diſcordiis Ammiralius viſus eſt idem feciſſe cum principe Condæo, quod cum Flauiano Cornelius: Sciebat enim vafer ille, gnarusq; bellandi, quantum referret ad ſuas partes, principem regii ſanguinis trahere. Ideo etiamſi nomen Condæi principis præcipue circumferretur, nihilominus, vt refert Adrianus hiſtoricus, totum gubernationis pondus humeris Ammiralii nitebatur.[g] Neq; minus ille improbandus eſt, qui vt ſcelera ſua excuſet, nomen principis prætendit, vt Suillius Claudio mandante pleroſq; à ſe accuſatos, & damno affectos, *nihil ex his ſponte ſuſceptum, ſed principi paruiſſe defendebat.*[h] Igitur Parthi non parua petere videbantur, dum, vt ſolo Romanorum nomine vti liceret, petebant.

[a] lib. 5.
[b] lib. 17.
[c] lib. 4. de bel. Gall.
[d] Tac. l. 18.
[e] lib. 17.
[f] lib. 19.
[g] lib. 17.
[h] lib. 13.

Barbaros impetu, Romanos cunctatione agere ſua conſuetos fuiſſe.

DISCVRSVS IX.

HIſtorici tripliciter (vt mihi videtur) lectoribus proſunt, primum geſta ſecundum veritatis ſimplicitatem narrando, deinde ipſa aut laudibus, aut vituperationibus adiectis deſcribendo: tertio ex iis, quæ narrantur, concluſiones quaſdam & documenta eliciendo. Primus modus perutilis eſt, quia ex multis caſibus, ex ſe ipſo lector quid agendum, quid non, conſiderat, qua vtilitate omnis vndequaque hiſtoria ſcatet: cum vero hiſtoricus laudes, ſiue vituperationes adnectit, tunc melius edocemur, & laudis, gloriæque ſtimulo facilius ad virtutem exſtimulamur, & vituperatione à vitiis retrahimur: Verum ſi hiſtoricus concluſiones ex ipſis narrationibus extraxerit, tunc demum inter laudem & vituperationem quaſi medius, mentem legentium excitat, vt per ſe ipſam res laude dignas, aut deteſtabiles inueſtigare valeat: exempli gratia, barbarorum mores Tacitus iudicans ait, *Barbaris cunctatio ſeruilis ſtatim exequi regium videtur.*[a] Et alibi: *barbarorum impetus acres contatione langueſcere.*[b] Quoniam vero barbari quodammodo Romanis, qui barbari non erant, opponi videntur, oportet, quid de Romanis ſenſerit, inquirere: quia ſi de Romanis contrarium pronuntiauerit, eos ſcilicet cunctatores, & patientes fuiſſe, ſignum erit, feſtinationem improbandam, moram vero laude digniſſimam eſſe. Quamuis autem Romani diuerſis temporibus ſibi diſpares fuiſſe videantur, nihilominus obſeruare eſt, quaſdam virtutes ab iis nunquam non retentas fuiſſe.[c] Et in ipſius Taciti hiſtoriis eorundem tolerantia ſole clarior apparet: non enim furioſi, non minaces, non nimium fidentes erant, ſed facta magis, quam verba ſequebantur: ideoque Rheſcupori Thracum regi, qui ſcelera multa patrauerat, mite reſponſum à Tiberio datum eſt, *ſi fraus abeſſet, poſſe eum innocentia fidere: cæterum neque ſe, neque ſenatum, niſi cognita cauſa, ius & iniuriam diſcreturos*, ad ſummam, *molliter reſponſum,*[d] & alibi, *mollibus reſponſis*,[e] item alibi, *cum mandatis non immitibus.*[f] Et Parthorum legati, *irriti remittuntur, cum donis tamen.*[g] Adeoque reipub. temporibus hæc patientia & manſuetudo in precio habita eſt, vt Athenienſes reprehendantur, *quod literis verbiſque, quibus ſolis valent, bellum aduerſus Philippum gererent.*[h] Et celebris eſt ſolemniſque illa Damocriti Ætoli ferocitas, qui T. Quintio, principio belli decretum Ætolorum, quo accerſendum Antiochum cenſuerant, poſcenti reſponderat, *In Italia daturum, cum caſtra ibi Ætoli poſuiſſent*: vnde maius ille victoribus ob illam ferociam gaudium attulit, cum in vinculis eum ab Ætolis receperunt.[i] Contra viri ſapientes & moderati Scipionem conſiderent, qui ſuę virtuti confidens, in tot caſuum varietate ambiguis Hiſpanorum legationibus

[a] lib. 5.
[b] lib. 10.
[c] lib. 1. diſc. 10.
[d] lib. 2.
[e] lib. 4.
[f] lib. 15.
[g] ibid.
[h] Liu. l. 31.
[i] lib. 38.

idem, & maieſtatem adeo ſeruatam voluit, *vt nullum ferox verbum excideret.*[k] Rhodii, gens tanto Romanorum virtutibus inferior, quanto cunctis gentibus Romani virtutibus illuſtriores, legatos Romam mittere auſi fuerunt, ſignificantes, niſi contra Perſeum bello deſiſterent, *aduerſus Romanos, quid ſibi faciendum eſſet, Rhodios conſideraturos eſſe:* petulantiſſima quidem fuit legatio, vtque Liuius ſcripſit, *Ne nunc quidem hæc ſine indignatione legi audiriue poſſe, certum habeo*; & nihilominus Romani, licet legatione exaſperati, munus iiſdem paullo antea ferocientibus legatis miſerunt.[l] Iidem Romani, dum Annibal vrgeret bello, à Gallis cæſo ſimul cum conſule exercitu, patienter tulerunt, *Galliam,* inquit Liuius, *quamquam ſtimulabat iuſta ira, omitti eo anno placuit.*[m] Illud etiam atque etiam animaduertendum eſt, cum Iudæi ob famam rerum præclare geſtarum à Romanis vellent cum ipſis fœdus inire, inter cætera eorundem patientiam admirandam fuiſſe, dicentes, *Et poſſederunt omnem locum conſilio ſuo, & patientia.*[n] Neq; Cæſarē puduit exercitum ſuum patientiſſimum vocare,[o] patientem in fame toleranda,[p] patientem in ſiti ferenda,[q] patientem in vituperatione concordiæ contemnenda,[r] patientem in ludibriis hoſtium paruifaciendis,[ſ] adeoq; patientes Romani fuere, vt cum Liuius Carthaginenſium mutatæ fortunæ meminerit, non maiores ipſorum, quam Romanorum fuiſſe calamitates, ſed tantum dixerit, *nequaquam pari ad patiendum eas robore ac Romanos fuiſſe.*[t] Imo cum alibi ſcribat, Romanorum aduerſitates longe maiores & crebriores fuiſſe, quam Carthaginenſium, nulloq; pacto inuicem comparandas, ſubdit de Carthaginenſibus, *niſi quod minore animo lata ſunt.*[u] Ea vtplurimum maior virtus habetur, quę magis ardua & laborioſa eſt: atqui velle cito vindictam ſumere adeo innatus, atque congenitus actus eſt, vt ipſimet infantes contra parentes, & nutrices commoueantur, & mulierum impotentia in affectibus celebretur: non enim poſſunt mulieres puerique iniuriam forti animo ferre: Moram autem, quæ inter iniuriam & vindictam interponitur (vindictam appellamus pœnam alicuius iniuſtitiæ) non ſolum actus fortiſſimi hominis eſt, quoniam animi virtus id perpetitur, à quo humanæ naturæ conditio abhorret, ſed etiam ſapientis atque prudentis: quia ob nimiam vindictæ feſtinationem ipſius vindictæ fructus non corrumpitur, ſiue (vt melius dicam) iuſtitiæ curſus non præciditur, qui etiamſi lentus & tardus, tamen tuto metam attingere conſueuit. Maior igitur eſt, quam poſſit quiſquam excogitare, virtus patientia: Quæ ſi à nobis, quo modo debemus, fortitudinis pars exiſtimabitur, cunctationem ſeruilem nunquam more barbarorum dicemus, quia propter publicam cauſam aliquod exiſtimationis detrimentum tempeſtiue pati, ſummæ virtutis eſt, quemadmodum ſuperius pariter innuimus.[x]

[k] lib. 26.
[l] lib. 44.
[m] lib. 25.
[n] pr. Mach. 8.
[o] libr. 3. de bell. ciu.
[p] lib. 7. de bell. Gall.
[q]
[r]
[ſ] de bel. Afr.
[t] lib. 19.
[u] l. 22.
[x] l. 1. diſc. 5.

Non eadem omnibus decora eſſe.

DISCVRSVS X.

QVotidie dictitamus, hunc & illum ita feciſſe, ita non feciſſe, neq; animaduertimus ſæpenumero, vt inquit Aruntius, *non eadem omnibus decora.* [a] Quod vt melius percipiatur, repetenda videtur hiſtoria. Inter aliquos Romanos Senatores delatus fuerat L. Aruntius, quaſi in vitam principis inquiſiuiſſet; quoniam vero Gn. Domitius, & Vibius Marſus cauſam protrahebant, familiares Aruntii, vt idem ipſe efficeret, ſuadebant. Ipſe ingenti animo reſpondit, *Non omnia omnibus decora*: cum ſe laſſum ætate, neque aliud pœnitere, niſi quod tamdiu inter probra & diſcrimina temporum ſenectæ moleſtias tulerit, ſatis Seiano & Macroni, cæteriſque præpotentibus odio ſe habitum, non quia mereretur, ſed tanquam ſcelerum oſor: Ad ſummam quaſi futura mala præuidens vitam fato præripuit. Idem alibi recitatur de L. Vetere, qui ad mortem adactus, cum ab amicis admoneretur, vt amplæ portionis hæredem Cæſarem ſcriberet, quo cætera nepotes obtinerent, noluit, ne hoc vltimo ſeruilis animi actu totam liberæ vitæ fabulam commacularet, [b] quaſi diceret, aſſentetur, vt libet, vnuſquiſque, me non decet ab eo tramite, quem cum laude hactenus cucurri, deuiare. Itidem Thraſea, cum Ruſticus Arulenus tribun. plebis offerret ſe interceſſurum Senatuſconſulto, cohibuit illum, rogans, *ne vana, & reo non profutura, interceſſori exitioſa inciperet: ſibi actam ætatem, & tot per annos continuum vitæ ordinem non deſerendum.* [c] His exemplis cognoſcimus, quamquam multitudo hominum principibus adulatur, diuitiarum amplitudinem magis quam honeſtatem quærit, fauente fortuna ſuperbe dominatur, rurſus in aduerſitatibus humiliter ſeruit; tamen excellentis virtutis homines, quales Aruntius, Vetus, Thraſea fuere, hanc morum viam decoram non putauiſſe. Tiberius Imperator, qui non minus rerum cognitione, quã aſtu polluit, vidit, in rep. regenda hoc verum eſſe, cumq; sciret à Populo Romano obiectam ſibi eſſe lætitiam ob mortem Germanici, magnanimitatem principis patefecit, admonens, *non eadem eſſe decora principibus viris, & Imperatori populoque, & modicis domibus, aut ciuitatibus.* [d] Sic dixit Ariſtoteles, ſilentium eſſe mulieribus honeſtum, viris non item. [e] Si qui ad principatus alicuius culmen efferuntur, animo voluerent, quam diuerſos à priuato ſtatu mores exigat dominantium cõditio, fortaſſe minus, quam quotidie cernimus, aberrarent. Ad quam rem exſtimulari ſaltem deberent Ludouici XII. Gallorum regis exemplo. Is cum à ſuis moneretur, vt iam ſuas omnes iniurias, quas, dum Aurelienſium dux fuerat, acceperat, vindicaret; reſponſum dedit, quo neq; Græci, neq; barbari cuiuſquam ſapiẽtius vllũ legitur, *Non decere, Gallorum regem iniurias ducis Aurelienſium vindicare.* Neque abs re illud Magni Alexandri, *Et ego id agerem, ſi eſſem Parmenio.* [f] Et ſuperba Electra ſorori ſuę Chriſore-

[a] libr 3.
[b] lib. 16.
[c] ibidem.
[d] lib 3.
[e]
[f] Plut.

Chriſoremo, quæ admonebat, vt mitius ageret cum dominis, *Adora tu*, inquit, *illos, meos id mores dedecet.*[g] Verum non tantum dedecent principem ea, quæ priuatum aliquando decent: ſed perſæpe quæ alteri principum maxime conueniunt, eadem alios dedecebunt propter morum, & virtutis inter ipſos diſcrepantiam. Non ignorabat Vitellius, vtpote qui cum principibus neceſſitudinem habuerat, Imperatorum morem laudabilem eſſe, quoties ciuiliter ſe gererent, nō ſolum cum primoribus ciuitatum, ſed etiam cum infima plebe in theatro, & in circo eius ſtrepitus læto vultu excipientes: audieratque ſaltem, ſi non viderat, hunc morem Auguſto commendatum fuiſſe, *vt ciuile putaret vulgi ſe voluptatibus immiſcere.*[h] Ipſe igitur eadem effecit, quæ, inquit autor, *grata vulgo accidunt, cum ſecundum virtutem, at Vitellio vilia, inboneſtaq; propter anteacta vitæ memoriam videbantur.*[i] Quemadmodum vitioſis, improbiſque non eadem conueniunt, quæ probos, ac virtutis amantes decent, ita neque paruis conueniunt ea, quibus magnates refulgent; proinde Themiſtocles inter occiſos hoſtes deambulans, recte amico, qui ſequebatur, oſtendens aureas armillas, *Tolle tu*, inquit, *hæc, qui non es Themiſtocles.*[k] Verum animaduertendum eſt, paruum, & abiectum eum hominem habendum non eſſe, ſi virtute aliqua excellat, ideoque fortunati homines mirari non debent, ſi quæ ipſi facerent, non omnia hi facere dignantur: propterea quod diuitiarum, & virtutis non eadem menſura eſt. Si quis autem diceret, quia magnates quotidie pacta violant, & pollicita non præſtant, inde etiam tenuioris fortunæ hominibus fidem frangere licere; reſpondeo, nequaquam verum eſſe, neque vllam hominum potentiam, atq; autoritatem id obtinere poſſe, vt flagitia laudem, aut excuſationem mereantur: pauperes vero, & ſubditi, quia ob virium imbecillitatem male geſta falſis coloribus, fuciſve illinire nequeunt, neceſſe eſt, vt virtutis ornamentis, & probitate contendant, fortunæque malignitatem emendent: præterquam quod inſtant principes ſeueras de patratis criminibus pœnas exigentes. Idcirco male excuſauit ſeſe pirata ille coram Alexandro, quia paucis triremibus ipſe piraticam exerceret, ſe latronem vocari, Alexandrum autem regem, maximumq; principem haberi, quia pluribus viribus orbem terrarum inuaderet. Concludatur itaque, non omnia omnibus decora eſſe.

[g] *Soph. in elect.*
[h] *lib. 2.*
[i] *lib. 18.*
[k] *Plut. in polit.*

FINIS LIBRI QVINTI.

SCIPIONIS AMIRATI

DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM

IN C. CORN. TACITVM,

LIBER VNDECIMVS.

Principem cautum eſſe debere aduerſus eos, qui ſpecie laudandi, ſibi inuiſos opprimunt.

DISCVRSVS I.

EA prorſus exquiſita inter omnes adulatio eſt, quæ coram principe ſub libertatis inuolucro ſeſe oſtentat. Vetuerat Tiberius, ne L. Ennius Eques Romanus maieſtatis poſtulatus, *quod effigiem principis promiſcuum ad vſum argenti vertiſſet,* inter reos reciperetur: cum Atteius Capito ſpecie libertatis Cæſari obſiſtens, *Non debere,* dixit, *eripi patribus vim ſtatuendi, neque tantum maleficium impune habendum: ſane lentus in ſuo dolore eſſet, reipublicæ iniurias ne largiretur.*[a] Nonne hic omnium bipedum nequiſſimus fuit? Eodem pacto exquiſitior eſt calumnia illa, quæ laudis tegumento obtegitur: cuius fœditatis alteram noſter imaginem Vitellium propoſuit, qui conſultanti Claudio ſuper abſolutione Valerii Aſiatici, viri bis conſulatu perfuncti, ſummiſque virtutum dotibus præditi, *flens commemorata vetuſtate amicitia, vtque Antoniani principis matrem pariter obſeruaſſent, dein percurſis Aſiatici in rempublicam officiis, recentique aduerſus Britanniam militia, quæque alia conciliandæ miſericordiæ videbantur, liberum ei mortis arbitrium permiſit.*[b] Nonne hæc

[a] Tacit. l. 3.

[b] lib. 11. in prin.

hæc doloſiſſima fuit ars? Igitur contra huiuſmodi inſidiatores quantum vigilantiæ principes adhibere debent? Meis temporibus cum eiuſdem farinæ quidam beneuolam in principe erga quendam ſibi inuitum propenſionem obſeruaviſſet; ipſum coram eodem principe mirificis quidem laudibus euehebat, cæterum, talem eiuſdem eſſe probitatem, morumq; ſimplicitatem diſſerebat, vt innueret, aulæ negotiis eum imparem fore. Laudant nonnulli; ſed ita laudant, vt tibi magis frigide laudando, quam inſectanter vituperando noceant: nam hoc modo qui ſe inimicos oſtenderent, integram apud principem fidem non inuenirent; altero autem amici quidem videntur eſſe, verum, vt Fauorinus putauit, quid in te laude dignum ſit, haud facile reperiri poſſe.[c] Sunt, qui clam te prodentes, *palam collaudent, quo incautior decipiare*, vt Fabius Manlium Valentem veteratorie decepit.[d] Apelles, ab Antigono relictus nepoti Philippo regi tutor, vir ſagaciſſimo ingenio præditus, cum ex ſuis quendam Peloponneſiacis præficere vellet, apud Philippum incepit Taurionem, qui eam prouinciam regebat, valde laudare, aſſerens, tantum virum nunquam à latere regis in exercitu diſcedere debere. Quam hiſtoriam vbi recitauit Polybius, ſubdit, *Nouus quippe modus calumniæ inuentus eſt, non vituperando, ſed laudando, fama, ac commodis hominum inſidiari. Quod vitium in aulis principum ortum vſq; adeo inoleuit, vt ea loca, tanquam proprias quaſdam ſedes ſibi videatur elegiſſe.*[e] Inter cauſas, propter quas accuſatus fuit Agricola, illa connumeratur præcipua, *inſenſus virtutibus princeps, & gloria viri: ac peßimum inimicorum genus, laudantes.*[f] Neque cenſeat princeps hæc ſibi nihil obeſſe: imo enim vel maximum fit exiſtimationis detrimentum, quoties miniſtrorum flagitiis potentiores decipiuntur; neq; quidquam prodeſt principi, ob alienam ſuggeſtionem benemeritum aliquem hominem peſſumdediſſe, & cui vel maxime prodeſſe tenebatur, nocuiſſe, mœſtitiamque pro mercede repoſuiſſe. Verum enimuero ſapientiſſimus ille principum ſenior Alphonſus rex Neapolis hos aſtus, aulicaſq; technas optime calluit: Is enim cum quendam nobilem virum contra acerrimum inimicum ſuum laudibus profuſiorem animaduertiſſet, ſæpenumero intimis nonnullis prædixit, obſeruarent artem hominis; omnino ſiquidem fore, vt aduerſus inimicum ſuum hic aliquid inſidiarum ſtruat. Neque eum ſua fefellit opinio, nam ſex menſibus peractis, quibus, vt fidem quæreret, hunc ſtylum laudandi ſeruauerat, demum venenum illud euomuit, quod doctiſſimo dolo ad illum vſque diem occuluerat.[g]

[c] Gell. l.19. c. 3.

[d] lib.17. Tac.

[e] lib. 4. in fin.

[f] Tac. in Agr.

[g] Panormit. de Alph. dict. & fact. l.2. c.10.

De Cenſorum officio.

DISCVRSVS II.

HAbemus quidē leges, quibus & fures, & homicidæ, & falſarii plectuntur, ſed longe plures eæ ſunt leges, quę in pōpoſos, in laſciuos, in deſides, in vitioſos huiuſmodi animaduertunt: quippe qui exemplo cæteris nocentes, ſibi vero ipſis

nihil proficientes, longo temporis interuallo in bene conſtitutam rempublicam mores ſordidos, viles, pernicioſos introducunt. Priſci Romani tametſi probe nouerant, furem à luxurioſo plurimum diſcrepare, non idcirco hunc impunitum relinquendum eſſe, putauerunt, at quo modo furi, tanquam ſcelerato homini, corporis pœnam, ſic luxurioſo, tanquam futili, vanoque, pœnam dedecoris irrogauerunt. Et quemadmodum illi à prætore, aliove magiſtratu puniebantur, ita hi ſuorum luxuum caſtigatorem Cenſorium magiſtratum habebant. Quo autem tempore Cenſorium munus Romæ inceperit, quo pacto creuerit, quantum durauerit, quaſve cauſas cognouerit, quod frenum tandem ad ipſius potentiam moderandam receperit, non eſt modo inſtituti mei perueſtigare; cum abunde nobis ſufficiat, ad quos mores corrigendos ipſorum iuriſdictio extenderetur, oſtendere, vt nobis, quantum ab ipſis, etſi Chriſtianæ lucis participes ſumus, differamus, perſpicue innoteſcat, vtque experiamur, an forte principem aliquem, exemplis hiſce commotum, ad vitæ ſuæ deterrimas aliquando ſordes eluendas dedecoris timore excitare poſſimus. Neque dubitandum eſt, quin Cenſorio munere fungens Claudius Imperator nimiam Romanorum laſciuiam reprehenderit, dicente noſtro, *Et munia Cenſoria vſurpans theatralem populi laſciuiam ſeueris edictis increpuit.* Item: *ſæuitiam creditorum coercuit, ne morte parentum pecunias filiusfamiliarum fœnori darent.* Exploratum quoque eſt ſi quis agros ſuos negligenter coluiſſet, à Cenſoribus eum vehementer caſtigatum fuiſſe.[a] Sic eos, qui magis arabant, quam verrebant, ignominia notatos fuiſſe, legimus.[b] Liuius Druſus, vir triumphalis, ab iiſdem Cenſoribus notatus fuit, quod argẽteam quinquaginta aureorum precii ſupellectilem poſſideret.[c] Et reuera perappoſite dixit Valerius, *Quid prodeſt, foris eſſe ſtrenuum, ſi domi male viuitur?* Vnde L. Antonium Cenſores Senatu mouerunt, (quaſi noſtro ſeculo Cardinalem quempiam galeri pupurei vſu priuatum dicas) quod, quam virginem in matrimonium duxerat, repudiaſſet, nullo amicorum in conſilium adhibito. Quod idem fecit Cato, qui L. Flaminium è Senatoru numero ſuſtulit, quia in prouincia quendam damnatum ſecuri percuſſerat, tempore ſupplicii ad arbitrium, & ſpectaculum mulierculæ, cuius amore tenebatur, electo. Neque M. Antonius, & L. Flaccus aduerſus Duronium frugalis vitæ contemptorem minus rigidi fuere.[d] Recitat Liuius (natus autor ad res Romanas ea maieſtate conſcribendas, quæ tantæ magnitudini conuenit) cum Cenſores propter inopiam ærarii, quæ eo anno conſecuta erat, vacui forent ab operum locandorum cura, ad mores ciuium corrigendos, caſtigandaque vitia animum aduertiſſe: quæ vitia, velut diutinis morbis ægra corpora, nata bello erant. Cumque comperiſſent quoſdam, poſt Cannenſem cladem Italia exceſiſſe, remque publicam deſeruiſſe; item alios nimis callidos exſoluendi iuriſiurandi interpretes ex itinere regreſſos clam in caſtra Annibalis fidem fregiſſe, quaſi ſolutum, quo ſe rediturus iurauerant, putarent, iis omnibus equos ademerunt. Nomina etiam omnium ex iuniorum tabulis excerpſerunt, qui non militaſſent; quibus neque vacatio

[a] *Plin. l. 18. c. 33.*
[b] *Ibid.*
[c] *lib. 33. c. 11.*
[d] *Val. l. 2. c. 4*

iuſta

uſta militiæ, neque morbus cauſa fuiſſet, & ea ſupra duo millia nominum in ærarios relata, tribuque omnes moti, additumque inerti Cenſoriæ notæ triſte Senatuſconſultum, vt ii omnes, quos Cenſores notaſſent, pedibus mererent, mitterenturque in Siciliam ad Cannenſis exercitus reliquias; cui militum generi non prius, quam pulſus Italia hoſtis eſſet, finitum ſtipendiorum tempus erat.[e] Neque tantum facta, ſed etiam verba ipſa inhoneſta à Cenſoribus caſtigata fuerunt; nam Veſpaſianus Imperator adoleſcentulum flagrantem vnguento, cum ſibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aſpernatus, increpuit, *Malluiſſem*, inquiens, *allium aboluiſſes*, literaſque, quas conceſſerat, reuocauit.[f] Ecquis autem noſtris temporibus Eccleſiaſticum principem, aut ſacerdotem quemlibet non rigidum nimis putaret, ſi quempiam argueret, quod in veſtibus, in cubiculis, in ipſis cupediis odoramentis, & vnguentis vtatur? Et nihilominus bonus ille Imperator id in milite odioſum cenſuit. Verum ad Tacitum redeamus, qui eo maiorem admirationem præ ſe fert, quod huiuſmodi cenſuræ ad ſuam ætatem permanſerint, quo flagitioſiorum temporum hiſtorias perſcribit: nam de Tiberio teſtatur, quemadmodum nonnullis antiquæ nobilitatis, probiſque viris ſubuenerat, ſic Senatu vel mouiſſe, vel vt ſemetipſi mouerent, impuliſſe, Vibidium Varronem, Mariu n Nepotem, Appium Appianum, Corn. Syllam, & Q. Vitellium, quod patrimonia ſua decoxiſſent.[g] Maximo, optimoque iure Cardinalis ille Borromæus, ſingulare Eccleſiæ Dei ornamentum, admirabatur, qui fiat, vt in pleriſque moralibus operibus nos Chriſtiani ab ipſis gentilibus longo interuallo præcedamur.

[e] Liu. lib. 24.
[f] Suet. c. 8.
[g] libr. 2.

Nouas religiones cunctis principibus è ſuis ditionibus exterminandas eſſe.

DISCVRSVS III.

QVantum induſtriæ Romani adhibuerint, ne ipſorum ſacra nouis ritibus contaminarentur, plurima ex hiſtoriis deprompta exempla teſtantur: nam quoties in peius dilabebatur religio, toties vt ad ſua principia retraheretur, curabant: Quorum ideo nonnulla maiorum documenta afferemus, quo cuncti principes in dominatu ſuo, ne nouus Dei cultus introducatur, cautius animaduertant. Cui diſſertationi Claudius fundamentum iaciet, qui cenſuram exercens, temporum ſuorum circa religionem oſcitantiam arguebat, quodque boni mores, & priſcæ conſuetudines obſoleuiſſent, & *quod externæ ſuperſtitiones inualeſcerent*.[a] Tiberii temporibus *actum de ſacris Ægyptiis, Iudaiciſque pellendis*,[b] adeoque Senatores ſeueri fuerunt, vt quatuor millia libertini generis ea ſuperſtitione infecta, quibus idonea ætas in inſulam Sardiniam mitterentur, coercendis illic latrociniis, &, ſi ob grauitatem cœli interiiſſent, vile damnum: cæteri ce-

[a] lib. 11.
[b] lib. 2.

T derent

derent Italia, *niſi certum ante diem profanos ritus exuiſſent.* Quid autem Nero aduerſus Chriſtianos executus fuerit, neque Tacitus prætermittit,[c] & noſtri ſcriptores fuſius tradiderunt. Neque tantum Imperatores hunc morem retinuerunt, ſed etiam priſca reſpublica non minus rigide cauit, ne nouæ in ciuitate religiones reciperentur. Quapropter anno 327. ab V. C. Aulo Cor. Coſſo, & T. Quintio Peno Coſs. cum innotuiſſet iis, qui gubernationi præerant, nouas in vrbem irrepſiſſe religiones, nouoſque ritus celebrari, cunctiſque ciuitatis templis peregrinas in ſacrificiis ad Deos placandos ceremonias obſeruari, Ædilibus iuſſum fuit, cauerent, *ne qui, niſi Romani Dii, neu quo alio more, quam patrio colerentur.*[d] Ducentis, & amplius poſt annis, iam Italiam premente Annibale, Roma mirificis ſacrorum nouitatibus repleta eſt, adeo vt, referente Liuio, *aut homines, aut Dii repente alii viderentur facti.* Nec iam in ſecreto modò, atque intra parietes, ac poſtes contemnebantur Romani ritus, ſed in publico etiam, ac foro, Capitolioque mulierum turba erat, nec ſacrificantium, nec precantium Deos patrio more. Ad ſummam; ad patres, & ad publicam querimoniam re delata, incuſati ſunt grauiter ab Senatu Ædiles, Triumuirique capitales, quod non prohiberent: cumque remedii difficultas augeretur, M. Æmilio prætori vrbis negotium datum eſt, vt his religionibus populum liberaret. Is in concione ſenatusconſultum recitauit, edixitque, vt quicunque libros vaticinos, precationeſve, aut artem ſacrificandi conſcriptam haberet, eos libros omnes, literaſque ad ſe ante Kalend. April. deferret, neu quis in publico, ſacrove loco, nouo, aut externo ritu ſacrificaret.[e] Triginta poſt annis, nempe anno 568. ſi vnquam ſcelera aliqua religionis colore commiſſa, tunc omnium flagitioſiſſima & Romæ, & in Italia detecta fuere: quæ Conſul Poſthumius Albinus admirabili prudentia publicauit, caſtigauit, oppreſſit; memorabile, quo pacto his caſibus imperia gubernentur, exemplum poſteris relinquens; neque autor verbis ſuis non commonere neglexit, *nihil æque diſſoluendæ religionis eſſe, quam vbi non patrio, ſed externo ritu ſacrificaretur.*[f] Quam Romanorum diligentiam minime admirandam putamus, quia duodecim tabularum lex ita præcipiebat, *Separatim nemo habeſſit Deos, neve nouos, ſed nec aduenas, niſi publice adſcitos priuatim colunto.*[g] Igitur perſpicue ex his apparet, quantum veteres abhorrerent, vt in vrbem noua ſacra inducerentur. Cuius rei ratio ſi quæratur, nulla alia videtur adduci poſſe, niſi quod, cum religio prorſus diuina res ſit, par eſt, vt cæteris omnibus rebus præponatur: quoniam vero ob mutatam religionem Dii offenduntur, omnis ideo mutatio prohibetur. Mecœnas eo ſapientiſſimo colloquio, quo de recta Romani Imperii gubernatione Auguſtum monet, cum in Deorum mentionem incidit, ſic loquitur. *Deos ſemper, & vbique ta cole, vt moribus patriæ eſt receptum, ad eumque cultum alios compelle: peregrinaum vero religionum autores odio, & ſuppliciis proſequere non modo diuûm gratia, quos, qui contemnit, haud dubie nihil quoque aliud magnifaciet, ſed propterea etiam, quod, qui noua numina introducunt, multos ad peregrinis legibus vtendum pelliciunt:*

inde

[c] lib. 15.
[d] Liu. l. 10.
[e] Liu. an. 541.
[f] lib. 19.
[g] Cic. l. 2. de leg.

nde coniurationes, coitiones, & conciliabula exiſtunt, minime vnius principatui commodæ res.[h] Iuuat opinari poſtremam Mecœnatis rationem à prima deriuari: nam ſi dominatui vnius hæc nocent, cur ſimiliter reſpublica, quæ gubernabatur à pluribus, tanta ſeueritate eaſdem religiones interdixit? Sed principem illum ad patriam religionem ſeruandam adhortans, voluit eo vehementius perſuadere, quia ea in re dominationis Auguſti fulciendæ intererat. Quod ſi diceret aliquis. Igitur neque Turca nouam religionem in ſuo imperio admittere debet, vnde hoc diſcurſu concluderetur, Turcis legem Chriſtianam deuitandam eſſe; reſpondeo, me ſcribere Chriſtianis, non Turcis: Qui ſi diuino ſpiritu illuminarentur, vt noſtram religionem ſuſciperent, cognoſcerent profectò, à falſo Dei cultu ad veram, ac ſacroſanctam religionem ſe confugiſſe. Quocirca apud ipſos præceptum hoc, nouas religiones procul arcendas eſſe, locum non haberet; cum ſupponi, concedique debeat, hoc in diſcurſu verbum illud nouitatis falſitatem denotare. Neque enim iis eueniret ſecus, quam Romanis accidit, qui aliquot ſecula Chriſtianam legem, vt ſua ſacra ſeruarent, quaſi falſam abominantes, tandem tot experimentis ipſius veritate deprehenſa, innumeriſque argumentis conuicti, auxilioque diuino promoti, contemptis falſis numinibus, ſolum, verumque Deum tribus perſonis diſtinctum colendum receperunt. Quod ſi de hæreticis idem obiiceretur, replicarent, ſi vellent ii, quod patres, maioreſque eorum ſenſerint, inueſtigare, ſperandum fore, vt ad fidem Catholicam reuertantur. Quo caſu non nouam religionem amplecterentur, ſed innouatam, maloque conſilio inductam recuſantes, antiquam reſumerent.

[h] Dion l.52.

An ſit noſtris temporibus ſperandum, vt exercitum bene inſtitutum videamus.

DISCVRSVS IV.

PLeriſque Romanis ducibus corrupti, omniſque diſciplinæ expertes milites, qui ad ſanitatem ſeueritate reducti ſunt, obtigerunt, vt in Hiſpania Scipioni, in Aphrica Metello, in Sicilia Cottæ, alibique aliis,[a] itidemq; (vt cum autore noſtro diſſeramus) Corbuloni, qui in Germania *legiones operum, & laboris ignaras populationibus lætantes veterem ad morem reduxit.*[b] Quocirca diſpiciendum eſt, an iſtorum exemplo ſperandum ſit vnquam, vt exercitum veteris diſciplinæ obſeruantem noſtro ſeculo videamus. Sed prius, quid iidem, vt corruptos milites ad officium reuocarent, obſeruauerint, diſcutiamus. Primus Corbulo vetuit, *Ne quis agmine decederet, nec pugnam niſi iuſſus iniret, ſtationes, vigiliæ, diurna, nocturnaque munia in armis agitabantur. Feruntque militem, quia vallum non accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte punitos.* Non dubito, quin me lapidibus milites obruturi eſſent, ſi, quæ de ipſis conſcribo, audirent, præſertim cum aſſeram, exercitus Romanos caruiſſe, quos modo vocant,

[a] Val. lib. 2.
[b] lib. 11.

vaſtationibus : quod laborioſum munus ipſi milites explebant. Scipio cum in Hiſpaniam perueniſſet, illico edixit, vt quæcunque eo in exercitu ad delicias, & voluptates pertinerent, amouerentur, adeo vt præter multitudinem inſtitorum, & lixarum, duo millia ſcortorum è caſtris abierint. Metellus idem effecit, vetuitque, ne quidquam cibi cocti in exercitu venderetur, & educens exercitum noluit, vt milites ſeruis beſtiiſve quidquam oneris imponerent : ſed omnia, quæ ad arma, victumque eorum ſpectabant, vt ipſimet portarent, præcepit;& ante omnia ſæpe ſtationes mutando, nouis caſtra vallis frequenter communiebant, quaſi Iugurtha nunquam non cominus vrgeret. Cotta, ne ſingulos milites recenſeam, quendam conſanguineum ſuum, quod male militaſſet, fuſtigari, & equo adempto pedibus merere iuſſit. Conglobata hæc exempla omnem fortaſſe ſpem bene inſtitutum exercitum videndi tollent, præſertim ſi quæ præterea de Corbulone ſcripta leguntur, adnotauerimus; qui in Syriam profectus, cum eadem, aut forte maiora in exercitu vitia, & corruptelas comperiſſet, *plus molis aduerſus ignauiam militum, quam contra perfidiam hoſtium habuit.*[c] Hi ſiquidem milites, quamquam veterani, pace longa ſegnes, non ſtationes, non vigilias inibant, vallum, foſſamque, quaſi noua, & mira viſebant : ſine galeis, ſine loricis, nitidi, & quæſtuoſi militiam per oppida explebant. Igitur Corbulo, vt rem militarem ſtabiliret, dimiſit, quibus ſenecta, aut valetudo aduerſa erat, & ſupplementum petiuit, omnemque retinuit exercitum ſub pellibus, quamuis hyeme ſæua adeo, vt obducta glacie, niſi effoſſa humus fuiſſet, tentoriis locum non præberet : ambuſtique multorum artus vi frigoris, & quidam inter excubias exanimati : annotatuſque miles, qui faſcem lignorum geſtabat, ita ei præriguiſſe manus, vt oneri adhærentes truncis brachiis deciderent. Ipſe Corbulo cultu leui, capite intecto, in agmine, in laboribus frequens aderat, laudem ſtrenuis, ſolatium inualidis, exemplum omnibus oſtendebat, adeo ſeuerus, vt qui ſigna reliquiſſet, ſtatim capite plecteretur. Idque vſu ſalubre, & melius, quam miſericordia apparuit : quippe pauciores illa caſtra deſeruere, quam ea, in quibus ignoſcebatur. Sed quid remedii, vbi neque dux milites, neque milites ducem, neque miles militem cognoſcit ?[d] Nam ſi milites inuicem ſibi ignoti ſint, quis mutuus fidei nexus ? Quid conſilii capietur, vbi apud militem *neque boni intellectus, neque mali cura?*[e] aut cum *neque in victoria decus, neque in fuga flagitium ?*[f] vbi *ante diſcrimen feroces, in periculo pauidi ?*[g] *cum amicis crudeles, cum hoſtibus ignaui.*[h] Neque dubium eſt inter tot corruptelas veram fortitudinem animis militum inſerere, diſſicillimum fore. Nihilominus quid virtus humana valeat, cum ingenium intenditur, & ex animo aliquid aggreditur, quoties conſidero, non penitus totam abiicio ſpem; fieri poſſe, vt nobis etiam illud obtingere poſſit, quod primo adſpectu arduum & inacceſſum videtur, nedum factu difficile. Miranda ſiquidem res eſt, Nicolao Rentii ferme plebeio homini, vili ſcribæ datum fuiſſe, vt Tribunus plebis crearetur, vt

[c] lib.13.
[d] Tac. lib.18.
[e] Liu.lib.35.
[f] lib 17.
[g] lib.17.
[h] Liu.lib.26.

Regulis

Regulis vicinis imperaret, Italiam diuturno veterno ſopitam ſolo virtutum ſuarum ſonitu excitaret, & quaſi repente coruſcans fulgur, omnium animos in ſui admirationem & ſtuporem adducere potuerit. Quiſquis ſpem hanc deploratam putat, ſeipſum parũper recolligat, & obiecto quolibet relicto, aciem intellectus ſui in pulcherrimo illo nouarum terrarum, nouiq; orbis inuento excogitando defigat, & huius inuentorem Genuenſem nauclerum fuiſſe, comperiet: animaduertat hominis propemodum diuinam prudentiam, patientiam, animi magnitudinem, quibus virtutibus ad finem maximum omnium opus perduxit. Sfortia à Cotignola cuias, quibus parentibus ortus, quibus diuitiis, quibus opibus, quibus affinibus polluit? Et nihilominus ſolo armorum ſplendore & induſtria filio ſuo, vt dominatum Mediolani adipiſceretur, viam aperuit: & quamuis magnitudo gentis illius extincta eſſe videatur, adhuc tamen ſucceſſores non adeo opibus atq; exiſtimatione deſtituuntur, quin ſacris & profanis dignitatibus inter præcipuas Italiæ familias refulgeant. Sed vitiorum viam perpendamus. Nonne mirandum eſt, nefarium Monachum Martinum Luderum, ſiue Luterum à ſede Apoſtolica deficientem autorem fuiſſe tot populorum atq; prouinciarum defectionis? Quid igitur princeps aliquis efficiet, quoties non propter factum, neque ob leuitatem, ſed propter Dei Chriſtianæq; religionis gloriam, exercitum ſibi parare voluerit armis inſtructum, optime inſtitutum, certis ſtipendiis, præmiiſque illectum, à ſeſe paterna ductum atq; cuſtoditum charitate; in quo non deſit laborum tolerantia, erga ſuperiores obedientia, honeſtæ gloriæ cupiditas, neq; effrenis licentiæ, ſed honeſtæ libertatis amor? Ad quæ conſequenda ſi quis Italiæ princeps attenderet, Philippum Macedonem ante oculos nunquam non habere deberet, qui annis viginti quinq;, quibus vixit in regno fortaſſe minor princeps, aut ſaltem reſpectu Græciæ non valde potentior, verbi gratia, Duce Mediolani, aut rege Neapolis in Italia, talem filio ſuo commoditatem poſt ſe reliquit, vt totum orientem quinto vix anno debellauerit, & monarchiam ante ſe inauditam conſtruxerit; His penſitatis, nequaquam diffidet, vt ipſe quoque aut ſaltem filius ſuus ſimilia, virtute duce, perficere valeat, vnde homines pari admiratione rapiantur. Cur autem deſperemus, hęc nos aliquando viſuros, ſi ex tribus vt ego ſentio, bellicis operibus, quæ magis admiranda ſunt, tertium non minus priſcis, imo neq; par, ſed longe antecellens auorum noſtrorum ſeculo contigit? Adeo vt optimo iure ſperandum ſit, fore, vt militaris diſciplina, velut in peculiari facinore, ſic in vniuerſum excitata renouetur. Stupenda enim & excellentia bellica facinora tria perhibentur. Decem millium Græcorum ex Perſis in Græciam reditus. Claudii Neronis Romani ad Collegam tranſitus, vnde victus eſt Aſdrubal. Heluetiorum contra Gallos, & Germanos Nouariæ impetus, & aggreſſio. Hoc poſtremum à me pluris eo æſtimatur, quod actus fuerit voluntarius, non coactus, qualis ille Græcorum & Romanorum fuit: generoſior certe, atq; acrior Græcis, quia aggreditur, non fugit, aut recedit: Romanis magnanimitate anteferendus, quia hoſtem vi non fraude aggreditur: rurſum felicior Græ-

cis, quia pari numero plures hoſtes ceciderunt: animoſior Romanis, quia vnius linguæ viri, numero inferiores, ſine equitatu, ſine tormentis bellicis duas vicerunt nationes viris, equis, tormentis, ſitu munitiſſimas. Neque minus exploratum certumque eſt, ex naualibus prælijs poſt hominum memoriam maximis primum fuiſſe, quod Græci cum Perſis duobus ante millibus annorum commiſerunt; alterum quod Auguſtus contra Antonium, hoc eſt, Romani contra Romanos, iamq; 1600. anni elapſi ſunt. Tertium, quod Veneta reſp. cum Pontifice, ac rege Hiſpaniarum fœderata contra Turcas: quod ſupra duo illa extollendum atque admirandum eſt. Nam primo prælio deterior erat Perſarum, quam Græcorum conditio non modo ob maritimæ rei experientiam, qua Greci præſtabāt, verum etiam corporis animiq; viribus, ac generoſitate, quibus Perſis tantum excellebant, quantum Græcis illi numero. Altero autem prælio M. Antonii penes Cleopatram, quam amore deperibat, intempeſtiua fuga victoriam Auguſto faciliorem peperit. At in noſtro, quanquam Chriſtianarum nauium numero minori, pari animi fortitudine dimicatum fuit: neq; enim reuera ignauia vlla Turcis exprobrari poteſt, cum illorum, præter eos, qui capti ſunt, maximus in acie ceciderit numerus. Neq; ipſorum præfectus, nomine Lucciali pugnam deſeruit, niſi cum à parte Chriſtianorum inclinare victoriam, clariſſime perſpectum eſt. Nequaquam igitur credibile videtur, quo tempore tot inſignia bella perfecta ſunt, non poſſe principes, duceſq; eiuſmodi virtutis reperiri, vt vetera militiæ inſtituta reſtaurare, & in priſtinam gloriam reſtituere valeant.

Romæ in magiſtratibus deferendis præſertim ætatis rationem habitam fuiſſe.

DISCVRSVS V.

ABV.C. ad annū vſq; 523. quo Corbilius vxorem repudiauit, nūquam Romæ dotium actiones, & cautiones auditæ ſunt.[a] Nam cum adhuc homines canam illam, & priſcam probitatem retinerent, nondum neceſſitas oſtenderat, caute negotiandum eſſe. Neq; ſimiliter in vrbe vnquam leges latæ ſunt, quibus ætates in magiſtratibus diſcernerentur, niſi anno 575.[b] Nam cum magiſtratus niſi bene meritis deferrentur, neq; dum ambitio eo progreſſa fuiſſet, quo paullo poſt deuenit, ſuperuacaneum videbatur, obiices ponere, quibus ad magiſtratus quiſquam non perueniret. Modo ſi quis Romæ in magiſtratibus concedendis nullum ad candidatorum ætatem reſpectum habitum fuiſſe, diceret, ille profecto in duplicem impingeret errorem; alter eſt, quia aliquando Romani ætatis prærogatiuam maxime ſeruauerunt; alter, quia generatim vetare, ne maior hominum pars ad ſtatutam vſque ætatem magiſtratum obtineat, minus periculoſum eſt, quam particulatim a gubernatione reipublic. aliquem, qui nondum annos legitimos attigerit, arcere. Propterea quod cum virtute præſtantium mul-

[a] Gell. l. 4. c. 3.
[b] Liu. libr. 40.

n multo minor, quam inertium hominum numerus ſit, dum hac lege beneme-ntes iuniores arces à rep. portam mille ineptis, minuſq; probis occludis, qui ſi-e meritis admiſſi, remp. turbarent. Verum quemadmodum Deus, eiuſq; mini-ra natura, vt inſuetæ virtutis hominem producant, ſolitos & naturales limites uoſdam egredi videntur: ſic poteſt debetq; princeps, qui ipſe quoq; Dei mini-er eſt, diuinam in hoc maieſtatem imitari, præfixoſq; à legibus terminos relin-uere, permittens, vt iuuenili ætati, cum virtus antecedit annos, magiſtratus ne enegentur. At vero quantum dedeceat, vt lex iuuentutem ad ſupremum radum promoueat, innuit Salomon dicens, *Væ terræ, cuius rex puer eſt.*[c] Et ato, quem non ſine ratione antiquum Moyſem dicunt, profitetur, ne-eſſe eſſe, vt ſenes imperent, iuuenes obtemperent.[d] Quod Coruinus anno geſimo tertio ætatis ſuæ ad conſulatum admiſſus fuerit, vnicum eſt poſt 210. onſules, qui ipſum præceſſerunt, exemplum, & ratio, cur ita conſul creatus fue-t, attendenda eſt. Quod ſi ad ætatem Scipionis & Pompeii deuenerimus, nu-erus præcedentium Conſſ. multo maior eſt. Cur ergo non arguimus, & aſſeue-amus, imo Romanos arctum habuiſſe ætatis reſpectum, cum tot cētenis Conſſ. aribus hi pauci iuniores, qui admiſſi fuerunt, annumerentur? Nemo eſt, qui ve-ementius in laudem iuuentutis loquatur, quam Cicero, dum Octauium extol-t, cuius verba iuuat in medium afferre, cum quia ex iis clare apparet, Romanos d ætatem reſpexiſſe, tum etiam quia opinor, in excellenti hominum virtute im-edimentum ætatis locum non habere. *Legibus*, inquit, *annalibus maiores noſtri am grandiorem ætatem ad Conſulatum conſtituebant, adoleſcentiæ temeritatem ve-bantur. C. Cæſar ineunte ætate docuit, ab excellenti eximiaque virtute progreſ-um ætatis expectari non oportere. Itaque maiores noſtri, veteres illi, admodum anti-ui, leges annales non habebant: quas multis poſt annis attulit ambitio, vt gradus eſ-ent petitionis inter æquales: ita ſæpe magna indoles virtutis, priuſquam reipubl. prodeſſe otuiſſet, extincta fuit. At vero apud antiquos, Rulli, Decij, Coruini, multique alij: re-entiore autem memoria ſuperior Africanus, T. Flaminius admodū adoleſcentes conſules acti, tantas res geſſerunt, vt Populi Roman. imperium auxerint, nomen ornarint. Quid Macedo Alexander? cum ab ineunte ætate res maximas gerere cepiſſet, nonne tertio, & riceſimo anno mortem obijt? quæ eſt ætas noſtris legibus decem annis minor, quam conſu-aris, ex quo iudicari poteſt, virtutis eſſe, quam ætatis curſum celeriorem.*[e] Sic exi-mius ille orator: ad quem addo maxime obſeruandum eſſe, cum quis de Ro-manis, videlicet aliquid illos feciſſe, aut dixiſſe, vel non, pronuntiat, quo id empore dictum actumve ſit: aut num circa hæc ſimul cum temporibus varia-uerint, an in iiſdem perſtiterint, quia alioqui in ſupinos craſſoſq; errores incide-re poteſt. Sic Tacitus intelligendus eſt, vbi de ſpectaculis gladiatorum mentio-nem inducens, ipſe quoq; eadem fere teſtatur, *Apud maiores*, inquiens, *virtutis id præmium fuerat, cunctiſq; ciuium, ſi bonis artibus fiderent, licitum petere magiſtratus, ac ne ætas quidem diſtinguebatur*,[f] & quæ ſequuntur. Verum legibus promulga-

tis, an-

[e] *Philipp. 5. in fine.*

[f] *lib. 11.*

tis, annorumq; terminis ad petendos honores præfixis (quod accidit anno vrbis 573. quo T. Iunius Tribunus plebis primus fuit, qui leges annales propoſuit, vnde ex Annalium familia cognominatus eſt) ex Ciceronis loco citato colligitur, reip. tempore ætatis rationem habitam fuiſſe; perinde vt apud Tacitum tempore principum, ipſos Impp. cupientes, vt filii ſui ante ætatem conſulatum, cæteroſve in rep. gradus obtinerent, à Senatu id precibus contendiſſe, non ignoramus. Nam Tiberius pro Nerone Germanici filio petiit *quinquennio maturius, quã per leges liceret, quæſituram.* [g] Et à Claudio virilis toga Neroni maturata eſt, quo capeſcendæ reip. habilis videretur, & Cæſar adulationibus Senatus libens ceſſit, vt viceſimo ætatis anno conſulatum Nero iniret: atq; interim deſignatus, procõſulare imperium extra vrbem haberet, ac princeps iuuentutis appellaretur. [h] Et alibi Annius Corbulonis gener, ſed nondum Senatoriæ ætatis, quintæ legionis legatus creatus fuit, [i] aliiq; innumeri. Falſo igitur aſſerunt, Romanos in petendis dignitatibus nullum annorum habuiſſe reſpectum.

[g] lib. II. [h] lib. II. [i] lib. 15.

Ad ciuitatem amplificandam pertinere, vt peregrini alliciantur & admittantur.

DISCVRSVS VI.

QVanquam Claudius, vt nemo neſcit, ſuæ mentis impos princeps eſſet, nihilominus, quemadmodum noſtris temporibus de hominibus, qui bene differentes, ſtolide operantur, illud vſurpamus, ipſos in lingua cerebrum habere; ita de illo idem tuto effari poſſumus, quod ſcilicet pereleganter diſſerendo, vtq; mente captus agendo, non in capite, ſed in lingua mens eius inſederit. Idcirco de ipſo Auguſtus ad Liuiam vxorem ſuam, auiamq; Claudii ſcribens, hæc adnotanda verba ſubiungit: *Diſpeream mea Liuia, niſi obſtupeo, qui mihi Tiberius tuus, quem declamantem audiui, placere potuerit.* [a] Vnde mirandum non eſt, ſi Tacitus inducens ipſum orantem in Senatu, ac ſuadentem, vt primores Galliæ in Senatum reciperentur, egregiam eundem fingit orationem recitauiſſe aduerſus eos, qui ne Galli admitterentur, contendebant. Oſtendit igitur Claudius, Vrbem Romam ad eam magnitudinem perueniſſe, Iulios Alba, Coruncanios Camerio, Portios Tuſculo in ciuitatem recipiendo, eandemq; viam Etruſcis, Lucanis, omnibus Italis aperuiſſe. Poſtremo ipſam ciuitatem ad alpes promotam, vt non modo ſinguli viritim, ſed terræ genteſq; in vnum coaleſcerent: & quemadmodũ non pœnitebat Balbos ex Hiſpania, nec minus inſignes viros ex Gallia Narbonenſi ſuſcepiſſe, quorum poſteri adhuc manebant, nec amore in patriam cuiquã concedebant; ſic aſſerebat, Gallis aditum intercludendum non eſſe, vtpote qui iam moribus, artibus, affinitatibus Romanis mixti, aurum & opes inferre potiùs, quam ſeparatim habere debebant. [b] Igitur ex his neceſſarium eſt, nullum ſine aduenis, aut vix vllum ciuitatis augmentum fieri poſſe: Non tamen vicinarum ci-

[a] Suet. in Claud. [b] lib. II.

rum ciuitatum ruinæ quærendæ, vt non nemo diſſerit,[c] hoc enim tunc ſolum expedit,cum diruendæ ciuitatis nondum magnum eſt incrementum, quo pacto Roma creuit Albæ ruinis, alioquin ſi poſtquam vicina ciuitas creuerit, diruatur, hoc medius fidius nimio cum diſpendio fieret; ſed aduenæ ex aliis ciuitatibus alliciendi, variiſque artibus attrahendi. Creſcunt quoque ciuitates, ſi regia ibi ſedes, vel reſpublica ſplendeſcat; ſi frequens ſit commercium, qualis eſt Venetiarum ciuitas, licet aduenas reipublic. dignitatum participes nunquam efficiat; nam hi ratione vtilitatis contendunt illuc; quod ſi perpetuo non commorantur, hoc nihil refert, quia ſatis eſt, vt ciuitas ſuis nunquam inquilinis careat. Creſcunt etiam ratione artium, ac ſtudiorum: vnde certum eſt, Lutetiis Parrhiſiorum adeo ingentem eſſe ſcholarium numerum, vt reges illi non ſemel eorum viribus vſi fuerint. Religio quoque ciuitatem amplificare poteſt, imo Delus multitudinem populi ex templo illo nacta eſt, *vndiq; ad affirmationem maieſtatis concurrentibus hominibus.*[d] Abundant etiam peregrinis & hoſpitibus ciuitates, quæ ita ſitæ atque locatæ ſunt, vt neceſſario peregrinantes ad illas appellere,atq; illac tranſire neceſſe habeant. Sed vtplurimum ciuitates,quæ regnorum aut rerumpub. ſedem continent,mirifice adaugentur iudiciis tam ciuilibus, quam criminalibus, atq; appellationibus, quæ omnibus ex ditionibus ſubiectis illic celebrãtur. Augeſcunt pariter, cum peregrini ad dignitates admittuntur,vt olim & modo Romæ: quin etiam perraro, prorſusq; ſingulari exemplo caput & membra ſtupendæ illius non minus reip. quam monarchiæ vtplurimum,imo ſemper magis aduenæ, quam indigenæ eſſe conſueuerunt. Verum iuuat oſtendere, quo pacto ciuitates regiæ creſcant, & ſigillatim Neapolis aucta fuerit. Nunquam aſſeram, Neapolim ideo creuiſſe,quod totius regni nobilitatem complexa fuerit:nam hoc ego vix incrementum putarem,quia multitudinẽ id potius eſſet transferre,quam ciuitatem maiorem efficere,ſed verius,quia Gallorum atq; Hiſpanorum præcipuam nobilitatem ſucceſſiue deflorauit: Qui ius ciuitatis non minus quam ipſimet Neapolitani conſecuti, paruo temporis curriculo regiam illam non modo frequentiſſimam, ſed etiam illuſtrem reddiderũt. Obiiciet aliquis. Ergo vt patria mea frequentius incolatur,& pomœria dilatet, optandum mihi eſt, vt à Gallis modo occupetur, modo ab Hiſpanis? Hoc auerrũcent Dii: non hæc mea eſt cogitatio. Verum ſicuti docuerunt nonnulli, vt ex mala re bonum eliciatur, pari quoq; ratione nos ex hoc exemplo emolumentũ paremus. Quandoquidẽ etiamſi hæc inquilinorum multitudo malum quid videatur, tamen proceſſu temporis vtilitatem parit. Propterea quod eodem tempore plura princeps efficiet: primo in ciuitatem vectigalia reditusq; plures congregabit, deinde contra ſubditorum ciuium ſeditiones firmiſſimo præſidio, quatenus neceſſe fuerit, ſe muniet: prẹterea in iis ciuitatibus, vnde inquilini illi, ſiue vt aulicam vitam ducant, ſiue vt aliter domicilium contrahant, prodierunt, amicos ipſorum opera nanciſcetur, qui amici vt maxime prodeſſe principi valeant, haud raro ſolet cõtingere. Demum ciuitatem ſuam ampliorem faciet, quo noſtra ten-

[c] *lib. 2. c. 4.*

[d] *Iuſt. l. 24.*

debat diſſertatio,& hoſtiũ impreſſionibus validius reſiſtet. Hoc tamen veriſſimũ eſt,omnia hęc non ſatis eſſe,niſi etiã atq;etiã proſpexerit,ne in eos errores cadat, in quos leuiores homines faciliṁe prolabuntur:vnde tantum abeſt,vt nullam tibi vtilitatem pariant,vt etiam ſæpenumero damnum apportent. Quæ res aperte declaratur apud Tacitum,adeo vt nihil clarius vſquam legi queat,exemplo veteranorum quorundam,qui *Tarentum & Antium adſcripti,non tamen infrequentiæ locorum ſubuenere*, cauſam ſtatim ſubdit: *neq; coniugiis ſuſcipiendis,neq; alendis liberis ſueti,orbas ſine poſteris domos relinquebant.* Oſtendit autem prudentiſſimus hic ſcriptor,id antiquis probatum non fuiſſe,dum pergit: *nõ enim, vt olim, vniuerſæ legiones deducebantur tribunis & centurionibus,vt conſenſu & charitate remp.efficerent,non vt repente in vnum collecti numerum magis quam coloniam facerent.* [e] Debet itaq; comitatum,aulamque ſuam princeps ex peregrinis conflatam alere, operamq; nauare,vt indigenas vxores accipiant, eo inſtituto, vt filius in principatu hæres paternis veſtigiis inſiſtat; nam hoc pacto paucis poſt annis ciuitatem ſuam viris,opibusq; refertiſſimam conſpiciet.Neq; dicat quiſquam, emolumenta,quæ princeps aduenæ conceſſerit, ciui auferri;nam in aulica vita patria bona ſæpius diminuuntur,quam accumulãtur. Quod ſi ciues tuos ad ciuilia munia promoues,neque iis auita bona diripis, nihil habent, vnde conquerantur, quod ipſos ad honores,aulæq;officia non admittas;præterquam quod res ſuas meliore precio diſtrahentes , domosq; ſuas locantes,aliiſq; de cauſis non mediocria ex peregrinis emolumenta conſequuntur. Quod ſuperioribus temporibus Romani patefecerunt: ii enim vix aulam Pontificiam expulerant, vt ſtatim tædio damnoq; affecti reſipuerunt, eamq; reuocarunt, videlicet animaduertentes,quia,cui reditus venderent,non haberent,ſe in ſuis diuitiis pauperrimos eſſe.Regię ciuitates amplificantur ſimiliter ob feudorum multitudinem:quæ cum in familiis æterna nõ ſint,quod eæ aut extinguantur, aut quia patruus nepoti non ſuccedit, aut rebellionis,alteriuſve delicti,aliiſq;cauſis ad ſupremum dominum deuoluuntur,hinc ad recipiendos aduenas aditus aperitur. Quocirca præter Gallorum atq; Hiſpanorum nobilitatem, vt ſuperius diximus, clariſſimæ totius Italiæ ſtirpes Neapolim conuenerunt, quibus ciuitas illa mirum in modum illuſtratur. Et forte ſi quis enucleatius hanc rem diſſeruerit, alias inueſtigabit rationes , cur ciuitates adaugeri queant; nempe matrimoniis fauendo : cœlibatum,niſi religionis cauſa vetuerit, deprimendo : aduenis immunitates largiendo: iis, qui à tyrannis opprimuntur, commoditates, tutumq; , ac fidele refugium in ciuitatibus,quas incolant,concedendo.

[e] lib.14.

Suum

Suum vnicuique animum præparandum eſſe ad omnes fortunæ aduerſitates non minus quam proſperitates egregie tolerandas.

DISCVRSVS VII.

NVllum ſanius priuato, publicove homini conſilium dari poſſe puto, quam vt animum ſuum aduerſitatibus, item proſperitatibus, quæcunque euenire poſſunt, recte excipiendis, ne ſcilicet aut deprimatur aut corrumpatur, bene præparet. Nam qui hoc effecerit, certum eſt, fore, vt is rebus proſperis valde fruatur, in aduerſis vero dolori, ac deſperationi intrepidus occurrat: imo vtriſque animo firmatus, forti pectore vtramque fortunam ſuſcipiet, & aut verbis, aut nutibus, aut breuibus longiſve operibus certiſſima atque indubitata virtutis argumenta in mentibus hominum relinquet. Contra: quæ fatuitas illius eſt, qui tum demum viciſſitudinem fortunæ agnoſcit, cum in laqueum, aut ſecurim inciderit? vt Meſſalina, quæ dum occidenda erat, *tunc primum fortunam ſuam introſpexit?* [a] Ideo pulcherrimum eſt monitum illud Thraſeæ, cum accerſito quæſtori ad ſuæ mortis ſpectaculum dixit, *Specta iuuenis, & omen quidem Dij prohibeant, cæterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expedit conſtantibus exemplis.* [b] Quemadmodum ſummos adipiſci honores noſtræ non eſt facultatis, ſic nulla culpa noſtra eſt, ſi præteritam vitam honeſte actam indigniſſimus aliquando exitus comitatur. Cumque huiuſmodi caſus ineuitabiles ſint, at ignominia, quæ animi abiectione in iis contrahitur, euitari queat, par eſt, vt erecto animo eos expectemus. Vnde quanquam Valerius ſucceſſoribus Cæſaris adulari voluiſſe videtur, tamen quo modo, quantave conſtantia ac dignitatis reſpectu Cæſar ceciderit, perpendens, non iniuria de ipſo dixit, *Hoc modo non homines moriuntur, ſed Dij immortales ad ſuas ſedes reuertuntur.* [c] Neq; ſecus rex noſter Carolus II. ſe geſſit, cum ſibi morte denunciata, eam libenti ſe animo ſuſcipere profeſſus eſt, quod etiam Chriſtus pro nobis pati non dedignatus ſit. [d] Et Polixenæ

Maxima cura fuit morienti mortis honeſta. [e]

Præmeditabatur Nero, fieri poſſe, vt fortunæ viciſſitudinem experiretur, priuareturque imperio, ideoque artes priuato homine dignas didicerat: ſed cum re Populus Roman. cum hoſtem declarauiſſet, mirarer equidem, in tot eum queſtus & lamenta incidiſſe, niſi Nero fuiſſet. Neq; probe calleo, quo pacto quidam ducis Valentini ſagacitatem ad ſydera euehentes non erubeſcant: nam cum ſe ad omnia, quæ paternæ mortis tempore ſibi accidere poterant, cogitauiſſe profiteretur, ad illud, quod momenti maioris erat, animum non aduertit, hoc eſt, vt illo tempore, quo pater vita excederet, ipſe pariter ægrotus decumberet. Ve-

[a] *lib. 11.*
[b] *lib. 16. in fin.*
[c] *lib. 4. c. 4.*
[d] *Collenuc. l. 5.*
[e] *Eurip. Hecub.*

um extremis vitæ momentis pulchrum aliquod ac generoſum, ſiue ineptũ verbum proferre, vel non, parum referre videtur: quia tota moniti huius vtilitas in eo conſiſtit, vt, cum princeps cogitare teneatur, accidere poſſe, vt non modo regno aliquãdo deturbetur, ſed etiam miſerabiliter occidatur, aut (quod peius puto) in captiuitate detineatur, vitamq; miſerrimam ducere perdiu cogatur: ſic geſta, menteinq; ſuam componat, vt ſaltem illud excidium atq; aduerſitatem eum meruiſſe, nemo exprobrare poſſit, neq; ſuis damnis propriæ conſcientiæ tormẽtum ipſemet adiungat. Laudo pręterea, vt non modo mala animi commentetur, ſed etiam bona cogitatione comprehendat. Exiſtimo enim, ſi Chriſtiani nauale prælium contra Turcas nuperrimum ſe victuros, ante ſuſpicati fuiſſent; longe maiora ex eo emolumenta, gloriamq; auguſtiorem reportaturos fuiſſe. Requirit ratio, vt quamprimum quis ad dignitatem aliquam aſcenderit, vnde ad maius autoritatis faſtigium peruenire queat, illico mente agitet ſingula, quæ effecturus eſſet, ſi ad maiorem illam dignitatem ſublatus fuerit, quemadmodum Calixtus III. effecit, qui ante Pontificatum ſuum vouerat Deo, ſtatim ac ſedem illam occupauiſſet, contra Turcas arma ſe capturum, ſatiſq; ſuo voto fecit. Et nihilominus experimur, in ipſo maximorum honorum ingreſſu pleroſq; ita ſe gerere, vt cætera cuncta præ illis, quæ oportebat, commentati eſſe videantur. Neq; obſtat, huiuſmodi cogitationes ambitioſas videri; nam animum heroicis meditationibus occupauiſſe, in futuris caſibus & neceſſitatibus nunquam poteſt officere: dũmodo L. Sillani fatuitatem effugiat, qui, *tanquam imperii curam, diſpoſuit, præfecitq; rationibus, & libellis, & epiſtolis libertos.* [f] In quo prius Torq. Sillanus patruus eius errauerat, [g] & dummodo heroica non credatur eſſe conſultatio Libonis illa, *an habiturus foret opes, quis viam Appiam Brunduſium vſq; pecunia operiret.* [h] Id enim potius inſanum, quam magnanimum foret. Neq; fuit iis Metius Pompoſianus ſapientior, cum depictum orbem terrę in membranas, quaſi illum ſubiugaturus, haberet. [i] Nam qui ſapiunt, huiuſmodi meditationes publico, non priuato bono fouent; decetq; eos laborare magis, vt principatu digni videantur, quam vt nimiam eius cupiditatem, quæ diſſimulanda eſt, præ ſe ferant, ne id conſequantur, vt intellecto ambitu, eorumq; ſeueritatis, ne dicam feritatis timore increbeſcente, contra ſe cœlum & elementa, nedum homines concitent. Etſi enim contra Deum nulla vis, nulla repugnantia prodeſt, tamen vulgus hominum diuina non conſiderantium, quod ſupremos honores non obtinueris, tuiſq; cupiditatibus excideris, non diuinę id voluntati, ſed tuo furori inſaniæque adſcribet.

[f] lib. 16.
[g]
[h] lib. 2.
[i] Suet. in Domit.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

SCIPIONIS AMIRATI

DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM

IN C. CORN. TACITVM,

LIBER DVODECIMVS.

De regnatiua prudentia.

DISCVRSVS I.

IN celebri illo conſilio, quod præpotentes Claudii liberti Pallas, Caliſtus, Narciſſus de nouo Cæſaris matrimonio iniuere, Iulia Agrippina Lolliæ Paulinæ & Æliæ Petinæ præfertur non modo ob fœcunditatem, & iuuentutem, ſed *ne femina experta fœcunditatis, integra iuuenta, claritudinem Cæſarum aliam in domum ferret.*[a] Nam quod eſſet hæc Agrippinæ filia, quę Iuliam Auguſti filiam matrem habuit, Claudio par videbatur. Hic locus requirit, vt de iure dominationis, ſiue de regnandi ſapientia, quam *rationem ſtatus* dicimus, nonnihil diſſeram. Siquidem ita mihi videtur (niſi mea me illudit inſcitia) cum totos dies hoc, vel illud iure regnandi fieri, vel omitti dicimus, quid proprie, ac vere hoc nomen, ius regnatiuum denotet, plerunq; non ſatis intelligi. Et quoniam apud Latinos, & apud Etruſcos habemus & ius naturæ, & ius ciuile, & ius belli, & ius gentium: ideo non abs re diſcutiendum videtur, quid vnumquodq; eorum ſit, vt melius ius dominandi percipiatur, & an alterum horum iurium alteri præpolleat; quemadmodum facilior ex cognitione animæ vegetantis ad ſentientem, & à ſentiente ad rationalem fit

[a] *Tac. lib. 12.*

tranſitus. Quocirca ratiocinamur, quaſi gradatim philoſophantes, terram genitam eſſe propter herbas, herbas propter feras, feras propter homines, & per conſequens intelligimus, hominē propter Deum creatū eſſe. Neq; dubitandum eſt, cum omnes homines ex eodē terræ limo creati fuerint, quin inter eos nulla graduum, nulla nobilitatis differentia ſit iure naturæ, ideoq; omnes æquo iure liberos naſci, & cuncta naturæ munera omnibus abſq; diſtinctione diſpertita eſſe. Sic per conſequēs maris, & fœminæ coniunctio, filiorumq; educatio non aliunde, quam à naturalibus legibus deriuantur, cum etiam bruta animantia naturæ inſtinctu Venereis coniunctionibus, & filiis educandis operam dent; vnde homines ex ſylueſtribus cubilibus ad domos arte conſtructas reuocati, iis domibus multiplicatis, ciuitates effecerunt; vtque ſocietatem initam conſeruarent, ius aliquod communiter approbauerunt. Proinde inter eos receptum fuit, vt non victus communione vterentur, ſed peculiariter vnuſquiſque ſuum agnoſceret; atque hinc materia emptionum, venditionum, locati, mutui, ſimiliumque contractuum exorta eſt. Quamobrem quiſquis omnia attento animo circumſpexerit, is, naturalem legem à lege ciuili in pleriſque reſtrictam fuiſſe, comperiet: vnde ſi quis alienis bonis, quaſi hoc natura conſentiat, vteretur, ſummo ſibi ſtudio damnum, dedecuſque procuraret. Igitur dum ciuilis lex naturæ derogauit, nihil mali commiſit: ſed ille peccaret, qui ipſam verbis etiam, nedū factis impugnaret. Nihilominus tamen inter populos diuerſarum ciuitatum, atque nationum, ob cauſas diuerſas hinc inde pleriſque, variiſque diſſidiis, & contentionibus exortis, quæ à ciuilibus magiſtratibus, neutris populis negantibus morem gerere, ſedari non poterant; hinc ſubſequenter bella incepta fuerunt, & cum iis aliud ius emerſit, quod ius bellicum appellatur: quod non ſolum inſtar ciuilis legis, naturali legi ſeſe oppoſuit, ſed etiam eidem legitimo iuri obſiſtens, quod cæteri legitime acquiſiuerunt, occupauit, & armorum iure ſibi proprium, adeoque ſuum effecit, vt nemo vnquam dixerit, hoc non eſſe iuſtum, licet violentum, acquirendi genus. Verum quoniam ex diuerſis rebus, quæ accidunt, emergere ſemper aliqua videntur remedia, quibus vel in principio, vel in medio, vel in fine bellorum inter diſcordantes populos conuentio, & concordia connectatur; atq; idcirco neceſſe eſt, vltro citroq; homines mittere, qui de iis conuentionibus agant, quæ à Tacito appellantur *belli commercia*, [b] coacti ſunt initio cuncti populi, mutuo rancore, atque odio minime obſtante, conuenire, vt inuiolabiles vtrinque forent ii, qui legationis munere fungebantur; quod ius regulas bellici iuris correxit, & ius gentium vocatum eſt, de quo nobis erit ſermo, vbi de iure legatorum agamus. [c] Igitur apparet, ius naturale à ciuili, ciuile à militari, militare à iure gentium quodammodo correctum fuiſſe. Quod tamen ita interpretamur, vt non effreni quodam impetu, ſed imo aliquibus frenis, ac retinaculis adhibitis, altera lex alteri ſubiecta intelligatur. Adeo vt ciuile naturali, militare ciuili, ius gentium cæteris legibus nequaquam in omnibus derogauerit, ſed vnaquæque lex finibus terminiſque

[b] *lib. 16.*

[c] *lib. 15. diſc. 4.*

ſuis,

uis, extra quos non liceat diuagari, contineatur. His quatuor iuribus declaratis, quid ſit ius dominandi, videndum ſupereſt; an ſcilicet, quemadmodum ciuilis lex partim, verbi gratia, naturæ derogat, partim iure belli derogatur, ſic ius regnandi omnibus iuribus præiudicet; & ad ſummam peruidendum eſt, quibus terminis circumſcribatur. Quod ſi id attentius diſquiſiuerimus, nunquam merum dominandi ius inueniemus, quod non aliquam legem obumbret; quemadmodum exemplo, quod nuper allegauimus, perſpicuum eſt. Nam cum ob patriæ leges nequeat Claudius neptem, hoc eſt filiam fratris ſui Germanici vxorem ducere, legitimo iure contempto, iure dominationis eam ducit, ne claritudinem Cæſarum aliam in domum ferret. Vnde dilatato in alias familias Cæſarum ſanguine, & multitudine eorum, qui ad imperium adſpirare aliquo iure poſſent, enata, prætextus publicæ tranquillitatis turbandæ deinceps oriretur: ex quibus ratio dominandi ſemper beneficium publicum proſpicere videtur: Quod ipſum altero denegato matrimonio non minus clare, quam huius conceſſione docentur: vtrumque autem contra legem fuit. Nam ſi acute perſpiciamus, cur Tiberius Agrippinæ nurui maritum, quem iuſte petebat, denegaret, inueniemus, nullam aliam ob cauſam Tiberium interceſſiſſe, niſi quia non ignorabat, *quantum ex repub. peteretur*,[d] filii ſiquidem ex ea ſuſcipiendi cum Auguſto pronepotes futuri eſſent, reſpub. ob multiplicatos eos, qui imperium ſperarent, admodum vexata fuiſſet. Igitur minor ratio maiori concedit, hoc eſt, cum Claudius propter leges ciuiles neptem matrimonio ſibi iungere nō debeat, iungitur tamen potentioris iuris ratione, quod eſt publicum beneficium. Cum autē Agrippinę matri ſecundum leges ciuiles vir concedēdus eſſet, negatur nihilominus ob idem publicū bonū, quod diximus: Adeo vt concludēdum eſſe videatur, ius regnatiuū, ſiue rationē ſtatus, aliud non eſſe, quā iuris ciuilis propter publicū beneficium, aut propter maiorem aliquē, & magis vniuerſalem finē derogationē. Quod ſi aliquis mihi diceret. Ergo non erit vnquā ius regnandi, niſi cōmuni iuri contraueniat, eidemq; maiorē, & magis vniuerſalē rationē præponat? Reſpōdeo me nō caſu, neq; abs re cætera iura, naturale, legitimum, bellicū, gentiū in mediū attuliſſe, niſi vt oſtendā, omnes humanas actiones his legibus diſponi. Neq; dicēdum eſt, aliquē principem iure dominationis vti, ſi alio quopiā ordinario iure id egiſſe dici poteſt. Etenim quemadmodum non deſunt, qui iure belli aliquid ſe poſſidere, aiunt, quia nequeunt aſſerere illud ſe poſſidere aut emptione, aut dote, aut ſucceſſione, aliove iure ciuili: ſic tunc aliquid iure dominandi factum dicetur, vbi nullum ex dictis iuribus allegari poteſt: hocque pacto nunquam non erit ordinarii iuris contrauentio ob maioris & magis vniuerſalis rationis reſpectū. Cui opinioni meæ vt quicunq; hęc legerit, acquieſcat, curabo, vt nonnullis exēplis eam ſuffulciā. Etenim ſi quis Romulū interrogaret, cur Romā inſtituēs, aſylū permiſerit, hoc eſt, primo omniū edicto ꝓmulgato, nequiſſimos homines congregauerit.[e] Equidē nihil reſpōderet aliud, niſi id imperādi iure à ſe factū fuiſſe, ideoq; iuri ciuili, ꝙ iniquos caſtigat, obuiam iuiſſe, quo ciuitatē ex-

[d] lib. 4.

[e] Liu. lib. 1.

ſtrueret,

ſtrueret, quæ malos eo tempore homines ſuſceptos mox bonis legibus erudiens, idonea euaderet ad orbem terrarum vitiis expurgandum. Sic virginum Sabinarum raptum quo iure excuſabit, niſi generationis, multitudiniſque augendæ deſiderio? qui raptus paullo poſt vtilior euaſurus fuerat, quam initio detrimentum exiſtimabatur.[f] Et Moyſes aſyla introduxit, ſed illorum tantummodo ſaluti, qui non voluntarium homicidium commiſiſſent.[g] Conſilium illud Auguſti *coercendi intra terminos imperii*,[h] non congruit Romanorum conſuetudini, qui, vt imperium propagarent, maximopere contenderunt, ſed proſpectis eminus periculis, quæ euenire poterant, monitum illud ſucceſſoribus ſcripto reliquit. Cum autem ad prouincias gubernandas Senatores mitterentur, & ipſe Ægyptum ſecreuiſſet, ad quam neque Senatori, neque illuſtri Equiti proficiſci liceret, tunc id nihil erat, niſi communi iuri, quo prouinciæ Senatoribus committebantur, derogare. Quæ tamen derogatio propter bonum publicum tuendum inducebatur, quia ſi maximæ autoritatis viri illuc ablegati forent, Romanam ciuitatem perturbare, imperiumq; confundere potuiſſent. Si hactenus hoc imperandi ius quodammodo delineaui, atque adumbraui, reliquum eſt, vt quomodo perficiatur, adeo vt omni vitio careat, ſuiſque ornamentis eniteat, oſtendamus, ne à cæterarum virtutum communione, atque commercio per homines doctos in ſcholis, in concionibus, & ſcriptis expellatur, quemadmodum nonnulli fecerunt; nam cum quædam bono, ſiue malo iure belli facta eſſe dicantur indecorum eſt enuntiare, id ſolo imperandi iure, & inique factum fuiſſe. Neque dubium eſt, quod Camillus ait, *eſſe & belli, ſicut pacis iura*, iuſque dominandi ſuos fines, terminoſque habere, quos vltra iuſtitia, & bonitas nequaquam conſiſtit, ſed tyrannis, & carnificina potius, quam pietas, & æquitas exercetur. Sicuti ergo omnibus iuribus præcellit, ita vnico iuri diuino, vt ſubiiciatur, æquiſſimum eſt. Quocirca quemadmodum ſi particulare bonum, & vniuerſale bonum inter ſe concurrant, par eſt, vt propter publicum bonum priuatum damnum præferatur, quare iuri ciuili ius imperandi præcellit: ſic quoties imperii reſpectus cum diuino reſpectu comparatur (hic autem religio, ille ratio ſtatus dicitur) æquum eſt, vt religioni potior locus reuerenter, & vltro concedatur. Quoniam vero exemplis, & autoritate antiquorum inniti, iucundum eſt, ne quis putet, ſolum velle me ſapere videri, adducam ſimilitudinem bellici iuris, & religionis, vt, quomodo ratio ſtatus cum religione conuenire debeat, ex rebus geſtis deprehendatur. Cum itaque Athenienſium legati contra Philippum regem in concilio Ætolorum faterentur, *Non eſſe ſibi conquerendum, quod hoſtilia ab hoſte paſſi fuerint: eſſe enim quædam belli iura, quæ vt facere, ita pati ſit fas: ſata exuri, dirui tecta, prædas hominum pecorumq; agi, miſera magis, quam indigna patienti eſſe: id ſe queri, quod Philippus, qui Romanos alienigenas, & barbaros vocet, adeo omnia ſimul diuina, humanaque polluerit, vt priore populatione cum infernis Diis, ſecunda cum ſuperis bellum nefarium geſſerit*,[i] innuens, etiamſi iure belli omnia ſuperius dicta licita erant, non tamen fas eſſe cum Diis inferis, & cælitibus bellum gerere, nempe templa, ſepulchra, monu-

[f] ibid.
[g] Deut. c. 10.
[h] Tac. l. 1.
[i] lib 31.

monumentaque violando. Hic pauliſper ſubſiſtendum eſt: nam quidcunque iuri dominandi liceat, nunquam vt ſacrum ius proculcet, licebit. Quod quidem non adeo obſcurum eſt, vt cuilibet Chriſtiano homini legibus, & moribus non perſpicuum ſit, minime licere ob vitam ſeruandam caſtra ſuæ religionis deſerere, & ad aliena transfugere: quandoquidem opinio Elcheſetorum tanquam hæretica damnata fuit, aſſerebant enim corporeæ ſalutis cauſa fas eſſe religioni verbis renuntiare, modo corde retineretur.[k] Agedum, ſi tibi princeps, oppetendam potius mortē, quam Chriſtum abnegandum eſſe, liquet, ad quid noſtris temporibus tot diſputationes, quibus propter ius imperandi omnia humana, diuinaque poſtponenda præſcribi videtur? vt Iudæi fecerunt, qui ideo Chriſtum crucifixerunt, *Venient Romani, & tollent regnum noſtrum, & gentem.*[l] Nam ſi propter religionem mouebantur, cur de tributo illum tentauerunt?[m] vel cur Pilato minati ſunt, niſi eum puniuiſſet, non fore amicum Cæſaris?[n] Vtque non indiciis, ſed clariſſimis argumentis conſtet, gentiles Romanos hoc caſu probiores Iudæis fuiſſe, cum religionem ſuis commodis antetulerint, perpendamus, ipſos Romanos ſacrorum noſtrorum ignaros ſolo rationis, & virtutis ductu ſupremam reipublicæ ſalutem in religione poſuiſſe: ideoque axioma hoc ſtabiliamus, vt Dei cultu, & iure dominandi in trutina collocat s, præponderet ille, hoc minoris æſtimetur. Exemplis autem inſiſtentes, reminiſcamur autoris noſtri, apud quem orto diſſidio, num Flamini Diali egredi Italia ad prouinciam gubernandam liceret, conſultus Pontifex maximus Tiberius,[o] reſpondit, non poſſe Dialem ſacrorum cauſa in prouinciam proficiſci.[p] Ad quod probandum exemplum L. Metelli Pontificis adducit, qui ſimili cauſa Aulo Poſthumio Flamini Martiali de vrbe exire vetuit; & hoc eodem tempore Liuii hiſtoria deeſt: ſed eius tantum compilator pauculis verbis meminit.[q] In cuius facti narratione Valerius Maximus meminit, Poſthumium non modo Flaminem, ſed etiam Conſulem fuiſſe, in Africam ad bellum gerendum iturum; quem Metellus vrbem egredi paſſus non eſt, *religioniq; ſummum imperium ceſſit.*[r] Neque multo poſt eodem loco pergit, inquiens, *omnia namque poſt religionem ponenda ſemper noſtra ciuitas duxit: etiam in quibus ſummæ maieſtatis conſpici decus voluit: quapropter non dubitauerunt ſacris imperia ſeruire, ita, ſe humanarum rerum futura regimen, exiſtimantia, ſi diuinæ potentiæ bene, atque conſtanter fuiſſent famulata.* Et huic Metelli & Poſthumii contentioni perſimilis eſt illa, quæ multis poſt annis ſubſecuta eſt inter P. Licinium Pontificem maximum, & Q. Fabium pictorem Flaminem Quirinalem, in qua *religio ad poſtremum vicit, & dicto audiens eſſe Flamen Pontificis iuſſus.*[ſ] Non ſunt ea, quæ diximus, parui momenti: at quia Capuani, quos Samnites vexabant, multis rationibus ius dominandi ſpectantibus, Romanos exhortati ſunt, vt ipſos in amicitiam reciperent; Romani vero ſolo, neque alio religionis reſpectu cuncta poſtponunt, non abs re fuerit id pro coronide huius materiæ aliquantum examinare. Primum eſt, quod cum Capuani propter ciuitatis nobilitatem, propter agri fertilitatem, primū poſt Romanos locum in Italia

[k] *Damaſ.*
[l] *Ioan. c. 11.*
[m] *Marc. c 12.*
[n] *Ioan. c. 19.*
[o] *lib. 3.*
[p] *ibid.*
[q] *Flor. lib. 19.*
[r] *lib. 1. c. 1.*
[ſ] *Liu. l. 37.*

obtineant, magnum ditioni Romanæ additamentum fieret, ſi in vnum corpus coaleſcerent. Autoris hæc verba, *Capuani, etſi fortuna præſens magnifice loqui prohibet, non vrbis amplitudine, non agri vbertate vlli populo plus quam vobis cedentes haud parua, vt arbitror, acceſſio bonis veſtris in amicitiam venimus veſtram.* Alterum caput eſt, quod cum Romani inimicitiam, bellumque cum Æquis, & Volſcis, qui populi inter vrbem, & Capuam ſiti ſunt, exerceant, ſi hoc fœdus iniretur, illi populi duobus hoſtibus vtrinq; diſtraherentur: nam æquitati conſentaneum foret, vt Capuani pro Romanis ea facienda curarent; quæ modo Romani pro Capuanis præſtant. Ideo ſequitur: *Æquis, Volſciſq; æternis hoſtibus huius vrbis quādocunq; ſe mouerint, ab tergo erimus, & quod vos pro ſocietate priores feceritis, id nos pro imperio veſtro, & gloria ſemper faciemus.* Tertium eſt, quod cum fieri nō poſſit, quin ii populi virtute Romanorum breui ſubiugentur, maxime opem ferentibus Capuanis (etſi id modeſtiæ cauſa reticent) Romani imperium ſuum ad fines vſque Capuæ dilatarent: *Subactis iis gentibus, quæ inter nos, voſque ſunt, quod propediem futurum ſpondet & virtus, & fortuna veſtra, continens imperium vſque ad nos habebitis.* Quartum omnium commodiſſimum erat, quod cum Capuani in eo ſtatu verſentur, vt aut amicis, aut inimicis ſe dedere cogantur, deliberarent Romani, quid horum ſua magis intererat. *Capuam ergo, & Campaniam omnem veſtris, an Samnitium viribus accedere malitis, deliberate.* Ad hæc Romani magnitudinem Capuæ, diuitias, fertilitatem agri, maris opportunitatem, cæteras vtilitates conſiderauerunt, neque tamen ſupplicibus ſatisfaciendum putarunt. *Cum conſultus*, inquit Liuius, *Senatus eſſet, etſi magnæ parti vrbs maxima, opulentiſſimaque Italiæ, vberrimus ager, marique propinquus ad varietates annonæ horreum populi Romani videbatur.* Cur igitur occaſionem præteruolare ſiuerunt? *Tamen vtilitate fides antiquior fuit.* Proinde Senatus autoritate reſpondet Conſul, *Auxilio vos, Campani, dignos cenſet Senatus, ſed ita vobiſcum amicitiam inſtitui par eſt, ne qua vetuſtior amicitia, ac ſocietas violetur: Samnites nobiſcum fœdere iuncti ſunt: itaque arma Deos, priuſquam homines violatura aduerſus Samnites vobis negamus.* [1] Hic tota huius diſputationis ſumma deliteſcit: nam nequicquam ſuperius dictas quatuor rationes, & iura dominandi attulerunt, præualente vno Deorum cultus reſpectu, quem violare arma contra Samnites capiendo, & Campanis fauendo iniquum putabant. Verum, vt appareat, nunquam non inremuneratos abire illos, qui zelum Dei rebus humanis præponunt, Capuani Romanorum ſocietatem deſperantes, eorum dominatui ſeſe ſubiecerunt, & dedititii eſſe maluerunt. Itaque dum hac deditione legitimam arma aduerſus Samnites capiēdi anſam Romanis præſtiterunt, reuera aſſeri poteſt, hoc, neq; allud vllum fuiſſe propinquius principium, ſolidiuſque fundamentum ad reliquam Italiam ſubſequentibus ſeculis ſubiugandam. Neq; ſolum ius regnandi immediate religioni iuxta exempla, quæ attulimus, decedere debet: verum vbi manifeſta, certaq; æquitati fieret iniuria, negamus, regnatiuæ legi tantum auctoritatis competere, vt imperantes, cæteris poſthabitis, ſuis debeant cupiditatibus obtemperare. Cuius rei notabile illud ex-

[1] lib. 7.

emplum

emplum eſt Athenienſium, cum dicēte Ariſtide, nihil eſſe Themiſtoclis conſilio reip. vtilius, ſed parum illud cum honeſtate conuenire; extemplo reſpondit populus, non placere ſibi tale conſilium.[u] Poſſet non nemo mihi obiicere, hoc ius imperatiuum ſi tot limitationibus reſtringatur, ampliſſimis iis priuilegiis, quæ ipſi debentur, priuatum iri; Neque tantum cæteris iuribus non præcedet, ſed eorum aliquibus fortaſſe ſubiacebit. Reſpōdeo: eius priuilegia omnino ampliſſima eſſe, dūmodo vtilitas, quæ ſperatur, lōgo ſit interuallo maior, ſitq; magis vniuerſale beneficium, quam damnum illud, quod particulatim gignitur, vnde ciuili, & ordinario iuri detrahitur, ac derogatur: verbi gratia; Romulus non edixit, vt vnicuique malo eſſe liceat, verum iis, qui criminibus noxii erant, vt Romam confugiant, aſylum largitur. Quod malum non eiuſmodi eſt, vt cedere non debeat vtilitati, quæ ex vrbis incremēto ſperatur. In conſilio autem Themiſtoclis de comburendis Græcorum claſſibus, vt Athenienſes maris dominatum arripiant, apparet detrimentum maius eſſe, quam vtilitatem, quæ inde ſperabatur. Nam vt vna Græciæ reſpub. qualis erat Athenienſium, propagaretur, omnes Græcorum reſp. quæ plurimæ erant, detrimētum capiebant. At vero ſi quis horum vi exemplorum ductus, à contrariis arguendo, diceret; Imperatores Turcarum ſapienter agere, dum fratres ſuos interficiunt, quia trium, quatuorve hominum nece multorum millium, quæ in bellis inter principes Otthomanos alioquin gerēdis, perirent, ſaluti prouidetur: Reſpondeo, id non conſequi: propterea quod hoc modo non ſolum naturæ leges, ſed etiam diuinæ, quę non permittunt fratri fratrem occidere, offenderentur. Sed huius erroris cauſa in eo conſiſtit, quia fieri nō poteſt, vt imperium flagitio quæſitum bonis artibus exerceatur.[x] Et aut mihi dices, hanc non eſſe Turcarum legem, ſed peſſimum eorundem morem à potentiorib. introductum, & hoc ipſo fateris, hoc eſſe ſummū Turcarum flagitium: vel dices, legem eſſe, atq; idcirco ipſorum ſacerdotes conſcientias Imperatorum onerare, niſi fratres ſuos interficiant: neq; vllus hoc aptior locus eſt ad comprobandam, ſi ita oppoſueris, legis Maumethanæ malitiam. Nobis item Chriſtianis non licet, Iudæis filios eripere, vt eos Chriſtianis ſacris initiemus, quamuis infinitum iis beneficium conſequeretur: nam patres filiis ſuis priuarentur, qui cum in ipſorū poteſtate naſcantur, nullo prætextu decet, vt per vim iiſdem abripiantur.[y] Igitur ne in hoc turpiter erremus, oportet non tantum circumſpectos, & attentos eſſe, ne magnitudo beneficii deſideretur, quale eſt, ne tot millia hominum pereant, ſed etiam atq; etiam attendendum eſt, quale ſit ius illud, cui ratio ſtatus opponitur. Vbicunq; enim ſe non opponit religio, pleraq; ex priuatis iuribus, velimus, nolimus, vni iuris dominationis, bonoq; publico cedunt, vt, verbi gratia, domunculæ alicuius ſitu ſuo ciuitatem deformātis dominus eam tenetur demoliri, quo patria pulchrior, atque ornatior fiat. Non negabo, in ſimilibus caſibus pro egregio charitatis, & humanitatis officio curandum eſſe, quatenus opus ſit dandamq; operam, vt vnuſquiſq; non illibenter, neq; grauatim, ſed ſponte ad ea deſcendat concedenda, quæ ſibi damnoſa in publicam vtilitatem concedunt. Quæ regnandi ars à Romanis egregie obſeruata eſt. Qui licet ſimul cum L. Tar-

[u] *Plutar. in Them.*

[x] *Tac. lib. 17.*

[y] *S. Thom. 2. 2. q. 10. c. 12.*

quinio Collatino Roma reges abegiſſent, nihilominus conſiderantes, dum ex ea ſtirpe aliquis in ciuitate remanſiſſet, nunquam rempub. tutam fore, conſul Brutus conſulem Tarquinium collegam ſuum rogat, vt ſponte patriam timore liberet, his verbis: *Hunc tu tua voluntate Tarquini remoue metum*: ad hæc illa ſubiungens: *Meminimus, fatemur, eiecisti reges: abſolue beneficium tuum; aufer hinc regium nomen: res tuas tibi non ſolum reddent ciues tui, autore me, ſed ſi quid deeſt, munifice augebunt: amicus abi; exonera ciuitatem vano forſitan metu: ita perſuaſum eſt animis, cum gente Tarquinia regnum hinc abiturum.*[a] Tandem conſuli neceſſe fuit abire cum obſeruaret, inuito ſibi diſcedendum, niſi ſponte diſceſſiſſet, ne cæteri ſimili exemplo moti mandatum diſceſſum negligerent, ac detrectarent. Concludamus igitur, rationem ſtatus quandam eſſe contrauentionem, ſiue repugnantiam, ac derogationem iuris ordinarii ad maiorem, magiſque vniuerſalem rationem directam: vel vt melius noſmet explicemus, dicamus, ius dominandi rem eſſe, quæ priuilegio opponitur. Sicuti autem priuilegium legem ordinariam in beneficium priuati corrigit, vnde dici poteſt priuilegium ad priuatorum emolumentum quandam eſſe rationis ciuilis tranſgreſſionem: ſic ratio ſtatus in multorum vtilitatem ius commune emendat, adeo vt non impropriè iuris ciuilis vocari poſſit in plurium vtilitatem tranſgreſſio: verbi gratia, Romæ vigebat lex annalis, ne cui, niſi certos annos expleſſet, magiſtratus concederetur: modo Tiberius petit *vt quinquennio maturius, quam per leges licebat, Neroni altero ex Germanici filiis quæſtura concedatur,*[a] atq; obtinet: hoc vere priuilegium eſt, quod iuri communi vigorem ſuum detrahit, & ordinariæ diſpoſitioni contrait propter nepotis beneficium. Sic ex aduerſo, ne propoſita exempla deſeramus, nemini, qui reus non eſt, exilium à ciuitate indici debet, imo patriæ benefacientibus præmia danda ſunt, & nihilominus infelix ille patriæ benefactor Tarquinius Collatinus ob vniuerſale bonum cum vxore, filiiſq; excedere vrbe cogitur. Hoc verum eſt, quod ſicut imperio in vnum principem collato, is vnus remp. repræſentat: ſic multa ad rationem ſtatus reducuntur ob commodum vnius principis: Ob publicum enim beneficium principes mandata legeſque reip. tranſcendunt, vt ſe, ditionemq; ſuã tueantur. At cum principis hoſtes, & inimici puniuntur, neque in puniendo iuſtitiæ fines exceduntur, ii puniti dicuntur potius, quia reip. intererat, quam quod ratio ſtatus eam pœnam expoſceret. Cum itaq; *nemo imperio vti debeat, cum lege agere poteſt,*[b] quoties princeps contra ſuſpectos, & inquiſitos procedit inſuetis modis, modus ille ratione ſtatus obtegitur, vt Claudius in Aſiaticũ ſe geſſit, eo loco, *Neq; data Senatus copia, intra cubiculũ auditur.*[c] Quod autẽ hæc rationabiliter mala ratio ſtatus appellanda ſit, Nero id patefacit in principio laudatiſſimi imperii ſui, affirmans, ſe negotiorũ omnium iudicem nõ fore, vt clauſis vnã intra domum accuſatoribus, & reis, paucorũ potentia graſſaretur.[d] Et Tarquinius Superbus futuræ tyrannidis ſatis clarũ initio ſpecimen præbuit, cum publica negotia Senatoribus de more non communicans, remp. domeſticis cõſiliis rexit, & bellum, pacem, fœdera, ſocietates arbitratu ſuo, inſcioq; Senatu

[a] Liu. lib. 2. in princ.

[a] Tac. lib. 3.

[b] ibid.

[c] lib. 11.

[d] lib. 13.

diremit,

diremit, decreuitq;.[e] Quas res, vt morbos horrendos ac pernicioſiſſimos principes cauere debent, memores, Galbæ nihil laudis, neq; tutelæ factum illud addidiſſe, cum Ciconium Varronem & Petronium Turpilianum inauditos, & negato ad ſe expurgandos ſpatio necari iuſſit.[f] Sic Rhadamiſtus filios Mithradatis, quod cædibus parentum illachrymauerant, trucidauit.[g] Non inficiabor, quoties neceſſitas flagitat, licere principi, limen iuris ordinarii excedere, & de facto reum capi, & incognita iudicibus cauſa eum ſecari iubere, ſi modo viam ordinariam damnoſam eſſe, vel indubitatum periculum afferre poſſe, cognouerit. Neq; princeps fere vllus eſt, qui ad hos nonnunquam modos confugere non cogatur. Sic Alexander à Parmenione ſe tutum præſtitit.[h] Sic Tiberius à Seiano.[i] Sic à duce Ghiſio Henricus III. Galliæ rex, cum in ſimilibus, & cum huiuſmodi hominibus alia conſilia capere, arduum ſit. Quod reip. temporibus Seruilius magiſter equitum contra Sp. Melium pariter effecit.[k] Idcirco poſſumus alio modo dicere, Ius imperandi principis eſſe priuilegium, hoc eſt, vt iuri communi ad ſui tutelam contra maieſtatis reos derogare poſſit: etſi iam dictum eſt, priuilegio, quod priuatum hominem attingit, ius regnandi, quia rempubl. reſpicit, opponi. Hoc ſiquidem caſu princeps non vt priuatus, ſed vt publica perſona conſideratur, & in eo per conſequens vniuerſale attenditur. Neq; iniquum eſt, vt vni tantum multa priuilegia concedantur: videmus enim, manus & brachia naturali inſtinctu ad capitis defenſionem concurrere, neq; pro eius ſalute curare, vt lædantur, aut mutilentur, quia etiamſi aliquod ex ipſis membris periret, ipſius capitis defenſione cætera vitam conſeruant, alioquin ipſo pereunte omnia interire neceſſe eſt. Summa igitur ratione hoc ſubſiſtit, vt ratio ſtatus quoddam principis priuilegium ſit, quia ſi principes priuatis priuilegia concedunt, viciſſim decorum videtur, vt ſcilicet ipſis remp. repræſentantibus totidem, pluraq; priuati largiantur. Vtq; conſtet vndecunq;, neq; dubitetur, quin ratio ſtatus nihil aliud, quam boni publici cura ſit, ex eodem verbo definitionis comprehenditur, quia ſtatus quid eſt, niſi regnum, vel imperium, vel quocunque nomine dominatus nuncupetur? ideoq; ratio ſtatus conſequenter imperii regniue, aut cuiuslibet dominatus ratio erit, quam Tacitus *arcana imperij* denominauit, hoc eſt, profundas quaſdam, intimas ac ſecretiores leges, vel priuilegia ad ſecuritatem imperii alicuius conſtituta; quemadmodum idem autor, cum malam rationem ſtatus innueret, *cuncta*, inquit, *eius dominationis flagitia*.[l] Neq; huic locus ille diſſimilis eſt, cum de Agrippina longe aliter quam Meſſalina, ſe gerente, *nihil domi impudicum, niſi dominationi expediret*.[m] Neq; apud Vitellium magiſtri dominationis aliud innuebant, quam hanc rationem ſtatus, vnde mors Dolabellæ conſecuta.[n] Et quoniam omnia imperia aut principatu, aut rebusp. conſtant, ſemper eueniet, vt ſtatus ratio, ſiue ea remp. ſiue ipſam repræſentantes principes ſpectet, publici boni procurandi, aut mali auertendi ratio ſit. Quicunq; autem remp. in ſe continet, priuatorum vtilitatem publicæ poſtponit, verbi gratia, ſi in eius ditionibus annona defecerit, eamq; ditiores, vt aucto precio magis lucrentur, occultent, inte-

[e] Liu. lib. 1.
[f] Tac. lib. 17.
[g] lib. 12.
[h] Q. Cur. l. 7.
[i] Dion l. 7.
[k] Liu. l. 3.
[l] lib. 14.
[m] lib. 12.
[n] lib. 18.

rim vero paupercula plebs fame diſtorqueatur; ad principem publici boni cupientiſſimum (vtpote in quem populus ſuas omnes prærogatiuas & autoritatem repoſuit, & ipſe princeps per conſequens potentiam & inſtrumenta ad bonum publicum perficiendum dirigit) pertinet, ratione ſtatus, diuitem tritico recondito priuare, in quo apparens eſt iniuſtitia, mox iuſto precio ſoluto, quo eidem iniuſtitiæ medetur, annonam plebi diſtribuere, adeo vt publicum bonum ſartum tectum conſeruetur: quibus artibus charitas, vtilitas, pulchritudo, perfectio boni vniuerſalis in ciuitate pullulat, exſurgitq;: quo nihil in rebus terrenis precioſius eſt. Quod autem neceſſarium verumq; ſit, vt in ratione ſtatus bonum publicũ ſemper attendatur, neq; vnquam inuicem ſeiungantur; hinc manifeſte elucet, ꝙ princeps, quanquam iuſtus & legitimus, quoties caſus requirit, vt vniuerſale bonum, & ipſe comparentur, & concurrant, debet ipſe bono publico primas concedere. Neq; de hoc turbetur quiſquam: nam Otho Imperator cum milites haberet morti ſe pro ipſo deuouentes, *An ego*, inquit, *tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus ſterni rurſus, & reip. eripi patiar*.[o] Neq; hoc verbis tantum, ſed re ipſa comprobauit, vitam ſuam ſuorum beneficio, publicæq; tranquillitati poſtponẽs. Verumenimuero quid mirandum eſt, principem bono publico cedere debere, ſi lex diuina, cui, vt diximus, ratio ſtatus nunquam præponderat, iuri publico ſeſe ſubiicere non grauatur? Iam alibi diſſeruimus, quantum dedeceat, fana ſpoliare, argenteam ex iis ſupellectilem tollere.[p] Et nihilominus vndequaq; extenditur adeo, & exuberat diuina charitas, vt lampades, candelabra, thuribula, votiuas tabellas, ſacros calices ipſos, in quibus ſanctiſſimum corpus, & ſanguis filii Dei conſecratur, profanari permittat, mox diſtrahi, & in alienos vſus ad populorum ſalutem conuerti. Odit Deus, & abominat furta, & ab iis abhorret: attamen concedit, ne fame quiſquam pereat, vt liceat de alieno, quantum vitæ retinendę ſufficit, accipere.[q] Non vult, vt exigantur vſuræ: tamen Iudæis permittit, *vt alienis tantum populis fænerent*.[r] Itaq; diuina bonitas ad humanum beneficium de ſuo iure decedere videtur. Hinc inter Catholicos Iudæi tolerati fuerunt: hinc in vrbe meretrices permittuntur: hinc cenſus & fœnebres pecuniæ conceſſæ, quas, qui in cortice tantum, neq; intus perpendit, iraſcitur, & ſcandalum capit. Sed eccur ceſſo, neq; audeo principibus oſtendere, quo modo, quave rectitudine hanc boni publici regulam, quam in manu habent, exerceant, cum ſanctiſſimæ trinitatis æternũ conſiliũ fuerit, vt innocentiſſimus agnus Dei humeris ſuis vltro omnes noſtras iniquitates ad generis humani ſalutem cooperandam portaret? Quæ veritas ſi mihi vix credita fuerit, at credatur Spiritui Sancto, cuius flatu (etſi alterius ore impuriſſimo) pronunciata fuit veraciſſima, nobiliſſimaq; ſententia, expedire, vt vnus moriatur, ne tota gens pereat.[ſ]

[o] *lib 18.*

[p] *libr. 15. diſc. 5.*

[q] *S. Tho. part 2. qu. 66. art. 7*

[r] *Deuter. c. 23.*

[ſ] *Io. c. 18.*

Principi-

Principibus in omni fortuna regalem dignitatem retinendam eſſe.

DISCVRSVS II.

DIximus alibi, neutiquam eos errare, qui ſubmiſſe humilimeq; ſe cum potentioribus gerunt. [a] Cui propoſitioni nihil contrarium adducemus, ſi cunctis fortunæ caſibus dignitatem regiam principibus ſeruandam eſſe aſſeruerimus. [a] *lib 3. diſc. 13.* Nam quamuis deuictus princeps victore ſit inferior, ideoq; erga potentiorem, ſeq; maiorem modeſtus, & ſæpe ſupplex eſſe teneatur; tamen in ipſo ſupplicandi actu quædam generoſitas, aut puſillitas deprehenditur, quæ actum illũ aut generoſum, aut vilem reddit. Et quoniã viciſſe fortes, & magnanimos maior, quã ignauos, vileſq; laus & gloria victores manet; hinc fit, vt iidem victores in illis, quos vicerunt, quiue ad ipſorum autoritatem & auxilium confugiunt, ſigna & argumenta virtutis cernere cupiant. Cuius rei pulchrũ eſt illud Mithradatis Boſphori regis exemplum, qui ſuis in aduerſitatibus ad Eunonem Adorſorum regẽ confugiens hiſce vtitur verbis: *Mithradates terra mariq; Romanis per tot annos quaſitus, ſponte adſum: vtere, vt voles, prole magni Achemenis, quod mihi ſolum hoſtes non abſtulerunt.* Recitat autor: Eunonem claritudine viri, mutatione rerum, *& prece haud degenere* [b] permotum alleuaſſe ſupplicem. Caractacus decimus octauus Britannorum rex cum vxore, cum filia, cum fratribus Romam ad Claudium Cæſarem [b] *lib. 12.* tractus, nobiliſſimũ fuit Populo Ro. ſpectaculũ, dum cæteris ſuis omnib. trepidantib. ipſe non vultu demiſſo, aut verbis miſericordiam requirens veniã petiit; de quo Cæſar in Senatu diſſertans, dixit, *non minus claram fuiſſe de Caractaco victoriam, quam cum Siphacen P. Scipio, Perſem L. Paullus, & ſi qui alij victos reges Populo Ro. oſtendere.* [c] His modis victor & victus laudem promeretur: hinc Tacitus illa, [c] *ibidem.* *Cæſar, dum ſuum decus extollit, addidit gloriam victo.* Tiberius, qui longe ſapientior Claudio princeps extitit, ipſe etiam apud Senatum diſſeruit, Non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum, aut Antiochum Populo Roman. perinde metuendos fuiſſe, quantum Maroboduus Germanorum Princeps, qui laudatur, quod Tiberio ſcripſerit, *non vt profugus, aut ſupplex, ſed ex memoria præterita fortuna.* [d] Cuiuſmodi verba non laudantur propter ſe ipſa, ſed quia animi, vnde [d] *lib. 2.* prodierunt, fortitudinem ac generoſitatem indicant, quæ cum actus ſit admodum ſingularis, neque præſertim aduerſante fortuna, in omnibus reperiatur, incredibili commendatione dignus exiſtit. Hoc autem verum eſſe comprobabitur, ſi Pruſiæ regis Bitiniæ vilem ſordidamque erga Populum Roman. animi abiectionem reſpexerimus. Solebat enim turpiſſimus hic adulator legatis Populi Roman. pileatus capite raſo obuiam ire, eiuſdemque libertum ſe ferre, & ideo inſignia ordinis eius gerere: Romæ quoq;, cum veniret in Curiam,

ſubmiſiſſe ſe, & oſculo limen curiæ contigiſſe, & Deos ſeruatores ſuos Senatum appellaſſe, proditum eſt, ſubditq; Liuius, habuiſſe eum *orationem non tam honorificam audientibus*, quia imo parum honorifica & decora iis fuerat. [e] Quod vero victo, victoriq; huiuſmodi abiecta verba indecora ſint, appoſite hoc explicat Plutarchus in Perſeo, etſi Liuius prætermittit: nam coram Æmilio Perſeus turpiſſimo ſpectaculo ſubmiſſus, genua eius appetens, cum voces degeneres, & preces emiſiſſet, Paulus non tulit, neq; admiſit; imo intuitus illum hæc verba amarulenter protulit, *Quid miſer maximo crimine liberas fortunam? quid oſtendis, te indignum Populo Rom. hoſtem fuiſſe? quid meos labores minuis, meamq; victoriam commaculas?* Atq; equidem virtus illorum, qui debellantur, apud victores hoſtes non minimam reuerentiam nanciſcitur: animi vero puſillitas, etiamſi fortunata, apud Romanos ludibrio odioq; habita eſt. [f] Hanc moleſtiam non ſenſit ex Poro deuicto magnus Alexander. Qui Porus animo, quam corpore maior, (etſi quatuor vlnas addito palmo longitudine corporis explebat) victus deinde interrogatus ab Alexandro, quo pacto tractari vellet, generoſis verbis reſpondit, *Regie.* Iterumq; interrogatus, an præter id optaret ſibi aliud, reſpondit, omnia in eo verbo contineri. Quæ magnanimitas Alexandro ſic arriſit, vt ei non modo regionis, quam prius poſſidebat, regnum permiſerit, ſed etiam imperium auxerit. [g] Quẽadmodum in extremo vitæ noſtræ momento ad Deum conuerſio, & vel breuis animi commotio erroribus, criminibuſq; noſtris à diuina clementia impetrare veniam poteſt; ſic arbitror, pauca verba, in aliquo vitæ diſcrimine nõ ſine animi generoſitate pronuntiata, poſſe apud poſteros memoriam noſtri nominis honeſtam propagare: Et forſan voluit noſter autor ignominiam Vitellii aliquatenus abſtergere, neque apud ſucceſſores recordationem ipſius penitus ignobilem relinquere, cum tribuno inſultanti ſic voce non degeneris animi reſpondentem facit, *Se tamen Imperatorem eius fuiſſe.* [h] Equidem veriſſimum eſt, Iohannem Federicum Saxoniæ ducem electoris dignitatem, ſuæq; ditionis maximam partem propter contumaciam aduerſus Carolum V. amiſiſſe, ſed nulla vnquam vetuſtas obruet memoriam fortitudinis ac generoſitatis eius, quam præ ſe tulit, cum captiuus coram Cæſare ductus, & corporis animiq; magnitudine Poro valde ſimilis, petiit, vt ſe tanquam principem Sacri Imperii tractare ne obliuiſceretur: ſed Imperatore ſeuere increpante, animoſe reſpondit, Cæſarem poſſe de illo tanquã de captiuo, vt libet, ſtatuere, & notabilius videtur illud, cum ei minas mortis intentaret, niſi Vittembergam reſtitueret, dixit dux: ſuperuacaneam rem eſſe, timorem ſibi incutere, quia licet in manu Cæſaris eſſet, captiuum interficere, non ideo ſibi animus ab omni pauore immunis ereptus fuerat: demum notanda præ omnibus generoſitas illa, cum, decreto mortis audito, nihil vultu motus eſt, imo additis verbis quibuſdam heroicis, ducem Erneſtum Brunſuicenſem exhortatus eſt, vt pergeret ſcacchis ludere. Certum eſt, eo tempore Cæſarem, exercitumque Cæſaris in maximam tanti viri admirationem tractum fuiſſe: idcirco in aliquibus mitigare articulorum quorundam aſperitatem, reditusq; maiores, quam deſtinarat,

[f] Plut. in Æmil.

[g] Plut. in Alex.

[h] lib. 19.

narat, conceſſiſſe. Igitur hæc ob oculos habeant principes viri, memores, omni fortuna regalis conditionis ſtatum ſeruare: quod aliud non eſt, quam heroicam virtutem conſtanter excolere, quia ex non ſincero vaſe non poteſt liquor ſuaue olens non exire; modo ne ſtolide ferox, inſtar rabidi canis, ſimul cum Oedipo ad iurgia deueniat.

Non quamuis fortuna tonet, mea pectora flectam,
Non ſupplex humili protendam brachia geſtu:
Nec generoſa mihi deeſt mens, experſq; timoris. Eurip. in Phen.

De annonæ caritate, eiuſque remediis.

DISCVRSVS III.

CVm hæc ſcribente me, ob annonæ caritatem Italiæ permoleſtus, & memorabilis annus vertatur, non fuerit abs re, vt ea, quę ad hoc argumentum ſpectant, apud bonos autores colligam, vnde, niſi toti morbo, ſaltem aliquibus particulis remedium apponere experiamur. Recitat autor, Claudio imperante, annonæ caritatem adeo deſæuiiſſe, *vt quindecim dierum alimenta vrbi non amplius ſuperfuiſſe conſtiterit, magnaq; Deûm benignitate, & modeſtia hyemis rebus extremis ſubuentum.* Subdit deinde ſuo ſeculo exprobrans hæc verba: *Olim ex Italiæ regionibus longinquas in prouincias commeatus portabantur, nec nunc infœcunditate laboratur, ſed Africam potius, & Ægyptum exercemus, nauibuſque, & caſibus vita Populi Rom. permiſſa eſt.* [a] Item maximam tradit Veſpaſiani temporibus famem fuiſſe, ſed Imperator maris tempeſtatibus neglectis, venit Romam cum frumento, quæ tanto diſcrimine nutabat, vt decem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit. [b] Apud hiſtoriarum ſcriptores ſæpe famem viguiſſe legimus, & eiuſmodi famem, vt non ſemel matres filios infantes coxerint, deuorauerintq;, ne quis putet, præſentes calamitates tranſactis ſeculis longo interuallo ſuperatas non fuiſſe: quod non modo Hebręis contigit, regnante Iora, [c] ſed poſt Chriſtiana ſecula tempore Beliſarii, vt ſcripſit Dacius Mediolanenſis Archiepiſcopus. [d] Quæ fames totum orbem terrarum occupauit. Tempuſq; fuit, cum Romæ plurima plebs fame adacta, operto capite in Tyberim præcipitem ſe dabat. [e] Si dicerem, olim à Rheginis equos, mox coria & pelles ipſas coctas, herbaſq; comeſas fuiſſe, [f] nihil dixiſſe viderer præ illis, quæ nuper attuli. Propter terribiles, quæ famē ſubſequuntur, ærumnas communis opinio eſt, eandē, ſimul & bellum, ac peſtem tria eſſe flagella, quibus diuina iuſtitia mortalium peccata caſtigat, ideo illa ſæpe minatur Deus, [g] ideoq; non ſolum Iudæi, ſed ipſimet idololatræ his ingruentibus malis Dei, ſiue etiam Deorum auxilium implorauerunt: inter quos Deos Ceres, à Tigalenſibus oraculo Pythiæ admonitis placata, ipſos fame liberauit. [h] Iterumque Græci Delphicum oraculum de fame conſulentes, reſponſum acceperunt, nullum miſeriarum effugium eſſe, niſi vt Æacus pro ipſis communem Deum ro-

[a] lib. 12.
[b] lib. 20.
[c] Ioſeph. l. 9. c. 2. ant. Iud.
[d] Paul. Diac. l. 16. c. 474.
[e] Liu. lib. 4.
[f] Diod. Sic. l. 14.
[g] Hier. c. 24. & 27.
[h] Pauſ. Arc. l. 8.

garet; vnde montem ille conſcendens, manibuſq; in cœlum ſublatis, vt Græciæ miſeretur, exorauit. [i] Et Deus Samaritanis abundantiam frugum vice famis precibus Eliſei largitus eſt.[k] Quapropter primum ante omnia his temporibus remedium eſt ad Deum confugere: Neq; dubium eſt, quin nobis itidem diuina miſeratio huiuſmodi, & maiora beneficia, niſi vera deſit mentis deuotio, conceſſura ſit. Nam & Tacitus ipſe Deûm benignitate Romam, Claudio imperante, fame liberatam, narrat: Propterea quod non tantum res paruas Deus variis modis momento temporis multiplicare poteſt, ſed poteſt etiam admirabili prouidentia ſua efficere, vt naues innumeras ad noſtros portus frumētis onuſtas lucri cauſa mercatores dirigant, poteſt patientiam, & modeſtiam, & conſilium ſubminiſtrare: adeo vt præſentē inopiam vix ſentiamus, &, latentibus cauſis, perinde minimo, vt multo alimento ſatiemur. Et hæc pertinent ad auxiliū, quod mediate vel immediate à Deo procedit. Sed vtplurimū videmus, cum Deus arbitrium nobis & iudicium dederit, eius maieſtati placere, vt noſtris nos facultatibus vtamur, neq; ſupranaturale beneficium expectemus. Quo in loco de remediis, quæ cōtra annonæ penuriā humana prouidentia excogitare valet, fuſius tractabo; neq; ſolum eo tempore, quo vrget egeſtas, ſed etiam cum impendet, aut cum timetur. Quod ſi fames belli ſoror eſt, debetq; princeps pacis tēpore ita ꝓuidere, vt, bello ingruente, famis neceſſitate non opprimatur; debebit ſimiliter, poteritq; annis fertilib. ita ſibi ꝓſpicere, vt ſuperueniens ſterilitas nihil noceat. Que ſterilitas cū poſſit eminus proſpici, tāto maior adhibenda cura eſt, quemadmodū & gentiliū, & Iudæorum exempla perſuadent. Nā apud gentiles legimus, partum ꝓdigioſum mulieris nomine Fauſtæ, quæ vnico partu duos mares, duaſq; fœminas verſus finē Sextilis pepererat, nuntium famis, quæ ſtatim ſubſecuta eſt, certiſſimū fuiſſe.[l] Et Pharaonis illo ſeptem vaccarum, totidemq; ſpicarum, à Ioſepho interpretato ſomnio non modo Ægyptum, ſed plurimas prouincias interneccione redemptas fuiſſe, neminem latet.[m] Quod ſi quis hæc tāquam remotiora flocciſaceret, dico, aſtrologiam id præſtare, vt annorum ſterilitatem ſiue vbertatem indicet: Neque bonus artifex quiſquam appellatur, qui in arte ſua illud, quod artem ipſam adiuuat, nō præuiderit. Et præſens penuria commonſtrauit, ſi quis panicum, aut milium in tanta quantitate tempeſtiue colligeret, vt egeſtatis tempore tritici penuriam ſupplere poſſet, illæq; fruges, quę diutiſſime durare poſſunt, agricolis diſtribuerentur; triticum vero nobilibus: fore, vt nunq̄ ſterilitas maximum damnum pariat: Quod antiquis temporibus Maſſilienſibus, vtpote prudentibus viris, inexploratum non fuit; Hi ſiquidem, teſte Cæſare, multam panici atq; hordei copiā pro caſibus, qui ciuitati imminere poterant, in publicū contulerant, etſi quia ea annona ob vetuſtatem corrupta fuerat, inutilis euaſerit.[n] Præter illa, quæ hactenus dicta ſunt, antequam adueniat ſterilitas, neceſſarium eſt, vt eiuſmodi vir annonæ præficiatur, à quo neq; periculum neq; ſiniſtra adminiſtratio timeatur: vnde inter primora vrbis munera annonæ præfecturam fuiſſe, non ignoramus, quia ſtatim Conſules ſubſequitur, & cæteris ſecundū Pręfectū Pętorio Senatoribus præ-

[i] 4. Reg. c. 97.
[k] Clem. Alex. Strom. l. 6.
[l] Plin. l. 7. c. 3.
[m] Gen. c. 41.
[n] lib. de bel. ciu. 2.

bus præ-

bus prętertur. In quo, vt melius dignoſcatur, quantũ proſit huius adminiſtratoris electio, antiqua reſp. conſideranda: in qua videre eſt, quodã publicæ famis diſcrimine, ne Pop. Ro. periret, effugium illud fuiſſe, quod hæc cura Q. Fabio Maximo delata fuerat, de quo Liuius ita: *Caritas etiam annonæ ſollicitã ciuitatem habuit, ventumq; ad inopiæ vltimũ foret (vt ſcripſere, quibus ædilẽ fuiſſe eo anno Fabium Maximũ placet) niſi eius viri cura, qualis in bellicis rebus multis temporib. fuerat, talis domi tum in annonæ diſpenſatione præparãdo, ac cõuehẽdo frumento fuiſſet.*[o] Ecce iam ad tria remedia neceſſaria peruenimus, quæ ſingula ſummam in ſterilibus annis diligentiam poſcunt: primum emptio, alterum importatio, tertium diſpenſatio annonæ: nam cito emenda, caute importanda, ſiue conuehẽda, demum admirabili œconomia diſpenſanda eſt. Sed quantitas annonæ, quæ noſtris neceſſitatibus ſuccurrat, & medeatur, ignoranda non eſt: neq; miniſtros decet, principibus imponere, dicẽtes, annonã ſuffecturam, cum ipſius defectus inſtat. Hæc enim Neapoli cauſa fuit necandi Storacis, cæterorumq; incõmodorum, quę mortem eius comitata ſunt. Sic Plutarchus inquit, exercitum Mithridatis, ignaro ipſo, fame propemodum interiiſſe, quia duces, qui adulabantur, nihil ei hac de re ſignificabant.[p] Oportet igitur accurate rationes inire, quantæ annonæ ſubſidio opus ſit. Qua in re non video, quomodo error irrepere queat, quia, cum importatæ annonæ quantitatem vnaquæq; fere ciuitas non ignoret, facile ſingulas viritim annuas menſuras deſtinando, publicæ fami occurri poteſt. Sed fatale quoddam & vniuerſale hominum peccatum videtur, vt remedia tum maxime quærantur, cum imminent pericula. Et medius fidius dedecus eſt vel maximum, & miſerabile, cum paſtores numerum ouium ſuarum calleant, vt princeps, quot millia, aut milliones hominum imperio eius ſubdantur, ignoret; & nihilominus eorũdem numerum ſi perſpectum, cognitumque habuerit, hæc ſcientia non tantum ad alimenta prouidenda, ſed ad pleraque alia opportuna eſt. Quod ſi aliquis diceret, Rationem & calculum populi habitum quidem fuiſſe, ſed frumentum exportatum fuiſſe; non bene intelligo, an hic error ſit excuſabilis, cum ii, quibus hæc cura cõpetit, ſtudioſe circumſpectare teneantur, ne fruges exportentur, extrahanturq;. Nam perinde eſt hoc efficere, ac ſi œconomus, vbi ad colligendas fruges omnes induſtriã adhibuit, mox omnia furum prædæ expoſita dormitanter derelinquat. Quod ſi replicaret aliquis, Huic malo occurri non poſſe propter hominum auiditatem; qui ſcientes, in re frumentaria ſe multum lucraturos, mille mortis pericula contemnunt. Reſpõdeo, errare eos, qui putãt, magnis malis poſſe per minuta remedia ſubueniri. Idcirco præter cuſtodias & vigilias, inſtar bellicorum temporum, partiendas, niſi aliud effici poſſit, illa etiam inſtrumenta adhibenda ſunt, quibus maxima peccata in ciuitate ſanantur, cum ſancta & pia ſit illa crudelitas, qua ſupplicio paucorum, qui puniri meruerunt, manifeſtæ, certæque plurimorum inſontium morti obuiam itur. Annonæ penuria, quæ tempore Auguſti ſucceſſit, patefecit, monita, quæ attulimus, non eſſe ſatis. Ideo ad alia remedia ventum eſt: nam gladiatores, mancipiaque venalia vltra ſe-

[o] *lib. 10.*

[p] *Plut.*

 ptuagin-

ptuaginta millia paſſuum ab vrbe reiecta fuerunt, multosq; ex ſuis miniſtris tum alii, tum ipſe Auguſtus ablegauerunt: iuſtitium indictum: Senatoribus, vt, quo vellent, proficiſcerentur, permiſſum: viri conſulares frumento, & pani præfecti fuerunt, qui certam ſingulis menſuram venderent: dedit etiam gratis Auguſtus frumentum iis, qui ex publico id alioquin accipiebant, tantum, quantum iis aliàs dabatur; quod cum non ſufficeret, non paſſus eſt eos epulari publice natalibus ſuis: Et nihilominus plebs famis ſtimulis affecta, iam de rebus nouis loquebatur, & noctu libellos contra principem proponebat. [q] Et Tranquillus meminit, tunc omnes peregrinos exactos fuiſſe, exceptis medicis, & pædagogis, qui plerunq; Græci erant & ipſi aduenæ. [r] Claudius Imperator non parua propoſuit præmia iis, qui nauibus frumentum adducebant, & damna, quæ maritimis tempeſtatibus patiebantur, ipſe reſarciebat, & naues hac de cauſa ædificantibus opem ferebat. [ſ] Super cæteros principes celebrata eſt Herodis regis Iudææ fama propter ſterilitatem quandam, quæ ob pecuniæ defectum in regno ſuo plus ſolito deſæuiit. Narrat itaq; Ioſephus, eo tempore à rege omnia vaſa argentea, & aurea, etiam quæ neceſſario vſui erant, cuſſa fuiſſe: qua in re cælaturas pretioſiſſimas neglexit, vt pauperibus, qui paſſim interibant, opitularetur. Quibus monetis in Ægypto frumento comparato, conuectoque in Iudæam, recitat autor, incredibili ſolertia inter egenos diſtributum fuiſſe, & quia non deerant plerique, qui propter infirmitatem debiles, aut ſenio conſumpti non poterant ſubſidium illud accipere, ideo effecit, vt vnicuiq; alimenta ſubminiſtrarentur ab iis, quos huic operi præfecerat. Curauit præterea, vt nudi veſtirentur, tantumq; frumentum ſupereſſet, vt, ſi anno futuro item ſterilitas inuaſiſſet, non defuturum eſſet ſationi frumentum. [t] Ego remedia fami abigendæ opportuna, quæcunq; occurrent, recitare non deſiſtam, etiamſi forte ſuperuacanea aut riſu excipienda; cum ſatius ſit in rebus dicendis & agendis abundare, quam neceſſariis monitis defuiſſe videri. In Lydia tempore Attis Regis Mani filii neceſſitas rei frumentariæ tanta fuit, vt multos annos durauerit; qua miſeri populi cum affligerentur, remedia publicæ ærumnæ opportuna excogitare coacti ſunt, & pleriſq; propoſitis, nullum vtilius inuentum fuit, quam vt ludi talorum, teſſerarum, pilæ frequentius exercerentur, quo populus iis occupatus famem leniret. Igitur ita rem inſtituerunt, vt altera pars hominum vno die comederet, altero luderet, & quæ eo die luſerat, altero cibos caperet; ſic, verbi gratia, ex centum millibus hominum ſolummodo quinquaginta millibus alimenta dabantur. Et nihilominus huius induſtriæ ſubtilitate nihil adiuuante, poſt decem & octo annos rex coactus fuit, totam populi multitudinem in duas partes diuidere; quarum alteri & naues, quibus veherentur, & ducem filium Tyrrhenum dedit, iuſſitq; vt alienas ſedes quærerent, qui ad Italiam appulſi, vbi Vmbri tunc habitabant, ciuitatibus & oppidis exſtructis, non amplius poſthac Vmbri, ſed Tyrrheni tam Lydi, quam ipſi Vmbri appellati fuerunt. [u] Neq; miretur quiſquam, quod Lydorum exemplo ieiunia approbaſſe videar, quia, præterquam quod noſtris temporibus no-

[q] Dion lib. 55.
[r] Tranq. in Aug.
[ſ] Tranq. c. 18.
[t] lib. 15. de ant. Iud. c. 11.
[u] Herod. l. pr.

ſtræ religioni, quæ illa ſemper indicit, non incongruum eſt, Romanis etiam ad annonam ſubleuandam huiuſmodi abſtinentia non incognita fuit. Nam L. Minutius tempore famis ieiunium indixit mancipiis.[x] Iterum religionis gratia, hoc eſt, ad quædam prodigia procuranda, primum indicta cibi abſtinentia anno Vrbis 563. in honorem Cereris.[y] Et veriſſimum eſt, ſine pane populos viuere poſſe, modo ne alia deſint: vnde neſcio ipſe, cur, cum olei, ſalis, olerum copiam natura nobis abunde ſuppeditauerit, non fiant ſimul cum pane, aut etiam abſq; pane cibi ex herbis, oleo, ac ſale conditis; municipiis præcipiendo, & iubendo, vt victui ſuo illos in vſu habeant. Vegetius tradens, quo modo obſeſſi contra famem ſe tueantur, docet, non ſolum vt carnes ſuillæ, ſed vt quælibet carnes, quæ clauſæ ſeruari non poſſunt, areſiant, quo carnis ſubſidio frumentum ſufficiat.[z] Quidam temporum noſtrorum barbari carnem bouinam in puluerem redigunt, eamque ſanguine equino madefacientes nos docuerunt, quo pacto multos dies ſine panis adiumento famem effugere poſſimus. Et inter hominum remedia non deſunt naturæ auxilia, ſcribentibus quibuſdam butyrum, hypacem, & liquiritiam ad famem, ſitimque pellendam, & vires tuendas opportunas eſſe.[a] Et hypax ſimul cum quadam herba, ſciatice, nuncupata, adeo commendatur, vt affirment, Scythas hiſce duabus herbis duodecim diebus famem perferre poſſe.[b] Audiui, his temporibus oryzam, & lupulum famis tædia valde lenire, qui calida maceratus non inſuauiter ſapit palato.[c] Cæſar narrat, exercitum ſuum longe, lateque frumentis conſumptis, ſummis fuiſſe in anguſtiis, in quibus milites non hordeum, cum daretur, non legumina recuſabant: fuiſſe & genus radicis inuentum, quod appellabatur, chara, quod admixtum lacte, multum inopiam leuabat, & ſimilitudinem panis efficiebat, taliſque fuit militum patientia, vt obiectantibus Pompeianis famem, reſponderent Cæſariani, *prius ſe cortice ex arboribus victuros, quam Pompeium è manibus dimiſſuros.*[d] Poteſt vnuſquiſque audiuiſſe, in Samaria tantam famem aliquando fuiſſe, vt *venundaretur caput aſini octuaginta argenteis, & quarta pars ſtercoris columbarum quinque argenteis.*[e] Hucuſque de fame, quatenus iræ Dei magis, quam culpæ humanæ effectus videtur, locuti ſumus: Nam reuera ob noſtram culpam vix vnquam ſuccedit: neque enim agricolæ ſuo labori pepercerunt hoc anno, quamuis incredibili vrgeamur egeſtate. Credo nihilominus, agricolas non minimum inſuper curandos eſſe, cum ii alterum ſint ex præcipuis reipublicæ membris, vnde nobiliſſimum eius corpus conflatur. Quocirca Ægyptii, qui propter antiquitatem, & doctrinam cunctis hominibus ſapientiores habiti ſunt, ſubditos ſuos in tres ordines digeſſerunt, agricolas, paſtores, artifices.[f] Et Romani agricolas adeo multifaciebant, vt pro ſumma laude haberetur eo nomine appellari.[g] Leo Imperator, duas, inquit, artes ad ſuſtinendam, ac ſeruandam rempublicam vtiliſſimas eſſe, agriculturam propter militum alimenta, & militiam propter agricolarum tutelam.[h] Et alibi dixit, has duas artes cunctis præferendas eſſe, quia cæteræ aliquando ſuperuacaneæ ſunt, hæ nunquam non neceſſariæ:[i] Ideo congruit æquitati, vt agricultura,

[x] Liu. l. 4.
[y] lib. 46.
[z] lib. 4. c. 7.
[a] Plin. lib. 11. c. 54.
[b] lib. 25. c. 8.
[c] lib. 18. c. 14.
[d] de bello Gall. l. 3.
[e] 4. Reg. c. 6.
[f] Diod. l. 2.
[g] Plin. l. 18. c. 3.
[h] cap. 11.
[i] cap. 20.

& per conſequens agricola non negligatur, tanquam fundamentum, quo tota reip. machina innititur: proinde pleræq; leges in ipſorum fauoré promulgatæ fuerũt: Inter quas vetuerũt Athenienſes, ne caſtra, vomeres, aratra agricolarum diuendi poſſent, etſi à nonnullis reprehenduntur, quod cum ipſorum inſtrumenta vetuiſſent violari, de ipſiſmet agricolis non grauandis, & detinendis, nihil ſanxerint.[k] Multo nobilior erat Indorum lex, qui conſiderantes, quantum agricolarum ordo afferat in rep. momẽti, & ipſorum ſtudia ac beneuolentiam multi facientes, ſanxerunt, nullas agricolis moleſtias à quoquam inferri, quia propter communem vtilitatem nati, vt amicis, ſic hoſtibus maximo adiumento eſſe poſſunt.[l] Romani, qui non minus, quam Indi, & Ægyptii ſapuerunt, conſiderantes, præter cætera agricolas quoddam eſſe militum ſeminarium, multa in eorum fauorem induxerunt, ſanciẽtes, tempore meſſis, cæterarumq; ipſorum occupationum ne in ius vocari poſſent;[m] adeoque, ne labores eorundem irriti fierent, cauerunt, vt capitalem pœnam, quicunq; eorum fruges meterent, corrumperẽtve, ſubirent.[n] Igitur protegantur agricolæ, ſi non aliũ ob reſpectum, at ſaltem quod nobilitas ab iis alitur. Verum enimuero, niſi mea me fallit opinio, totum rei frumentariæ pondus in recta diſpenſatione plurimum conſiſtit, cum, neglectis opportunis ſubſidiis, videamus ſæpenumero, poſtquã multitudo pauperũ interiit, frumentum ſupereſſe. Quo in negotio exiſtimarem, neceſſarium eſſe, militares ordines imitando, ad minutas partitiones, ac ſubdiuiſiones deſcẽdere, verbi gratia, ciuitatem non modo in tribus diſtinguere, ſed præficere ſingulis vicis, & inſulis homines, qui centurionũ inſtar, tribunis obtemperãtium, curam ſibi commiſſorum ciuium gerant, ne cuiquã opus, neu cibus deſit. Quod dupliciter præſtabunt: primum ex ſe ipſis nihil corũ pro virili omittendo, quæ plebeculam eorum ſubleuare videbuntur, deinde in iis, quib. maior requiritur autoritas, ad tribunos confugiendo, quibus tribunis vltimam & limitatam annonæ menſuram, cuius indiget illa plebis particula, denuntiẽt. Qui ſimul cum principe, annonæve præfecto neceſſariam frumenti copiam forte poſſidentes, ſubminiſtrabunt huiuſmodi inferioribus miniſtris non modo neceſſarium panẽ, ſed etiam operæ, & artificia, quib. ſeſe plebs exercens otiũ deuitet, principiſq; liberalitatẽ minus damnoſam opificiis reddat. Cumque, ni fallor, principes, ii preſertim, qui littoribus dominãtur, claſſeſq; inſtruũt, innumeris rebus indigeãt (modo ne quis pauperũ aut propter ſenectam ætatem, aut propter pueritiam, aut propter mutilationem aliquam inutilis ſit) neceſſe quidem eſt, admodum debilem eſſe illũ, aut illam, vt nequeat labore ſuo tantũ panis lucrari, quãtũ vitæ ſuſtẽtãdæ ſufficiat: quo remedio minore cum damno & egeſtati ſuccurriẽ & occuriẽ ignauiæ. Quid ſi cõqueratur princeps, totũ hoc pondus ipſius humeris regi; nihil ego, quod reſpondeam, habeo, niſi quod ad paſtorem, qui & lactem, & caſeum, & lanam, & partus omnes ouium cepit, pertinet, curare, ne quid detrimenti patiantur, neve iis deſit, vbi & cœli feruores, & immoderatos hyemis algores effugiãt. Neq; vllo pacto permittere debet, vt Herodes Chriſti perſecutor, omniumq; bipedum ſuis temporibus

[k] Dion l. 1, c. 3.

[l] ibid. c. 8.

[m] Plin. l. 18. c. 26.

[n] ibid. c. 3.

nequiſſi-

nequiſſimus, melior ipſo putetur. Quod ſi ordo, quem in ciuitate ſeruandum recenſuimus, item ſeruabitur in agro, hoc eſt, vt poſſeſſionum domini, diuiſis functionibus, agricolas ſuos cuſtodiant, & ſuſtentent: cenſerem, quia plures eſſent miniſtri vndequaq; diuiſi, eas difficultates, quę per hæc tẽpora experimur, quia ad pauciſſimos miniſtros tota res delata eſt, amotum iri. Neque cognitis municipiorum neceſſitatibus frumenta iis deneganda ſunt, in expenſum referendo, quę cõceduntur; modo caueatur, vt præteritis anguſtiis, principi & realis, & perſonalis actio ad ſubſidiorum, quæ conceſſerit, precium repetendum reſeruari poſſit. Plebes autem à principibus libenti animo à morte redimantur, nunquam enim ſubditorum mors, & patrimoniorum exterminatio cõtingit, quin dominus indubitatum, manifeſtumq; damnum perpetiatur. Nihilominus non debet dominus minimum damnum, multumve emolumentum præſens ita reſpicere, eoq; obcæcari, vt multo pluris ĕi faciendum nõ ſit maius damnum, aut maior vtilitas, quæ futura eſt: præterquã quod vbi de vita hominum agitur, (vt optimæ, ac prudenter nautæ conſueuerunt) nullus lucri ſtudio, aut iacturæ timori locus relinquendus eſt. Quod ſi aut humanæ imperfectiones, aut cœli tempeſtates, aut diminuta charitas, aut ſcelerati conſultores, maluſve genius quicunq; in cauſa fuerit, vt princeps fame perituram hominum ſubditorum generationẽ ante neglexerit, idẽ princeps quidlibet exequat̃, vectigalia, tributa, grauamina, exactiones, cruciatus ipſorum iugo nouiſſime imponat, modo ne perire ſinantur. Efferãtur laudibus immortalibus, qui hoc anno frumenta Gedano aduexerunt; quod ſubſidium Italia Venetis, & magno duci Etruriæ, populoq; Florẽtino acceptum referre debet: ii enim primũ cæteris populis noſtratib. oſtenderunt, ex ſeptentrione, & occidẽte poſſe fami publicę abunde ſubueniri. Quo Italiæ propter plurima peropportuno adiumẽto Romani non fruebãtur. Adhæc percuperem, ne priſcis inferiores prudentia videamur, vt conſilium illud Auguſti, quo conuiuia diebus natalitiis prohibuit, imitaremur, nec nõ ſimilibus temporibus, quoaduſq; fames durauerit, vt popinæ tollantur, ſicuti olim anno ſcilicet 1528. Florentiæ ſublatæ fuerũt. Intelligo autẽ ea diuerſoria, vbi lurcones, ganeones, epulones deliciãtur, nõ vbi peregrini neceſſitate diuertunt: vt in domibus meretricũ non celebrẽtur comeſſationes; exeatq; edictum, principem exhilaratum iri, ſi in tanta pauperũ miſeria diuites deliciis, ac luxibus abſtinuerint. Qui princeps, vt exemplũ cæteris præbeat, loca ſuo ſolatio reſeruata, populoq; interdicta, liberabit, adeo vt piſcatio, aucupium, venatio nemini prohibeatur. Neq; fortaſſe dedeceret, conſiderãtes mala, quę iis temporibus perpetrantur, vt ſacri principes indulta promulgarent, proceſſiones ordinarent, ieiunia indicerent, diſertis concionatoribus iuberent, vt hac de re populo verba facerent, pauperes ad patientiam hortãdo, mediocres ad abſtinentiam, diuites ad liberalitatem, & præter diuina monita illis ea humana remedia ſuppeditando, quæ magis opportuna viderentur. Et quoniam in extremis morbis nullum intentatũ remediũ, à quo opis aliquid ſperari queat, relinquẽdum eſt; & citra omnẽ dubitationis aleam illud habetur, vt nobiles præ

cæteris

cæteris hominibus ad virtutem honoris ſtimulo adigi non minus, quam dedecoris timore à vitiis refrenari ſoleāt, hinc exiſtimarem, nō inutile fore, ſi duo libri ad æternam rei memoriam conficerentur, alter eos contineret, quia ſuas facultates in pauperes tempore famis erogauiſſent, & quocunque modo rempublicam iuuiſſent: Altero ii deſcriberentur, qui frumenta auaritiæ cauſa occultantes, præ ſe tuliſſent, quantum apud ipſos auri congregandi ſitis ſaluti, vitæque hominum præualuerit. Hi vero hoc ægre ferre non debebunt; cum etiam L. Minutius iræ populari eos obtulerit, commiſeritque, qui frumenta occuluerant: Quamquam nonnullorum tenacitas iuſte aliqua ex parte punita eſt, quia cum potuiſſent triticum plurimo pretio diſtrahere, dum amplius ſperabant, paulo poſt longe minoris illud diſtrahere coacti fuerunt. Neque tamen hoc extra præſentes mores induceretur: nam & Florentiæ viguit aliquando mos, vt ii, qui vectigalibus fraudem feciſſent, locis publicis depingerentur, eorumque nomina adnotarentur. Quod quanto magis in maximis, & vrgentibus neceſſitatibus exequendum foret, exploratum eſt.

Ducem exercitus eloquentem eſſe debere.

DISCVRSVS IV.

FErdinandus Gonzaga, qui noſtris temporibus eximius extitit dux, ſolitus erat dicere, non debere bonum ducem literatum eſſe. Quæ praua opinio tot hominibus arridere videtur, vt probaturus ego contrarium, valde dubitem, an pronis auribus me audituri ſint. Dico autem, hanc opinionem inde fortaſſe exortam, quia paſſim creditur, Romanos duces literis minime imbutos fuiſſe. Quod quidem verum videtur. Quandoquidem præcipue philoſophiam negligebant; cui dediſſe operam, inane ſtudium exiſtimabatur, dicente Tacito de ſocero ſuo Agricola, *Memoria teneo, ſolitum ipſum narrare, ſe in prima iuuenta ſtudium philoſophiæ, vltra quam conceſſum Romano, ac Senatori, hauſiſſe, ni prudentia matris incenſum, ac flagrantem animum coercuiſſet.*[a] Cato maior cum videret, Carneadem, qui Romam aduenerat legatus Athenienſium, genus diſciplinę inſtituiſſe, quod adoleſcentes Romanos ad ſe pelliceret, autor fuit in Senatu, vt ipſe, cæterique Philoſophi dimitterentur, & Græcos potius eas doctrinas docerent; Romanis antiquos more maiorum ludos relinquentes, quibus nempe ſatis foret, magiſtratibus, & legibus obtemperare.[b] Ex quibus vulgatis autoritatibus inter otioſos homines literarum deteſtatio fortaſſe nata eſt. Neque vero mihi nunc animus eſt diſſerere, an bellatoribus philoſophari conueniat: ſed explicabo ſolummodo, vtile, imo neceſſarium eſſe, vt ducum, principumque filii eloquentiæ operam nauent. Ad quod argumentum comprobandum multa licet in medium afferri poſſint, paucis tamen exemplis ex Tacito petitis contentus ero. Inter quæ illud præcipuum eſt, quo adnotat, primum ex iis, qui rerum potiti eſſent, Neronem alienæ facundiæ eguiſſe, neque tamen ipſum literarum penitus

a Tac. in Agr.

b Plut. in Cat

ignarum fiſſ n: Cæſarem dicit ſummis oratoribus æmulum, & Auguſto promptam, ac pro uentem, quæ deceret principem, eloquentiam fuiſſe, Tiberium artem quoque calluiſſe, *qua verba expēderet, tum validum ſenſibus, aut conſulto ambiguum.* Pergit de cæteris: *etiam Caii Cæſaris turbata mens vim dicendi non corrupit: Nec in Claudio quoties meditata diſſereret, elegantiam requireres. Nero puerilibus ſtatim annis viuidum animum in alia detorſit: Cælare, & pingere, cantus, aut regimen equorum exercere, & aliquando carminibus pangendis, ineſſe ſibi elementa doctrinæ oſtendebat.*[c] Ex his duces, & equites, qui modo militiæ ſeſe dederunt, quid ſibi facto opus ſit, argumentum eliciant. Nam totius orbis terrarum principes eloquentiæ incumbebant, & Nero tacite perſtringitur, quod, neglectis gloriam allaturis ſtudiis, indigna principe ſtudia ſectatus fuerit. Sed aſſertionem hanc melius adhuc probabo. Primum bonæ indolis, ac virtutis indicium, quod principum filii exhibebant, erat publicæ orationis alicuius oratio. Sic Auguſtus anno duodecimo ætatis ſuæ funebrem orationem in laudem Iuliæ auiæ dixit: Tiberius nono idem funebre officium patri ſuo pro roſtris peregit: Caius abauiam ſuam adhuc prætextatus, hoc eſt, puerilis ætatis pro roſtris laudauit. Neque Auguſto diſplicuit, Claudium audiuiſſe declamantem, tametſi mente captum putabat.[d] Sed audiendus Tacitus, quid de Nerone (hic autem locus meæ diſſertationi cauſam dedit) ſextum decimum annum agente, iàm à Claudio in filium adoptato, & Octauiam eius filiam in vxorem ducente, ſentiat. Poſt harum enim rerum narrationem hæc verba lego, *Vtque ſtudiis honeſtis, & eloquentiæ gloria niteſceret, cauſa Ilienſiū ſuſcepta, Romanum Troia demiſſum, & Iuliæ ſtirpis autorem Æneam, aliaque haud procul ſabulis vetera facunde executus, impetrat, vt Ilienſes omni publico munere ſoluerentur.* Subdit etiam, *Eodem oratore Bononienſi coloniæ igni hauſtæ ſubuentum centies ſeſtertii largitione.*[e] Superſedeo oſtendere, omnes fere Græcarum literarum cognitionem habuiſſe: Adeo vt deceret in præſens hac proportione, vt Latinam linguam plerique omnes cognoſceremus. Hinc de Veſpaſiano dictum eſt, Græcarum illum literarum peritum fuiſſe.[f] Verum cum mihi perſuadeam, ſatis me, quod volebam, probauiſſe, rationes commonſtrabo, ob quas militum ductoribus neceſſaria ſit eloquentia. Neque dubium eſt, quin ibi eloquentia magis requiratur, vbi maior eſt hominum multitudo; quæ multitudo cum neque ciuilibus, neque militaribus legibus, quia ius habet in armis, plerunque regi nequeat; hinc ars, & vis dicendi haud raro ipſam corrgit, impellit, ac frænat. Quod clariſſime in ſeditione Pannonicarum legionum apparuit: Tunc enim Blæſus *multa dicendi arte* milites efferatos mitigauit, adeo vt depoſitis peioribus conſiliis adclamauerint, vt filius Blæſi tribunus legatione ad Tiberium fungeretur, à quo impetraret, quæ deſiderabantur; omniſque tumultus conſediſſet, niſi milites, qui ante cœptam ſeditionem alio iuerant, nouas turbas concitauiſſent.[g] Item in ſeditione Germanicarum legionum, quantæ ſint eloquentiæ vires, compertum eſt. Ibi enim illius ob numerum, reique militaris peritiam potentiſſimi exercitus diſ-

[c] lib.13.

[d] Suet in vitis ſingulorum.

[e] lib.12.

[f]

[g] lib. pr.

cordiæ compoſitæ fuerunt, non tantum autoritate, quantum eloquentia Germanici, qui *facunde miſeratus*, & poſt ſermonem, qualis iræ, dolorique conuenerat (hi autem duo affectus, quaſi folles, flatum eloquentiæ, ſpiritumque largiuntur) flexit animos militum, qui (ſubiungit autor) *ſupplices, & vera exprobrari fatentes, orabant, puniret noxios, ignoſceret lapſis, & duceret in hoſtem.* Notandumq; eſt, ab ipſis militibus ſeditioſiſſimum quemq; vinctos trahi ad legatum, adeo, exprobrante Germanico pudebat ipſos peccauiſſe, vereque pœnitebat. [g] Eloquentia ars eſt, quæ afflictos ſolatur, timidos animat, temerarios refrenat, in ſumma affectus noſtros hac, atque illac voluit flectitque. Quantum prudentis ſagaciſque ducis eloquium in exercitu valeat, nihil me fecit certiorem, docuitque magis, quam luculentiſſima illa oratio, quam Cæſar habuit coram militibus ſuis in Theſſalia, poſteaquam à Pompeianis fuſi fuerant. *Hac habita oratione*, inquit ipſe, [h] *exercitui omni tantus inceſſit ex incommodo dolor, tantumque ſtudium infamiæ ſarciendæ, vt nemo aut tribuni, aut centurionis imperium deſideraret; & ſibi quiſque etiam pœnæ loco grauiores imponeret labores, ſimulque omnes arderent cupiditate pugnandi.* Verum ab autore noſtro cur diſcedamus? nam probe perpendens, quanti faciendum ſit, vt ipſe dux milites alloquatur, de Vitellio inquit, vecordem Imperatorem *non alloquio, exercitioque militem firmare*, [i] & paullo poſt de eodem, *neque lingua, neque auribus competere.* [k] Quod mutuo accepit à Salluſtio, *neque animo, neque auribus, aut lingua competere*, ſcilicet innuens, illum neque lingua milites exhortando ad militaria officia, neque auribus audiendo aliena conſilia, firmitudinem vllam retinuiſſe. Neque miretur quiſquam, ſi forte legerit, Volumnium eloquentiæ contemptorem collegæ ſuo Appio exprobrauiſſe illud, *Quam mallem tu à me ſtrenue facere, quam ego abs te ſcite loqui didiciſſem.* Nam hoc Volumnius egit, vt collegæ artem dicendi iactantis, à quo paullo ante mutus, & elinguis dictus fuerat, ſuperbiam retunderet. Quocirca maximo iure ſubnectit, prouincias, quas ambo adminiſtrabant, teſtimonium dare, *quem reſpublica magis deſideraret, bonum oratorem, an meliorem imperatorem.* [l] Cum autem Cerealis, quaſi eloquentiam flocci faciens ad milites ait, ſe nunquam facundiam exercuiſſe, Populique Romani virtutem armis affirmaſſe, [m] hic imo eximius artis oratoriæ color eſt, quo plerique ad fidem ſibi conciliandam vtuntur, quaſi nudæ fidentes veritati magis, quam in eloquendi artificiis, & ornamentis ſpem vllam collocantes. Quod autem vera hæc ſint, audiantur, quæ ſparſim in opere ſuo Leo Imperator ſcripſit: Profitetur enim ſæpe, ducem optimum eloquentem eſſe debere, adeo vt ex tempore frequentiam militum alloqui poſſit, [n] propterea quod dux hortationibus ſuis exercitum ad contemnenda pericula accendit, & ad gloriæ cupiditatem animoſum reddit, neque tubæ ſonitus, cuiuſque aures percutiens ad bellica opera æque commouet animos, atque eoſdem impellit, (ſi cum perſpicacitate, ac ſapientia coniungatur) oratio. Quod ſi exercitui aliqua ac-

[g] ibid.
[h] lib. 3. de bell. ciuil.
[i] lib. 19.
[k] ibid.
[l] Liu. lib. 15.
[m] Tac. lib. 20.
[n] lib. pr. c. 2.

cidit calamitas, tunc ille dulci eloquio firmat, & melius, quam medici vulnera, afflictos milites mitigat, ac reſtaurat. Nam medicus temporis ope, ac commoditate ægrotos priſtinæ ſanitati reſtituit, eloquens autem dux laſſos milites ſtatim reficit, ipſos ad animi magnitudinem, atque alacritatem ſubleuat.[o] Ipſe reuera ſuo exercitui non vnius, ſed plurium bonorum autor eſt. Dicit alibi; ducem, qui rationibus non minus, quam verbis animum inſtructum gerit, ſuis oſtendere quid ſit in conſerendo prælio agendum, & ipſos præſertim commonefacere, cum hoſtes ferrei non ſint, ſed carne & oſſibus componantur, omnibus fortunæ caſibus eos quoque ſuccumbere, ac debellari poſſe.[p] Non dubito, quin plerique inueniantur dicturi, inanem me operam ſumpſiſſe. Nam etiamſi priſcis temporibus, quibus duces ad concionem ſuos milites vocare conſueuerant, eloquentiam neceſſariam fuiſſe concedatur; tamen quia hoc noſtro ſeculo milites nunquam, niſi per edicta, ducum voluntatem exploratam habent, præſens tractatio omni ex parte ſuperuacanea redditur. Quibus ego plura quidem reſponderem: ſed ſat erit concludere, hâc eundum eſſe omnibus, quicunque ad ſummam, & excellentem veri ducis gloriam adſpirant.

[o] *ibid.*

[p] *ibid.*

Vbi ciuitas ædificanda ſit, in continenti, an ad mare, in regione ſterili, an in fertili.

DISCVRSVS V.

NIhil ambigendum eſſe, puto, quin maritimæ ciuitates propter eorum, quæ ad victum, & voluptatem pertinent, abundantiam, iis ciuitatibus, quæ remotæ ſunt à littoribus, anteponendæ ſint. Et nihilominus fere inter omnes, quicunque hac de re ſcripſerunt, illud conuenit, nullam ciuitatem morum probitati, atque hominum educationi magis contrariam eſſe, quam quæ ad mare ſita eſt: Nam cum (vt poëta Etruſcus inquit) hominum confuſio ciuitatum bene inſtitutarum mors ſit, hanc gentium confuſionem, & colluuiem ad mare magis, quam in continenti reperire eſt; vbi quia frequentiora celebrãtur commercia, variiq; mores vigent, ac rerum omnium copia, ciborumq; condimenta exquiſita, confluunt, veſtiumq; conſuetudines molles, ac laſciuæ introducuntur; donũ Dei nimiaq; felicitas eſſet, ſi tot circũſeſſa voluptatibus, atq; eſcis in vitiorum ſentinã non laberetur. Proinde merito dictũ eſt, Ægyptias laſciuias in Etruriam cum Italię totius excidio allatas fuiſſe. Sed grauioribus autorib. adhærendo; Cæſar, cur præ Gallis cæteris Belgæ fortiores eſſent, edocens, *propterea quod*, inquit, *à cultu, atque humanitate prouinciæ longiſſime abſunt, minimeq́; ad eos mercatores*

ſæpe comeant, atque ea, quæ ad effœminandos animos pertinent, important.[a] Quam eandem cauſam ſæpius attingit. Sic de Ambianis, *Nullum aditum eſſe ad eos mercatoribus, nihil pati vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri: quod his rebus langueſcere animos, eorumque remitti virtutem, exiſtimarent.*[b] Et de Sueuis alibi, *Mercatoribus eſt ad eos aditus magis eo, vt quæ bello ceperint, quibus vendant, habeant, quam quo vllā rem ad ſe importari deſiderent.*[c] Imo haud multo inferius hæc: *Vinum ad ſe omnino importari non ſinunt, quod ea re ad laborem ferendum remolleſcere homines, atque effœminari, arbitrantur.*[d] Igitur citra dubitationem maritimæ ciuitates, vtpote ad quas merces facilius importantur, delicatiores ſunt. Idcirco Plato opinabatur, ciuitatem longe à mari ædificandam eſſe, vnde apud ipſos Athenienſis interlocutor Cliniam interrogans, quantū opus eſſet, vt à mari diſtaret ciuitas, ad quam colonia mittenda eſſet, audiuit, decem millia paſſuum: cum autem Clinia intellexiſſet, locum illum portuoſum eſſe, ſubtriſtatus eſt: vnde iterum percontatus, num regio illa fertilis eſſet, num ſyluis obſita, num plana, num lapidoſa, & alpeſtris; & audito; ſatis vberem agrum eſſe, magiſque in monte, quam in planitie, propemodum acquieuit: ſcilicet arguebat talem ibi viuendi opportunitatem eſſe, vt neq; ob nimiam inopiam aliunde victus conquirendus, neque propter vbertatem ad exportanda ſuperflua mercatorum concurſu opus eſſet. Concludit itaque Plato, hanc ciuitatem laudis palmam aliquam aſſequi poſſe: nam ſi mari propinqua foret, & mare portum haberet, & regio multis rebus careret, profecto illa ciuitas maximo, ac prorſus diuino legiſlatore indigeret, qui ipſius ſaluti conſuleret: quia fieri non poſſet, quin breui temporis curriculo diuerſis, iiſque turpiſſimis moribus fœdaretur. Nam maritima ciuitas (vt putat ipſe) exportandis, importatiſque mercibus, & pecuniis abundat quidem, ſed ſtatim dolis, inconſtantia, fraude repletur; vnde parum ſecum ipſa, cum cæteris autem gentibus nihil amicitiæ, fideique conſeruat: Quod idem accidit, cum regio fertilis eſt; nam ex rerum venditione auro, argentoque plurimo congregato, quo nihil hominibus pernicioſius; neceſſario ſequitur, vt ibi mores corrumpantur, & occulto fere veneno contaminati inficiantur. Quibus tamen non obſtantibus, Apollinis oraculum cæcos appellauit Chalcedonios, quod priores ad illam oram aduecti, præuiſa locorum vtilitate, ſedem terra, marique ſterilem elegiſſent.[e] Et quiſquis hiſtorias attente obſeruauerit, is comperiet, ciuitates, quæcunque cæteris antecelluerunt, omnes ad mare, & in fertilibus regionibus collocatas fuiſſe, Athenas, Corynthum, Alexandriam, Carthaginem, ipſum Byzantium, olim Cæſarum Græcorum, modo Turcarum Imperatorum Regiam, quibus etiam Roma addi poteſt propter Tyberis ad mare vicinitatem. Et noſtra tempeſtate præſtantiſſimæ, ac celebriores ciuitates, excepto Mediolano, propter mare locatæ ſunt, Venetiæ, Genua etiam (licet in ſterili regione) Neapolis. Quæ vero aliquatenus illuſtres fuerunt, non alio pacto amplificatæ ſunt, quam maris propinquitate, vt Piſæ, Rauenna. Neque obſtat, quod Cæſar de Belgis,

de Sueuis,

[a] lib. 1. de bell. Gall.
[b] ibid lib. 2.
[c] lib. 4.
[d] ibid.
[e] lib. 12.

de Sueuis, de Ambianis recitat: quibus neq; vino abſtemios fuiſſe, neq; deliciarum deſpicientia, neq; feritas opem tulit, quin à Cæſare, atq; à Romanis, qui vinum bibebant, eaſq; diuitias, quas diuitiæ ſecum afferre conſueuerunt, cognoſcebant, & præ cęteris populis ſequebantur, debellarentur. Et ratio eſt, quia non adeo deliciæ Romanis officiebant, quantum militaris artis ſcientia, & in neceſſitatibus quibuſcunq; ob gloriæ cupiditatem eximia tolerantia proderat. Sic ex aduerſo non adeo barbaris vitæ auſteritas adiumēto erat, quantum militaris diſciplinæ inſcitia obſtabat. Ciuitates maritimæ ob commerciorum frequentiam morum corruptionibus ſubiacent; ſed bonis legibus & occaſiones, & commoda peccandi corriguntur, caſtiganturq;: præterquam quod quædam ſunt ad mare ſitæ ciuitates, quarum ciues nihil in mari verſantur. Idcirco tot ſeculis elapſis, ex quo Regia ciuitas Neapolis illuſtriſſimo ſitu maritimo locata ſuperbit, nullum Neapolitanum nauticæ rei peritum, nullum maritimæ rei deditum, nullum maritimis expeditionibus ducem recenſeas. Neq; tamen ideo minus ſententia Platonis probanda videtur; vtpote qui eo loci coloniam, quæ alteri reip. ſubiiceretur, non regiam ciuitatem aut remp. conſtituere intendit; atq; hinc ipſam in continenti neq; magnam, neq; deniq; magis cogitatam, quam perfectam fundans, omnia impedimenta remouere nititur, quæ finem eius turbare poterant, præſertim diuitias: quæ tamen recte diſtributæ nunquam bonis obfuerunt. Hæc vero non ſolum ratione recepta ſunt, ſi modo ſummorum Philoſophorum autoritati ſtandum eſt; ſed præterea, vt Ariſtoteli placet, ciuitas, quæ terræ mariſque particeps ſit cum propter ciuiles, tum propter militares opportunitates laudanda eſt. Et quamuis ipſe quoq; Ariſtoteles periculum morum propter nauigantium appulſus conſideret, tamen præter legum ſubſidium, videtur innuere, ſatis remedii fore, ſi vilior nautarum turba, quæ corrumpendis moribus aptior eſt, à conſuetudine ciuium procul arceatur. f

[f] polit. l. 7. c. 5.

FINIS LIBRI DVODECIMI.

SCIPIONIS AMIRATI

DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM

IN C. CORN. TACITVM,

LIBER DECIMVSTERTIVS.

Quantum, præſertim in rerum agendarum principiis, proſit exiſtimatio.

DISCVRSVS I.

RE ipſa mille aureos poſſidere, ſatius eſſe puto, quam in eiuſmodi apud homines exiſtimatione haberi, vt decem millibus fruamur, cũ tamen vix centũ poſſideamus. Accidit nihilominus, vt mercatores, qui ſeſe exiſtimatione ſuſtentant, ſua magis intereſſe putent, ſi decẽ millia poſſideri credãtur, neq; centum aureos habeant; quã ſi mille aureis non indigeant, & fidei, nominiſq; commendationem amittant. Quantum igitur mercatoris, vt diues credatur, tantum militis ac ducis, principiſq; intereſt, vt nominis amplitudine polleant. Quæ amplitudo tantas plerunque vires nanciſcitur, vt eius vnius ope à minoribus exercitibus maiores ſuperentur. Vnde forſitan prouerbium illud exortum eſt, *Acquire exiſtimationem, dein ſede.* Domitius Corbulo (ſicuti per hos diſcurſus haud ſemel forte dictum eſt) dux fuit inter cæteros ætatis ſuæ duces excellentiſſimus, qui miſſus ad Armenias regendas egregia ſtatim facinora aggreſſus eſt, *vt famæ inſeruiret, quæ in nouis cœptis validiſſima eſt.*[a] Idemq; de Agricola ſocero hæc ſcribit noſter: *Non ignarus, inſtandum famæ, ac*

[a] lib. 13.

prout

prout prima ceſſiſſent, fore vniuerſa. [b] Sciens igitur, quantum referret, exiſtimationem hanc augere, Monam inſulam in poteſtatem redigere, animo intendit, &c. Idem in celebri contra Neronem coniuratione habetur; multos Piſonem adhortatos fuiſſe, pergeret pulcherrimum opus perficere, *ſi conatibus eius conſcij aggregarentur, ſecuturos etiam integros, magnamq; motæ rei famam, quæ plurimum in nouis conſiliis valeret.* [c] Quoties præcepta Taciti aliquo Cæſaris experimento cõfirmare licet, equidem id perquam libenter ago, quia Cæſar non tantum hiſtoricus iudicio, & ſapientia cæteris non inferior, ſed dux fuit, cuius virtutis nemo ignarus eſt. Cæſar igitur de ſe loquens, dum Pompeium arcta obſidione cingere conabatur, tribus de cauſis id feciſſe ſcribit: primum quia, cum Pompeius equitatu prępolleret, & Cęſarem annona ſenſim deficeret, minori periculo commeatus ad exercitum ferebatur: deinde vt pabulatione Pompeium prohiberet, equitatumque eius ad rem gerendam inutilem efficeret: *tertio, vt autoritatem, qua ille maxime apud exteras nationes vti videbatur, minueret.* [d] Neque enim dubium eſt, quiſquis hoſti adimit exiſtimationem, quin eam ipſe ſibi vindicet. Nec multo poſt de Pompeio Cæſar eadem ſubiungit; quod perſpiciens Pompeius Cæſariana caſtra quotidie communiri, milites in aciem educebat, *vt famam, & opinionem hominum teneret.* [e] Idque vel maxime curabat in producendo exercitu, *ne profectio nata à timore defectionis ſimilis fugæ videretur.* [f] Ideoque Cæſar Æduos non retinet, etiamſi ipſorum perfidiam agnouiſſet, *ne timere videretur.* [g] Sic Mutianus cum venit in Italiam, *non lento itinere, ne cunctari videretur, neq; tamen properans, gliſcere famam ipſo ſpatio ſinebat, gnarus, modicas vires eſſe ſibi, & maiora credi de abſentibus.* [h] Neq; vero incaſſum hæc nominis exiſtimatio quæritur: hæc enim dubios firmat, beneuolẽtiam amicorum auget, milites obſecundantes reddit, commeatuum vias explanat, pecunias minori labore acquirit: demum pleraq; omnia in exiſtimatione conſiſtunt; quæ, cum perdita eſt, fortia ac validiſſima remedia, nedum debilia, & inualida vix proſunt, & *inuiſo ſemel principe ſeu bene, ſeu male facta premunt.* [i] *Et nihil in rebus mortalium tam fluxum, & caducum eſt, quam fama potentiæ non ſua vi nixa.* [k] Sed nominis maieſtas & exiſtimatio hęc, quæ ab aliquo bono principio, populis non incognito (ſiue illud virtus ſit militaris, ſiue recta reipublic. adminiſtratio, ſiue ſcientiarum quarumcunque cognitio, ſeu ſanctitas vitæ, ſiue huiuſmodi cæteræ virtutes) originem ducit, incredibile eſt, quam mirabiles effectus pariat. Quæ exiſtimatio, pleriſque nomine autoritatis comprehenſa, tantæ virtutis eſt, vt ſæpe inermis homo exercitum perterrefecerit, rabidiſque & efferatis animis manſuetudinem imperauerit. Sic Alexander Seuerus deficientibus militibus ſuis, iterum atque iterum audacter reſpondit, ac denique in maiori ipſorum contumaciæ furore, vt ex ſe ipſis arma deponerent, compulit. [l] Sic ſpectante Catone ludos Florales, nihilque aduerſante, imo, cur eum vniuerſus populus vereretur, ignaro, idem populus erubuit, vt mimæ nudaren-

[b] in Agric.
[c] lib. 15.
[d] lib. 3. de bell. ciu.
[e] ibid.
[f] lib. 7. de bell. Gall.
[g]
[h] Tac. lib. 18.
[i] lib. 17.
[k] lib. 4. 13.
[l] Lampridius.

darentur, poſtulare. [m] Sic Pompeius, cui totius orientis reges caput inclinauerant, ipſe ſuæ dignitatis faſces Poſſidonio Philoſopho ſubmiſit. [n] Igitur omni ſtudio atq; induſtria hæc exiſtimatio, quia mirificam in compluribus vtilitatem affert, quærenda eſt: quæ licet nullius rei, quam ſui ipſius indiga videatur, tamen aliquando eam nonnulli, cæteroquin propter ſummas dignitates reuerendi, inſignibus earundem dignitatum, quas ſuſtinebant, defenderunt, vt Romani magiſtratus, cum Galli vrbem occupauerunt. [o] Item Bonifacius PP. cum à Sciara Columnio captus eſt. [p] Idemq; Clemens VII. facturus erat, à Columnenſibus vim illam & impreſſionem paſſus. [q] Sed hoc pariter narratur effeciſſe Franciſcus Soderinus Epiſcopus Volaterranus, cum ſeſe infulatum, & ſacerdotali amictu ſplendidum oppoſuit populo, qui domum Pauli Antonii eius fratris iam iam prædaturus erat.

[m] *Val. Max. l. 2. c. 5.*
[n] *Plin. l. 7. c. 30.*
[o] *Liu. l. 5.*
[p] *Platina.*
[q] *Guicc. l. 17.*

Adoleſcentes principes quibus in rebus adulari liceat.

DISCVRSVS II.

PRincipem recte inſtituere perinde eſt, ac ſi librum per typographiam edideris: nam quo pacto vnum papyri folium ſi compoſueris, innumera deinde facilimo negotio multiplicantur; ita ſi vnum regem tuis monitis forte bonum reddideris, vniuerſum regnum, cui ille imperat, ad bonam frugem expeditiſſime ac ſtatim reduces; non ſecus ac Plato, ſi Dionyſium ſanauerit, fore, vt Siciliam totam ad ſanitatem redigat, profitebatur. Quiſquis hoc nobiliſſimum opus pr̨ manibus habet, ei ſæpe algendum, ſæpe ſudandum eſt, quia priuatorum etiam, nedum principũ virorum cultura eſt difficilima. Vnde falluntur, qui in hoc genere ſe magna præſtitiſſe gloriantur; nam per ſaxa, per ignes, perq; ſummas anguſtias iis tranſcundum eſt. Neq; enim principibus aliquid mandauiſſe, quaſi ſeruis, faciendum, vel non faciendum, ſatis eſt; verum ſumma patientia, blandimenta, rationes, lachrymæ, preces, minæ, terroreſq; infamiæ, artes demum vniuerſæ ad bonum finem tendentes adhibend̨ ſunt, quo adoleſcentulus princeps in bonam viam reducatur, vnde eum neq; ſpes, neq; timor, neq; voluptas, neq; dolor auocet. Inter quæ genera rectæ principum inſtitutionis illud nunquam non perutile putaui, vt, cum de vitiis ipſos aliquibus arguere, infructuoſum deprehenditur, de bono opere aliquo, ſiue illud egregium, ſiue minimum ſit, collaudentur, *quo iuuenilis animus leuium quoq; rerum gloria ſublatus maiores continuet.* Quod Senatores effecerunt, maximis in cœlũ laudibus efferentes Neronẽ, quoniã, cæteris magiſtratib. in verba principis iurantibus, nõ permiſerit, vt L. Antiſtius Collega in cõſulatu iuraret. [a] Paullo poſt inceſſit eidẽ voluntas cũcta vectigalia remittẽdi: quod tamen *diſſolutionem imperij* eſſe, ſi fructus, quibus reſp. ſuſtineretur, dimi-

[a] *Lib. 13.*

nuerentur, docuerunt Senatores, ſed *multum prius laudata magnitudine animi.* [b] [b] *ibid.*
Sic Druſus laudatus fuit, quod delatorum quorundam, aliorumq;, qui ſub imagine principis multa ſcelera patrabant, iniquitati ſeſe opponẽs, operam dederit, vt plecterentur. [c] Præcipuam rationem, cur Neapolitana iuuentus recte inſtituta videatur, eam eſſe puto, quia ab incunte ætate opinionem imbibunt, non poſſe equitem turpia & inhoneſta agere: quo axiomate ſordes vitiorum horreſcunt; quæ vitia dum in plebe, vilibusque hominibus deprehendunt, ſtatim comparatione hominum ea nobiles equitum animos dedecere, cognoſcunt: vnde plerique ne videantur ignobiles, res minus honeſtas prætereunt, & oderunt. Hinc eorum mihi parentum conſilium probatur, qui conniuentibus oculis filiorum peccata, quaſi non intelligentes diſſimulant, ne ſemel rupto pudoris freno licentius debacchentur. Quamobrem ſi in principe aliquã forte virtutem obſeruauerimus, ne ipſam etiam exuat (eæ ſiquidem quaſi fauillæ in illius pectore conſeruatæ virtutum flammas aliquando maiores excitare valent) eandem exquiſitis modis celebremus & extollamus: Vbi enim per huiuſmodi laudationes in quandam virtutis quaſi poſſeſſionem ſe collocatum animaduerterit, haud facile inde ſeſe auelli patietur. Hæ vero laudes, aut ſi magis, adulationes malæ non ſunt, quia ex optimo fine regulam accipiunt: at malitioſa libertas illa Atteii Capitonis, dum ſeſe Tiberio oppoſuit, ne criminum vindictam Senatoribus vetaret, peſſimo omnium fine ducebatur, maximique ſceleris titulum demeretur. [d] Diuerſa ſunt illecebrarum genera, quæ diuerſimode operantur: namque nonnulli eius ſibili imitatione, quo ſerpens ob amorem vtitur, eundem ſerpentem ex aquis, ſepibuſve eductum capiunt: aucupes vero accipitris ſibilum imitando, turdum adeo perterrefaciunt, vt dum timore pene exanimatus ramo hæret, eum collimantes facilime occidant. Sic nos adulationis illecebris capiamus principes, nullum quidem iis terrorem incutiendo, ſed leniter eos ad honoris & gloriæ fulgorem inuitando; nam ſic Romani Tiberium gloriæ contemptorem aſpicientes, dicebant; *contemptu famæ contemni virtutes.* [e] Et Germanicus clam militum voces, laudesq; audiens, *fruebatur fama ſui.* [f] Ecquis neſcit, laudis amantem virum neceſſario vituperationem odio habere? Imo dum coram principe pietas laudatur, certum eſt, crudelitatem tacitè damnari: Ex quo laudem cultro Pariſatidis ſimilem dicimus, qui culter eo latere, quod venenatum erat, auaritiam occidit; altero autem non infecto, laudis ope, vtilem, ac ſalubrem liberalitatis cibum partitur. [g] Experimentumne petis? En ipſimet principes, ducesque, cum à populis militibuſve aliquid petunt, circa hunc laudis ſonum verſantur. Inquit Germanicus, *Tu viceſima legio, tot præliorum ſocia, tot præmiis aucta, hanc egregiam duci tuo gratiam refers?* [h] Antonius Primus tertiæ commemorabat, per eam à M. Antonio fugatos Parthos, à Corbulone Armenos victos, & nuper Sarmatas. [i] Et ante hunc Cæſar legioni decimæ maxime fidebat, eamque laudibus publice ſemper extollebat. [k] Quæ laudes multitudinis animos alacritate erigebant, ipſisque mortis contem-

[c] *lib. 3.*

[d] *lib. 3.*

[e] *lib 4.*

[f] *lib. 2.*

[g] *Plut. in Artax.*

[h] *lib. pr*

[i] *Tac. lib. 19.*

[k] *de bell. Gall. l. b. pr.*

darentur, poſtulare.[m] Sic Pompeius, cui totius orientis reges caput inclinauerant, ipſe ſuæ dignitatis faſces Poſſidonio Philoſopho ſubmiſit.[n] Igitur omni ſtudio atq; induſtria hæc exiſtimatio, quia mirificam in compluribus vtilitatem affert, quærenda eſt: quæ licet nullius rei, quam ſui ipſius indiga videatur, tamen aliquando eam nonnulli, cæteroquin propter ſummas dignitates reuerendi, inſignibus earundem dignitatum, quas ſuſtinebant, defenderunt, vt Romani magiſtratus, cum Galli vrbem occupauerunt.[o] Item Bonifacius PP. cum à Sciarra Columnio captus eſt.[p] Idemq; Clemens VII. facturus erat, à Columnenſibus vim illam & impreſſionem paſſus.[q] Sed hoc pariter narratur effeciſſe Franciſcus Soderinus Epiſcopus Volaterranus, cum ſeſe infulatum, & ſacerdotali amictu ſplendidum oppoſuit populo, qui domum Pauli Antonii eius fratris iam iam prædaturus erat.

[m] Val. Max. l. 2. c. 5.
[n] Plin. l. 7. c. 30.
[o] Liu. l. 5.
[p] Platina.
[q] Guicc. l. 17.

Adoleſcentes principes quibus in rebus adulari liceat.

DISCVRSVS II.

PRincipem recte inſtituere perinde eſt, ac ſi librum per typographiam edideris: nam quo pacto vnum papyri folium ſi compoſueris, innumera deinde facilimo negotio multiplicantur; ita ſi vnum regem tuis monitis forte bonum reddideris, vniuerſum regnum, cui ille imperat, ad bonam frugem expeditiſſime ac ſtatim reduces; non ſecus ac Plato, ſi Dionyſium ſanauerit, fore, vt Siciliam totam ad ſanitatem redigat, profitebatur. Quiſquis hoc nobiliſſimum opus pr̨ manibus habet, ei ſæpe algendum, ſæpe ſudandum eſt, quia priuatorum etiam, nedum princípũ virorum cultura eſt difficilima. Vnde falluntur, qui in hoc genere ſe magna præſtitiſſe gloriantur; nam per ſaxa, per ignes, perq; ſummas anguſtias iis tranſeundum eſt. Neq; enim principibus aliquid mandauiſſe, quaſi ſeruis, faciendum, vel non faciendum, ſatis eſt; verum ſumma patientia, blandimenta, rationes, lachrymæ, preces, minæ, terroreſq; infamiæ, artes demum vniuerſæ ad bonum finem tendentes adhibend̨ ſunt, quo adoleſcentulus princeps in bonam viam reducatur, vnde eum neq; ſpes, neq; timor, neq; voluptas, neq; dolor auocet. Inter quæ genera rectæ principum inſtitutionis illud nunquam non perutile putaui, vt, cum de vitiis ipſos aliquibus arguere, infructuoſum deprehenditur, de bono opere aliquo, ſiue illud egregium, ſiue min imum ſit, collaudentur, *quo iuuenilis animus leuium quoq; rerum gloria ſublatus maiores continuet.* Quod Senatores effecerunt, maximis in cœlũ laudibus efferentes Neronẽ, quoniã, cæteris magiſtratib. in verba principis iurantibus, nõ permiſerit, vt L. Antiſtius Collega in cõſulatu iuraret.[a] Paullo poſt inceſſit eidẽ voluntas cũcta vectigalia remittẽdi: quod tamen *diſſolutionem imperij* eſſe, ſi fructus, quibus reſp. ſuſtineretur, diminueren-

[a] Libr. 13.

nuerentur, docuerunt Senatores, ſed *multum prius laudata magnitudine animi.* [b] [b] *ibid.*
Sic Druſus laudatus fuit, quod delatorum quorundam, aliorumq;, qui ſub imagine principis multa ſcelera patrabant, iniquitati ſeſe opponẽs, operam dederit, vt plecterentur.[c] Præcipuam rationem, cur Neapolitana iuuentus recte inſtituta videatur, eam eſſe puto, quia ab incunte ætate opinionem imbibunt, non poſſe equitem turpia & inhoneſta agere: quo axiomate ſordes vitiorum horreſcunt; quæ vitia dum in plebe, vilibusque hominibus deprehendunt, ſtatim comparatione hominum ea nobiles equitum animos dedecere, cognoſcunt: vnde plerique ne videantur ignobiles, res minus honeſtas prætereunt, & oderunt. Hinc eorum mihi parentum conſilium probatur, qui conniuentibus oculis filiorum peccata, quaſi non intelligentes diſſimulant, ne ſemel rupto pudoris freno licentius debacchentur. Quamobrem ſi in principe aliquã forte virtutem obſeruauerimus, ne ipſam etiam exuat (eæ ſiquidem quaſi fauillæ in illius pectore conſeruatæ virtutum flammas aliquando maiores excitare valent) eandem exquiſitis modis celebremus & extollamus: Vbi enim per huiuſmodi laudationes in quandam virtutis quaſi poſſeſſionem ſe collocatum animaduerterit, haud facile inde ſeſe auelli patietur. Hæ vero laudes, aut ſi mauis, adulationes malæ non ſunt, quia ex optimo fine regulam accipiunt: at malitioſa libertas illa Atteii Capitonis, dum ſeſe Tiberio oppoſuit, ne criminum vindictam Senatoribus vetaret, peſſimo omnium fine ducebatur, maximique ſceleris titulum demeretur. [d] Diuerſa ſunt illecebrarum genera, quæ diuerſimode operantur: namque nonnulli eius ſibili imitatione, quo ſerpens ob amorem vtitur, eundem ſerpentem ex aquis, ſepibuſve eductum capiunt: aucupes vero accipitris ſibilum imitando, turdum adeo perterrefaciunt, vt dum timore pene exanimatus ramo hæret, eum collimantes facilime occidant. Sic nos adulationis illecebris capiamus principes, nullum quidem iis terrorem incutiendo, ſed leniter eos ad honoris & gloriæ fulgorem inuitando; nam ſic Romani Tiberium gloriæ contemptorem aſpicientes, dicebant; *contemptu famæ contemni virtutes.* [e] Et Germanicus clam militum voces, laudesq; audiens, *fruebatur fama ſui.* [f] Ecquis neſcit, laudis amantem virum neceſſario vituperationem odio habere? Imo dum coram principe pietas laudatur, certum eſt, crudelitatem tacitè damnari: Ex quo laudem cultro Pariſatidis ſimilem dicimus, qui culter eo latere, quod venenatum erat, auaritiam occidit; altero autem non infecto, laudis ope, vtilem, ac ſalubrem liberalitatis cibum partitur. [g] Experimentumne petis? en ipſimet principes, ducesque, cum à populis militibuſve aliquid petunt, circa hunc laudis ſonum verſantur. Inquit Germanicus, *Tu viceſima legio, tot præliorum ſocia, tot præmiis aucta, hanc egregiam duci tuo gratiam refers?* [h] Antonius Primus tertiæ commemorabat, per eam à M. Antonio fugatos Parthos, à Corbulone Armenos victos, & nuper Sarmatas.[i] Et ante hunc Cæſar legioni decimæ maxime fidebat, eamque laudibus publice ſemper extollebat.[k] Quæ laudes multitudinis animos alacritate erigebant, ipſisque mortis contem-

[c] *lib.3.*
[d] *lib.3.*
[e] *lib 4.*
[f] *lib.2.*
[g] *Plut. in Artax.*
[h] *lib. pr*
[i] *Tac. lib. 19.*
[k] *de bell. Gall. lib pr.*

ptum inſerebant. Id quoque adnotandum eſt, numquam ab Impp. milites reprehenſos fuiſſe, quin vehementes laudes reprehenſionibus commiſcerentur. *Nimia pietas veſtra*, inquit Otho, *acrius, quam conſideratius tumultus excitauit.* [l] Dum has ego laudes principi proficuas exiſtimarem: non ſine incredibili animi voluptate inter legendum apud probatiſſimum autorem comperi, laudem & vituperationem medicinas eſſe hominibus pernec eſſarias, quia ſicuti hæc vitium proſternit, ſic illa virtutem extolſit, augetque. [m] Igitur ne pudeat nos principibus blandiri: Quid ni? ii quoque viciſſim nos plerunque adulantur, neque nos ipſos de huiuſmodi obſequiis iuſte quiſquam arguere poterit. Quod ſi quis diceret, has laudes, vt veras, adulationis nomine maculandas non eſſe, aio, in tantum eas adulationes appellari, quatenus ſeuerioris, ac parui laudatoris perſonam deponentes, plus nimio laudes amplificamus, ac ſpecioſiores, illuſtrioresq; reddimus; veluti neque feminas dedecere videtur, cum aliquando ſe te plus iuſto comunt, poliuntque, & vnguentis illinunt, quo viros ſuos ab adulteriis, illicitiſque amoribus reuocantes caſtis eorum amplexibus perfruantur: iidemq; honeſtis ac conceſſis voluptatibus illecti diabolicas meretricum inſidias deteſtentur. Sic Hebræi ſuos Prophetas ſupremo laudis titulo currus Iſrael, & aurigas eius vocabant, [n] quaſi dicerent, Regni noſtri gloriam, ſplendorem, gubernaculum.

[l] Lib. 17.
[m] Clem. Alex. pædag. l. 1.
[n] 4. Regum 2.

De pœnis militaribus, & antiquorum ad hanc rem inſtitutis.

DISCVRSVS III.

VBi præmia magna ſunt, ibi vt pœnæ quoq; magnæ ſint, æquum eſſe videtur. Et quoniam inter humana bona nullum bene geſtis maius præmium eſt, quam honor, & gloria, hanc autem Romani milites præcipue affectabant; pari quoq; ratione inuenta fuit ignominiæ, ac vituperationis pœna iis, qui ignaue ſeſe geſſiſſent. Quamobrem aliàs oſtendimus, quam minimo diſpēdio principes virtutem poſſent alienam remunerare. [a] Quæ fuerint Romanorum præmia, iam diximus: Modo de pœnis ſermonem inſtituemus, & quamquam huic ignominiæ, honorumq; diſtributioni ſæpe emolumentum, ſiue damnum adnectebatur, tamen vtplurimum ad honorem, ignominiamque reſpiciebatur. Proinde Corbulo increpitum Pactium, & præfectos, militesq;, quod ab hoſte victi fuiſſent, *tendere omnes extra vallum iuſſit.* [b] Et hæc altera eſt ex militaribus pœnis adhuc vigente republ. [c] Gracchus milites, qui ſtrenuam reip. operam præſtiterant, eximiis affecit honoribus: iis vero, qui ignauiam, improbitatemve præ ſe tulerant, pœnam conſtituit, vt, dum mererent, nunquam ſedentes, ſed ſtantes cibum, potumque caperent. [d] Obiiceret aliquis: hæc ſupplicia monacho-

rum eſſe

[a] lib. 2.
[b] Tac. l. 13.
[c] Liu. lib. 10.
[d] Liu. l. 24.

rum eſſe videntur, qui ſuos tyrones cum felibus iubent humi comedere; noſtri autem efferatiores milites ſane irriderent ducem, qui tales iis pœnas indiceret, nihilq; exequeretur: Nempe is nõ animaduertit, obedientiæ ac ſimplicitatis adminiculis imperium orbis terrarum ab antiquis occupatum fuiſſe. Marcellus cohortibus, quæ vexilla amiſerant, hordeum dari iuſſit, cunctiſque illarum cohortium centurionibus gladios abſtulit, inermeſque eos eſſe voluit. [e] Senatus Romanus aduerſus milites, qui in pugna Cannenſi in ipſis Romanorum caſtris ſeſe dediderunt, adeo ſeuerus extitit, vt, cum minore precio eos redimere poſſet, maluerit ſumptu maiore vti in bello octo millibus ſeruorum, [f] aliiſque homicidiorum reis ære alieno obſtrictis, & ſceleratis hominibus, [g] pœnamque iis impoſuit, ne in oppido, municipiove vllo hoſpitarentur, ne ad decem millia paſſuum prope oppida caſtrametarentur, ne Siciliam egrederentur, niſi hoſtis Italia pulſus eſſet.[h] Adeoque ſeueri fuerunt Romani in iis, qui ad hoſtes tranſiiſſent, animaduertendis (magis autem contra ſuos, quam contra ſocios) vt ſimili caſu ſecuri percuſſis Latinis, Romani (quod ſupplicium ſeruile erat) cruci affixi fuerint. [i] Vexillum deſeruiſſe, capitale erat. [k] Ob minuta delicta vite verberabantur, vnde centurioni, qui fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rurſus aliam poſcebat, nomen inditum fuit, *Cedò alteram*. [l] Quod ſi ob turpem aliquam ſegnitiem hoſtes damnum aut dedecus aliquod inferebant, tunc exercitus, aut pars illius, quæ peccauerat, decimabatur, vt fecit imperante Tiberio L. Apronius. [m] Non defuit, qui ſcripſit, Romanos inter militaris ignominiæ, & pœnarum genera ſolitos fuiſſe contumacibus militibus ſanguinem ſecatis venis emittere, adeo vt hæc magis medicina, vt erga ſtupidos, quam pœna eſſe videretur. [n] Metellus exercitui longa ſegnitie corrupto coctos cibos prohibuit, neque ad ipſorum ferenda onera beſtias, aut ſeruos permiſit. [o] Q. Fuluius Flaccus in ſua cenſura fratrem Senatu amouit, quod iniuſſu conſulis cohortem domum dimiſiſſet. [p] Caius Cotta P. Aurelium Pecuniolam ſanguine ſibi iunctum, quia ob eius negligentiam agro ab hoſte combuſto, caſtra pene direpta fuiſſent, prius virgis cæſum, militiæ, munere inter pedites fungi coegit. [q] Sic Poſthumius Tiburtus, & Manlius Torquatus filios ſecuri feriri iuſſerunt, quod non iuſſu paterno, ſed ſua ſponte alter hoſtes afflixiſſet, alter ex eodem victoriam reportaſſet. [r] L. Quintius Cincinnatus L. Minutio Conſulatum eripuit, quod intra foſſas, vallumque ab hoſtibus obſideri paſſus fuiſſet. [ſ] L. Calphurnius Piſo Titio equitum magiſtro, quod hoſtibus arma tradidiſſet, his ignominiæ generibus affecit: Eum toga laciniis abſciſſis amictum, diſcinctaq; tunica indutum, nudis pedibus à mane noctem vſq; ad principia per omne tempus militię adeſſe: interdixitq; ei vſum balnearum; turmaſque equitum, quibus præfuerat, ademptis equis, in funditorum alas transſcripſit, [t] alii fuſos ab hoſtibus, & ad caſtra redeuntes pro hoſtibus interficiendos edixerunt; aliis manus abſciſſæ, alii elephantis proterendi ſubſtrati. [u] Quas pœnas Romani cum horrentius, quam ho-

[e] lib. 27.
[f] lib. 22.
[g] lib. 23.
[h] [illegible]
[i] lib. 30.
[k] lib. 1.
[l] lib. pr.
[m] lib. 3.
[n] Gell. l. 10. c. 8.
[o] Val. Max. l. 2. c. 2.
[p] ibid.
[q] ibid.
[r] ibid.
[ſ] ibid.
[t] ibid.
[u] ibid.

ſtes ipſos timerent, fiebat, vt perraro ab hoſtibus vincerentur, pluries autem, ac propemodum ſemper ex iis honeſtiſſimas victorias reportarent. Sed exautorari, dimittiq; ob ignominiam, acerrima profecto, & vel ſpontaneo ſuſpendio digna pœna fuit. Vnde rigidiſſimum dimiſſionis exemplum attexere placuit, quo Romana ſeueritas eluceſcat, & noſtræ militię, ſi forte quis eam inſtaurare curauerit, degeneratio corrigatur. Narrat enim Hirtius, ſiue Oppius, Cæſarem de ſuggeſtu, conuocatis omnium legionum tribunis, centurionibusq; *Maxime vellem*, dixiſſe, *homines ſuæ petulantiæ, nimiaq; libertatis aliquando finem feciſſent, meæq; lenitatis, modeſtiæ, patientiæq; rationem habuiſſent: ſed quoniam ipſi ſibi neq; modum, neque terminum conſtituunt, quo cæteri diſſimiliter ſe gerant; egomet ipſe documentum more militari conſtituam.* Cumq; adeſſent noxii, ſecutus eſt. *C. Auiene, quod in Italia milites Populi Rom. contra remp. inſtigaſti; rapinaſque per municipia feciſti; quodque mihi, reique publicæ inutilis fuiſti; & pro militibus tuam familiam, iumentaque in naues impoſuiſti: tuaque opera militibuſque tempore neceſſario reſp. caret, ob eas res ignominiæ cauſa, ab exercitu meo te remoueo: hodieque ex Africa abeſſe, & quantum potes, proficiſci iubeo.* [u] Quo pacto ipſum, & nonnullos alios tribunos dimiſit, tradiditq; eos centurionibus, & ſingulis viritim additis ſeruis, in naui ſeparatim eos imponendos curauit.

[u] de bell. Afr.

Non eſſe hoſtes multiplicandos.

DISCVRSVS IV.

FRanciſci Sforciæ, qui rei militaris peritia ex priuato milite clariſſimus Mediolani dux euaſit, adnotatu digniſſimũ documentũ fuit illud, cũ dixit, Quicũq; tres hoſtes haberet, cum cũ altero pacẽ inire, cũ altero inducias, tertiũ vero bello aggredi debere. Gręci artium inuentores, rerumq; arduarũ, atq; admirandarum patratores, adeo clarum crediderunt eſſe periculum eius, qui cum duobus contendit, vt prouerbio vſurpauerint, Neq; Herculem contra duos. [a] Noſter vero autor, qui nullam actionum humanarum intentatam reliquit, principes condocefacere exoptans, cum vno bello implicantur, debere eos alterum, quoad eius fieri poteſt, ſubterfugere, patefacit id exemplo Vologeſis Parthorum regis, qui rebelles Hircanos bello perſequens, nolebat Romanos ſibi infeſtos reddere. Ad quæ Corbulo, *ſatis comperto Vologeſem defectione Hircaniæ attineri,* [b] ſuaſit Tiridati fratri, vt ſpe longinqua, & ſera derelicta, precibus Cæſarem aggrederetur. Quã rem autor, vt conſueuit, ſæpius attingit; nam Corbuloni proſpere cuncta ſucceſſiſſe, ſcribẽs, rationẽ addit, *quia Parthi Hircano bello diſtineantur.* [c] Dicit etiã alibi, eundem regem diuerſas in curas diſtractum fuiſſe, modo vindictæ cupidum, magnitudine rurſum Romana, & continui fœderis reuerentia: quippe *cunctator ingenio & defectione Hircanorum, gentis validæ, multiſque ex eo bellis illigatus.* [d] Finis autem negotiationis huius fuit, vt Vologeſes Corbulonis conſilium ſecutus fuerit, no-

[a] Plato in Phædone.
[b] lib. 13.
[c] lib. 14.
[d] lib. 15.

rit, nolueritque mutuis damnis ſocietatem Romanam omittere, dicente Corbulone, *Scire, quantum rex intus diſcordiarum, quamque indomitas, & præferoces nationes regeret: contra Imperatori ſuo immotam vbique pacem, & vnum id bellum eſſe.*[e] Igitur tato concludi poteſt, principem, dum vno diſtinetur bello, alterum inſipienter non effugere. Nam allatum exemplum potentiſſimi omnium principis eſt, qui, totius terrarum orbis populis ſubiugatis, Parthos ſubiugare nitebatur, aduerſus quem illi ex æquo iampridem contendebant. Verum poſſet aliquis obiicere; mirandum non eſſe, quod Nero cæteris moleſtiis publicis hoc præpotentium hoſtium bellum adſciſcere nollet; neque forſan idem eſſe dicendum, ſi cum inferioribus res ageretur. Cui obiectioni exemplo item Romanorum reſpondebo. Hi enim quemcunq; modum rebus ſuis præſcriberent (quod tamen facile coniecturis rimari poſſumus) fere ſemper ad hunc ſcopum collineauerunt, vt vno tantum bello, non pluribus occuparentur, & perraro eis hæc cogitatio non ſucceſſit. Non inficiabor, quo tempore cum Carthaginenſibus bellum gerebant, item Philippo regi Macedonum bellum indictum fuiſſe, propterea quod animaduertentes Romani Philippum clam tractare cum Annibale, maluerunt illum aggredi, quam expectare, vt ipſe aggrederetur. Nihilominus Liuius rerum Romanarum prudentiſſimus ſcriptor, de fine belli Carthaginenſis, & Macedonici, deq; principio belli cum Antiocho agens, hac de re pulcherrima verba ſubdit, *Non tam in tempore Punicum bellum terminatum erat, ne ſimul cum Philippo foret bellandum, quam opportune iam Antiocho in Syria moliente bellum; Philippus eſt ſuperatus.*[f] Adnotetur Romanorum prudentia, nam ob illam victoriam, quam de Philippo reportauerant, ſocii Populi Romani multa à Q. Flaminio petierant; inter quos Bœoti rogauerunt, vt ſibi ſuæ nationis milites illi, qui ſub Philippo militauerant, reſtituerentur: quod ipſis conceſſum fuit, *non quia ſatis dignos eſſe credebat, ſed quia Antiocho rege iam ſuſpecto fauor conciliandus nomini Romano apud ciuitates erat.*[g] Et alibi dicit, quaſdam conditiones Romæ per ſingulas tribus confirmatas fuiſſe, *quia verſo in Africam bello, omnibus aliis in præſentia leuari bellis volebant.*[h] Sed quid mirandum, Romanos hiſce artibus vſos fuiſſe, ſi ab ineunte vſque reipublicę ætate, & in ipſiuſmet infantia hunc morem ſeruauerunt? Equidem anno vrbis 259. cum Populus Romanus cum Latinis bellum gereret, ſciretque Volſcos Latinis ſuppetias laturos, *maturauit Romanus, ne prælio vno cum Latino, Volſcoque contenderet.*[i] Vt autem huiuſce moniti veritas elucescat, circiter annum 1220. ab V. C. ſub imperio M. Antonini Pii tradit I. Capitolinus, abſoluto Parthico bello, inceptum fuiſſe Marcomanicum: quod ſummo aſtu, donec bellum orientale perficeretur, diutiſſime ſuſpenſum fuit.[k] Requirit maxima huiuſce rei vtilitas, vt eã melius examinemus: poſſunt enim principes exemplo populi, qui de cunctis gentibus triumphauit, eximiam inde vtilitatem haurire. Et ad bellum Philippi contra Romanos rediens, dico, nondum finito bello Macedonico, Antiochum Romam legatos miſiſſe; qui, teſte Liuio, perhumaniter admiſſi, & dimiſſi fuerunt, *vt tempus poſtulabat*, in-

[e] ibid.

[f] lib. 33.

[g] ibid.

[h] lib. 29.

[i] lib. 2.

[k] Iul. Capitol.

certo adhuc aduerſus Philippum euentu belli. Ex quo Romanorum prudentia cognoſcitur, qui ſummis licet iniuriis affecti ob incertum belli Macedonici exitum, opportunũ illud tempus nõ exiſtimantes, legatos Antiochi amice tractare maluerunt. Perfecto bello, initaque pace cum Philippo, aliter Antiochi legatos habuerunt: *Nihil enim iam perplexe, vt ante, cum dubiæ res incolumi Philippo erant, ſed aperte pronuntiatum, vt excederet Aſia vrbibus, qui aut Philippi, aut Ptolemæi regum fuiſſent, abſtineret, liberas, omneſque Græcas, &c.* l Alibi idem commonſtrat; cum propter fines imperii orto inter Maſſiniſſam, & Carthaginenſes diſſidio patres in conſultationem adduxerunt, *an cum Antiocho, & Pœnis ſimul bellandum eſſet.* Etiam atque etiam attendendum eſt, Publium Scipionem Africanum, & C. Cornelium Cetegum, & Marcum Minutium Rufum legatos in Africam miſſos, vt coram ipſis cauſa Maſſiniſſæ, & Carthaginenſium diſputaretur, *audita, inſpectaque re, ſuſpenſa omnia, neutro inclinatis ſententiis, reliquiſſe.* Sequitur Liuius, *Id vtrum ſua ſponte fecerint, an quia mandatum ita fuerit, non tam certum eſt, quam videtur tempori aptum fuiſſe, integro certamine eos relinqui: nam ni ita eſſet, vnus Scipio vel notitia rei, vel autoritate ita de vtriſque meritus, finire nutu diſceptationem potuiſſet.* m Hoc eſt, quod ratio ſtatus, ſiue regnatiua prudentia nuncupatur, cum ſcilicet bello aliquo diſtinemur, ne alterius occaſio inuitetur, cumque ad placitum noſtrum agere, ſeu dicere non poſſumus, diſſimulemus, & cum legatis ad nos miſſis, inſtar Romanorum humaniſſimis officiis certemus; non enim ii mentem, animumque ſuum, in quam partem propenderet, declarare tenebantur. Idcirco præceptum legimus, *Amico, & inimico noli narrare ſenſum tuum.* n Quod ſi Antiochus in ea legatione deceptus eſt, non Romanorum, ſed ſuimet ipſius dolus habeatur. Item ſi duo populi, principeſve contendant inter ſe ob rem, quam ipſimet propoſuerint, neutri parti infertur iniuria, ſi re ſuſpenſa, nulliuſque ſententiæ pronuntiatione diſceditur; quoniam tempora, vt iudicium differatur, exquirunt. Quod duplici ratione Romani prudenter efficere potuerunt, vel quia ſententiam interponentes, alterum amicorum abalienabant, vel quia temporibus reipublicæ difficillimis poterat eiuſdem reipublicæ intereſſe, vt duo populi ſatis potentes ſimul eluctarentur. Non tamen id eſſe, diſcordias ſerere, & nutrire, dicendum eſt; quia neque illarum Romani autores fuerunt, neque diſcordibus illis populis dominabantur. Neque ſecus omnipotens Deus per modum tolerantiæ, conniuentiæque permittit, pleraque ad meliora tempora differri: nam etiam Romanis paullo poſt decidendæ litis opportunitas acceſſit. o Hiſce prudentiæ dotibus Romani non minus, quam armis orbem vicerunt, neque diuerſa premere veſtigia eos decet, qui imperia gubernant. Has autem dotes, & veſtigia, viaſque principes non àmilitibus, ducibuſve, quorum ars eſt aciem inſtruere, ciuitateſque oppugnare, addiſcunt, non a Iuriſconſultis, quorum peritia vltra ciuiles, & criminales contentiones non extenditur, ſed à Philoſo-

l ibid.

m lib. 34. in fin.

n Eccleſ. c. 19.

o lib. 35.

pho politico, qui in hiſtoriarum praxi verſatus fuerit. Hiſtoria ſiquidem dum ſummorũ principum, ac populorum geſta deſcribit, præcipue docet, quibus artibus reſpublica ac principatus prudenter gubernentur. Ex quibus, vt diximus, cauendum eſt, ne contra Gallos, verbi gratia, ardente bello, alterum contra Germanos aggrediamur, neve pluribus populis, principibuſque negotium exhibeatur. Quod ſi quis hæc vera fateretur; at fieri non poſſe, putaret; quin potentiores principes iniuriis prouocati generoſitatem ſuam contra prouocantem, præſertim inferiorem, oſtendant; hoc caſu reminiſcamur, quod alibi diſputatum eſt, barbaros impetu, Romanos contatione agere ſua ſolitos fuiſſe. [f]

[f] lib. 5. diſc. 9.

De commeatu comparando.

DISCVRSVS V.

INter militaria munia commeatuum diligentem curam habere, adeo præcipuum eſt, vt ii, qui fame hoſtem vicerunt, longe maiorem, quam ii, qui ferro, laudẽ ſemper meruerint, quo minus n. res noſtras fortunæ arbitrio ſubiicimus, quove minus ſanguinis noſtrorũ effundimus, eo nos maior gloria manet. Hinc eſt, ꝙ in cõparatione Alexandri cum Romanis, vbi penſitatum eſt, an Alexander melius caſtra metari ſciuiſſet, additur illud verbũ, *commeatus expediret*, [a] innuente Liuio pro re certa Romanos ab Alexandro in hoc genere prudentiæ non ſuperatum iri. Et præcipuum ſcientiæ ducis ſpecimen eſt, vt commeatum diligenter expediat; Quod in Corbulone apparuit, qui ſuſpectans, ne Tiridates commeatus Pontico mari, & Trapezunte oppido aduentantes interciperet, hoſtis conſilium eluſit, quia per montes ducebantur præſidiis militum inſeſſos. [b] Annibal, dux rei militaris peritiſſimus, in eo prudentiſſimo conſilio, ꝙ de bello Romanis inferendo corã Antiocho habuit, inter grauiora monita addidit illud; vt claſſem onerariæ naues cum commeatibus comitarentur; quia vt pauci propter pugnandum, ſic nimii propter commeatuum penuriam milites videbantur; ex æquo trutinans & militum, & commeatuum paruitatem. [c] Corbulo vero ille ducum ſagaciſſimus hoc damnum ſic præcauere non potuit, quin in eo bello frumenti egeſtatem perpeſſus fuerit; vnde adnotanda, quæ de his Tacitus, *ſicuti ipſe, exercituſque nullis ex prælio damnis, ita per inopiam, & labores fatiſcebant, carne pecudum propulſare famem adacti: adhæc penuria aquæ.* [d] Atque equidem non video, quæ poſſit ars contra neceſſitatem hanc adhiberi, dum Cæſarem ipſum obſeruo, fatentem, exercitum ſuum multos dies frumentis caruiſſe, & ipſum quoque cum exercitu ducem carne pecorum victitaſſe. [e] Neque id tantum in Gallia accidiſſe, ſed etiam in ciuilibus bellis

[a] Liu. lib. 9.
[b] Tac. lib. 13.
[c] Liu. lib. 36.
[d] lib. 14.
[e] lib. 7. de bello Gall.

contra

contra Pompeium, quibus pane, ex quadam herba, nomine Chara, confecto, ſuſtentatus eſt.[f] Sic Pompeius aquæ penuriam expertus,[g] interque cætera nonnunquam rorem, qui in pelles, quæ naues tegebant, deciderat, guſtare coactus eſt,[h] ne de imperitia ducum loquamur, qui quamquam verno tempore anni, & tot circum amnibus, penuria aquæ fatigabantur, vt exercitus Othonis.[i] Igitur prudentiæ pars eſt, cum quis commeatuum diuitias poſſidet, ſic iis vti, ne, quod duos menſes ſuffecturum eſt, vno abſumatur: nam de hoc reprehenſi fuerunt Mummius Lupercus, & Numiſius Rufus in rebellione Ciuilis: *Ita paucu diebus abſumpta ſunt, quæ aduerſus neceßitates in longum ſuffeciſſent.*[k] Neque Pætus inter cæteros,quos in Armenia commiſit, errores, hoc errore immunis extitit: ibi ſiquidem non ſolum commeatum neglexit, *nullo rei frumentariæ prouiſu*, ſed prædam male adminiſtrauit,*corrupto,qui captus erat,commeatu.*[l] Vnde egregium monitum habetur, vnicuique viritim annonam diſtribuendam eſſe; quia naturaliter quæ propria ſunt, diligentius, quam communia cuſtodiuntur. Sic apud Caſilinos *æqualiter inter omnes frumentum diuiſum.*[m] Sed aduertendum eſt,apud Romanos frumentum ſingulis militibus ad certum diem diſtributum fuiſſe: quia inſtrumenta panis faciendi ſecum ferebant.[n] Cuius annonæ diſpenſationis multa leguntur exempla.[o] Vtile documentum militibus eſt,vt ita ſe modeſte gerant, vt ob id à populis cura commeatuum libenter ſuſcipiatur, nedum auare, parceque tractentur: quod non ſine fundamento dicimus, nam Romani pro militibus plus ſolito aliquando commeatum vltro expediuerunt, *Ab vrbe commeatus intentiore, quam antea ſubuehi cura, ne quid tam benemerito exercitui ad vſum deeſſet.*[p] Quod inter alia tunc fit, cum annonæ præfecti,& curatores à militibus non deſpiciuntur,ſed inuicé de humanitate certatur,vt accidit in exercitu Claudii Neronis, ad quem comportato affatim commeatu, *modeſtia certauere milites, ne quid vltra,quam neceſſarium ſumerent.*[q] Inter monita, quæ in bello, quod perduraturum dubitatur, duci obſeruanda ſunt, vtiliſſimum illud eſt,ciuitatem habere aliquam comeatibus ſupplendis opportunam.QuodScipionem impulit in Hiſpania, vt Carthaginem occuparet; quoniam præter cæteras opportunitates horreum illa hoſtium videbatur,ideoque Romanis magis neceſſaria.*Hæc illi arx, hoc horreum.*[r] Neque aliam ob cauſam Annibal in Italia Neapolim exoptabat, niſi vt fidum haberet nauibus ex Africa confluentibus receptaculum,[s] adde, propter commeatus & pleraſque commoditates, vt pariter de Tarento cogitabat.[t] Hæc ipſa cura Pompeium Dyrrachii cuſtodem vigilantiſſimum reddebat, quia præter apparatus bellicos,ſagittas,arma,machinas, hinc ad caſtra commeatus exportabantur.[u] Et potiundi Gomfi conatus Cæſaris non aliunde proceſſit,niſi quia in penuria,quam patiebatur, probè cognoſcebat, quantum ſuccurrendæ omnium rerum inopiæ intereſſet, locupletiſſimum oppidum capere.[x] Ideo velitibus, & cataphractis ne graue ſit, equorum dorſo frumentum ſibi ferre: quod à Pompeianis equitibus factum eſt,[y] & Romani equites ſimiliter: *Eques folliculis in caſtra ab Arpis frumentum veheret.*[z] Expeditque ſi loca, quo commea-

tu:

[f] lib.3. de bello ciuil.
[g] ibid.
[h] ibid.
[i] Tac.l.18.
[k] lib.20.
[l] lib.15.
[m] Liu.lib.23.
[n] Plutar. in M. Ant.
[o] Liu.lib.42. & ſeq.
[p] lib.5.
[q] lib.27.
[r] lib.26.
[s] lib.23.
[t] lib.24.
[u] Caſ.l.3. de bell.ciuil.
[x] ibid.
[y] ibid.
[z] Liu.lib.9.

tus ferendus, procul diſtent, ſtationes habere, vnde frumenta commodius, & cautius vehantur, oppidis, & municipiis hoc oneris imponendo, vtque viæ ſint faciles, & expeditæ, iubendo.[a] Curandumque, vt commeatus non ſolum terra, ſed etiam mari comportetur: Nam Publius Æmilius ad Macedonicum bellum electus præ omnibus patres admonet, vt quales commeatus ſint, inquirant, *& vnde terreſtri itinere, vnde nauibus ſupportarentur.*[b] Solemne illud rei militaris præceptum, ne hoſtis, hoſtileve oppidum ab tergo relinquatur, hinc principium traxit, ne commeatus impediantur. Quod à Cæſare ſic perſpicue refertur, vt nullus dubitationi locus ſuperſit.[c] Et nos alibi nonnihil diximus.[d] Neque idem Cæſar ex hybernis copias educendas eſſe, putat, niſi opportunum bello tempus: *ne ab re frumentaria duris ſubuectionibus laboret*,[e] nempe non ignarus, quantum rebus vehendis viæ impeditæ incommodum ferant. Si adiungerem, maturas fruges à militibus ſummo ſtudio metendas, ideoque inter cætera militaria impedimenta ne falces deſint, debile fortaſſe monitum foret. Sed hoc tantum addam, conſueuiſſe aliquando Romanos, manipulis frumenti prope caſtra deuectis, ſpicas ſecare, & atterere, ne caſtra paleis implerentur.[f] Quicunque vero aſtu militari hoſtem commeatibus exſpoliant, eoque pacto incruenta bella abſoluunt, ii demum maximi duces appellantur, & multifaciendi, paucifque comparandi videntur. Qua in re, quoniam illuſtre ſupereſt exemplum, pauxillum adhuc immorabor. Cæſar etenim in Hiſpania contra Petreium, & Afranium caſtra circa Ilerdam inter duo flumina Sicorim, & Cingam collocauerat: quæ cum tranſiri non poſſent, maximis ob inopiam frumenti anguſtiis continebatur; neque equi pabulatum mitti, neque pecora haberi poterant: at exercitus Afranii omnium rerum abundabat copia: adeo vt hoſtes Romam ad ſuos perſcripſerint, bellum iamiam confectum fore.[g] In tantis anguſtiis Cæſar, imperat militibus, vt naues faciant: carinæ primum, ac ſtatumina ex leui materia fiebant: reliquum corpus nauium, viminibus contextum, coriis integebatur: has perfectas carris iunctis deuehit noctu millia paſſuum à caſtris viginti duo, militeſque his nauibus flumen tranſportat; continentemque ripæ collem improuiſo occupat: hunc celeriter priuſquam ab aduerſariis ſentiatur, communit: huc legionem poſtea tranſducit, atque ex vtraque parte pontem inſtitutum perficit: biduo ita commeatus, & qui frumenti cauſa proceſſerant, tuto ad ſe recipit, & rem frumentariam expedire incipit. Quamquam autem Cæſar huc vſque præclare ſatis egiſſe videtur, nihilominus inſtat, & vrget hoſtem aliis machinamentis: namque ne ſemper magno circuitu per pontē equitatus eſſet mittendus, nactus idoneum locum foſſas pedum triginta in altitudinem complures facere inſtituit, quibus partem aliquam Sicoris auerteret, vadumque in eo flumine efficeret: his pene effectis magnum in timorem Afranius, Petreiuſque perueniunt, ne omnino frumento, pabuloque intercluderentur; quod multum Cæſar equitatu valebat: ita-

[a] *lib.44.*
[b] *ibid.*
[c] *lib.9. de bell. Gall.*
[d] *lib.18. diſc.5.*
[e] *Caſ.*
[f] *Liu. lib.22.*
[g] *lib.1. de bello ciuil.*

que conſtituunt ipſi locis excedere, & in Celtiberiam bellum transferre. Sed propter excellentem Cæſaris prudentiam bellum hoc breui feliciſſimum, atque incruentum exitum Afraniorum deditione ſortitum eſt. Quo facto nihil Cæſari domi, foriſve illuſtrius vnquam contigit.

De caſtris mouendis, & exercitui quale quantumque iter conficiendum ſit.

DISCVRSVS VI.

IN mouendis caſtris quatuor præcipue conſideranda videntur: Tempus diſceſſus: Quod exercitui iter agendum: Quantum viæ poſſit, aut debeat conficere: Quo ordine caſtra mouenda ſint. Quæ ſingulæ particulæ, excepta itineris quantitate, quia in itinere Corbulonis, dum in Armenia cum Tiridate bellum gerebat, apparent, ſimul illas, ne diſſertatiunculas ſubdiuidere cogar, conſiderare decreui. Quoniam autem bella æſtate, & in caloribus, non hyeme, tractantur; fere ſemper laudabile erit, tempeſtiue diſcedere: nam iuxta prouerbium, Qui bene veſperi hoſpitari cupit, is diluculo viæ ſe dedat, neceſſe eſt. Cumque milites caſtrametari, & vallum obducere, ac ſeſe communire debeant, equidem niſi temporis ſatis habuerint, nocte deprehenſi, iis ſubiacent periculis, quæ minus communitis caſtris impendent. Hac fortaſſe de cauſa illud de L. Merula Conſule ſcribitur, *Conſul, qui multa nocte ſolitus erat mouere caſtra.*[a] Dum legimus, Cæſarem admirabili celeritate ſua bella nunquam non confeciſſe, certo certius, & neceſſarium eſt, vt tempeſtiue ſemper caſtra mouerit: ſed in re clara non eſt opus coniecturis. Cum certior factus eſt, Heluetios nondum Ararim traieciſſe, media nocte, quod idem eſt, de tertia vigilia eos impeditos, & inopinantes aggreditur,[b] eodem bello media nocte T. Labienum præmittit, & ipſe quarta vigilia diſcedit,[c] hoc eſt, hora nona Romana: nam ſi nox octo horas habuerit, quarta vigilia poſt ſex noctis horas ſignificabit. Cum ad occupandum Veſontionem contendit, *huc Cæſar magnis diurnis nocturniſque itineribus contendit.*[d] Nimium negotii mihi aſſumerem, ſi locos omnes, quibus Cæſarem noctu diſceſiſſe, ſcriptum eſt, colligerem. Quorum aliquos, ne mea fides ambigua ſit, quiſquis videre cupit, ad marginem hic eos adnotabo.[e] Neque vero minus diligens in maritimis expeditionibus apparuit: etenim in Angliam profecturus tertia vigilia ſoluit.[f] Si diceret aliquis: Iam profeſſus es, prælia nocturna vitanda eſſe.[g] Igitur cum facilius eadem prælia contingere poſſint iis, qui noctu, quam qui interdiu proficiſcuntur, nonne caſtra noctu mouenda eſſent? Reſpondeo: quiſquis hac de re ambigit, diem expectare poſſet, vt fecit Merula. Verum hæc profectio poteſt, debetque eiuſmodi cautione omnino ſuſ-

[a] Liu. lib. 35.
[b] lib. pr. de bell. Gall.
[c] ibid.
[d] ibid.
[e] ibid. & lib. 2. & l. 6. & l. 7. bis, & l. 1. de bell. ciuil. & l. 3. & Xenoph. l. 4. in princ.
[f] lib. 4.
[g] lib. 4. diſc. 2.

cipi, vt non ſolum longinquus hoſtis, ſed & propinquus nullum damnum afferre queat. Cuius rei plurima ſunt exempla: nam Claudius Nero dum à caſtris Annibalis procul abeſſet, ad collegam ſuum properaturus, vt mirabile facinus, quod perpetrauit, expediret, noctu diſceſſit.[h] Et Annibal in Apulia exercitum retracturus noctu caſtra mouit, Publio Æmilio, & Varrone prope ipſum caſtrametantibus.[i] Quod efficiens, extingui lumina iuſſit, & quædam impedimenta è tentoriis auferri noluit; quo vel hoſtis diſceſſum non ſuſpicaretur, vel ſuſpicans, aliquem ſubeſſe dolum timeret. Dubitandum non eſt, quin hæ profectiones maxime *non conclamatis vaſis*, (quod hodie abſque militaris tympani ſonitu diceremus) ducibus inhoneſtæ putarentur, vt profitetur Cæſar de Scipione.[k] Verum, ne ab hoſte vincamur, nihil intentatum relinquendum; præterquam quod quibuſdam dolis minime improbandis in bello vti poſſumus, vt fecit Annibal. Qui, vt ex anguſtiis, in quibus ſe collocauerat, ſeſe extricaret, nouo aſtu vſus ex Fabii manibus euaſit: Nam duobus millibus boum congregatis, accenſas faces cornibus eorum alligauit; quæ res præter inſuetum terrorem ſupicionem inſidiarum gignens, fugæ viam aperuit.[l] Et Cæſar ipſe à Pompeio duplici clade affectus exercitum ab obſidione, vt ad recreandos militum animos ſpatium interponeret, reducturus; etiamſi militare inſtitutum ſeruarit, vtque citiſſima eius profectio cognoſceretur, conclamari iuſſit; tamen prima nocte ſaucios, & ægros omnes præmiſit, quibus vna legio miſſa præſidio eſt, vetito, ne ante iter confectum conquieſcerent; mox duas in caſtris legiones retinuit, reliquas de quarta vigilia compluribus portis eductas, eodem itinere præmiſit, paruoque ſpatio intermiſſo, ipſe egreſſus, & nouiſſimum agmen conſequutus, fruſtra inſequente Pompeio, celeriter è conſpectu caſtrorum diſceſſit.[m] Quæ omnia dicta ſunt, vt oſtendatur, ſagaci, optimoque duci nihil obſtare, quin noctu quoque, hoſte licet præſentiente, diſcedere valeat. At ſi quis hoſte procul manente, breue iter confecturus, velit diluculo diſcedere, inter cætera iuuat Corbulonis exemplum repetere,[n] qui ambigens, *an expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret*, vbi ab exploratoribus regem procul eſſe, percipit, *lucem opperitur*, & præmiſſis velitibus, ipſe reliquo cum exercitu eo tetendit.[o] Quoniam vero, ne erretur in itinere, etiam atque etiam cauendum eſt, conſueuerunt duces, regionem, in qua bellum gerunt deſcriptam, pictamve habere, quemadmodum habuerant Athenienſes, dum Siciliam armis aggredi meditabantur.[p] Cæſar conſiderans, quantum mercatores, vltro, citroque quotidie commeantes, ſitum, formamque Britanniæ docere poterant, quamplurimos eorum ad hunc finem, regnum illud inuaſurus congregauit.[q] Ideoque loquens Liuius de ſylua Ciminia, dixit, ad eum vſque diem mercatoribus quoque inexploratam eſſe.[r] Et Publius Æmilius, quo itinere Perrebiam profecturus eſſet, conſulens, tandem mercatorum, qui ipſum probe docuerant, conſilium amplectitur.[ſ] Non-

[h] Liu. lib 27.
[i] lib. 22.
[k] lib. 3. de bell. ciuili.
[l] Liu. lib. 42.
[m] Cæſ. lib 3. de bell. ciu.
[n] lib. 4.
[o] lib. 13.
[p] Plut. in Nic.
[q] de bell. Gall. lib. 4.
[r] lib 9.
[ſ] lib. 44.

t Xenop. nulli curant ſibi exploratores regionis gnaros, [t] aut ſi forte ab aliis mittuntur, blanditiis eos ſuſcipiunt, eosq; remunerant, ſi veros compererint. Sed ne ab iiſdem fallantur, ita eos habeant, ne fugam dare poſſint, vt fecit T. Quintius cum
u Liu. l. 31. homine illo, quem Charopus miſerat. [u] Vnde reprehenditur dux quidam, qui viæ inueniendæ exploratoribus incautè credidit adeo, *vt nec ex iis, qui venerunt, quen-*
x Liu. l. 43. *quam retineret.* [x] Et reuera nulla pecunia vtilius impenditur, quam ea, quæ in illos erogatur, qui vias tutiores edoceant, quia alter tantum ex iſtis ſalutem exercitus, vel excidium parere poteſt. Sic M. Antonio valdè profuit opera Mardi, &
y Plut. in M. Ant. Mithridatis, ſine quibus exercitus ille periiſſet. [y] Et noſtris temporibus ruſticus ille, qui Carolo V. Imperatori vadum Albis in Germania oſtendit, Cæſaris victo-
z Ballet. l. 5. de bell. Germ. riam accelerauit, hoſtiumq; animos confuſione repleuit. [z] Neq; Moyſem hæc viarum noſcendarum diligentia latuit, ideoq; Hobab cognatum ſuum itinerum peritum inuitat. *Noli*, inquit, *nos relinquere; tu enim noſti, in quibus locis per deſertum caſtra ponere debeamus, & eris ductor noſter: cumq; nobiſcum veneris, quicquid optimum*
a Num. 10. *fuerit, ex opibus quas nobis traditurus eſt dominus, dabimus tibi.* [a] Iccirco cum ſcriptores ſagacium ducum itinera deſcribunt, fere ſemper hæc præmittunt, *itineribus ſumma cum diligentia exploratis*, vt de dictatore Q. Fab. Maximo legitur, cum mo-
b Liu. l. 22. uet caſtra contra Annibalem, [b] & de cæteris. [c] Verum præterea militaris artis di-
c ibid. & l. 27. ligentia, & experientia tunc magis eluceſcit, cum ex tribus, pluribuſve ad vnum locum tendentibus viis vna eligitur; quia in huius electione aut prudentia ducis, aut ſocordia comperitur. Germanicus hoſtes aditurus conſultat, *ex duobus itineribus breue, & ſolitum ſequatur, an impeditius, & intentatum, eoq; hoſtibus incau-*
d Tac. lib. pr. *tum, viamq; longiorem diligit.* [d] Annibal Aretium verſus cum exercitu profectu-rus, duas eſſe vias, docetur, alteram longiorem, & commodiorem, alteram bre-
e Liu. l. 22. uiorem quidem, ſed paludibus impeditam, & hanc eligit. [e] Cuius electionis quia Liuius nullam rationem reddit, cur Annibal id egerit, non foret inutilis fortaſſe militibus quæſtio. Inter conſultores exercitus, quem Martius in Macedoniam ducebat, conſultatum fuit, ex tribus viis, quænam eligenda foret, num per Pythoum, an per montes Cambunios, an per paludem Aſcuridem, præter ali-
f l. 44. quantum viæ communis, quod reſtabat. [f] Ioſaphat rex Iudææ cum pollicitus eſſet Ioram regi Samariæ, ſe iturum cum eo contra Meſa regem Moab, ante alia
g 4. reg. c. 3. interrogat, *Per quam viam aſcendemus?* [g] Peruulgatum monitum eſt, qui magis peditatu pollet, quam equitatu, ei planitiem quærendam eſſe. Ideo ſapienter admonitus fuit M. Antonius, vt plana, & periculorum, errorumque plena vitaret,
h Plut. in M. Ant. quia Parthorum vires in equitatu conſiſterent. [h] Iter eligendum eſt commeati-bus ſupportandis accommodatum, quodq; hoſtis impedire nequeat, de quo Q.
i Liu. l. 44. Martius Philippus reprehenſus eſt. [i] Ob quam fortaſſe rationem Annibal montium vias detrectauit, malens cum incommodis, & laboribus, quam cum fame luctari, vt pariter ex Perſia redeuntes Græci fecerunt; qui viæ breuioris commo-
k Xenop. l. 6. ditate omiſſa, ob commeatuum ſupplementa longiorem optauerunt. [k] Etenim in itinere capiundo viarum breuitas, facilitas, ſecuritas, commoditas attendenda

eſt, neq;

eſt, neq; via difficilis, aut facilis dicenda, quæ tuta non eſt; neque tuta credenda, quæ, cum hoſtium ſuſpicione careat, famis timori ſubiacet. Quocirca memorabilis fuit Romanorum error, cum vias Noceram verſus duas haberent, alteram propter mare tutam & apertam, ſed longiorem; alteram breuiorem, per hanc ad furcas Caudinas perrexerunt, vbi damno ac dedecore affecti ſunt.[l] Non ita Corbulo, qui, Artaxata profecturus, breuem viam omiſit, quia ſi legiones amnem Araxem, qui mœnia alluit, transgrederentur, *ſub ictum dabantur, procul; & latioribus vadis tranſiere.* [m] Hoc argumentum viarum refectionis conſiderationem requirit; *præmiſſis, qui repurgarent iter.* [n] Induſtria item in fluminibus ſiue per pontes, aut quomodolibet ſuperandis conſideranda. Vnde Rhodii illius conſilium neglectum non fuit, qui duobus millibus vtrium quatuor millia grauis armaturæ militum tranſuehenda eſſe, conſuluit. [o] Huc pertinet Annibalis inuentio alpes aceto ac ferro excindendi, [p] ſi modo eiuſmodi rebus credendum eſt: item Martii artificium ad conducendos per rupes, ac præcipitia elephantos, [q] aliaque innumera, quæ recitare tædioſum foret. Quantum iter ſit conficiendum, prout variæ ſunt occaſiones, varia fuerunt conſilia, quæ pleriq; ceperunt. Sed vt, quoad fieri poteſt, verum inueſtigetur, proponendum eſt, quod præcipit Vegetius, exercitibus ex Romanorum militum conſuetudine æſtate quinq; horis viginti quinque millia paſſuum conficienda eſſe. [r] Modo ponantur, horæ æſtiui diei communiter eſſe ſexdecim, Romanorum autem horæ fuiſſe duodecim, oportet ſingulis horis tertiam horæ partem addere: adeo vt quinq; Romanæ horæ ſeptem fere noſtratium horarum adæquent, hoc eſt, horas ſex cum duobus trientibus, ſicq; concedendum eſt ſeptem horis viginti millia paſſuum confici poſſe; adeo vt miles ad octauam diſcedens hora decima quinta iter expleuiſſet: quod ſi aliquantum requieſcendum foret, tunc ſexta decima hora iter abſolueretur: & ſine æſtus moleſtia exercitus, vt præſcribit Vegetius, viginti millia paſſuum conficere, & ſtatiua habere commode potuiſſet. Verum magis fortaſſe conducet, vt ex fontibus hæc hauriamus, vnde Vegetius eadem hauſit, & ex nobiſmet ipſis rei circumſtantias deſpiciamus. Neminem etenim latere debet, quoties neceſſitas tulit, à Cæſare viginti millia paſſuum confecta fuiſſe. [ſ] Et M. Craſſus iuſſu Cæſaris media nocte profectus tertia diei hora propemodum viginti quinque millia paſſuum abſoluerat. [t] Et in nobiliſſima illa Græcorum reductione quolibet die viginti millia paſſuum, aliquando viginti quinq; confecta leguntur, [u] tametſi per altiſſimas niues iis ambulandum eſſet, [x] pedibus frigore ac labore debilitatis, & fere conſumptis, [y] & ſæpe veſperi ſine vllo cibo, & abſq; vlla miſeriarum, quas interdiu patiebantur, ſubleuatione. [z] Et Plutarchus teſtatur, M. Antonii exercitum vna nocte triginta millia paſſuum ambulauiſſe, [a] itemq; triginta leguntur confecta à legionibus Vitellii, cum ſocios profligatos intellexiſſent. [b] Et de Pæto legitur, vno die quadraginta millia paſſuum. [c] Verum quod Philippus ſexaginta perfecerit, id profecto admirandum eſt. [d] Neque ſi quis Claudii Neronis iter, qui à Metauro diſcedens ſex dierum ſpatio Venuſiam regreſſus eſt,

[l] *Liu. l. 9.*
[m] *Tac. lib. 13.*
[n] *Liu. l. 44.*
[o] *Xenop. Cyrop. l. 3.*
[p] *Liu. l 22.*
[q] *lib. 44.*
[r] *lib. pr.*
[ſ] *lib 5. de bell. Gall.*
[t] *ibid.*
[u] *Xenop. l. 3. & l. 4.*
[x] *lib 4.*
[y] *ibid. bis.*
[z] *ibid.*
[a] *Plut. in eius vita.*
[b] *Tac. l. 19.*
[c] *lib. 15.*
[d] *Liu. l. 28.*

breue illud fuiſſe, comperiet. [e] Nec valde breue, nec longum nimis, quoad coniecturis aſſequimur, iter erit, ſi quindecim millia paſſuum conficiantur: tametſi Cæſar iuſtum iter octo millia dixerit, *confecto iuſto itinere eius diei*, ſed ne Pompeius perſequeretur, alia octo coactus eſt progredi, *Duplicatoq; eius diei itinere octo millibus paſſuum ex eo loco procedit.* [f] Ego vero quindecim millia paſſuum dixi, quoniam Liuius, vt maximarum viarum difficultates oſtenderet, prodidit, exercitum Martii magno labore biduo quindecim millia paſſuum confeciſſe. [g] Et hæc de itinerum ratione, modoq; colligenda duximus. Nō eſt autem prętermittendum, quod magnus quidem noſtrorum temporum dux dicere ſolitus eſt: tria millia peditū illius arbitratu diſpoſita, ſi à mille equitibus laceſſantur, poſſe duarum horarum ſpatio in tutum ſe recipere; cum tamen apud Cæſarem legatur (& quidem non ſine notabili differentia) exercitum ſuum, quem Scipio in itinere inſectabatur, quatuor horarum ſpatio non totos centum paſſus potuiſſe abſoluere. [h] Neq; negligendum eſt (vt Cæſarianorum militum labores perpendantur) poſt Pharſalicum prælium, & caſtra Pompeii expugnata, exercitus victoris partem, fugientes Pompeianos inſequentem, vix ſex millia paſſuum commode conficere non potuiſſe: quamquam iterum vallo exſtructo, prælioq; commiſſo reliquias illas ad deditionem coegerunt. [i] Verum agmen, quale in itinere eſſe debeat, inſpiciamus.

[e] lib. 27.
[f] lib. 3. de bell. ciu.
[g] lib. 44.
[h] de bell. Afr.
[i] de bell. ciu.

De caſtris mouendis, præſertim quà pertinet ad impedimenta ſarcinaſque.

DISCVRSVS VII.

CONtra Tiridatem in Armenia ſic viæ pariter, ac pugnæ compoſuerat exercitum Corbulo. *Latere dextro tertia legio, ſiniſtro ſexta incedebat, medius decumanorum delectus: recepta inter ordines impedimenta, & tergum mille equites tuebantur: quibus iuſſerat, vt inſtantibus comminus reſiſterent, refugos non ſequerentur. In cornibus pedes ſagittarius, & cætera manus equitum ibat, productior cornu in ſiniſtro per ima collium, vt ſi hoſtis intrauiſſet, fronte ſimul, & ſinu exciperetur.* [a] Exploratum eſt, prout hoſtes aut prope, aut procul erant, ita diuerſis Cæſarem modis agmen duxiſſe: nam procul degentibus hoſtibus, ſingularum legionum impedimenta ſubſequi ipſas iubebat: iiſdem autem propinquis, ex octo legionibus, ſex præire, mox cuncta exercitus impedimenta, poſtea duabus legionibus tergū cuſtodiri curabat: ſemper nihilominus equitatū cū funditoribus, ac ſagittariis præmittebat, [b] & alibi agminis ordinem ita cōſtituit, vt tres legiones ante omnia irent impedimenta: deinde omnium impedimentorum agmen (*quod tamen erat mediocre, vt in expeditionibus eſſe conſueuit*) cogeret ſubſequens altera legio: hoc autem ideo effecit, vt hoſtes tribus tantum legionibus conſpectis, celerius, contempta Romanorum paucitate, prodirent in aciem. [c] Ibi autem videre eſt, Cæſarem contra hoſtē

[a] Tac. l. 13.
[b] lib. pr. de bel. Gall.
[c] lib. 18. de bell. Gall.

prodiiſſe, *pene quadrato agmine inſtructo.* Quod autem hoc idem Cæſar ex præſcripto militaris artis ageret, inde patet, quia tacite Sabinum arguit, quod milites e caſtris conſilio Ambiorigis hoſtis Populi Romani eductos, viæ commiſiſſet *longiſſimo agmine, magniſque impedimentis.* [d] Græci ex Perſia duce Xenophonte redeuntes itineris initio ordinem phalangis, vel quadrati agminis ſeruauere; [e] excepto quod ſemel, vt quaſi maiore numero hoſtes perterrefacerent, phalangem laxauerunt. [f] Sed cum paucis poſt diebus animaduerterent, quadratum agmen æquilaterum incommodum eſſe, quia in anguſtiis viarum cornua exercitus nimium arctabantur, corpuſque agminis premebant: vel laxatis & dilatatis ordinibus ad dimicandum exercitus debilis, & parum idoneus efficiebatur; conſilium ceperunt, vt in minora ſe agmina diuiderent, quibus ſingulis centuriones, duceſque dederunt, qui ea in centurias, aut in manipulos pro locorum opportunitate vel conglobata diſiungerent, vel diſiuncta conglobarent, [g] quo ordine domum incolumes peruenere, in medio exercitu impedimenta de more collocantes. [h] Non poſſum non ponderare, quę Brãcatius de impedimentis admonet: Peccari enim modo putat, & antiquitus improuide actum fuiſſe, dum impedimenta in medio exercitus, vel dextrorſum, aut ſiniſtrorſum, ne hoſtis ea poſſit aggredi, collocare conſueuerunt: nouumque ordinem ab ſe inuentum inducit, iubens, vt quadrato agmine vehiculis & carris coacta circumuallentur, adſitque duûm millium ſclopetariorum cuſtodia: vtque ex verbis ipſius elicitur, poſtremo omnium loco ea collocat, exiſtimans, hoc pacto fore, vt prælio conſerto, non modo impedimenta ex ſe ipſis tuta ſint, ſed etiam tergum totius exercitus muniant, quia nempe non obfutura eſſent longius, quam quo catapulta ſuo proiectu pertingeret. Antiquum autem in conducendis impedimentis morem duabus de cauſis improbat: altera eſt propter diuerſos motus, quibus circumducenda ſunt: altera, quia in medio conſtituta, longumque agmen, ſæpe duorum triumve millium paſſuum efficiẽtia adeo diſgregant exercitum, vt parti, quam hoſtis adoriatur, altera pars exercitus ferre ſuppetias nequeat. [i] Ad quæ reſpondeo: motus non plures, ſed vnum tantummodò eſſe: nam cum ſciueris, quà hoſtis te ſit inuaſurus, quod circumſpicienti ſatis patere poteſt; nihil tibi agendum aliud, niſi vt eo die, quo iter agis, non in medio, ſed aut dextrorſum, aut ſiniſtrorſum ea impedimenta colloces: quod ſi longum ea fecerint agmen, curandum eſt, ne fiat: alioquin vel ducis imprudentia, vel corrupta militum diſciplina accuſanda erit. Et hoc notat Cæſar in Sabino *longiſſimo agmine, magniſque impedimentis*: & Liuius in Ap. Claudio: *incompoſite longo agmine effuſi*, [k] *longo agmine, nec continenti*, [l] *longo ac impedito agmine incompoſiti caduntur.* [m] Quod ſi dux ad componendum agmen ineptus fuerit, erit item ineptus ad impedimenta vehiculis, curribuſque cogenda: vel deficient eum tot vehicula, vt duorum triumve millium paſſuum ſpatium quadrato agmine complectantur: vel tandem ſitus, ac planities id commoditatis denegabit. Præterea

[d] *lib. 5.*
[e] *Xenop. l. 1.*
[f] *ibid.*
[g] *lib. 3.*
[h] *ibid.*
[i] *Monitorum milit. l. 3. mon. 2.*
[k] *lib. 4.*
[l] *lib. 10.*
[m] *ibid.*

terea conſiderandum eſt, Cæſarem ideo impedimenta, hoſtibus caſtra procul metantibus, poſt ſingulas legiones conduxiſſe, vt ad conſtruenda caſtra quam celerrime iis vteretur. Quod ſi neceſſitas eum compellebat, vrgentibus hoſtibus, vt poſt ſex legiones ea collocaret; vide, quantum tibi in ipſorum vſu fieret moræ, ſi poſtremo agmine traherentur. Præterea vellem ego, vt Brancatius explicaret mihi, quibus carris ad concludenda impedimenta vti cogitaret, num iis, quibus ipſa impoſita ſunt, an aliis? Si aliis, hanc nouam addis exercitui difficultatem: ſi vero partem eorum aſſumis, qui commeatum vehunt, tantum aberit, vt impedimenta ſclopetarii defendant, vt etiam ipſi ab impedimentis defendi videantur. Quæ res etiamſi non incongruere videretur, cum exercitus iam caſtra fixit (& hunc caſtra metandi modum barbarorum fuiſſe, alibi Cæſar teſtatur,) [n] neſcio tamen, quantum expediret, dum è caſtris eductus exercitus iter agit: nam ſi hoſtes equites ſclopetis non deſtituantur (concedimus modo, impedimenta non poſſe, niſi ab equitibus vexari) & boues, equi ve tua vehicula trahentes claudicent; cæteris vehiculis impedimento futuri ſunt; adeo vt vniuerſus commeatus in diſcrimine conſtituatur: commeatu autem amiſſo exercitus perinde, ac victus, & profligatus eſt, prudenter dicente ad hæc Vercingetorige, *Non intereſſe, hoſtemne interficere, impedimentiſve exuere, quibus amiſſis bellum geri non poſſit.* [o] Imperator Leo hæc præcipue in impedimentis obſeruauit, vt præfectum habeant peculiarem, [p] vt quo die prçliandum eſt, quam tutiſſimo, quoad fieri poteſt, loco congregentur, [q] maxime ea, quæ minus neceſſaria ſunt, [r] vt inter hoſtes ſemper in medio exercitu collocentur, [ſ] vt cum diſcedis ab hoſtilibus locis, præcedant: cum in ea ingrederis, ſubſequantur: ſi ab aliquo latere timeatur, dextrorſum, aut ſiniſtrorſum ponantur: ſi vndequaq; in medio. [t] Neq; hæc leuia putentur: quippe cladis Othonianæ potiſſima cauſa fuerunt *mixta vehicula & lixæ.* [u] Quod quantum referat, conatus Suetonii Paulini, & Proculi Licinii in iis defendendis oſtendit, allegantium prodendi Othonis gratia fuiſſe *permixtum vehiculis agmen.* [x] Et Vitellianorum cladis cauſa fuit, quia *reſtitui nequiuere impedientibus vehiculis, tormentiſq;.* [y] Quæ res vt magis militibus probetur, quid euenerit Antiocho, cum à Romanis profligatus eſt, reminiſcamur. *Cæterum,* inquit Liuius, *fugientibus maior peſtis, intermixtis quadrigis, elephantiſq;, & camelis erat ſua ipſorum turba; cum ſolutis ordinibus velut cæci ſuper alios alÿ ruerent, & incurſu belluarum obtererentur,* Hinc cõclude: ſi Brancatii exercitus profligaretur; quo pacto euaderent eius milites ex vehiculis, quibus ille impedimenta circumuallanda præcipit? Ideo non abs re ab aliis inſtitutum eſt, vt ſeorſim ponantur, quo victus aut victor nullam ab iis moram accipiat: quæ res Cæſari credenda eſt, qui manum in Galliis cõſeruit, *præmiſſis paullum impedimentis, atque in tumulo quodam collocatis,* [z] & alibi, *impedimentis in proximum collem deductis,* [a] his autem duas legiones, illis nonnullas equitum turmas, prout neceſſitas ferebat, præſidio reliquit. Quod ego addidi, vt agnoſcatur, quã appoſite dixerit ille, duo millia ſclopetariorum impedimentis cuſtodiendis ſatis eſſe. Et P. Æmilius bellorum adprime gnarus, nõ modo impedimentorum præ-

[n] lib. pr. de bell. Gall.
[o] Caeſ. lib. 7. de bell. Gall.
[p] l. 1. c. 19.
[q] c. 9.
[r] c. 10.
[ſ] c. 17.
[t] c. 18.
[u] Tac. [illegible] 2.
[x] ibid.
[y] lib. 19.
[z] lib. 8. de bell. Gall.
[a] lib. 7.

ſidio

ſidio quartam exercitus ſui partem poſuit, ſed milites alloquens, inquit, *Nec ignauiſsimum quemque relinqui ad cuſtodiam ſarcinarum ſcitis.* [b] Modo quæ ad rem noſtram faciunt, adiungo. Et quo ad præmittenda impedimenta Cæſarem in medium affero, qui aduesperaſcente die præmiſſis iiſdem ipſe de quarta vigilia profectus eſt, vt pugnandi neceſſitate adueniente exercitum paratum haberet. [c] Quod ſimiliter Leo Imperator cauit, vt die prælii committendi, impedimenta procul habeantur. At ne quis fallatur; animaduertendum, duo eſſe impedimentorum genera: quædam proprie exercitus impedimenta vocabantur, vt tormenta, machinæ, munitiones, tentoria, & ſimilia, quæ carris & equis vehuntur: alia vero minutiora, quæ ſarcinæ dicebantur, quas milites ſinguli ſibi ferebant: Proinde Labienus Cæſaris exercitum in Africa adoriri cogitauit, *quod existimabat milites ſub onere, ac ſub ſarcinis defatigatos pugnare non poſſe.* [d] At Cæſar, qui conſilium hoc præuiderat, trecentos ex ſingulis legionibus expeditos milites delegit, qui Labieni milites in fugam turpiſſimam coniecerunt. Neque dubium erat, quin improuiſæ aggreſſiones aduerſus milites ſarcinarum onere defatigatos maxime perturbarent exercitum: ſed Romanorum conſuetudo fuit, vt in medio depoſitis ſarcinis, armiſque aptatis ad ſigna omnes concurrerent: Quod Liuius perſpicue, & ad rem noſtram perbelle deſcripſit iis verbis: *Primo noua res trepidationem fecit, dum arma capiunt, ſarcinas congerunt in medium: dein postquam vt quiſque liberauerat ſe onere, aptaueratque armis, ad ſigna vndique coibant, & notis ordinibus in veteri diſciplina militiæ iam ſine præcepto vllius ſua ſponte ſtruebantur acies.* [e] Quæ res, vtpote Romanis militibus conſueta, paſſim repetita legitur. [f] Quibus ſarcinis milites onerabantur, & quoniam Marius adhuc pluribus oneratos eſſe voluit, hinc *muli Mariani* dicti fuere. [g] Quod tamen incommodum multiplici commoditate, quam milites rebus neceſſariis non deſtituti ex illo onere accipiunt, abunde compenſatur, ideoq; libenti animo ferendum militibus. Hactenus igitur de hora profectionis inſtituendæ, de itineris quantitate, de impedimentorum ſitu tot dicta ſufficiant.

[b] Liu. l. 44.
[c] lib. 3. de bell. ciu.
[d] de bell. Afr.
[e] libr 9.
[f] ibid. iterum & lib. 28.
[g] Plut. in Mario.

Quid potiſſimum principi agendum ſit in ciuitate, aut prouincia, quam nuperrime occupauerit, vt ab iis ſe tutiorem reddat.

DISCVRSVS VIII.

EXprobrat Phaneas Ætolorum prætor regi Macedonum Philippo, dum incenderet, ac diriperet vrbes, & vincentium præmia victus corrumperet, *Non ſic antiquos Macedonum reges, ſed acie bellare ſolitos: vrbibus parcere, quantum poſſent, quo opulentius imperium haberent.* [a] Quod iudicium perſimile eſt ſententiæ

[a] Liu. l. 32.

Crœſi, dum Cyrum hortabatur, ne quæ eius fuerant ciuitates dirueret, non amplius Crœſi, ſed Cyri victoris, ac poſſeſſoris regnum deſtructurus. [b] Vtile eſt hoc ducibus exemplum, ne ad victas vrbes excindendas facile conſentiant: nam eo pacto aut victores ſibi ipſis damnum inferunt, aut victi victorum iram contra ſe maiorem concitant: quo argumento Beliſarius Totilæ ſuaſit, vt Romam ab vltimo excidio ſeruaret, tantamque ab ea crudelitatem auerteret, [c] præterea diſciplina militaris corrumpitur, dum milites rapinæ dulcedini aſſueſiunt, à qua deinde abſtinere nequeunt, etiamſi iubeantur. Ideo ſummopere laudati fuerunt, qui vrbes deſtruere volentibus ſeſe obiecerunt, qualis inter Florentinos fuit Farinata de Vbertis, inter Neapolitanos Iacobus Caldora. Quorum veſtigiis inhærens, examinabo, quibus artibus dux bello victam ciuitatem, aut prouinciam citra ruinam, ac vaſtationem tuto obtineat, ſibique in perpetuum conſeruet. Et primo conſilium illud contemnendum non eſt, quod Thebis Lucretius Romanorum prætor ſuſcepit, dum patriam exulibus, qui Romanas partes fouiſſent, reſtituit; iis tamen venundatis, qui Macedonum partes ſecuti fuerant. [d] Martius Conſul, vt animos cæterorum Macedonum ſibi conciliaret, mitius egit cum populis Agaſſæ: obſidibus enim contentus, ſine præſidio iis reliquit vrbem, immuneſque, ac ſuis legibus victuros eſt pollicitus. [e] Cum Proceribus Perſei, vtpote regio more viuere conſuetis, P. Æmilius ſecus agendum putauit; nam iuſſit ipſos cum filiis ſuis, qui decimumquintum annum exceſſiſſent, ciuitates ſuas relinquere, & in Italiam Romam migrare, quę mandata etſi acerba crudeliaq; videbantur; cognouit nihilominus plebs libertati ſuæ vtiliter illis conſultum fuiſſe. [f] Quibuſdam oppidis Romani muros detrahebant, vt Velitris, Senatumq; amouebant, & vltra Tiberim, ſi cis eſſent, aut contra, habitare iubebant, pœnis impoſitis, ſi prius, quam conditionibus datis, ſatisfeciſſent, tranſmeaſſent: vel colonias deducebant, quibus primorum ciuium expulſorum agros concedebant. [g] Transferendi populi in ſacris etiam literis habetur mentio, *Et euellet Iſrael de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos trans flumen.* [h] Cæſar in fidem Bratuſpantium recepit, ſexcentis obſidibus imperatis, omnibuſque armis ex oppido collatis. [i] Viennenſes præter imperatam pecuniam, *publice tamen armis multati.* [k] Vbi Romanis clementer agere expediebat, victas vrbes non tantum non deſtruebant, ſed ciues illarum ciuitate Romana donabant, vt cum Priuernatibus fecerunt. [l] Ideo de ipſis dictum eſt, *pleroſque populos eodem die hoſtes, dein ciues habitos eſſe:* quam nihilominus ciuitatem non omnes ſimul cum iure ſuffragiorum obtinebāt. Verum ſæpenumero manſuetudo Romanorum cum ſeueritate exæquata eſt. Nam Capuam Romani, etſi non incenderunt, aut demoliti ſunt: tamen ob iuſtā iram in miſerum, humilemq; adeo ſtatū redegerunt, vt magis Romanæ irę, Capuanęq; perfidię teſtimoniū ea remanſerit, q̃ vt ciuitatis priſtinę veſtigium vllum præſeferret. Etenim ſeptuaginta principes Senatus interfecti, trecenti ferme nobiles Campani in carcerem conditi: alii per ſociorum latini nominis vrbes in cuſtodias dati, variis caſibus in-

[b] Herod. l. 1.
[c] Procop. lib. 3.
[d] Liu. lib 42.
[e] libr. 44.
[f] lib. 45.
[g] lib. 8.
[h] 3. reg. c. 14.
[i] lib. 2. de bell. Gall.
[k] Tac. lib. 17.
[l] Liu. lib. 8.

bus interierunt: multitudo alia ciuium Campanorum venundata: Propter agrum, quem omni fertilitate terræ ſatis conſtabat primum in Italia eſſe, vrbs ſeruata eſt, *vt eſſet aliqua aratorum ſedes*: ager omnis & tecta publica Populi Romani facta: cæterum habitari tantum, tamquam vrbem, Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum ciuitatis, nec Senatus, nec plebis concilium, nec magiſtratus eſſe voluerunt; & præfectus ad iura reddenda quotannis mittebatur. [m] Autor diſcurſuum inquirens, quid principi in ciuitate, aut prouincia, quam nouiſſime occupauerit, faciendum ſit, iubet omnia ibi renouari, nouas nempe gubernandi leges, noua vocabula, nouam authoritatem, nouos homines: ex egenis locupletes faciendos; exſtruendas nouas vrbes, exſtructas diruendas; incolas in alia loca deducendos: nihil in ſumma per totam prouinciam intactum, neque gradum, neque ordinem, neque ſtatum, neque opum vim vllam relinquendam eſſe, quæ te inſtitutorem, ac largitorem non recognoſcat. Quibus malis parumper commotus, cenſet, quo tot hominum calamitates declinentur, præſtare, vt vnuſquiſque priuatam, quam regiam vitam traducat. Et nihilominus iterum in priſtinam ſe reuoluit ſententiam, vt putet quiſquis clementiæ viam deſerendam putat, eundem crudelitatem eiuſmodi omnino amplecti debere, improbatque eos, qui medias in conſulendo vias eligunt, omni ex parte bonitatem, aut omni ex parte improbitatem ſequi neſcientes. Qua in re videbitur fortaſſe multipliciter errare: primum quia monita hæc improba cognoſcens, nunquam ea præcipere debebat; deinde quia non penitus mala exiſtimanda ſunt. Nam quemadmodum iuſtitiæ non eſſet, ſuſpendio aliquem, qui eo mortis genere dignus eſſet, ob ſtolidam miſericordiam liberare: ſic vti aduerſus populos, qui nullam veniam merẽtur, rigore atq; aſperitate, crudelitatis opus non eſt. Neq; Romani improbandi, quod Capuanos ſeueriſſime puniuerint, cum Annibalem ducem ſæuum, inſidum, Carthaginẽſem prępoſuerint Senatui Romano, à quo diuerſis temporibus, pleraq; clementiæ ac benignitatis beneficia in eos manauerant, Romanumq; imperium in ſummam diſcriminis aleam coniecerint; neq; per illos ſtetiſſet, quin barbari, non Romani res Italas gubernarent. Non debet igitur princeps ſuſpenſo animo ſupplicia differre, quotieſcunq; crimina eo proceſſerunt, vt tolerari nequeant; non immemor, Deum iuſſiſſe Sauli regi, vt Amalech, & vniuerſa eius demoliretur, & omnes interficeret *à viro vſq; ad mulierem, & paruulum lactentem, bouem, & ouem, camelum, & aſinũ*: ſed quia ille diuina mandata in totum executus non fuerat, *pænituit Dominum, quod conſtituiſſet regem Saul ſuper Iſrael.* [n] Et rex Iſrael Achab merito à Propheta audiuit, *Quia dimiſiſti Benadad regem Syriæ, virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* [o] Et alibi, *ſin autem nolueritis interficere habitatores terræ: qui remanſerint, erunt vobis, quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus.* [p] Quod ſi quis diceret, Non inſtare modo prophetarum tempora, quorum ore Deus homines alloquatur: reſpondeo, bonas

[m] *Liu. lib. 26.*

[n] *1. reg. c. 15.*

[o] *3. reg. c. 20.*

[p] *Num. c. 33. in fine.*

leges oracula Dei eſſe, cumque ſecundum illas princeps regnat, ſecundum diuinam voluntatē regnare. Idcirco, quoniā ſæpe accidit, vt manſuetudinis atq; clementiæ præcepta prætermittenda ſint, quædam proponam exempla, quibus ad crudelitatem exercendam ſine ſcelere deueniri poſſe videtur. Nam Corbulo Artaxata citra vituperationem combuſſiſſe, & ſolo æquaſſe dicendus eſt, quia nec teneri ſine valido præſidio, ob magnitudinem mœnium; nec id Romanis virium erat, quod firmando præſidio, & capeſſendo bello diuideretur: Vel ſi integra & incuſtodita relinquerentur, *nulla in eo vtilitas, aut gloria, quod capta eſſent.* [q] Crudelius coactus eſt Didius in Vſpenſes ſæuire: nam cum legatos miſiſſent, veniam orantes, aſpernati ſunt victores, *quia trucidare deditos ſæuum, tātam multitudinem cuſtodia cingere arduum: vt belli potius iure caderent: datumq; militibus, qui ſcalis euaſerant, ſignum cædis.* [r] Qui diligenter magnos hiſtoricos euoluerit, paſſim cōperiet, vrbes, quæ muniri non poſſint, ſolo æquandas eſſe: vt ex Liuio arguere licet; qui Chalcidem captam fuiſſe, plurimoſq; interfectos commemorans, ſubiungit, *Quod ſi tantum militum Romanorum fuiſſet, vt & Chalcis teneri, & non deſeri præſidium Athenarum potuiſſet: magna res principio ſtatim belli Chalcis, & Euripus adempta regi forent.* [ſ] Et noſtro ſeculo Germani Montemſilicis oppidum, villaſq; combuſſere, quia militum præſidiariorum copiam non habebant. [t] Aliquando rigor hic in bello ſeruandus eſt, vt cęteris ciuitatibus pauor incutiatur, ne ob pauorem victoribus pertinacius repugnent: ſicut in memorato Vſpenſium oppido videre eſt: nam eorum excidio metus cæteris iniectus eſt: præſertim Zorſini, qui penſitatis pleriſque tandem apud effigiem Cæſaris procubuit, magna gloria exercitus Romani, quem incruentum, & victorem tridui itinere abfuiſſe ab amne Tanai conſtitit. Populorum ſæpenumero inconſtantia, leuitaſq;, cui fidere intutum eſt, efficit, vt victor victam ciuitatem comburendam putet, præſertim ſi aliæ cauſæ concurrant, vtputa ſi ea ciuitas procul à ditione victoris ſita ſit, ſi hoſti opportuna; vt Capſa Romanis aditu difficilis, Iugurthæ commodiſſima, ideo à Mario deuaſtata eſt; etſi contra ius belli, quia ſeſe Romanis dediderat. [u] *Captæ autem, non deditæ,* inquit Æmilius, *vrbes diripiuntur, & in his tantum arbitrium eſt Imperatoris, non militum.* [x] Nonnunquam diripitur vrbs non ob iram, odiumve, ſed vt miles prædę ſpe ſæpe deiectus tandem aliquem victoriæ fructum conſequatur, vnde conſul Acilius Heracleam diripiendam permiſit. [y] Vel militis remunerandi cauſa, ſi in oppugnando oppido aliquo inſigniter ſe geſſerit, vt Cæſar prædæ militum Gomphenſes expoſuit, quod eorum vrbem muris eximiæ altitudinis munitam breui temporis ſpatio, à meridie ſcilicet ad occaſum vſque ſolis ſtrenue expugnauiſſent; præterquam quod eo exemplo cunctis Theſſaliæ ciuitatibus talem incuſſit terrorem, vt, excepta Lariſſa, cunctæ illi portas aperuerint. [z] Nulla ciuitas excindenda eſt, etſi excidium merita ſit, quæ nomen gloriamq; amplitudinis, & claritatis alicuius ob vetuſtatē ſibi quæſiuerit; vnde Cæſar ſcripſit, à ſe *Maſſilienſes magis pro nomine, & vetuſtate, quam pro meritis in ſe ciuitatis conſeruatos fuiſſe.* [a] Cæſariſq; filius Auguſtus tribus de cauſis dixit, Alexandriam

[q] Tac. l. 13.
[r] lib. 12.
[ſ] lib. 31.
[t] Guicc. l. 9.
[u] Salluſt. de bell. Iug.
[x] Liu. l. 37.
[y] lib. 36.
[z] Cæſ. libr. 3. de bell. ciu.
[a] lib. 2. de bell. ciu.

ſolo abs ſe ęquatã nõ fuiſſe, etſi pluribus nominib. excidio dignã putaret: propter vrbis dignitatẽ, atq; amplitudinem: propter ædificatorẽ ipſius Alexandrũ: ꝑpter amicũ ſuũ Arriũ.[b] Ex quibus facile eſt iudicare, quam vehementer inſectãdi ſint principes duceſque ii, qui hoc ſeculo autores fuerunt, vt Roma diriperetur, nihil veriti imperii maieſtatem, nihil eſſe eam caput Chriſtianorum, nihil ibi Apoſtolorum, totque ſanctorum reliquias contineri. Igitur iam ſatis modos recenſuimus, quibus principes à populis nuperrime victis tutos ſe faciant; modo id nunquam non reſpiciant, aliter cum Turcis, vel hæreticis, aliter cum Catholicis agendum eſſe: aliter ſi iniuriis prouocentur, aliiſve de cauſis bellum hoſtes inferant, iiſve inferatur; deniq; vt niſi certa ſit, ac determinata crudelitatis, aut clementiæ ratio, potius hæc, quam illa exerceatur. Addo, in hoc magis ipſimet rationi, quam naturæ, moribuſq; ducis obſequendum eſſe: cum paſſim in hiſtoriis legatur, ſæuiſſimos duces, vſu poſtulante, mirifice clementes extitiſſe: rurſus humaniſſimos alios ſęuiſſima quęque executos eſſe, quo militarem diſciplinam ſartam tectam tuerentur.

[b] *Plut. inter apophi.*

Veram principum artem eſſe, vt hominum mores cognoſcant.

DISCVRSVS IX.

SI margaritæ, & vniones, aliæve precioſiſſimæ res antiquorum, cum ab aliquo agricola, rudique homine inueniuntur, eloqui ſcirent, iure optimo dicerent: Væ miſeris, in cuius manum incidimus, qui precium noſtri ignorans, flocci nos facit. Equidem haud ſecus dicere poteſt virtute præditus quiſpiam, qui paupertatis luto obrutus, præſtet obſequia principi, virtutum ignaro, & ſingularium animi dotium negligenti. Nam quemadmodum egregius equiſo bonum equũ, etiam macrum, & plagoſum, clitelliſq; impoſitis turpem, cognoſcit; ita ſapiens princeps ſub malignæ fortunæ tegumento eximios viros perſpectos habet. Sed minus & tolerabilius damnum eſſet, ſi quadraginta aut quinquaginta famulos tantum non cognoſcerent, quamquam Comes Prouinciæ, quia Romæi mores ignorauit, non minus damni, quam dedecoris comparauit; Longe enim deterius ac pernicioſius eſt, cum principes ſubditos ſuos ignorant, & imprudenter illos metiuntur, virtutem à vitio, vecordiam ab induſtria, modeſtiam ab humilitate, & ſimilia non diſtinguentes. Vnde fit, vt plerunq; poſthabitis bonis, improbi præferantur: & aliquis, vt inſidiator, puniatur, qui bardus eſt, & ſimplex, vt aduerſus Corn. Syllam fecit Nero, cuius ille *ſocors ingenium in contrarium trahebat, callidumq; & ſimulatorem interpretabatur*: vnde miſer, & nullius reus, pulſus patria, & in exilium miſſus eſt.[a] Auguſtus ſapientiſſimus princeps, perfectam non modo ciuium Romanorum cognitionem habebat, ſed veluti faciunt, qui do-

[a] *lib. 13.*

ctrinam aliquam exactiſſime callent, ad vltimas differentias,& minutas quaſque ipſorum diſtinctiones deſcendebat: Nam ſupremis ſermonibus cum tractaret, qui nam adipiſci principem locum ſuffecturi abnuerent, aut impares vellent, vel iidem poſſent, cuperentque; *M. Lepidum dixit capacem, ſed aſpernantem: Gallum Aſinium auidum, & minorem: L. Arruntium non indignum, &, ſi caſus daretur, auſurum.*[b] Antigonus cum ſubtile Pyrrhi ingenium obſeruauiſſet, eum, ſi ad ſenectam perueniret, in maximum virum euaſurum, vaticinatus eſt. Et Scipio non erroneum de Mario iudicium fecit, cum, ſe ipſo non inferiorem ducem eum fore, prædixit. Sylla Cæſaris pueri futuros mores optime præuidit: neque Cæſarem in Bruto, & Caſſio iudicandis ſua fefellit opinio, cum dixit, non ab illis craſſis, & vnctis, ſed ab his pallidis, & macilentis cauendum eſſe.[c] Verum, alia modo tempora, alii mores ingruunt, dixerit nonnemo: res noſtræ his temporibus aliter ſe habent, neque princeps, qui hæreditarium, & auitum principatum obtinet, huiuſmodi inſidias, vt in regno ſibi ſuccedatur, extimeſcit: hancque reſponſionem plerique fortaſſe non paucis diſſertationibus noſtris accommodabant: quas diſſertationes ſi forte aliquorum moribus congruas crediderint, non item ad noſtra tempora quadrare, putabunt. Sed hæc obiicientibus reſpondeo, Nondum mille elapſos annos eſſe, ex quo duci Alexandro à Laurentio Medices cognato ſuo idem accidit, quod Cæſari à Bruto, quem filium ſuum credebat. Dico pariter, à ſimilibus argumenta ducenda eſſe, & locorum, temporum, morum, ſtatus, religionis, & omnium, quæ ponderāda ſunt, habito reſpectu, res antiquas cum præſentibus prudenter comparandas eſſe; fore enim, vt ex vetuſtis caſibus, licet diuerſis, rebus præſentibus conſilia, ac remedia prudentiſſima reperiantur. Verum ſi à principe hęc ſubditorum cognitio propter cætera parui æſtimatur, at ſaltem pro ſuo emolumento eam non negligat: Nam quemadmodum ſartori acus, & forcipis, fabro ferrario incudinis, & mallei, lignario ſerræ, & dolabræ cognitio peropportuna eſt, ſic veris principibus inſtrumenta ſunt homines, ideoq; ipſorum cognitio neceſſaria. Quæ preterea honoris cauſa quærenda eſt: nam ſicuti inuiſibilis Dei potentia per hęc viſibilia comprehenditur, ſic nuſquam virtus principis magis elucet, quam in famulātium ſagacitate, atq; virtute. Quod ſi cæteræ cauſæ ſilerent, compellitur ad hæc princeps ex ipſius munere, cum rex aliud non ſit, quam gregis humani paſtor, vt ſapientiſſimus Plato demonſtrauit.[d] Quo munere cum in terris Dei vices gerat, omnis ei cura adhibenda eſt, ne qui in illo gradu ipſum collocauit, dehoneſtetur. Non inficias ibo, quid inter ſe homines diſcrepent, cognoſcere, arduum, neq; omnium eſſe: Nam quemadmodum muſices imperitis maiorem delectationem parit paſtoralis aliqua, aut ruralis cantio, quam exquiſita doctiſſimaque ſymphonia, & ſicuti qui pingendi artem non intelligunt, adumbrato aliquo, & diuerſicolore opere magis oblectantur, quam excellenti quauis pictura; ſic pleriq; cæteros ex elegāti (verbi gratia) aut enſis, aut plumæ geſſamine libentius, quā ex vera virtute iudicant. Quod ſi forte aliquem, tanquā ſummum virū laudari audiuerint, ſæpenumero accidit, vt videntes ipſum

[b] lib. pr.

[c] Plut. in Brut.

[d] In Minoe.

aut ſta-

aut ſtatura turpem, aut veſtibus inornatum, cum minoris faciant, virtutem pulchritudine, ac fortuna metientes, vt indicant autoris illa, *Imperatores forma, ac decore corporu, vt eſt mos vulgi comparantes.*[e] Sic accidit Syracuſanis, qui videntes Gylippum ſordido palliolo indutum, magno capillitio deformē, ſeſe continere non potuerunt, quin ipſum deriderent; à quo deriſu nihilominus deſtiterunt, cum eundem maximè virtutis ducē cognouiſſent.[f] Neq; Ageſilaus eam virtutem aut expectationē, quib. inſignis erat, præ ſe ferebat; nēpe claudus erat, neq; Gylippo ornatior incedebat; Et credendū eſt, eo vehemētius irriſum fuiſſe à ſatrapis Perſarum, quo ii magis regum ſuorū vnguentis, deliciis, pompæ, ac maieſtati conſpiciendæ aſſueuerant. Sed rectè, inquit Plutarch. pulchrum viſu, & Græcis, qui in Aſia commorabantur, iucundiſſimū ſpectaculum fuiſſe, cum cernerent, magnos illos Perſarū duces didiciſſe, homines non eſſe ex veſtibus, aut tortis pedib. iudicandos, ſed ab ore Ageſilai laconice loquentis penderent, breuibuſq; eiuſdē verbis, & imperiis ſeſe accommodarent.[g] At veſtes corporumque turpem, ſiue deformem faciem relinquamus. Reperiuntur nonnulli virtutis quidem incomcomparādæ viri, ſed tantæ humanitatis, ac manſuetudinis, & honorū, ac mundanarum dignitatū adeo contēptores, vt eos pleriq; puſilli animi homines eſſe, putantes, indignos magnis honorib. arbitrentur. Quorū exemplum in Iunio Blæſo cōprobatur, viro ſummæ virtutis, nobilitatis præclaræ, morū ſuauitatis eximiæ, fidei erga principes ſuos præſtantiſſimæ: cæterū animo tranquillus erat, & manſuetus improuiſiq; honoris cuiuſcunq; adeo negligens, *vt parū effugeret, ne dignus videretur.*[h] Quod fortaſſe ſubtilius in Agricolæ moribus deſcribendis exprimit, quē ita modeſtum fuiſſe, ſcribit, *vt plerique, quib. magnos viros per ambitionē mos, viſo, adſpectoq; Agricola, quærerent famam, pauci interpretarentur.*[i] Scribitur de Q. Fab. Maximo, ab ineunte ætate talis cum lenitatis morumq; facilitatis fuiſſe, vt à Romanis ouicula nuncuparetur.[k] Quæ omnia demonſtrant, quanto maior eſt in moribus & abditis hominum naturis explorandis difficuſtas, tanto magis principes, qui huiuſmodi inſtrumentis vtuntur, eos rectè cognoſcere debere. Quamobrem iræ, ac veritatis vi compulſa, terribilis, & truculenta Medæa iure inquit.

Eſt vbi & argentum eſt & vbi dignoſcitur aurum; Sed bonus à prauo qua dignoſcetur ab arte?[l]

Quod Euripides à Theognide mutuatus eſt. Comes Fieſchius, qui contra principem Andreā Auriam coniurauit, & Iannettinū interfecit, hoc naturæ munere præcellebat, vt nemo eum oculis cernere poſſet, quin extēplo diligeret, eidemq; omnia bene vellet, adeo vultu benignus, moribus amabilis, & humanus erat: & nihilominus certū eſt, eos, qui cū illo verſati ſunt, auarū, & ſuperbiſſimū expertos eſſe. Verūtamē ſi inter principes aliquis fuerit hebete ingenio, atq; obtuſo adeo, vt in latebras, atq; receſſus animorū penetrare nequeat, nō deſunt faciliores artes, quibus intimos ſubditorū ſenſus perſcrutari queat: neq; enim defuerunt, qui nōnullos vino torſerūt, hoc eſt, inter comeſſationū, atq; compotationū delicias cōuiuas allexerūt, vt recōditas cogitationes eloquerētur; Alter quoq; dixit, ludos quoſcunq; nō minus, quā vinū ad detegēdos animi affectus potētiſſimos eſſe. At

viam

[e] libr. 17.
[f] Plut. in Nic.
[g] In Ageſilao.
[h] lib. 16.
[i] In Agric.
[k] Plut.
[l] Eurip. in Medæa.

viam minus aſtutam, magiſq; generoſam calcantes, cenſemus, principem ad dignoſcendos ſubditorum ſuorum mores eandem facilitatem habiturum, quam habet aurifex in bono à malo numiſmate dignoſcendo. Nam quemadmodum aurifex ad hanc rem Lydio lapide vtitur, ſic poteſt princeps comprobare virum, magiſtratus ei imponendo: in quibus ſi improbum illum, aut ſocordem compererit, nihil facilius, quam eundem remouere, aut ſi probum, atque prudentem, nihil glorioſius, quam eius virtutem in beneficium ſubditorum conferre. Verum principibus etiam atque etiam curandum eſt, vt non minus famulos, & ſubditos, quam vt principes ſibi pares intus, & in cute cognoſcant, cum plurimis de cauſis, tum præcipue quia pacis, & belli temporibus hæc cognitio valde conducit. Quamobrem Veneti diligentius, quam cæteræ nationes, externorum notitiam conquirentes, oratoribus ſuis, quod ad maximos terrarum principes mittunt, id oneris iniungunt, vt poſt legationem in Senatu referant omnia, quæ de moribus principum, de regnorum ſitu, diuitiis, fertilitate, hominumque, ad quos miſſi ſunt, dotibus explorauerunt: quod tanta felicitate perficiunt, vt ſæpenumero illis manifeſtiora, quam incolis ea ſint, quæ in quolibet terrarum angulo vſurpantur, atque geruntur. Ex hac peritia reſultat, vt, quemadmodum princeps non debet ob magnitudinem alicuius principis, ſi ignauiæ deditus ſit, perterrefieri; ſic ex clade, aut declinatione præſtātiſſimi alterius principis animos capere non debeat: hic enim in ſalebroſa periculorum via lapſus reſurgit; ille vero in paluſtri deliciarum ſtagno ſuffocatus nunquam emergit. Hiero Syracuſanorum rex, quia Populi Romani virtutem optime cognouerat, quinquaginta annis, quibus rerum potitus eſt, tanto erga ipſos amore, fideque ſe geſſit, vt Romani ad ipſum cohoneſtandum potius, quam vel tantillum diminuendum ſemper cogitauerint: ſed cum Hieronymo nepote in regnum ſuccedente aliter ſucceſſit: is enim erga Romanos ob Cannenſem cladem mutato animo ipſorum legatos interrogatione illa irriſerat, *Quomodo pugna ſucceßiſſet, quia Carthaginenſium nuntii incredibilia narrarent:* Cui legati, grauitate vere Romana admonentes ipſum potius, quam rogantes, vt fidem Populo Romano ſeruaret, nihil cæterâ reſpondentes, diſceſſerunt. [m] Fuit quidem Hieronymus propter ſcelera ſua à ſubditis occiſus, ſed omnino ſi ſuperſtes fuiſſet, temeritatis ſuæ aduerſus Romanos debitas pœnas luiſſet. Hoc autem propterea eidem contigiſſet, quia Romanos non bene cognouerat.

[m] *Liu. lib. 24.*

De fluminibus per foſſas corriuandis, deque eorum diuerſione pluribus de cauſis.

DISCVRSVS X.

NEmini exploratum non eſt, naturam artis adiumento indigere. Vnde cum neque pilis, neque plumis, neque ſquammis, inſtar ferarum, induti in hanc

lucem veniamus, veſtes parare cogimur, ſi modo volumus à frigoris, & ab æſtus iniuriis noſmet ipſos defendere. Quod ſi, verbi gratia, naturæ obtemperantes, nihilque illam ſapientia noſtra adiuuantes permitteremus, vt capilli, vel barba, vel vngues manuum, pedumque promitterentur, dubiọ procul præter incómmodum, tædiumque, pœnam, damnumque ex ea colligeremus. Igitur in hoc poëtæ illius ſententiæ adhærendum non eſt, qui dixit, Naturam inter Italiam, & barbaras prouincias montium altitudines collocaſſe, vt inuicem diſcretæ mutua communione non vterentur: imo enim nos induſtria, ingenioque noſtro montium, vallium, fluminum, marium aditus, tranſituſque faciliores reddere debemus, vt populi ſimul communicare poſſint: iique inter inſigniores principes connumerandi vidētur, qui propter publicam vtilitatem nullis ſumptibus parcentes, vias ſtrauerunt, flumina direxerunt, montium ſummitates explanauerunt, vallium profunditates impleuerunt, habitationes conſtruxerunt, terras latronibus, graſſatoribus, & aſſaſſinis purgauẹrunt, quo peruiæ, tutiſſimæque cunctis viæ paterent, vnde merces huc, & illuc allatæ humanis neceſſitatibus ſubueniant. Neque aliud antiquitas denotauit, cum Herculem ſtabula Augiæ repurgaſſe, Acheloo cornua detraxiſſe confixit, quam quod nos modo diſſerimus. Quamobrem pulchra, nobilis, magna, pia L. Veteris cogitatio fuit, dum Moſellam, atque Ararim, facta inter vtrumque foſſa, connectere curauit, *vt copia per mare, dein Rhodano, & Arare ſubuectæ per eam foſſam, mox fluuio Moſella in Rhenum, exin Oceanum decurrerent, ſublatiſque itinerum difficultatibus, nauigabilia inter ſe occidentis, ſeptemtrioniſque littora fierent.* Cui operi inuiderat Ælius Gracilis Belgicæ legatus, *deterendo Veterem, ne legiones alienæ prouinciæ inferret, ſtudiaque Galliarum affectaret.*[a] Octingentis poſt annis idem opus tentauit Carolus Magnus, proditumque eſt, iam per tria millia paſſuum inceptam fuiſſe foſſam trecentorum paſſuum latitudinis, profunditatis autem eiuſmodi, vt maximas naues admittere poſſet, neque fuit propter aliam cauſam omiſſa, niſi quia (vt in paluſtribus locis accidit) reſurgentibus aquis, quicquid interdiu cauabant, noctu replebatur, adeo vt quaſi diuinum miraculum id ſuſpicans, inceptum laborem intermiſerit. Sed quod notandum videtur, illud eſt; excogitauiſſe, Rhenum cum Danubio coniungere, vt hac in Euxinum mare nauigatione commercium orientis aperiretur.[b] Cogitauit Selimus præſentis Amurathis Turcarum Imperatoris pater Tanaim cum flumine Rha, Ruthenis Volga, coniungere, quod flumen in mare Caſpium delabens Turcis commoditatem attuliſſet, claſſibus illuc aduectis, regiones illas & ciuitates, quæ in littoribus collocatæ ſunt, occupandi; ſed Moſchi fuerunt impedimento.[c] Quantum humana mens peruagatur, nonnullos, Perſiæ ſituum bene gnaros, audiui diſſerentes, non fore maiorem, quam inter Ararim, & Moſellam, eam foſſam, quæ duci poſſet inter Marianam fluuium, qui in Caſpium mare, & inter Tiritiri, qui in mare Perſicum ingreditur. Quo compendio per ſola quaſi flumina merces ex ipſis Indiis, nedum ex orien-

[a] *lib. 13.*

[b] *Paul. Æmil.*

[c] *Rainol. hiſt. Moſch.*

te ad occidentem conduci poſſent, præſertim in Narbonenſem Galliam. Nam ex Rhodano in Ararim, & Arari per foſſam in Rhenum, ex Rheno per foſſam in Danubium, ex Danubio in Euxinum, ex Euxino in Mœotidem, ex hoc in Tanaim, ex Tanai per foſſam breuiſſimam in Volgam, ex Volga in mare Caſpium, ex Caſpio in Mianam, & per foſſam in Tiritiri, & illinc in mare Perſicum tranſueheremur. Et poſtquam in hoc argumentum deuenimus, Neronis conſilium reticendum non eſt, quo Iſthmum perfodere eſt aggreſſus, vt Ambracium ſinum coniungeret cum Corinthiaco, *primuſque terram egeſtam ſuis humeris tulit.* [d] Quæ res ab hiſtoricis minime contempta, etſi tam difficilis habita eſt, vt inde prouerbium Iſthmum perfodiendi exortum fuerit, ſed non æque laudatum alterum Neronis votum, cum ab lacu Auerno nauigabilem foſſam vſque ad oſtia Tiberis voluit fabricare, quia videbatur *intolerandus labor, nec ſatis cauſa.* [e] Ex quo diſcimus, non propter vanam ambitionem, ſed propter populorum vtilitatem, & propter neceſſarias cauſas huiuſmodi opera aggredienda eſſe. Sic Marius in Rhodano cum ad ſuſtentandum contra barbaros bellum commeatibus, plurimiſque ſubſidiis indigeret, & naues difficilem portum ob aggeſtas in faucibus fluminis arenas haberent, foſſam incepit largam, ac profundam, quæ Rhodani aquas excipiens, influeret in mare, qua profundius, & portuoſius, ventisque non adeo expoſitum foret; quod opus ex eius nomine Mariana foſſa nuncupata fuit, [f] hodie vero Camarga dicitur, ſicut ex Druſo Druſiana foſſa. [g] Serclus fluuius, qui olim Piſas alluebat, modo longinquus, non propter aliud alueo diuerſo ductus eſt, niſi aut quo Piſarum ager damno afficeretur, aut quo Lucenſes ex eo vtilitatem caperent. [h] Actum in Senatu coram Tiberio de moderandis Tiberis exundationibus, deque vertendis fluminibus, & lacubus, per quos augeſcit: ſed precibus eorum, de quorum damno agebatur, omiſſa fuit conſultatio. [i] Sic antiquiſſimis Iudæorum temporibus ſeptingentos fere annos ante Tiberii imperium Ezechias laudatiſſimus princeps *obturauit fontem aquarum Gihon, & auertit eas ſubter occidentem vrbis Dauid.* [k] Quod ſi vt populorum communicatio, & ſocietas gentium corriuandis fluuiis dilatetur, deſperandum modo eſt, at ſaltem vtile erit, non ignorare, quem ex iſtiuſmodi foſſis fructum claſſes, & exercitus, cum opus eſt, colligere poſſint, quemadmodum Draguto celebri temporum noſtrorum piratæ ſucceſſit. Is talium operum auxilio è manibus egregii ducis Andreæ Auriæ, qui eum iam captiuum credebat, quod in ſtagno ipſum, cuius nullus erat exitus, incluſiſſet, non modo euaſit, ſed etiam ingenti ſagacitatis laude triremem præcipuam Siculorum intercepit, & Apuliam perterrefecit: euaſerat autem eum claſſe, per alteram inſulæ partem foſſa ad mare perducta. [l] Sic Cæſar, dum Sicorim fluuium in Hiſpania varie diuertit, hoſtibus commeatu impedito eos vincit. [m] Sic Cyrus Babyloniam, Euphratis alueo mutato, cepit. [n] Sic Traianus Euphratem foſſa facta, in Tigrim deriuare animo agitauit, ſed vbi eum altiorem

[d] *Suet. in ipſiu vita.*

[e] *Tac. lib. 15.*

[f] *Plut. de ipſo. & Plin. l. 3. c. 4.*

[g] *Sueton. de Claud. in prin. & Tac. lib. 2.*

[h] *Plin. vet. l. 17 var. lect. c. 3.*

[i] *Tac. l. pr. in fin.*

[k] *2. Paral. 32.*

[l] *Adr. l. 8. an. 1552.*

[m] *Caſ. lib. 1. de bell. ciu.*

[n] *Herod. lib. 1*

Tigri

Tigri eſſe intellexit, mutauit conſilium, veritus, ne, ſi id faceret, Euphrates nauigari non poſſet, quod fluxus eius in decliuem partem ferretur; [o] vtque ſapientiſſimus dux optime fecit. Ciuilis loca, vbi Cerialis conſederat, Rheno inundat. [p] Verum Lautrechus, dum Neapolitanos aqua priuare nititur, exercitum ſuum morbis, & mortalitate repleuit, eoque facto milites ob aeris grauitatem morboſos effecit, bellique exitum corrupit. Vnde in aquis diuertendis vel cautiſſima cautio adhibenda videtur.

[o] Dion Caſſ. in Traiano.

[p] Tac lib. 11.

Quid illi principi agendum, qui potentiorem hoſtem, regnum eius propediem inuaſurum, expectat.

DISCVRSVS XI.

DVbitandum non eſt, niſi Dominus cuſtoduerit ciuitatem, fruſtra vigilare, qui eam cuſtodiunt: vnde inutilis habenda eſt quælibet diligentia, & anxietas, quæ ad ærumnas quaſque diuinitus immiſſas auertendas adhibeatur. Verum quia neque diuinis nutibus obſiſtere poſſumus, ruſum neque actus noſtros prætermittere debemus, par eſt, vt iuxta prudentiæ noſtræ vires imminentibus periculis occurramus, cætera nos, noſtraque omnia diuinæ prouidentiæ committentes. Modo hoc poſito principio, dico, Ferdinandum Regem Neapolitanorum ſeniorem, principem inter ætatis ſuæ cæteros prudentiſſimum habitum, nihil intentatum reliquiſſe, quo Caroli VIII. Gallorum Regis conſilium de inuadendo regno Neapolitano auerteret: miſiſſe homines, qui priuatim largiendo, & maiora pollicendo, aulicos regios delinirent: dein Regi, ſiquidem alia ratione mitigari nequiret, tributi pactione, aliiſque ſubiectionis officiis propoſitis, ab eo pacem impetrare contenderent: deliberauiſſe etiam, cum primum anni benigna conſtitutio permitteret, Genuam nauigare, & inde terreſtri itinere Mediolanum pergere, vt Ludouico Sfortiæ in omnibus ſatisfaceret, ſecumque neptim ſuam Neapolim reduceret; ſperabat, quia Ludouicus arbiter, & quaſi oraculum totius Italiæ haberi flagrantiſſime cupiebat, fore, vt hæc publica profeſſio ſalutis ab illo acceptæ eum placaret. [a] Curauit ſimiliter, vt animum Pontificis captaret, ſponſalibus celebratis inter Alphonſi filiam extra matrimonium natam, & Giuffredum Pontificis filium: quibus artibus niſi morte præuentus fuiſſet, bello Gallico forte ſe liberaſſet. Ludouicus Dux Mediolani, de quo nuper verba fecimus, videns, in quæ pericula Federicus Ferdinandi filius ſe coniiceret, quia Alexandri Pontificis affinitatem recuſaret, hortatus ipſum fuit, vt conſilium mutaret, monuitque, [b] imprudentis eſſe, puſillique animi, vbi de toto dominatu retinendo ageretur, indignitatis reſpectum habere. Ad quam rem dicere ſolitus erat Alphonſus

[a] Guicc. l. 1.

[b] lib. 4.

Ferrariæ Dux, ſe, quia domus ſua ob formidabilem Ducis Valentini ambitionem periculo maximo ſuccumbebat, ex duobus periculis minimo electo Lucretiam Borgiam Pontificis filiam in vxorem duxiſſe: quod matrimonium Guicciardinus Eſtenſi familia, nobiliſſimis affinitatibus contrahendis aſſueta, indignum vocat,[c] immemor, Ferdinandum alibi à ſe ipſo laudatum, quod non curaturus fuiſſet, regni conſeruandi cauſa ſalutem à Ludouico Moro ſe recepiſſe, profiteri. Quemadmodum igitur, qui iamiam ſubmergendus eſt, etiam ad nouacula (vt vulgus Florentinum vſurpat) manum extenderet: ita qui regni amittendi periculum præſentit, omnem lapidem mouere debet, ne illud amittat, cum omnia præ illo minora mala eſſe videantur. Igitur ſi hæc propter imperium retinendum toleranda ſunt, pari ratione æquum eſt, vt, qui ob euitanda pericula cum hoſte potentiore conuenerit, pacta conuenta diligenter obſeruet, neque minimum ea transgrediatur, alioqui non hoſtem, ſed ſe ipſum maximo ſui detrimento falleret. Intellexerat Pharnaces Mithridatis filius, Cæſarem contra ſe aduentare: ideo per legatos deprecatus eſt; *ne eius aduentus hoſtilis eſſet*; facturum enim omnia, quæ imperata eſſent: quibus Cæſar reſpondit, ſe fore æquiſſimum Pharnaci, ſi quæ polliceretur, repræſentaturus eſſet: at Pharnaces omnia liberaliter pollicitus, cum feſtinantem, ac properantem Cæſarem ſperaret crediturum ſuis promiſſis, cœpit lentius agere, decedendi diem poſtulare, longiores pactiones interponere; in ſumma, fruſtrari cœpit. At Cæſar cognita calliditate hominis, celerius omnium opinione manum conſeruit; eumque regno deturbauit, parumque abfuit, quin vita priuauerit.[d] Quod ſi aliquem aut voluntas, aut vis aliqua impellit, vt hoſtem expectet, imprudentiſſimum conſilium mihi videtur eſſe, poſteaquam de omnibus fortunis agitur, non etiam totis viribus ſe ipſum tueri, & omnia ſimul periculis exponere. Vnde non tantum vituperatur, ſed etiam irridetur à Liuio Perſeus tanquam melior pecuniæ, quam regni cuſtos, & quaſi nihil aliud cogitaret, *quam vt quanta maxima poſſet præda ex victo Romanis reſeruaretur.*[e] Nam clare demonſtrat, ſi Perſeus Gallis ſtipendia ſoluiſſet, non ſolum res ſuas aliter ſucceſſuras fuiſſe, quia Gallico exercitu Theſſaliæ campos vndique deuaſtante, Romani celeriter commeatu caruiſſent, ſed ipſas etiam vrbes excindere poterat, tenente ad Enipæum Perſeo Romanos, ne vrbibus ſociis ſuppetias ferre poſſent: Imo ipſis quoque Romanis de ſe cogitandum fuiſſet; quando neque manere amiſſa Theſſalia, vnde exercitus alebatur, potuiſſent, neque progredi, cum ex aduerſo caſtra Macedonum haberent; ad quæ merito poſſet quis ambigere, num Princeps in ſummo regni amittendi diſcrimine conſtitutus debeat, vt hoſtes commoditate priuet, quam ex ſuo damno lucrarentur, ciuitates comburere, in mare proiicere, ſiue quocunque modo abſcondere theſauros, demum ſe, progeniemque ſuam interimere, ſicuti fecit Zambri, qui *cum expugnanda eſſet ciuitas, ingreſſus eſt palatium, & ſuccendit ſe cum domo regia.*[f] Et ſicuti Iuba rex facturus erat in Africa, in oppido

[c] lib. 5.

[d] Hirt. de bell. Alex. in fin.

[e] lib. 44.

[f] 3. Reg. 16.

pido Zame, ſi, vt illuc ingrederetur, milites eius conceſſiſſent.[g] Quæ dubitatio eo rationabilior videbitur, quo magis ab hiſtoricis vxor Aſtrubalis celebratur, quod antequam ſe cum filiis duobus in ignem coniiceret, viro ſuo muliebrem, atq; ignauam deditionem exprobrauerit.[h] Ad quæ reſpondeo: cum nobis Chriſtianis contra noſmetipſos ſæuire non liceat, nullam eſſe dubitationem, quin hæc conſilia recuſanda ſint, nihil obſiſtentibus exemplis, quæcunq; in contrarium adduci queunt. Aſſero tamen, prout hoſtium, qui nos aggrediuntur, mores requirunt, ita diuerſa conſilia iniri poſſe, quia ſi hoſtis magnanimus fuerit, magnanimis pariter artibus, ac verbis facili poterit negotio mitigari. Sic Taſſilis orientalium Indiarum non mediocris princeps Alexandro hoſtili animo aduentanti, ſignificauit, ſi Alexandro ditior eſſet, paratum ſe fore maximis eum donis afficere; at ſi auri & argenti poſſeſſione inferior, non recuſare ſe, ab Alexandro beneficiis cumulari; nam præter hæc, niſi forte ad auferendum ſibi panem & aquam, de quo vno fortium hominum contentio eſſe debet, accedat, ſe non videre, cur ſibi cum Alexandro belligerandum ſit.[i] Principibus veritatis amantibus, ſuggerendum illud conſilium eſt, quod Alarcus Annibalis miles Saguntinis dedit, Non debere hominem, cuncta certo amiſſurum, damno computare, quæ amittit, cum omnia in manum victoris iamiam conceſſura ſint, ſed potius muneris loco accipienda eſſe, quæ poſſideri ſibi permittuntur.[k] Quamobrem non eſt dicendum, Paullo ante Rex eram, modo inter Barones connumerabor: ſed potius dicendum eſt, amiſſo regno reperi, qui me Baronem creauit Idcirco vel ſecum ſtatuere debent, vt ſimul cum regno vitam amittant, quod fecit Conſtantinus Paleologus Imperator Conſtantinopolitanus; vel ſi in extremis caſibus cõſtituti ad pacta deſcenderint, paciſcantur, ne ducantur coram hoſte, quod fecit Comius cum Antonio, petens, *vt timori ſuo concedatur, ne in conſpectũ veniat cuiuſquam Romani.*[l] Vel ſaltem ne inermes compareant, quo, ſi proditione moriendum ſit, armati occumbant. Sic Muſtafa Georgianus non tantum inſidiis Mehemeti Baſſæ extinctus non eſt, ſed ipſe, occiſo ipſius Baſſæ ſatellite, eundem Mehemetum quinque vulneribus affecit, alteriq; auriculam amputauit, ſeq; in tutum recepit.[m] Si regno pulſus, vel timens, vt expellatur, princeps aliquis ad alterũ principem confugere velit, optime prius mente reuoluat, quid ab eiuſmodi deliberatione conſequatur: Nam ſi infelix ille Federicus Aragonum rex ad locum liberum confugiſſet, multas recuperandi regni occaſiones ei ſeſe obtuliſſent, cũ paullo poſt inter Catholicum & Galliæ regem bella exorta eſſent.[n] Sic Ludouicus Morus prima vice, Mediolano derelicto, in Germaniam profectus,[o] reditus viam apertam habuit.[p] Verum cum fugæ ſublata ſpes eſt, aut cum fuga non conducit, neque quidquam addit ad ſalutem, aut ad gloriam; tunc neceſſitati duro telo parendum eſt, & *patienda meliorum imperia.*[q] Quod mimus quidam Caraſula plebi Florentinæ, à qua vexabatur, appoſite dixit, Ex hac lagena tibi, ſordide popule, velis nolis, bibendum eſt. Sed hæc etiam Taciti ſententia fuit, nobilitata prius à Liuio verbis Phaneæ, cum regi Macedonum Philippo alta voce

[g] Hirt. de bell. Afr.
[h] App. de bell. Pun.
[i] Plut. in Alex.
[k] Liu. l. 21.
[l] Hirt. l. 8. de bell. ciu. in fin.
[m] Minad. hiſt. Perſ. l. 2.
[n] Guicc. l. 5.
[o] ibid.
[p] ibid.
[q] Tac. lib. 13.

dixit, *aut bello vincendum, aut melioribus parendum eſſe.* [r] Melior autem eſt, qui vicit: & ſapientis eſt parere neceſſitati, cui ſecundum Boetium humana prudentia, quæ laqueis fati inuoluta Deum dereliquit, reſiſtere non poteſt, quia iam ſubeſt ſecundarum cauſarum neceſſitati. [ſ] Ideo Cæſar à Caſca impetitus primo reſiſtit, mox Brutum, cæteroſque coniuratos inuadentes cernens, nihil aliud curat, niſi vt cum dignitate cadat. Neq; Pompeius erga Septimium, quem ſuum quondam militem agnouerat, blandimenta prætermiſit, ſed hoſtili animo aggredientem conſpiciens, operto capite, neq; mutiens, aut quidquam ſeipſo indignum præſeferens, mortem conſtanter expectauit. [t] Non ita Gualterius Brennenſis, qui contra Ditpoldum, cuius captiuus erat furiens, etiam contra ſe ipſum furore agitatus, vulnera propria manu lacerauit, maluitque, vt ferum animal mori, quam vt homo. [u] Et maximo iure commendatur Crœſus, quod regni amiſſionem patienter ferens, apud humaniſſimum victorem non ſine dignitate & exiſtimatione vixerit.

[r] lib. 32.

[ſ] S. Thom. p. 1. qu. 116. art. pr.

[t] Plut. in Pomp.

[u] Compend. Regni Neap.

FINIS LIBRI DECIMI TERTII.

SCIPIONIS AMIRATI

DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM

IN C. CORN. TACITVM,

LIBER DECIMVSQVARTVS.

Deterrimam eius principis conditionem eſſe, qui neminem habet, quem vereatur.

DISCVRSVS I.

BEati, qui Deum verentur, ii ſiquidem huius ope reuerentiæ ſtatim, & certo multa didicerunt. At quicunq; immortalia negligunt, nec mortalium quenquã verentur, frenumq; recuſant cupiditatibus ſuis, eorum profecto fortunam, ſalutemq; penitus deploratam eſſe, cenſeo; vt Neroni accidit; qui, poſtquã matrem occidit, per cuncta ſcelera ſe peruolutauit, *ſeq; in omnes libidines effudit, quas male coercitas qualiſcunque matris reuerentia retardauerat*[a] Viſne huius propoſitionis veritatem intelligere, conſidera, quid ex intimis cordis affectibus Neroni exiuerit, cum ſibi caput Plauti oblatum fuerit, *Quin*, inquit, *Nero depoſito metu nuptias Poppaeæ ob eiuſmodi terrores dilatas maturare parat, Octauiamque coniugem amoliri, quamuis modeſte agat, & nomine patris, & ſtudiis populi grauem.*[b] Nihil ob oculos magis hanc veritatem ponit, quam quod Tiberius ſcribit: quò in imperio Auguſti probum ſe ac modeſtum, & ſub dolum fingendis virtutibus gerebat, donec Germanicus, ac Druſus ſuperfuere: item inter bona, malaque incolumi

[a] Tac. l. 14.

[b] ibid.

matre;

matre; inteſtabilis ſæuitia, ſed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit, timuitve: poſtremo *in ſcelera ſimul ac dedecora prorupit, poſtquam remoto pudore & metu, ſuo tantum ingenio vtebatur.* [c] Relictis principibus, an idem in rebusp. accidat, iuuat diſpicere. Poterit autem vnuſquiſq; Romanorum exemplo cognoſcere, hominum naturam nunquam ita bonam eſſe, vt recta ad virtutis & honeſtatis opera pergat, niſi dextrorſum aut ſiniſtrorſum adſtet aliquid, quod ipſos quodammodo in officio contineat. Patricii, dum Tarquinius vixit, blandiebantur plebi, timentes, ne ſub regum dominatum reuerterentur: verum intellecta Romæ Tarquinii morte, quæ Cumis conſecuta eſt, patricii iidem ſuperbiuerunt, & *plebi*, vt inquit Liuius, *cui ad eam diem ſumma ope inſeruitum erat, iniuriæ à primoribus fieri cœpere.* [d] Interrogabit forte aliquis, quid hiſce nos documentis doces? Dico: dũ illum conſidero, qui primo dixit, Fugienti hoſti aureum pontem exſtruendum eſſe; aut alium neotericum, qui audiens quendam valde conquerentem, quod ſibi maxime inuideretur, reſpondit, Pergeret herbam iſtam bene irrigare; me cõſulere ſingulis principibus, & rebuſp. vt non modo non ægre ferant; ſibi alterius principis rationem neceſſario habendam eſſe, ſed etiam ſi fieri poteſt, hunc ſtatum quaſi numerata pecunia conquirant, ſummoq; ſtudio retineant, & retento lætentur. Quod præceptum ne propter minimam authoritatem meam diminutum reſtet, ſatis communitum fore, putabo, ſi viri ſummæ prudentiæ, eximiæque probitatis ſentẽtiam adduxero. Etenim cum poſt tertium bellum Punicum Romæ diſputaretur, quid de Carthagine deliberandum eſſet, vtpote quæ ter victa, ſemper tamen libertatem Romanam in ambiguo collocauerat, Catone, delendam eſſe, aſſeuerante, Scipio Naſica, conſeruandam eſſe, ſuſtentabat, *ne metu ablato æmulæ vrbis luxuriari felicitas vrbis inciperet.* [e] Igitur per ſemet ipſum cogitet vnuſquiſq;, quantum vtilitatis, aut detrimenti ſecum ferat ſtatus ille, quo ab omni ſuſpicione ac timore liberi ſimus: Nam & Henricus Britanniæ rex auorum noſtrorum tempore tunc furere, atq; in omnem ſæuitiam ſe effundere incepit, cum pontificis reſpectu abiecto, primum libidinibus, dein crudelitati ſe tradidit, denique Eccleſiæ Sanctæ præceptis pro nihilo habitis, in rabiem ac furorem ſeſe coniecit.

[c] lib. 5. in fin.

[d] lib. 2.

[e] Flor. l. 3. de bell. Pun.

De militaribus meditationibus.

DISCVRSVS II.

EXercitatio corporis re ipſa præſtat, efficitq;, quod diſciplina ac meditatione aſſecuti ſumus: meditatio autem eundem effectum ſine corpore operatur, animo ſæpe illud, quod didicimus, memorante ac reuoluente: adeo vt meditatio dici poſſit exercitatio ſpiritus, exercitatio autem meditatio corporis. Ioſephus ſcripſit, Romanorum in re militari meditationes potuiſſe dici incruenta prælia, quemadmodum prælia erant incruentæ meditationes. [a] Omnem ſcientiam vult

[a] lib. 3. de bell. Iud.

Plato meditatione conſeruari, vtpote quę memoriam refricat, & quaſi nouam in locum eius, quæ exiuit, reponit, adeo vt ſemper eadẽ eſſe videatur: atq; in hunc modũ mortalia conſeruari affirmabat, nõ quia eadem ſemper ſint, vt diuina: ſed quia quod conſeneſcit, & abit, in ſui locum ſubrogat ſemper aliquid nouum, & ſibi ſimile. [b] Ego meditationem nihil eſſe puto aliud, quam incubationem quandam rerum cogitatarum, hoc eſt, quemadmodum gallina ouis incubans, pullos educit, ſic tu præceptis, monitiſque auditis incubans, ea in abſolutam perfectionem actione reducis. Hinc illud Periandro attributum, Meditando omnia vinci. Age, ſi ita ſeſe res habet, vt exercitus ab exercitio denominetur, quia nihil æque, ac res militaris requirit, vt exerceatur; neceſſe eſt, vt etiam ipſa res militaris meditatione indigeat. Proinde cum Romani proceres Neronem externos ludos inuehentem, & iuuentutem vice verſuum, atque orationum theatralibus certaminibus commaculari viderent, conquerebantur, inquientes, *Quid ſupereſſe, niſi vt corpora quoq; nudent, & cæſtus aſſumant, eaſque pugnas pro militia, & armis meditentur.* [c] Ex hac igitur vituperatione nos honeſtę, veræque meditationis laudem eliciamus: id autem eſt, ea, quæ bello ad patriæ ſalutem gloriamque principis conferre, iiſve prodeſſe queunt, ſæpe memorare, ac meditari. Neque infra illius elephanti docilitatem noſmet abiiciamus, qui plus ſolito hebetioris ingenii, non ſemel verberibus excitatus, meditatione vtebatur: nam ſcribitur, *Certum eſſe, vnum tardioris ingenÿ in accipiendis, quæ tradebantur, ſæpius caſtigatum verberibus, eadem illa meditantem noctu repertum.* [d] Sed idem Tacitus de bellicis operibus alibi loquens, hoc de inſtruenda acie, de caſtris muniendis, & vallo obducendis ſubdit, *& cæteris belli meditamentis* [e] Et Vegetius ſæpenumero has meditationes repetit, docens, vt tyro meditetur, quomodo hoſtem feriat, ſeq; tegat, ne ab hoſte feriatur, [f] quomodo in equum inſiliendo ſe exerceat, [g] concludens alibi, nihil in re bellica tam difficile eſſe, quod non facile fiat meditatione. [h] Neque à Platone ſilentio inuoluta fuit hæc bellica meditatio, vt per ipſam inferre vulnera, eademque euitare noſceremus. [i] In quam meditationem adeo ſe miſer Archimedes immerſerat, vt totus in illam defixus, dum figuras in puluere quodam delineabat, eiuſque patria iam ab hoſtibus occupata diriperetur, à milite, qui eum non cognoſcebat, incredibili victoris Marcelli dolore interfectus fuerit. [k] Sed Platonis æmulus Xenophon in Aſtyage, qui artem bellicam Cyrum nepotem docuit, hanc meditationis vtilitatem adeo exprimit, vt aliam præ illo quærere autoritatem, ſuperuacaneum ſit: Ipſe igitur, vbi quædam monita peculiaria tradidit, ſequitur; *Neceſſe eſt, fili, vt non ſolum quæ à me diligenter didiciſti, in vſu habeas, ſed ex te ipſo alia mediteris, quibus contra hoſtes vtare, ſicuti conſueuerunt muſici, qui non modo quæ à magiſtris didicerunt, fidibus ludunt, ſed alia genera, modoſque ex ſe ipſis inueſtigant.* [l] Quod ſi quæ huic monito apud Xenophontem ſubnectuntur, hic adderentur, certe non inutilis labor ſuſciperetur, & cognoſceretur perfecte, quantum bellicis rebus aſſidua proſit meditatio. Verum vt hanc meã ſententiam magis cõpro-

[b] in Symp.
[c] Tac. l. 14.
[d] Plin. l. 8. c. 3.
[e] Tac. l. 20.
[f] lib. pr.
[g] ibid.
[h] ibid.
[i] lib 8. de leg. in princ.
[k] Liu. l. 25.
[l] Libr. 1. Cyrop.

bem, oſtendamque, meditationem eſſe non modo res ſemel apprehenſas repetere, ſed, vt Cyro dixit Aſtyages, nouas inuenire; dico, Romanos pilis vti conſueuiſſe, vt ea tantum proiicerent, vnde conſueta meditatio erat, *vt magnis viribus haſtile contorquerent*, [m] & cogitatione reuoluere, quomodo id melius, iterumque melius repeti queat. Quæ meditatio in militibus P. Æmilii pulcherrima deprehenditur, poſtquam eos monuit, quid ducem, quid militem deceret. Nam ab eo docti, inanibus ſermonibus poſthabitis, cœperunt *acuere alÿ gladios, alÿ galeas, bucculaſq; ſcuta alÿ, loricaſq; tergere, alÿ aptare corpori arma, expeririq; ſub his membrorum agilitatem: quatere alÿ pila, alÿ micare gladiis.* [n] Et Cæſar ſuis militibus in Africa præcepit, vt pila præpilata in elephantos iacerent, quam rem tametſi fecerit, vt elephantos aſſueſceret, tamen eo ipſo etiam milites exercebantur. [o] Sed hiſce conſuetis documentis minime contentus Cæſar, circa pila prope philoſophando inuenit, cum ſibi dimicandum foret aduerſus Pompeianos equites, qui multo plures erant, pila ſuorum militum non admodum profutura eſſe: nam Pompeiani optime armati erant, vtpote inter quos pleriq; Romanę nobilitatis militabant, proinde ſcutis egregie ſe aduerſus pila defendiſſent: quare Cæſar quartæ aciei mandauit, vt pila de more non iacerent, ſed vbi manum cominus conſeruiſſent, tunc adoleſcentium Romanorum vultum, oculoſq; peterent: fore enim, vt corrumpi faciẽ abhorrentes, terga darẽt; quo aſtu victoriam conſecutus eſt. [p] Verum quia aliquis obiicere mihi poſſet, exercitationem & meditationẽ per me confundi; dico, etiamſi quis inſidens equo, & negligenter diſcurrens, perpetuo, ſi fieri poteſt, exerceatur, illam tamen exercitationem nunquã dicendam fore meditationem, niſi artem in equitando adhibeat: videlicet obſeruans, quo pacto inſidere, pedes, caput, totumq; corpus inflectere debeat: ſic nunquam dicemus cũ gnarũ feriendi, ictus vitandi, cæteroſq; militares act⁹ efficiẽdi, niſi eoſdem vt arte faciat, antea didicerit. Hinc eſt, quod ſi quis enſe aliquem punctim impetẽs, perinde feriret, ac ſi lignum finderet, ille tale vulnus neq; amplius infligeret, quam qualis eſſet enſis latitudo; cum tamen longa & profunda vulnera non aliunde fiant, quã in actu retrahendi à vulnere ipſum enſem. Qua in re non tantũ virium robur, quantum aptitudo quædam ac dexteritas prodeſt, quæ exercitatione, ac repetitis meditationibus perficitur. In hac autem aptitudine adeo profecerat Marchio Peſcaræ, qui in regimine Siciliæ mortuus eſt, vt obliquo vno ictu quatuor funalia ſimul iuncta inciderit: Et Marius Sforcia, qui Thuſci peditatus Generalis fuit, bouinum caput amputabat. Neq; vero credendum eſt, cum Turcarum Imperator enſem Scanderbeghii experiri voluit, ipſum enſem viro debili alicui traditum fuiſſe; ſed quia homo ille in feriendo ſtudium non poſuerat; quale Scanderbeghius ponere ſolebat, ideo eadem, quę hic, efficere non poterat: proinde Maumetho, qui ſe deceptum querebatur, ſagaciter reſpondit, A ſe miſſum quidẽ enſem fuiſſe, ſed nõ brachium. Cũ itaq; meditatio tantas vires habeat, honeſtos milites decet, in iis rebus, quæ ad ſe ipſos pertinent, omnẽ curam ac diligẽtiam adhibere, animumq; aduertere, quid ſolitis, quidq; inſolitis armis lucrifieri

poſſit,

[m] Veget. l. pr.

[n] Liu. l. 44.

[o] de bell. Afr.

[p] Cæſar l. 3. de bell. ciu.

poſſit, & ſemper eorum meliorẽ vſum inueſtigare, hac de re diſſertationes & diſputationes paſſim inſtituendo. Et ſicuti Philopœmenes iter faciens amicos interrogabat, quid facturi eſſent, ſi forte eo in loco hoſtes aggredientes repellendi forent.[q] Sic egregium militaris hominis inſtitutum eſſet, ſæpe diſſerere, quibus armis Turca debellandus ſit, qua diſciplina, quibus armorum mixtionib. quo peditatus, aut equitatus numero, quo tempore, loco, artibus, conditionibus. Vnde facile cognoſceremus, quantum referret, accurate & attente, an incurioſe & negligenter opera militaria tractare. Ad quæ comprobanda hoc vnum addam, Dauidem Regem victorias ſuas mẹditationibus diuinis accepta tuliſſe. Nã *teſtimonia tua*, inquit, *meditatio mea eſt.*[r] Et mirandũ, quo pacto ordine canat, *In mandatis tuis exercebo, & conſiderabo vias tuas; iuſtificationibus tuis meditabor.* Et ſæpe vbiq; meditationes ſuas iterat eſſe legem diuinam, diuina mandata, diuina teſtimonia.

[q] *Liu. l. 35.*

[r] *Pſal. 118.*

De oſtraciſmo: genus pœnæ apud Græcos honeſtum, cuius vſum principes aduerſus eos, quos habent ſuſpectos, renouare poſſunt.

DISCVRSVS III.

VBi viget æqualitas, & tanquam ſummum ciuitatis, ſiue reip. bonum habetur, neceſſario ſequitur, vt quodcunq; æqualitatem illam excedit, id cõmuni bono refragetur. Verum quia punire hominem, propterea quod nimium virtuti ſit addictus, extrema viſa fuiſſet iniuſtitia, Græci, laudabiles omnium ciuiliũ inſtitutorum inuentores, præſertim Athenienſes, pœnam quandã honeſtatis inuenerunt, cuius ſubſidio ſuſpicionem, quam de aliena virtute haberẽt, iuſte, ſiue iniuſte ſuſceptã reprimerent: quã pœnam oſtraciſmum vocauerunt; non ſecus ac ſi quis nimio ſanguine repletas venas ſentiens, & corporis fortitudine pollens victui moderaretur, & ſanguinem emittere ſoleret, ne in ea vitia & morbos incideret, in quos ob nimium robur pleriq; incurrere conſueuerunt. Quæ ſententia ex Plutarcho deſumpta videtur, qui de oſtraciſmo inquit, hoc fuiſſe quaſi medicinam, cuius ope ad expurgandã ciuitatem conſtituto tempore populus vti ſolebat: nam decennale exilium ciui indicebatur, qui cæteros gloria, diuitiis, exiſtimatione ſuperaret, adeo vt ſine ſuſpicione in ciuitate retinendus nõ eſſet.[a] Quod autem non niſi viri illuſtres hoc ſupplicio plecterentur, declarat idem autor, cum ſcribit, Hyperbolum ſceleratiſſimum hominem curauiſſe, vt præclariſſimi Phæax, Nicias, Alcibiades oſtraciſmo pellerentur Athenis, ſed pœnam illam contra ſuã naturam in caput ipſius Hyperboli recidiſſe, cum viles & ignobiles homines eo exilio plecti non ſolerent.[b] Imo alibi narrat, puduiſſe Athenienſes, quod honeſtam oſtraciſmi pœnam in eodem Hyperbolo dehoneſtauiſſent, ideoq; cõſuetudinem illam abrogaſſe. Oſtraciſmus autem ab oſtraco dicebatur, hoc eſt, lapillo, cui ciues alterius ciuis expellendi nomen inſcribebant, omnibusque

[a] *Plut. in Nicia.*

[b] *Plut. in Alcib.*

cum in modum ſcriptis lapillis in vnum locum theatri coniectis, non decernebatur pœna, niſi numerus oſtracorum ſex mille excederet: Quo in loco clarius quam alibi, explicat Plutarchus, oſtraciſmum non propter improbos repertum fuiſſe, ſed honeſtiore vocabulo vocatum fuiſſe ſupplicium quoddam, & moderamen nimiæ potentiæ atq; ſuperbiæ. Erat autem hæc inuidiæ publicæ leuamen quoddam, quæ vt tolerabilior fieret, extra fines imperii per decennium cauſam illam doloris, & moleſtiæ ex virtutibus alienis enatæ relegabant. [c] Eadem fere de oſtraciſmo narrat Ariſtoteles, oſtendens, peccatum huius pœnæ fuiſſe diuitias, multitudinem amicorum, aliamve ciuilem potentiam, neq; omittit, ad conſtitutum tempus dari conſueuiſſe, etſi nullum annorum numerum definit; & conſilium ſpicas ſupereminentes præcidendi, à Periandro Thraſybulo datum excuſat. [d] Neq; Diodorus variat, niſi quod exilium, inquit, annorum quindecim fuiſſe. [e] Romani, dum libertas viguit, caruerunt (ni fallor) oſtraciſmo. Verum in Scipione Africano virtutem quandam cæteris longe ſuperiorem cognoſcentes, quemadmodum ſi oſtraciſmo illum expuliſſent, virtutem ipſius vehementer coboneſtauiſſent, ſic, vt ſuſpicione ſeſe liberarent, periculumq;, quod tanta virtus gignere poterat, effugerent, accuſare ipſum maluerunt; ſe ipſos peſſimo ingratitudinis crimini ſubiicientes non minus, quam Scipionem peculatui ſubiecisſent. [f] Qui noſtrarum rerumpub. hiſtorias perlegit, ſi recte animaduerterit, nullā cauſā comperiet, cur Coſm⁹ Medices, qui deinde Pater Patriæ cognominatus eſt, eiectus fuerit, quā ob diuitiarū amplitudinem, multitudinē amicorum, nominis maieſtatem, quas ipſe res in patria præ cæteris omnibus ciuibus acquiſiuerat. Adeo vt cognoſcatur, iis de cauſis plebeiorum, & minus ſtudioſorum animos in ſuſpicionem adduci ſolere; etſi neq; Romani, neq; Florentini vnquam pœnæ aſperitatem nominis dulcedine delinire ſciuerunt: cum alioquin maximum doloris ſolatium ſit, poſſe dicere, Patria mea expulit me, quia nimium probus, vel nimium potens, vel nimium conciuibus charus eram. Pudet memetipſum, quod hanc meam diſſertationem in Nerone fundare cogar, quodq; cæteris principibus oſtendere debeam, quales illius exemplo ſimilibus caſibus ſe gerere queant: Attamen quantum detrahent exemplo ſcelerati principis vitia, tantum vigoris & virium adiunget veritas; nempe intra ſe ipſum quiſq; meditabitur, & arguet; Si Nero, quo nullum fuit crudelius in toto orbe monſtrum, id fecit, quanto magis id me, qui Chriſtianus princeps ſum, decet facere, in meis ſuſpicionibus viam mediam tenendo, per quam & ego tutus remaneam, & cæteri innoxii viri, inſtar magnorum ciuium Athenienſium, alio ſupplicio non triſtentur, quam tacito & honeſto exilio. Hiſtoria vero talis eſt. Diximus alibi, Iuliam Druſi filiam tranſiſſe in domum Rubellii Blandi. [g] Ex quo matrimonio natus eſt Rubellius Plautus, qui & Tiberii pronepos, & virtutis præclaræ iuuenis omnium ore celebrabatur; nam placita maiorum colebat, habitu ſeuero, ob caſtitatem, atque prudentiam plurimum famæ adeptus: cum vero ſydus cometes effulſiſſet, & interpretatio mutationem regis portenderet; item diſcumbentis Neronis apud Sublaqueum

[c] *in Ariſtide.*
[d] *lib. 3. polit. c. 9.*
[e] *lib. 11.*
[f] *Liu. lib. 38*
[g] *lib. 5. diſſ. 6.*

ictæ dapes, menſaque diſiecta fuiſſet, idque finibus Tyburtum accidiſſet, vnde paterna Plauto origo; hinc illum multi numine Deum imperio deſtinari credebant. Quibus permotus Nero nihil aliud effecit, niſi quod ad Plautum compoſuit literas, admonens, vt *conſuleret ſibi, & vrbi, ſeque praue diffamantibus ſubtraheret: eſſe illi per Aſiam auitos agros, in quibus tuta, & inturbida iuuenta frueretur.*[h] Nihil ego ſimilius oſtraciſmo inueniri poſſe, credo. Imo mitius hoc fuit oſtraciſmo: nam Plautus verbo ac ſolo nutu, non decreto publico ob multam virtutum opinionem atque exiſtimationem in Aſiam relegatur. Neque dubium eſt, quin temporum noſtrorum principes priſcis vt plurimum manſuetiores ſint; mirandum tamen, quantum illi aliquando moderatius, quam noſtri ſeſe habuerint, vt in Auguſto videre fuit, qui, cum reſciuiſſet, Decium Syllanum ex Iuniorum familia adulterium cum eius nepte commiſiſſe, aliud non effecit, quam quod amicitiam illi renuntiauit. Syllanus autem hac renuntiatione *exilium ſibi demonſtrari intellexit*, nullaque interiecta mora diſceſſit, neque niſi imperante Tiberio, patriæ reſtitutus eſt.[i] Hoc eſt alterum quoddam oſtraciſmi regii exemplum, quo homines non exilii dedecore, ſed ſolo nutu condemnantur. Infelix fuit Auguſtus in domeſticis malis, præſertim ob impudicitiam Iuliæ filiæ, inter cuius adulteros I. Antonius Auguſti iuſſu interfectus eſt. In huius autem ex ſorore nepotem L. Antonium adoleſcentulum, quem Auguſtus grauatim, neque libenter videbat, quaſi patrui inuiſam memoriam excitaret, nihil aſperi decreuit, niſi quod in ciuitatem Maſſilienſem ſepoſuit, *vbi ſpecie ſtudiorum nomen exilii tegeretur.*[k] Mos etiam principum, & altera ſpecies quædam oſtraciſmi eſt, eos, quos non libenter videant, muneribus publicis procul amandare, vt Nero Othonem riualem in amore Poppææ *in prouinciam Luſitaniam ſpecie legationis ſepoſuit.*[l] Mutianus, cum Antonium Primum non poſſet palam remouere, onerauit illum laudibus in Senatu, mox pollicitis onuſtum prouinciam obtulit, *citeriorem* Hiſpaniam *oſtentans diſceſſu Cluuii Rufi vacuam.*[m] Et ex illis centurionibus, & tribunis, qui Britannici partes ſequebantur, nonnulli remoti fuerunt *per ſpeciem honoris.*[n] Et Galba Virginium ab exercitibus Germaniæ ſecum abduxerat *per ſimulationem amicitiæ.*[o] Libentius principibus præciperem, quibus modis beneficia conferant non tantum ſimulanter, ſed etiam animo, & vero affectu. Sed quia, vt inquit ille, cito occidere, quædam pars pietatis eſt; ſic beneficium quoddam videtur, aliquem commonere, quo pacto ex periculis ſe ſubtrahat, & verba, nutuſq; principum, nedum edicta percipiat, & vel ſtudiorum, aut quod melius eſt, munerum velamine libenter honeſtum, vulgoque incognitum exilium ſuſcipiat.

[h] lib. 14.
[i] lib. 3.
[k] lib. 4.
[l] lib. 17.
[m] lib. 20.
[n] lib. 12.
[o] lib. 17.

Quam inſanum ſit alteri polliceri, quæ minimis rerum momentis ſecus euenire poſſunt.

DISCVRSVS IV.

VErannius Britannico bello à Nerone præfectus, vir, dum vixit, ſeueritatis fama inſignis, apparuit ſupremis *teſtamenti verbis ambitionis manifeſtus, quippe nulla in Neronem adulatione addidit, ſubiecturum ei prouinciam fuiſſe, ſi biennio proximo vixiſſet.* [a] Inquit autor, ambitionis manifeſtum fuiſſe, ſed meo iudicio titulus imprudentiæ addi poteſt: nam etſi Verannium egregia virtus non defeciſſet, quis loco fortunæ fideiuſſerat, vt exacto, neq; amplius biennio prouinciam occupare potuiſſet? nam aureum eſt illud monitum, Non eſſe de craſtino iactandum, neſciri enim, quid poſterus dies pariturus ſit. Parentum noſtrorum ætate Lautrechus Gallorum dux hac in re vehementer errauit, adeo vt ipſe vitam & exiſtimationem, Rex autem ſuum exercitum, & regnũ Neapolitanum amiſerit: vnde poſſunt homines animaduertere, quantum hi noceant errores. Cum idem Mediolanenſem Ducatum armis defenderet, ad regem ſcripſit, vt dormiret in vtramq; aurem, quia citra vllam dubitationem hoſtes, ne Addam fluuium tranſirent, vetiturus erat. [b] Cumque ex hoc experimento cautior, & conſideratior fieri debuiſſet, iterum regi pollicitus eſt, breui temporis interuallo fore, vt Neapolim, quam obſidione cingebat, caperet. Quæ pollicitatio tantum potuit, vt contra cæterorum ducum opinionem in obſidione, ne (vt notat Guicciardinus.[c]) ſe ipſum damnaret, perſeuerans, infauſtam ſibi, & exercitui Gallico fortunam accerſiuerit. Quæ fortuna eius conſilia ſubuertendo, conſumptis militibus, denique ipſum morti extradito patefecit, quanta leuitate mortales de ipſa quidquam certo ſibi promittere ſoleant. Sed Lautrechus, & Verannius cum exercitibus vterque in ipſo bello erant. Quid de iis dicemus, qui nondum in campum deducti, iam præuident, iamque prædicunt, quæ facturi ſunt? videnturne maiore excuſatione, an vituperatione digni? Vix explicari poteſt, quantum ad hanc rem verba illa L. Æmilii quadrent, [d] contra temerarium collegam eius Ter. Varronem prolata; qui iactauerat, *ſe, quo die hoſtem vidiſſet, profligaturum:* nam *mirari ſe,* aiebat, *quomodo quis dux prius, quam aut ſuum, aut hoſtium exercitum, locorum ſitum, naturam regionis noſſet, iam nunc locatus in vrbe ſciret, quæ ſibi agenda armato forent: & diem quoq; prædicere poſſet, qua cum hoſte ſignis collatis eſſet dimicaturus: ſe, quæ conſilia magis res dent hominibus, quam homines rebus, ea ante tempus immatura non precepturum.* Item ſibi perſuadere, negotium aliquod perfectum eſſe, cum pleraq; perficienda reſtant, in cauſa eſt, vt negligenter agatur, neque cogitentur neceſſaria. Nec abs re de Germanis dictum eſt, *nondum victoria, iam diſcordia erat.* [e] Cum Pompeius (vt Plutarch. tradit) à Lucullo comperiſſet, viuo adhuc Mithridate, honores, & regni, quod nondum poſſidebat, munera diſtributa eſſe, eum valde vituperauit: In quem tamen errorem paullo poſt ipſe etiam cecidit, prouincias ordinãdo, graduſq; ducibus, ac militibus partiendo perinde, ac ſi ho-

[a] lib. 14.

[b] Guicc. lib. 19.

[c] lib. 19.

[d] Liu. lib. 22.

[e] Tac. lib. 20.

ſtem viciſſet, qui adhuc Boſphorum exercitu non contemnendo retinebat.[f] De [f] *Plut. in Pomp.*
hoc ipſo vitio videtur Cæſar proceres illos, qui Pompeianas partes ſecuti fuerāt, reprehendere, inquiens, *nec quibus rationibus ſuperare poſſent, ſed quemadmodum vti victoria deberent, cogitabant.*[g] Neque enim quomodo, quove compendio vincerent, meditabantur, ſed omnes cogitationes in diſſerendo de iis, quæ poſt victoriam agēda eſſent, collocauerant. [g] *lib. 3. de bello ciu.*
In quē errorem lapſum eſſe ipſum Pompeium, oſtendit, dum in concione dixerat, fore, vt hoſtes abſq; dubio vincerentur. Qui principum error re vera maximus eſt, cum omnia à voluntate Dei proficiſcantur: oſtendunt ſiquidem, ignotam ſibi eſſe fortunæ potentiam, quæ mandatorū Dei miniſtra eſt. Vnde calamitatibus, quæ occulto fato iis imminent, additur etiam ludibrium, quod ex fonte ipſorum arrogantiæ ſcaturiginem ſuam ducit. *Iamq;*, inquit Tacitus, *tres laureatæ in vrbe ſtatuæ, & adhuc raptabat Africam Tacfarinas,*[h] & alibi, *Claſsicus ſegne plerunq; otium trahens, velut parto imperio fruebatur,*[i] & [h] *lib. 4.*
alibi Pætus ad Nerone verbis magnificas literas ſcripſit, rerum vacuas, *quaſi confecto bello.*[k] Vnde Imperator, ſe barbaris ludibrio eſſe, cognouit, quia *peterent, quod eripuerant.*[l] [i] [k] *lib. 15.* [l] *ibid.*
Eidemq; irriſui ſubiacuit Libo, qui pollicitus Pompeio prohibiturū ſe Cæſari, ne Brunduſio ſuppetias ferret, coactus fuit turpiter diſcedere, & ab incepto deſiſtere.[m] Ideo deridendum non eſt vulgare prouerbiū illud, Aſſerendum nō eſſe ſibi numerū cuiuſq; rei, niſi in ſacco habeatur: nam ſub cortice dicteriorum ſimilium prudentiora, quam primo adſpectu videantur, documenta latent. [m] *Caſ. de bell. ciu. l. 3.*

De clamore, quem Romani in pugnis extollebant.

DISCVRSVS V.

QVemadmodum in candidiſſimo velamine minima quæq; macula apparet, quæ in turpi, & commaculato panno lateret; ſic in Romana militia, quæ omni ex parte ordinatiſſima erat, vno, alterove modo editi clamores aut victoriæ, aut cladis clariſſima plerunq; indicia dabant. Hic Romanorum mos nuſquam melius, quam apud Tacitum comprehenditur, vbi iactantes Britanni, Romanos *ne ſtrepitum quidem, & clamorem tot militum, nedum impetus, & manus perlaturos.*[a] Quod antea à Caio Sempronio Blæſo contra Fuluium Flaccum orante dictum fuit, cum profiteretur, exercitum Romanum ab hoc duce ſic habitum fuiſſe, vt *nec impetum modo Pœnorum, ſed ne clamorem quidem ſuſtinere poſſent.*[b] [a] [b] *Liu. lib. 26.*
Verum ne quis putet, illam loquendi formulam aliquam, ac rem nihili eſſe, quid Hirtius cenſeat, videamus. Is profecto clamorem in exercitu plurimum ad terrēdos hoſtes poſſe, teſtatur per ea verba: *congreſſus, & clamor, quib. maxime hoſtes conterrētur.*[c] Sed quod inquit Liuius, maxime hanc ſententiā firmat, *Clamor*, inquit, *iudicium primum fuit, quo res inclinatura eſſet, excitatior, crebriorq; ab hoſte ſublatus, ab Romanis diſſonus, impar, ſegnis, ſæpe iteratus, incerto clamore prodidit pauorē animorū.*[d] [c] *de bello Hiſp.* [d] *lib. 4.*
Quæ cōſideratio incerti clamoris à Tac. pariter omiſſa nō fuit in exercitu Otho-

nis contra

nis contra Vitellium: *incertus vndique clamor accurrentium.*[e] In vltimo prælio, quod inter Scipionem. & Annibalem commiſſum fuit, militum clamor quid ſecum ferat, compertum eſt, dicente Liuio, *Dictu parua, ſed magni eadem in re gerenda momenti res, congruens clamor à Romanis, eoque maior, ac terribilior, diſſonæ illis, vt gentium multarum diſcrepantibus linguis voces.* Sic in contrarium non bene Romanis ſucceſſit ex diſſono clamore exercitus Flaminii, qui clamor cum mandatorum ducis negligentia infauſti exitus illius belli ſignum dedit.[f] Et Tacitus de Germanis, qui è conſpectu Romanorum caſtrametabantur, vbi barbaros feſtis epulis, læto cantu, aut truci ſonore ſubiecta vallium, ac reſultátes ſaltus compleuiſſe, refert; apud Romanos, inquit, *inualidi ignes, interruptæ voces, inſomnes magis, quam peruigiles:* vbi interruptæ voces haud multum differunt à diſſonantibus.[g] Hoc autem ideo eueniebat, quia trepidante corde clamabant. Contra, cum Sacrouir cum Silio prælium conſerturus eſſet, Silii oratio non multo cum gaudio audita fuit, & *ingens ad ea clamor.*[h] Hic autem clamor in ardore prælii, vt plurimum iterabatur, niſi forte bellum intenſum, aut dubia victoria foret, ſicuti inter Samnites, & Romanos accidit, *vt neq; clamor, vt primo ſemel concurſu eſt ſublatus, iteratus ſit.*[i] Tunc autem horrentior erat, cum ex tempore à tergo audiebatur, vt in eadem pugna Samnitum. Neque Cæſarem pudet fateri ſuis militibus hunc clamorem terrori fuiſſe: *multum*, inquit, *ad terrendos noſtros valuit clamor, qui poſt tergum pugnantibus extitit.*[k] Aliquando excitabantur clamores, non vt magis auderent milites, ſed quaſi perfectæ rei ſignum darent, vt in prælio cum Celtiberis factum eſt, *Clamore non tantum ad ardorem pugnæ excitandum ſublato, ſed etiam vt qui in montibus erant, exaudirent.*[l] Vel periculi ſignificandi cauſa, *clamore ſignificantibus, ab ea quoq; parte rem in diſcrimine eſſe.*[m] Quoties hoſtilis audacia maxima erat, & clamoribus aduerſarii perterriti, non modo eadem ferocitate non reſpondebant, *nequaquam par à legionibus, cohortibuſq; redditur clamor,*[n] ſed neque vllum clamorem reddebant, *ne clamore quidem reddito integri, intactiq; fugerunt.*[o] Nonnunquam extra exempla quæ diximus, acclamabatur, cum ducis dictum aliquod approbaretur, vt verbis Sexti Tempanii equo deſcendentes equites Romani fecerunt, *cum clamore comprobata cohortatio eſſet.*[p] Vnde cum M. Horatius conſul milites ſuos hortaretur ad deliberandum, an bellum contra Sabinos differendum, an vero pugnandum eſſet, ſubdit, ſi bellandum eſt, *Agite, dum clamorem, qualem in aciem ſublaturi eſtis, tollite hic indicem voluntatis, virtutiſq; veſtræ.*[q] Sæpenumero mecum ipſe cogitaui, quales fuerint iſti clamores: inuenitur enim apud Salluſtium, *clamor permixtus exhortatione.*[r] Hinc coniecturis aſſequor, clamorem fuiſſe ſine articulatis vocibus, vel ſaltem paucarum vocum, aut ſyllabarum, vt hodie Turcæ clamant, alla, alla: hoc autem facilius credo propter epitheta illa, diſſonantes, inæquales, incertos, & alia, quæ clamoribus attribuuntur: item pauidos, vt illud, *clamore pauido ſuorum exaudito:*[ſ] alibi proſperos.[t] Si à profanis, ac mundanis præliis mihi liceret ad ſacra, & diuina mentem erigere, & de prælio illo verba facere, quod filius Dei cum morte conſeruit, imo

quia

[e] *lib. 18.*
[f] *lib. 22.*
[g] *lib. pr.*
[h] *lib. 3.*
[i] *Liu. lib pr. in fin.*
[k] *lib. 7. de bello Gall.*
[l] *Liu. lib. 40.*
[m] *Tac. lib. 20.*
[n] *Liu. l. 5.*
[o] *lib. 17.*
[p] *lib. 4.*
[q] *lib. 3.*
[r] *de bell. Iugur.*
[ſ] *Liu. lib. 38.*
[t] *Tac. lib. 17.*

quia congruit, vt inter non ſacros, etſi licitos, & conceſſos ſermones, diuina opera mente recolamus; non ſine maximo myſterio ſacratiſſimi illi hiſtorici notauerunt vltima verba à Ieſu Chriſto Domino noſtro ante mortem voce magna emiſſa fuiſſe. Nam cum cæteri moribundi in extremo vitæ ſuæ tempore ingenti ſpiritu vocem edere non valeant, denotare voluerunt, potuiſſe illum id facere, quia in ſuo, non mortis arbitrio, vt moreretur, erat. Quæ ſententia noſtro ſenſui valde conuenit: vbi enim tres Euangeliſtæ *voce magna* dicunt, [u] Sanctus Paulus de hoc ipſo dixit, *clamore valido*, [x] alludens quodammodo ad militares clamores, vel pauidos, vel proſperos, vt diximus.

[u] *Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.*
[x] *ad Hebr.*

De experientia artis militaris.

DISCVRSVS VI.

SVetonius Paulinus maximam in Britannia victoriæ ſpem concepit, cum militum aciem inſigniter inſtructam vidit, *& multa præliorum experientia.*[a] Paullo ante de meditationibus, quæ cum exercitatione coniunguntur, diximus, modo de experientia militaris artis, quæ meditationem ſequitur, dicendum eſt. Hanc autẽ pro viribus adumbrare conabimur, vt pateſiat, quãto in errore verſentur, qui artis militaris gnaros ſe putant, quoniam lateri enſem accingunt, vel quod vnum atq; alterum viderint exercitum, neſcientes, quantum referat, militem artis ſuæ experientem eſſe. Vtque opinionem illorum, qui propterea quod duobus bellis interfuerunt, militis nomen ſibi vindicant, oppugnem, atque proſternam, audiatur, quod inquit Hirtius; Cæſari tres fuiſſe ſingularis virtutis legiones, ſeptimam, octauam, nonam, & præter has vndecimam ſummæ ſpei, & ſelectæ iuuentutis, quæ cum illo iam octo annos militauerat; nihilominus, inquit, nondum exiſtimationem, ac famam antiquitatis cæteris parem obtinebant; quod experientiam ſignificat.[b] Vt me melius explicem, dico: Quemadmodum adoleſcens poſt artium, & medicinæ ſtudia, in quæ multos annos elucubrauit, & poſt meditationes multas ad Doctoratus gradum, quantum ad ſcientiam ſpectat, promouetur; attamen totidem, pluribuſque annis vt exerceat artem eandem, neceſſe eſt, quo experientiam optimo medico dignam aſſequatur; vnde quodammodo elici poſſet, promotum in medicinæ ſtudiis nihil hactenus effeciſſe, niſi praxim adnectat: ſic miles quantumlibet didicerit, & militaria munia tempore pacis meditatus fuerit, nihil egit, niſi cum hoſtibus ſeria bella gerendo artem ſuam periclitatus fuerit. Cum Cæſar de tantis difficultatibus, in quas Neruiorum bello incidit, loquitur, duo illum adiuuiſſe, inquit, *ſcientiam, atque vſum militum.*[c] Verum ante omnia ponderanda ſunt verba illa Cæſaris, vbi narrat, milites adeo fuiſſe in præteritis bellis exercitatos, vt iniuſſi facerent, quæ militaris ars poſcebat, neque minus ſibi ipſis ea præſcribebant, quam ſi

[a] *lib. 14.*
[b] *lib. 8. de bello Gall.*
[c] *lib. 1. de bello Gall.*

mandata ducis audiſſent. Quod in ſimili caſu, Samnitibus adorientibus, Romani milites præſtiterunt. Nam poſtquam improuiſa aggreſſio trepidationem quandam feciſſet, liberauerunt ſe onere, aptaueruntque armis ad ſigna vndique coeuntes: & notis ordinibus in veteri diſciplina militiæ iam ſine præcepto vllius ſua ſponte ſtruebatur acies.[c] Quæ loca diligenter apud autores videnda forent. Verum in eam calamitatem incidimus, vt qui nondum artem didicerunt, experientiam oſtentent: ſed huiuſmodi hominibus oporteret oſtendere, quot ad bonum militem conſtituendum requirantur, vt quot requiſitis ipſi careant, animaduerterent: quemadmodum Siphaci regi Numidiæ accidit; cui cum à Scipione tres centuriones ad fœdus tractandum miſſi fuiſſent, acceptis pacis conditionibus, & incepto de bello inferendo ſermone, hæc de Siphace inquit Liuius, *Vt veterum militum verba audiuit, quam multarum rerum ipſe ignorans eſſet, ex comparatione tam ordinatæ diſciplinæ animaduertit.*[d] At Siphax in hoc ſapiens fuit, quod ſuum errorem animaduertens, Romanos rogauit, vt alter ex legatis apud ſe remaneret, vt ſuos Numidas, qui equeſtrem artem tantum ſciebant, pedeſtrem etiam militiam doceret: pedites enim, quibus Numidia abundabat, inſtar turbæ ignorantis, & palantis erant. Hinc eſt, quod cum Romani in exercitibus ſuis veteranos milites, aut egregios alios haberent, ipſorum exercitus ab exercitibus externis tam longo interuallo, vt ortus ab occaſu, diſtabant. Proinde adnotabilis fuit fortitudo illius veterani, quem Labienus tironis nomine, & feroculum appellauerat. Is enim caſſidem de capite deiecit, vt cognoſci ab eo poſſet, inquiens, *Iam me, quis ſim, intelliges, de legione decima veteranus ſum:* atque ita pilum totis viribus contortum dum in Labienum mittere contendit, equi grauiter aduerſo pectori affixit.[e] In conſultatione illa, quæ in Senatu habita eſt inter Tiberium Sempronium, & L. Minutium, num in Hiſpania noui milites, an veterani detinendi eſſent, Sempronius dixit, Nouos milites tales eſſe, vt quemcunque manſuetum barbarum ad rebellandum impellere poſſint; ideo profitetur, ſi veterani remouerentur, *loca pacata ſe ad hybernacula electurum, neque nouum militem ferociſſimo hoſti obiecturum.*[f] Ideo non incaſſum pugna illa inter veteranum, & elephantum deſcribitur.[g] Nempe virtus ex tempore optima conſilia capere & poteſt, & conſueuit. Et Labienus, qui probe nouerat, quantum referret, milites habere veteres, an nouos, dicebat Pompeio (quamuis in hoc erraret) Ne crederet, Cæſarianos milites eoſdē eſſe, quibus Germaniā, & Galliam vicerat, quia illi omnes præteritis bellis conſumpti fuerāt, ſed numerum eſſe collectitium non tanti æſtimandum, ac ſi veterani eſſent.[h] Verum vt oſtendam, multum diſcrepare, an milites huius, vel illius modi habeantur, proferam exemplum aliud, quo hæc inæqualitas demonſtretur. Quidam milites Cæſaris in poteſtate Scipionis deuenerant; quibus, cum dixiſſet, paratum ſe eſſe iis vitam, & pecuniam donare, ſi partes eius relicto Cæſare defenderent, certoque ſe ſcire, dicebat, non ſponte illos, ſed ſcelerati illius Imperatoris Cæſaris impulſu arma contra patriam ſumpſiſſe; Centurio ipſorum reſpondit, *Pro tuo*, inquit, *ſummo*

ber:ficio.

[c] *lib. 9.*
[d] *lib. 34.*
[e] *de bell. Afric.*
[f] *Liu. l. 40.*
[g] *Cæſ. de bello Afric.*
[h] *de bell. ciuil. lib. 3.*

beneficio: Scipio, tibi gratias ago (non enim Imperatorem te appello) quod mihi vitam, incolumitatemque, belli iure capto, polliceris: & forſan iſto vterer beneficio, ſi non ei ſummum ſcelus adiungeretur. Egone contra Cæſarem Imperatorem meum, apud quem ordinem duxi, eiuſque exercitum, pro cuius dignitate, victoriaque amplius triginta ſex annis depugnaui, aduerſus armatuſque conſiſtam? neque ego iſtud facturus ſum, & te magnopere, vt de negotio deſiſtas, adhortor: contra cuius enim copias contendas, ſi minus antea expertus es, licet nunc cognoſcas: elige ex tuis cohortem vnam, quam putas eſſe firmiſſimam, & conſtitue contra me: ego autem ex meis commilitonibus, quos nunc in tua tenes poteſtate, non amplius decem ſumam: tunc ex virtute noſtra intelliges, quid ex tuis copiis ſperare debeas. i Tria notabilia colligo ex dictis centurionis; ſeueritatem, non adulando ei, in cuius poteſtate erat ipſum occidere, quod effecit: fidem egregiam erga ducem ſuum, quam præ timore amittendæ vitæ non deſeruit: & audaciam mirabilem, vt cum decem militibus contra cohortem ſtare non extimeſceret. Sed hoc vltimum conſiderantes, non ambigimus, quin cohors quingentos milites contineat: quod ſi alicui res mira videretur, vt decẽ contra quingẽtos pugnare auderent, neq; cohortem velimus intelligere, qualis eſſe ſolebat, at certe minus quã decem militibus ea non conſtabit. Modo quid centurio contra centum dimicaturus ſecũ agitaret, dignum eſt, vt conſideretur: nam ſi cætera attendantur, hic centurio non omnino deſipere videbatur, neq; Cęſar de talibus hominibus mentionem feciſſet. Et quãquam poſſet aliquis dicere centurionem illũ, quaſi certo moriturus eſſet, audacter mori maluiſſe, ideoq; non timuiſſe illa verba profari: dico, me nõ poſſe huic reſponſioni acquieſcere: quia credibile nõ eſt, hominẽ hunc furere, ac furioſe loqui voluiſſe, ſed cum fundamẽto & ratione propoſuiſſe. Et memor pugnę illius cum elephanto, dico, veteranum illum, cum videret inermẽ militẽ genibus ab elephãto atteri, contra ipſum animoſe ſe obtuliſſe: ex altera parte elephas, relicto occiſo, ad veteranũ conuerſus, cumq; proboſcide amplexũ in altum ſuſtulit: at veteranus proboſcidem incidit, vnde fera dolore victa ingenti mugitu ad gregem ſuum accurrit: Igitur ſicuti qui iuſtis virib. cum elephanto contendere nequit, tamen arte contendere, ipſumq; vincere, ac fugare potuit: ſic credendum eſt, centurionẽ hunc nonnihil intra ſe ipſum excogitaſſe, cum aduerſus centum decertaturum ſeſe obtulit, adeo vt hæc eius prouocatio temeraria futura non fuiſſet. Cumque de viribus corporis non ageretur, quia inter homines nunquam extrema virium differentia eſt, neque de equeſtri pugna, cuius melior eſt conditio, quam pedeſtris, cum omnes hinc, & inde pedites futuri eſſent; reliquum eſt, vt videamus, quatenus decem, aut vndecim poſſint contra centum pugnare, aut ſaltem aliquantum reſiſtere, dummodo tamen quingenti nõ eſſent. Ex Horatiis quædã lux afferri poſſe videtur, quo pacto tres ab vno aliquãdo vincãtur, quod vnus Horatius fecit à tribus illis fugiens, & intrã ſe ipſum meditans, fore, vt ſi illos diuideret, facile vnum poſt alium interficiẽdo, tandem omnes vinceret. k Omnia perficit, qui pollet conſilio. Sic Cæſar cum videret, Pompeium melius, quam ipſe erat, inſtructum equitatu, ad illud con-

i de bell. Afric.

k Liu. lib. 1.

Non debere, quiſquis commune ciuitatis bonum reſpicit, ſingulorum incommoda valde curare.

DISCVRSVS VII.

RAro vidi, legem aliquam, aut deliberationem proponi, quin aliquis tranſuerſum aſſerat, Inde hoc & illud incommodum emanaturum. Et ſæpenumero contingit, vt homines reſponſionis ignari ab incepto deſiſtant, nihilq; de propoſita re ſanciatur aut decernatur. Quod peccatum ex eo naſcitur, quia putant pleriq;, nihil appellandum eſſe bonum, quod cum incommodo aliquo cõiungatur, vel quia opinio illa, vniuerſale bonum particulari præferendum eſſe, nondum in ipſorum animo radices egit. Vtrunq; autem falſum eſt. Etenim quid in actionibus hominum ita omni ex parte perfectum eſſe poteſt, vt non aliquam diſputationem recipiat? ecquid nobis curandum eſt, Petrum aut Iohannem de malo ſtatu ſuo conqueri, ſi cætera tota ciuitas bene ſe habeat? Romæ antiquus vigebat mos, vt quotieſcunq; patricius aliquis Romanus domi à ſeruis ſuis occideretur, omnes ſerui necarentur; quia credibile non erat, etſi vnus aut alter occiſor fuiſſet, quin ad alios, aut ad partem ipſorum aliquis malæ homicidarum voluntatis odor perueniſſet. Cum igitur Neronis tempore contigiſſet, vt domi ſuę Pedanius Secundus Romæ præfectus interemptus fuiſſet, cumq; ſecundum legem ſexcenti, quos habebat ſeruos, perire deberent, inter plebeios non deerant, qui tot innoxios protegerent, ſummumq; illud ius arguerent, donec C. Caſſius multæ autoritatis Senator, legem obſeruandam eſſe, diſſeruit: certum eſſe, ex fuſo exercitu, cum decimus quiſq; feritur, etiam ſtrenuos ſortiri: propter ciuium ſalutem neceſſe eſſe, vt ſeruorum nationes, & colluuies metu coerceantur: neq; reſpiciendum, quoſdam inſontes perituros, quia ſemper *habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos vtilitate publica rependitur.*[a] Hinc multæ in ditionibus gubernandis difficultates amoueri ſolent, dum commune beneficium priuatis reſpectibus præponitur, duarumq; rerum habetur ratio, an ſcilicet expediat, vt lex vincat, aut vincatur. Et quoniam, vt me magis declarem, ad particularia deſcendendum eſt, dico; Romæ olim fuiſſe vectigal, quod à lenonibus, meretricibus, exoletis ſoluebatur, quod perdiu durauit: cumq; Cæſares priuatis de cauſis illud tollere neglexiſſent, Alexander Seuerus nihil potuit efficere, niſi vt reditus illi ſacro ærario non inferrentur, ſed reparandis theatris, circis, amphitheatris applicaretur. Perpendens autem optimus ille princeps in perferendis exoletorum gregibus multum ſcelus admitti, cogitauit nefandum vectigal tollere, ſed viribus, animoq; defecit; neq; niſi centum poſt annis ab Imperatore Philippo ſublatum fuit. Dico igitur; ſi reditus illi turpes erant, imperiumq; deturpabant, cur vel à rep. vel ab antiquis Cæſaribus permiſſi, & ſuper illos vectigalia impoſita fuere? nempe vt error ille à lege propemodũ approbatus iuſtus fieret, atq;

[a] lib. 14.

legitimus. Quod ſi replicaret aliquis, neq; quietem gentium (quod bonum eſt vniuerſaliſſimum) haberi ſine armis, neq; arma ſine ſtipēdiis, neq, ſtipendia ſine vectigalibus.[b] Igitur vectigalia bonum publicum efficiunt, longeq; maius, quā detrimentum ferant lenones, meretrices, &c. proinde non eſſe adeo incongruū ſimilia concedere, vt reip. neceſſitatibus ſubueniatur; hoc autem comprobari, quia, cum Neroni primo illo ſuo quinquennio tollendorum vectigalium, idque pulcherrimum donum generi mortalium dandi voluntas inceſſiſſet, laudata fuit à Senatoribus animi magnitudo, ſed hanc *diſſolutionem imperij* fore, decreuerunt, ſi fructus, quibus reſp. ſuſtineretur, diminuerentur.[c] Reſpondeo: Quemadmodū vt reip. ſuccurratur, neceſſe & honeſtum eſt; ſic eidem ſubueniendi cauſa honeſtatis terminos tranſgrediendos non eſſe; vnde matronæ Romanæ neceſſitatibus reip. opem laturæ, ne res ſacrę diminuerentur, aurea corporis ſui ornamenta depoſuerunt, vt alibi diſputabimus.[d] Vulgo etiam vſurpatur illud, Non eſſe, vt vnum altare cooperiatur, alterum exſpoliandum. Igitur nunquam talis reip. neceſſitas dabitur, vt ideo inhoneſtum aliquid admittendum ſit. Nam hoc pacto vniuerſale bonum pecuniæ cum damno vniuerſali morum quæreretur: quæ res multo pernicioſior eſt, quam ea, quam diximus, Non eſſe, vt vnum tegatur, ſpoliandum alterum altare. Quod ſi neceſſitas vrgeret, vt ad non conceſſa remedia manus admoueatur; poſtularet æquitas, vt ceſſante neceſſitate, illicitum ceſſaret remedium: tunc igitur boni publici cauſa priuatorum commoda poſtponenda ſunt, dummodo alterum malum publicum non gignatur; cum interim noſtra propoſitio ſemper, cæteris paribus, ſubſiſtere debeat, hoc eſt, Quicunq; bonum vniuerſale reſpicit, eum priuatorum incommoda negligere debere, dummodo hæc de temporalibus, non de ſpiritualibus intelligantur. Quod ſimiliter à T. Liuio ore Catonis ſenioris, viri ætate ſua omnium ſapientiſſimi, probatum fuit aureis illis verbis, *Nulla lex ſatis commoda omnibus eſt: id modo quæritur, ſi maiori parti, & in ſumma prodeſt.*[e] Et Plato id fortaſſe reſpexit, cum diſſeruit, Ob mortem homicidæ occiſum non reuiuiſcere, imo mortuos multiplicari; ſed homicidam ideo interimi, ne alterum occidat, neve ipſius exemplo cęteri audeant quemquam interficere.[f] Cum igitur lex aliqua proponitur, etiam atq; etiam videatur, an ea neceſſaria ſit, aut bono communi congruat, an cæteras, quæ requiruntur, circumſtantias retineat. Quod ſi quis tam excellentis virtutis inueniatur, qui ex toto, vel ex parte remedium afferre queat, quod minimo priuatorum damno reip. proſpiciat, mehercle ſummis ille encomiis efferendus erit. At niſi inueniatur, bonum publicum deſerendum non eſt, & omnino curandum, vt leges optimæ ſanciantur. Quod ſi manifeſte cognoſcatur, pleroſq; hac legum promulgatione detrimentum paſſuros; tunc vrgente maiore neceſſitate, adhuc remedio publico inſiſtendum eſt, quia reſp. quæ omnes complectitur, incommodo non paucorum modo, ſed ętiam plurimorum anteferenda eſt.

[b] Tac. lib. 10.
[c] lib. 13.
[d] lib. 15. diſc. 5.
[e] lib. 34
[f] in Protagora.

FINIS LIBRI DECIMI QVARTI.

SCIPIO-

SCIPIONIS AMIRATI

DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM

IN C. CORN. TACITVM,

LIBER DECIMVSQVINTVS.

Vni cuncta regenda committi non debere.

DISCVRSVS I.

QVemadmodum viri temperantes in cibis capiendis temperanter agunt, & in conuiuiis magis, vt ſatis naturæ faciant, quam voluptatis cauſa, & exquiſitarum cupediarum cupiditate, eſitare cernuntur: Sic ſuauiter modeſteque delibant non paraſitice degluciunt gloriam illi, qui ad ipſam ſe conuertunt, magis vt patriæ opitulentur, vel vt principis mandatis morem gerant, quam vt ſuæ ambitioni obſequantur. Idcirco non ad omnia, quæ offeruntur, ſed ad illa tantum, quæ factu neceſſaria putant, manum admouent, neq; modo non omnia appetunt, ſed etiam pleraque oblata refutant; quod ſi cæteris ea ſponte donentur, modeſto animo ferunt, & prudenter interpretantur. Cuius rei pulcherrimum dedit exemplum Corbulo. Qui cum poſſet, commiſſo ſibi Parthico bello, Armeniæ rebus ſe immiſcere, ad Neronem ſcripſit, *proprio duce opus eſſe, qui Armeniam defenderet.*[a] Quot magiſtratus vni cõmittũtur, de quo dici poſſet, *proprio viro opus eſſe, qui magiſtratũ illũ regeret?* Nõ ita Moyſes: *non poſſum,* inquit, *ſolus ſuſtinere hũc populũ, quia*

[a] *Tac. l. 15.*

grauis

b Num. c.10. *grauis eſt mihi.*[a] Neq; dicendum eſt, Corbulonem id minus prudenter feciſſe: Nam à Tacito non minus ſapiens, quam ſagax dux deſcribitur, cum paullo poſt hæc dicat: *quamquam ſecundis rebus ſuis moderandum fortunæ ratus*; neq; enim gloriam tot annis partam momento amittendam eſſe, putabat: quod iis euenire cõſueuit, qui cuncta perficere volentes, vice honoris dedecus ſibi comparant: vt T. Q. Flaminio accidit, qui non contentus bello quæſitis laudibus, voluit pacis tempore præteritam gloriam, procurata Annibalis morte, obſcurare. Vnde iure optimo de ipſo dixit Carthaginenſis ille dux, T. Quintium ex inermi proditoque Annibale victoriam, neq; magnam, neque memorabilem reportaturum.[c] Sed illud longe deterius fuit, quod ipſe non ab Annibale hoſte, ſed ab ipſiſmet ſuis Romanis de hoc facinore fuit ignominia notatus, quaſi gloriam ex morte Annibalis vanus & crudelis ſperauerit.[d] Quod non aliunde procedit, niſi quia huiuſmodi homines intemperanter gloriam hanc deglutiunt; nunquam ſaturi eam deuorant: ægre ferunt, ſi quis ad eam vel appropinquet, & nimium deuorantes, paſtu per guttur tranſuerſum deſcendente, propemodum ſuffocantur. Ab his moribus alienus fuit Pericles, qui, vt erat ſummæ ſapientiæ vir, ab vno omnia effici non poſſe, conſiderans, nec decere, vt omnibus rebus implicetur, in negotiis forenſibus Mœnippi opera, in domeſticis induſtria Efialtis vtebatur; Carini opera obtinuit, vt Megarenſibus bellum inferretur, Lamponius illi ad coloniam Thuriam decernendam vtilis fuit. Qua arte nõ modo cuncta illi proſpere ſuccedebant, dum inſtrumentis ad ſingula idoneis vtebatur, ſed etiam odio inuidiaq;, cui, qui per ſe omnia facere volunt, ſuccumbunt, ſeſe exonerauit.[e] Cõtra, quidam Athenienſis, nomine Metiochus, amicitia Periclis abutens, & ſibi munera publica vſurpans, ſeq; in iis intrudens, vulgo fabula factus eſt, deq; illo paſſim cantabatur, Metiochum eſſe ducem, ædilem, piſtorem, omnia; pereat Metiochus. Alius Clazomenius, nomine Thimeſias, alioqui vir probus, ſed ipſe etiã nihil non faciens, omniumq; munerũ appetentiſſimus, per vrbem ſemel obambulans, in quoſdam pueros impegit, qui colludebant ludum quendam, quo fracta quadam re, aliis, verbi gratia, reſpondendum erat, Sic frangatur caput huic vel illi: accidit, vt omnes vnà ſucclamauerint, Sic frangatur caput Thimeſiæ. Qui animaduertens, ſe iam pueris fabulam eſſe, domum reuerſus, & vxori ſingula narrans, conuaſatis rebus ſuis, exceſſit è ciuitate, ſerius & prudenter dedecus illud euitans, quod propter ſtultitiam ſuam ſibi iampridem acceſſiuerat.[f] Igitur omnia, vel multa ſatagere, nemini conducit, quia vel male illa faciet, vel aduerſus ſe omnium odia concitabit: Quæ mala (vt ego ſentio) nemo ſapiens nõ euitabit. Verum ſi nos, qui ſæpe affectibus trahimur, hunc ſcopulum noſtræ vtilitatis cauſa declinare deberemus, quanto magis principibus euitandus eſt, non vni tantum committendo ſingula? Memores; quod ſi reſpublicę ideo, quia multorum intereſt, ſtabiles, durabileſq; ſunt, pari quoq; ratione princeps ille aliis fortior erit, qui ſtatum fortunamq; ſuam pleriſq; communicat. Neq; conqueratur, quod calamitatum ſuarum, ac periculorum ſocium nullum habeat, cum

c Liu. lib. 39.

d Plut. in Flam.

e Plut. polit.

f ibid.

felici-

felicitatis ſuæ participem nullum faciat. Quapropter inter conſilia, quæ dat Mecœnas Auguſto, hoc alterum eſt, Vt non ſolum Italos, ſed à confœderatis etiam ac ſubditis deſumptos in Senatum recipiat, cum vt plures rerum agendarum ſocios habeat, & per conſequens auxilia maiora, tum etiam vt primarios viros penes ſe detinens, populis duces, ad quos refugiant, remoueantur. [g] Et inferius paullo aliam non minus efficacem rationem reddit, vt ſcilicet plures rerum agendarum experientiam conſequantur. [h] Verum quiſquis illorum, qui omnia ſinguli exequi volũt, reprimere cupit, nullam faciliorem methodum habet, quã cum iis agere, perinde vt cum ſenibus agendum eſſet, qui barbam nigro colore tingentes, iuuenes videri appetunt: Nam quemadmodum conueniret, vt iuuenum labores iis, quia ſenes videri nolunt, imponerentur; ſic optime competeret, vt omnia illis facienda iniungerentur, ad quæ cæteris omnibus aptiores ſe putãt; ſicq;, dum, verbi gratia, in dictandis literis plus, quam ſcribæ, ipſi ſe ſcire profitentur, iubeatur ipſis, vt ad principes epiſtolas exarent: item rei bellicæ peritis, & iis, qui bello exercitati ſunt, ſe potiores exiſtimantes, iubeantur, vt aciem inſtruant: arithmetices gnaros ſe venditantes, quæſturam exerceant: ciuitatem nõ bene re frumentaria, cæteriſq; ad victum neceſſariis inſtructam eſſe, clamantes, præficiantur annonæ: vociferantes, iuſtitiam male adminiſtrari, iubeantur, vt ſatellitium & carnificinam, nedum iudicium criminale exerceant: demum periclitari oportet, an ſemel hæc immenſa ambitionis cupiditas, & ingluuies quædam exſatiari queat. Sic mirabilis ſapientiæ Imperator Alexander Seuerus cum intellexiſſet, Ouinium Camillum antiquæ nobilitatis Senatorem, ſed delicatiſſimum hominem ad imperium adſpirare, illico iuſſit ipſum in Palatium arceſſere, & poſt gratiarum actionem, quod onus regendæ reip. quod pleriq; recuſabant, ipſe ſponte in ſe recipere vellet, poſtero mane in Senatum duxit, principemq; Imperii appellauit: in palatium migrare voluit, conuiuio excepit, omnibus imperialibus ornamentis, & pluribus, quam ipſemet vtebatur, exornari iuſſit: Nuntiis allatis belli alicuius, vt illuc ſolus exercitum duceret, exhortatus eſt, vel ſimul ſecum, ſi ita placuiſſet: cum autem Alexander pedes ad bellum proficiſceretur, ad eundem laborem Camillum inuitauit: poſt quinq; millia paſſuum obſeruans illum itinere calefactum, iuſſit, vt equum aſcenderet, cumq; poſt duas ſtationes equitatione fatigaretur, curru ipſum vehendum curauit; quem cum recuſauiſſet vel timoris cauſa, vel quia huiuſcemodi laboribus minime aſſuefactus eſſet, bonus ille Imperator impune illum dimiſit, conſenſitq;, vt ad delicias, & commoda villarum ſuarum reuerteret, [i] oſtendens, etiam in imperio, quoties diligens eius cura ſuſcipitur, labores non deeſſe: cumq; ſua fortuna & ſorte, quam Deus largitus eſt, quilibet contentus eſſe debeat, alienis curis ſe immiſcere, niſi legitime vocatus fuerit, neminem decere. Poſſet aliquis mihi obiicere: Non eſſe cuiquam imputandum, ſi princeps maiorem in eum, quam in cæteros fidem collocans, eius opera vti, cunctaq; reip. negotia curanda vni eidem committere malit; neq; ſapientis eſſe, gratias & opes illas recuſare: quæ à principibus, quorum corda in

[g] *Dion. l. 52.*

[h] *ibid.*

[i] *Lampr. in Seuero.*

manu Dei ſunt, prouenientes, ex manu ipſius Dei promanare videntur. Ego vero aliquando rem, etſi leuiuſculam, tamen argumento noſtro congruentem audiui: Aduenienti Florentiam Leoni Pontifici texiſſe latus ciuem quendam Florentinum, quem Pontifex, dum interrogaret, cuius eſſent villæ, quas paſſim equitando aſpiciebat, ciuem illum tali promptitudine, ac ſi paterna rura forent, ſingularum villarum ac poſſeſſionum dominos (ſæpius tamen falſos) enarraiſſe. Alius ſermones illos exaudiens, obſeruabat, eundem Pontificis comitem ſplendida mendacia effutientem, & admirabatur: cum vero propter obuios magiſtratus tandem Papæ latus reliquiſſet, non potuit ſe aliter continere, quin alterum interrogaret, Quo pacto auſus fuiſſet, tam audacter firmoque vultu coram Pontifice tot mendacia comminiſci: cui mendax ille, Volebasne, inquit, ſtolide, vt Papa, me demiſſo, alium accerſiuiſſet, à quo de villis illis edoceretur? ego vero interim à comitatu, quo videbar arctis ſermonibus detineri, & ab honore illo exciderem? Igitur ſi vera fateri volumus, cum parum referre videatur, an villa huius, vel illius ſit, fortaſſe ciuis peccatum leui reprehenſione, non graui ſupplicio corrigendum fuit. Verum in grauioribus decipere principem, qui decipienti credit, ideoque decipere, ne ad alienum conſilium, auxilium, ſcientiamque confugiat, vnde plurimorum damnum ſequatur, hoc medius fidius crudeliſſimam & atrocem pœnam meretur, cum probi, magnique viri partes ſint, non tantum in iis, quæ non callet, ſed etiam in iis, quarum alius ipſo ſapientior eſt, peritiorum ſententiæ ſe ſubmittere: quod feciſſe ſcribitur Plato. Qui conductores ſacræ arcis de modo, & forma eius ſecum ſermonem conferre conatos, ad Euclidem geometram ire iuſſit, ſcientiæ eius cedens, imo profeſſioni. [k] Sed illud ad hanc rem præ cæteris admirabile eſt exemplum, quod Q. Sceuola legum clariſſimus, ac certiſſimus vates, quotieſcunque de iure prædiatorio conſulebatur, ad Furium, & Ceſellium, qui huic ſcientiæ dediti erant, conſultores reiiciebat. [l] Igitur ſi in cuiuslibet artis profeſſione maxima partium eiuſdem eſt diſcrepantia, & celeberrimus iuriſconſultus, qui in tota illa ſcientia mirifice excellebat, ceſſit alteri, qui particulatim excelluit; quanto magis Iuriſta Theologo, quoties de re theologica agitur, ſicque Theologus in rebus politicis politico cedere debet, imo à ſingulis edíſcere, quæ ad cuiuſquam ſcientias pertinent: nam dixit poeta:

Artibus ornamur variis, non omnia ſolus
Vnus habet, valet hic conſilio, ille manu.
Hic pulſat citharam, ille canit; ruit alter in hoſtes;
Munere ſic vario ſydera quemq; beant.

Sed quis melius Apoſtolo, dum oſtendit, diuinitus alium ſortiri donum prophetiæ, alium linguarum cognitionem, alium diſcretionem ſpirituum, alium ſermonum interpretationẽ? Agedum, ſi eiuſmodi reſpectus neceſſario habendi ſunt, nonne ſummum flagitium, & inhoneſtas eſt, vt ſtupidus cubicularius, qui principi ſuo nullam egregiam operam præſtitit (niſi forte induſium porrexerit, aut

k *Val. Max. l. 8. c. 13.*

l *ibid.*

calceos

calceos induerit) impudenter velit de arte bellica conſulere plerumque coram miſero aliquo milite, qui multos annos iaculis & tormentorum periculis expoſitus fuerit? Igitur debet vnuſquiſq; intra cancellos artis, cuius gnarus eſt, ſe continere. Et princeps ille ſapientia pollebit, qui & propter ſuam gloriam miniſtros prudenter eligendo, & propter ſubditorum commodũ multis imperii ſui administrationem cõmittendo, vnum tanquam idolum ſibi non conſtituerit: Sed eo pacto aſſueſcens ſe ipſum, vt magis rationi, quam affectibus obſequatur, non gratioſiori, aut nobiliori, aut ditiori, aut pulchriori, ſed doctioribus, & aptioribus ordinatim reip. gubernationem commiſerit: quo inſtituto diuinam etiam prouidentiam imitabitur. Qui etſi pro ſapientia ſua vt nutu hanc mundi machinam creauit, ſic eam regere poteſt: nihilominus quo ſuam felicitatem, ac potentiam pluribus communicet, multas ſecundas cauſas, quibus vniuerſum conſeruetur, ac regatur, conſtituit & ordinauit.

De fraudibus, quæ contra leges committuntur.

DISCVRSVS II.

VEriſſimum eſt prouerbium illud, ſimulatq; lex promulgata eſt, ſtatim fraudẽ inuentam eſſe. Sic Romanorum tempore cum promulgata fuiſſet lex contra orbitatẽ, & in eorum fauorem, qui filios haberẽt, percrebuerat prauiſſimus mos, vt pleriq; orbi fictis adoptionibus adſciſcerent filios, præturaſque & prouincias inter patres ſortiti, ſtatim emitterent manu, quos adoptauerant. Contra quam fraudem, cum deprehenſa fuiſſet, magnæ lamentationes in Senatu factæ ſunt, vbi huiuſmodi fraudatores vocati fuerunt *ſine ſollicitudine parentes, ſine luctu orbi, qui in ludibrium legem verterent: ideo factum S. C. ne ſimulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret.* [a] Tempore Damaſi ſimiliter ſeſe gerebant Epiſcopi, dum gubernandi gregis onus detrectantes, committebãt oues ſuas coadiutoribus, qui corepiſcopi nuncupabantur, vnde ab optimo illo pontifice abrogati meretricibus aſſimilantur, quæ, vt carnalibus deſideriis ſuis citius ſatisfacere poſſint, poſt puerperium, nullam temporis intercapedinem admiſcebant ad partus ſuos nutricibus commendandos: ita ipſi ſpiritualem curam deponere quamprimũ curabãt, vt temporalibus voluptatibus locum dare poſſent. [b] Sanctiſſimũ Tridentinum Conciliũ cum proſpiceret, regreſſuum abuſu Epiſcopatus, & ſacerdotia cętera in quibuſdam familiis æterna fieri, regreſſus, vt rẽ mali exẽpli ſuſtulit, [c] exinde cognitũ fuit, reuerendos illos Patres ſanctiſſime decreuiſſe, cũ minime deceat, vt bona Eccleſiaſtica fiant hæreditaria. Verũ temporibus noſtris altera cõſuetudo cõtra ſanctiſſimam hanc legem inualuit, vt poſtq̃ aliquis, quo tẽpore libuerit, Epiſcopatum aliquem poſſederit; illũ alteri cedat, ſibiq; fructib. quaſi æquiualentem penſionem reſeruet, vnde plura mala naſcuntur, præſertim quod ipſe perfruitur commodo illius ponderis, quod iam depoſuit: qui vero onus fert,

[a] lib. 5.

[b] epiſt. 4.

[c] ſeſſ. 25. c. 7.

nonnunquam cogitur, quo penſionem ſoluat, ouiculas deglubere, nō tondere. Et Epiſcopatus, inſtar munerum temporalium, dantur non iis, qui dignitatem merentur, ſed iis, qui ambitu & fautoribus contenderunt. Contra quem abuſum ſatis illuſtre remedii principium elucet ex diligenti examinatione, quam præſens pontifex Clemens VIII. inſtituit, qua ſcilicet illorum, qui ad Epiſcopatus promouendi ſunt, ſcientia trutinatur. Hæc autem examinatio ſi ab Epiſcopatibus, nullis penſionibus obnoxiis, pleroſq; arcet, multo magis frenos iniiciet iis, qui non obſtantibus grauiſſimis penſionibus Epiſcopatuum munera procurant. Et profecto optimi principis partes ſunt, vt quam maxime poſſunt, opportunis remediis occurrant fraudibus, quæ contra leges fiunt. Contra quas altera hæc fraus erat, quod cum ad dignitatem Epiſcopalem nemo, niſi in theologia, vel canonib. aut doctor ſit, aut ſaltē licentiatus, aſſumi poſſit, [d] haud ignoramus, pleroſq; non modo ſine theologiæ, vel alterius facultatis cognitione, ſed vix latinam linguam callentes, vna nocte doctores creatos, & Epiſcopatum conſecutos fuiſſe. In priſca repub. C. Licinius Stolo legem tulit, vt nemini in ciuitate plus quam quingenta iugera poſſidere liceret: quoniam vero ipſe mille iugera poſſidebat, filium ſuum emancipauit, vt cum ſinguli quingenta non mille poſſiderent, legem ſubterfugerent. Sed M. Popilius Lænas Conſul pecuniaria ſumma eū damnauit, *quia emancipando filio fraudem legi feciſſet.* [e] Temporibus noſtris Neapoli titulorum ambitio adeo creuit, vt omnes Ducis, aut Marchionis titulo inſigniri percupiant: at quoniam rex hoc illibenter concedit, niſi reditus dignitatis capax appareat, vt apud Romanos cenſus viros diſtinguebat; quicunque inter Proceres connumerari ambit, is emit, aut poſſidet oppidum, vel ciuitatem, cuius reditibus titulus reſpondeat, ſed interim multum æs alienum clam paſcit, quod latet, ne dignitati Marchionali, aut Ducali, ad quam adſpirat, impedimentum afferat. Igitur Principes caute cauere debent, non tantum vt optimas leges ſanciant, ſed etiam ne contra latas leges ad ipſarum deſtructionem aliqua fraus exſurgat. Sed quænam vituperatio debetur iis, qui legum cuſtodes, primi contra ipſas peccant? vt Tiberius, qui cum inueniſſet, virgines ſupplicio affici non poſſe; ne lex violaretur, iuſſit, vt *à carnifice laqueum iuxta comprimeretur: ex in obliſis faucibus in Gemonias abiiceretur.* [f] Vnde alibi non ſine ratione à Tacito dictus eſt *callidus, & noui iuris repertor*: Nam quia vetere ſenatuſconſulto ſeruorum quæſtio in caput domini prohibebatur, actori publico iuſſit, vt ſingulos ſeruos Libonis maieſtatis rei manciparet, ne contra dominum inquirendo, S.C. violaretur.[g]

[d] *Seſſ. 22. c. 2.*

[e] *Liu. l. 7.*

[f] *Tac. l. 5.*

[g] *lib pr.*

De neceſſitate ac difficultate conſilii.

DISCVRSVS III.

NEro, cum res in Armenia geſtas intellexiſſet, primores ciuitatis in conſilium vocauit, *conſuluitque inter ipſos, bellum anceps, an pax in hoſte placeret*, neq; vlla

fuit

fuit inter eos diſſenſio, quin bellum protrahendum.[a] Hic locus nobis commoditatem præſtat, vt de conſilio nonnihil diſſertemus. Nam etſi principi expedire maxime videtur, vt conſilium capiat, nihilominus in eodem capiendo conſilio tot ex parte cum dantis, tum accipientis ſui natura difficultates attenduntur, vt, in eo multa dexteritate opus eſſe, non dubitē. Plato inquit, difficilem eſſe rem conſulere; quia bonum conſultorem oportet, ſcire, velle, & audere. Quæ res ſimul iunctæ difficile apud vnum hominem reperiuntur: Nam conceſſo, aliquem ſcire, idem aliquando non vult, cumque vult, ſæpe non audet, & multoties inuenitur, qui vult, & audet, ſed idem neſcit conſulere. Conſilium ex parte dantis, etiam pro beneficio eius, cui datur, periculoſum eſt; vt accidit Crœſo, qui propter bonum conſilium, ſi vitam ſeruare voluit, ab irato Cambyſe fugere neceſſe habuit.[b] Contingit etiam haud raro, cum euenta conſilio non reſpondent, vt princeps conſiliario iraſcatur; quemadmodum ſuperioribus annis accidit Amurathi Turcarum Imperatori contra Muſtafa Baſſam, qui Cyprum inſulam cepit. Ab hoc enim conſultus, vt contra Perſas arma caperet, eiuſque belli ſumma eidem Muſtafa commiſſa, quia biennio Domini deſiderium aduerſus hoſtes non impleſſet; Conſtantinopolim reuocatus, generalatu priuatus, neq; ad eminentiam primi Viſirii, quæ propter mortem Agamath legitime ad ipſum pertinebat, admiſſus eſt. Periculoſum ſimiliter conſilium eſt, ex parte illud accipientis, quia ſub tegumēto, ac prętextu boni in ſummas poteſt miſerias præcipitari. Quo caſu mirabile eſt, ac propemodum ſingulare conſilium, quod Diotiſalui Neronius Petro Medicæo dedit: Nam dum ei oſtendebat, neceſſe eſſe, quo rebus ſuis conſuleret, vt pecuniam, quam pater Coſmus multis ciuibus commodauerat, exigeret; eo adducebat illum, vt totam illam nominis maieſtatem amitteret, quæ ſi non apparenter, tamen reipſa domum ſuam totius Etruriæ arbitram, ac moderatricem effecerat. Haud abſimile fuit conſilium illud, quod Veneti iuniori Petro Medices alterius Petri nepoti dederunt, cum, ne in poteſtatem regis Galliæ ſe traderet exhortantes.[c] Quo caſu, vt Guicciardinus prudenter narrat, Veneti magis ſe ipſos, quam Petrum conſuluerunt: & eo loci feliciter autor diſſerens de conſiliō, probat, Quicunq; conſiliū petere cogitur, apud eū conſilii neceſſitatē, & periculum pari paſſu ambulare. Adeo vt qui ad alienū conſilium capeſſendum confugiunt, ſimiles iis mihi videantur eſſe, qui neceſſitatis cauſa ſe mari committunt: Hi enim captum nauigandi conſilium tantum laudare poſſunt, quantum iter illis proſperum, ſiue infauſtum euenturum ſit. Ergo fugiendumne eſt conſilium? Hoc ego neutiquam affirmauerim: quia plus quatuor, quam duos oculos videre, certum eſt, & ne Hercules quidē contra duos: at fortaſſe non inutile fuerit tentare, an aliquod vtile monitum cum iis, qui dant, tum iis, qui capiunt conſilium, afferri poſſit. Et quia reperiuntur nonnulli, qui, ſi ad conſilium alienum confugerint, dubitent, ne inſcitiæ condemnentur, dico; à ſapiente principe conſilium non eſſe recuſandum. Etenim dum ex pluribus conſiliis melius eligit, eam prudentiam præ ſefert, vt omnem ignorantiæ ſuſpicionem remoueat, præ-

[a] lib. 15.

[b] Herod. lib. 3.

[c] lib. 1.

terquam quod ſapiẽtes in iis rebus, quæ recte examinata ſibi probantur, homunculorum interpretationes flocciſaciũt. Præterea tibi dico; Non eſſe inter ignorãtes collocandum, qui ſuam ipſius ignorantiam cognoſcens, ad alienam peritiam confugit: ſed vere ignorans eſt, qui ſe ſcire ſibi perſuadens, ſuo conſilio regi mauult. Videtur quibuſdam, vbi conſilium acceperint, neceſſarium eſſe, iuxta acceptum conſilium agere: ſed magnanimi principes hoc timore immunes ſunt, quia Parmenioni, qui dixerat, Si eſſet Alexander, accepturum ſe conditiones, quas Darius offerebat, ſtatim Alexander reſpondit, *Et ego, ſi eſſem Parmenio.* [d] Illud quidem peccatum puto maximum, quoties plurium congregato conſilio, princeps minus prudentium opinionem prudentioribus anteponit, quemadmodum fecit Otho, qui prudentiſſimum Suetonii Paulini ſermonem contemnens, cui Paulino adſtipulabãtur Marius Celſus, & Annius Gallus, ambo militares homines; maluit fratris ſui Titiani, & Proculi prætoriæ cohortis præfecti, hominum militiæ inexpertorũ, conſilio auſcultare.[e] Deterius illi peccãt, qui auditis optimis conſiliis, quod fecit Pætus, contrarium agunt, ne alienæ ſapientię indigere videãtur. Igitur ad conſilium accedendum eſt indeliberato animo, quia in mente affectibus obnoxia conſilium locũ non habet. Proinde nonnulli cenſuerunt, eos imitandos opifices eſſe, qui pelles odoriferas faciunt; ii ſiquidem antequam ſuauia vnguenta apponant, id curant, vt pelles omni odore careant. Et quemadmodum febre durante remedia omittuntur, ſic durante iracundia, nullum conſilium exequendum eſt. Vultne princeps bonum à malo conſiliarium diſcernere? animaduertat, *an qui ſuadet, adiiciat conſilio periculum ſuum, an id conſulenti vtile ſit, an principi, & cui ſummum decus acquiratur:* Hoc pacto rariſſime falletur. Hoc Mutianus coram Veſpaſiano diſſeruit, cum ad imperium occupandum eum animaret, quia ſi conſilium exitus non comprobauiſſet, in pari vitæ diſcrimine vterq; fuiſſet: at ſi ſucceſſiſſet, ſummum decus, & imperium Veſpaſianus, non Mutianus acquiſiuiſſet.[f] Quiſquis conſulit, ad plura ſimiliter reſpicere debet: Nam dum conſulitur ei, qui ſua ſapientia, ſuiſque viribus aliquid efficere tenetur, magis reſpiciendum eſt, quod ille ſuæ ſapientiæ modulo, ſuiſque viribus efficere poteſt, quam quod reuera conſulendum foret. Præterea magnam arrogantiæ ſuſpicionem auget, quiſquis non vocatus ſentẽtiam ſuam interponit: ſed ille melior, ac prudentior eſt, qui neceſſitatẽ adſpiciens, conſulit, quaſi aliud agat, neq; intendat conſulere. Et recte alibi quiſpiam in hac materia diſſerit, oſtendens, quod pericula ſubeat, quiſquis in aliquo conſilio præcipuum ſe, & anteſignanum præſtat, & quo res illa inuſitatior, maioriſq; momenti, eo periculoſiorẽ eſſe. Vt autem hæc pericula fugiantur, docet, quo pacto modeſte ſua opinio dicenda ſit, quo princeps quaſi liber non coactus tuam illam ſententiam amplectatur.[g] Cui rei quemadmodum non repugnabo, ſic opinor, vrgentibus rebus ſententiam ſuam ſine ambiguitate, & viuide proferendam eſſe, quia pro principis, patriæq; beneficio vitam etiam, in talibus caſibus, prodigere operæpretium eſt. Quod ſi vita adeo tibi chara eſt, vt eam periclitari nolis, ſi ſapueris, non de-

d *Plut in Alex.*

e *Tac. lib. 18.*

f *Tac. lib. 18.*

g *lib. 5. c. 15.*

erunt tibi ad ſalutem ſubſidia, memori præſertim prudentiſſimæ Solonis ſagacitatis. Quandoquidem cum inter Athenienſes, & Megarenſes propter Salaminiam inſulam, aſperrima, & periculoſa bella fuiſſent, Athenis lata fuit lex, ne ſub capitis pœna de Salamonia recuperanda quiſquam referre auderet: Solon autem, cum perſpiceret ſilentio ſuo maximum patriæ damnum inferri, & altera parte ſi locutus fuiſſet, morte mulctandum eſſe, inſaniam ſimulauit: quo ſtatu & dicere, & facere quæcunque cæteris vetita cuilibet licet. Igitur progreſſus in publicum habitu, geſtu, modis ſimulatæ ſtultitiæ reſpondentibus, factoque concurſu hominum, quo magis conſilium diſſimularet, inſolitis ſibi verſibus, ſuadere populo cepit, quod vetabatur; omniumque animos ita commouit, vt extēplo bellum aduerſus Megarenſes decerneretur, inſulaq; deuictis hoſtibus Athenienſiū fieret.[b] Inuenitur genus quoddam hominū alto ingenio præditorū (imo huiuſmodi homines in hūc ſæpius errorē impingūt) quib. nihil perplacet; omnium ſententiis ſe interponunt, in omnibus etiam optimis conſiliis impedimentum, quod eos angat, inueniunt; in ſumma ne verbum quidem facere licet, quod iis probetur. Hi propter difficilem morum naturam hunc fructum conſequuntur, vt iis adueniente conſulendi neceſſitate, licet mature, prudenterque conſulentibus, non credatur: adeo ſinixtram de ſe opinionem, contradicendi ſtudio, apud omnes conciliauerunt, adeoque etiam in rebus, quæ tibi profuturæ ſunt, illis ſatisfacere moleſtum eſt. Caius Caſſius docuit, quam procul ab hoc vitio eſſe debeant ii, ad quos pertinet conſilium dare: is enim autoritatis ſeruandæ cauſa nunquam non contradicebat, de quo autor, *ſimul quidquid hoc in nobis autoritatis eſt, crebris contradictionibus deſtruendum non exiſtimabam, vt maneret integrum, ſi quando reſpublica conſiliis eguiſſet.*[i] Prudenter ſcripſit quidam, maximum lucrum eſſe bonum conſilium: quia ſi male res ſucceſſerit, omnino tamen bene conſuluit, ſed fortuna conſilio ſuperior extitit; ſed qui male conſuluit, & bene ſucceſſit, adhuc male conſuluiſſe ſibi videbitur, [k] ſubiungitque, non poſſe melius conſilium eligi, niſi plures afferantur opiniones, quia cum vnum conſilium dicitur, ſolum illud capiendum eſt, ſed cum plura afferuntur, tunc tanquam propoſito auro, quod eſt purius, eligitur: quod cum bene cognoſci totum nequeat, tunc optime dignoſcitur, quando cum alio comparatur: ſed ante omnia *nullus cunctationi locus in eo conſilio, quod non poteſt laudari, niſi peractum.*[l] Neq; illud, *vbi perniciosior eſt quies, quam temeritas.* Quod ſi conſilia renuis, ſaltem libros lege: ſin legere piget, ſapientes audi, & ſenis conſilium iuuenili vt plurimum præfer: quia ſemper ſenex, niſi omnino delirus ſit, iuuenis ſententiam excellet. Et ſatis bene conſulit, qui principi conſilium dare non audens, aliorum honeſta facta coram eo laudat, vel mala vituperat.

Et de conſilio tot dicta ſufficiant.

[b] Iuſtin. l. 2. & Diog. Laert.

[i] lib. 14.

[k] Herod. lib. 7.

[l] Tac. l. 17.

De nonnullis ad legatorum munus pertinentibus.

DISCVRSVS IV.

LEgati Parthorum Romam ad Neronem mandata regis Vologeſis, literaſq aliquando attulerunt, quibus ſignificabatur, *Non recuſaturum Tiridatem Vo logeſis fratrem accipiendo diademati in vrbem venire, niſi ſacerdotii religione attine rentur; iturum tamen ad ſigna, & effigies principis, vbi legionibus coram regnum auſpica retur.* Tum Nero, cum audiuiſſet, Vologeſem iam occupauiſſe Armeniam, il ludque petere, quod eripuerat, conſuluit inter primores ciuitatis bellum anceps an pax in hoſte placeret: Nec dubitatum de bello: legati vero irriti remittun tur, *cum donis tamen; vnde ſpes fieret non fruſtra eadem oraturum Tiridatem, ſi pre ces ipſe attuliſſet.* [a] Ex quo loco nonnulla ad legatos pertinentia ab antiqu autoribus collecta diſſerere, animus eſt. Primo quidem, cum legatos humanite honeſteq; tractandos eſſe, iam profeſſus fuerim, addo, hoc agendum eſſe, tamet ſi contra illos, qui ipſos legatos miſerunt, infeſto animo ſimus, quemadmodum ſuperius oſtenſum eſt, Romanos feciſſe erga Ætolorum legatos. [b] Non idem fe cit Perſeus: qui Romanorum legatos aduentátes, aut apud ſe commorantes nul lo humanitatis genere tractauit. [c] Et illa forſan altera fuit ex cauſis, cur Popu lus R. ira concitatus, ipſum regno priuauerit. Idcirco omni cautione animad uertendum eſt, ne aliqua iniuria iis inferatur. In quem errorem turpiter cecid Anon, dum legatis Dauidis, à quo miſſi fuerant, vt eum de morte patris ſui Naa conſolarentur, *dimidiam partem barbæ eorum raſit, & præſcidit veſtes eorum media vſq; ad nates, & dimiſit eos.* [d] Eſt enim antiquo gentium iure prærogatiua legato rum inuiolabilis. Proinde cum de periculo Planci, qui à Tiberio ad legione Germaniæ tumultuantes legatus miſſus fuerat, ſermo haberetur, Tacitus ſcelu illud, & periculum auget verbis illis, *rarum etiam inter hoſtes, vt legatus Populi Rom Romanis in caſtris ſanguine ſuo altaria Deûm commaculauiſſet.* [e] Idem fere in bell ciuilibus, quæ inter Vitellium & Veſpaſianum geſta fuerunt, accidit Arulen Ruſtico, qui niſi præſidio militum defenſus fuiſſet, legationis etiam barbaris gê tibus ſacrum ius ante patriæ muros ciuili rabie violatum foret. [f] Sic Cæſar lega torum nomen apud omnes peræq; nationes ſanctum & inuiolatum appellat. Sed idem Cæſar, quanquam clemētiſſimus, Venetorum Senatum, qui ſe ei dedi derant, trucidari iuſſit, vt poſthac barbari ius gentium vereri diſcerent. [h] Igitu legati lædendi non ſunt, quia præter iuſtitiam nimiæ crudelitatis eſt contra illos qui iniurias vlciſci nequeunt, & quibuſcum ratione diſputandum eſt, ſicuti ar mis aduerſus hoſtes, ſæuitiem exercere. Quod ſi fortuna effecerit, vt tu, qui prid domi tuæ legatum inhumaniter tractaſti, in prælio vincaris ab hoſte (quemad modum Tarentini, qui Romanos oratores in ſua ciuitate inhoneſte habue rant, [i] in campo, qui communis erat, prælio victi ſunt) fies præter cætera da

[a] lib. 15.
[b] lib. 5. diſc. 9.
[c] Liu. lib. 42.
[d] 2. Reg. c. 10.
[e] lib. 1.
[f] lib 19.
[g] lib. 3. de bello Gall.
[h] ibid.
[i]

mn

mna vulgi fabula, & ludibrium, quamquam Romana magnanimitas Tarentinis pacem, & libertatem largita eſt.[k] Romanorum facta, antequam opibus deliciiſque corrumperentur, legi non poſſunt, quin legentes in admirationem iuſtitiæ, bonitatis, ac virtutis ipſorum rapiantur. Quoniam vero inter bonos nunquam non mali commiſcentur; cum Apolloniatum legati Romam veniſſent, non defuerunt, qui animo magis Tarentino, quam Romano legatos violauerunt: ſed populus Romanus iuſtiſſimo remedio Apolloniatibus omnes eos, qui ipſorum legatos læſerant, tradiderunt.[l] Hæc principibus ſtudioſe legenda, memoriæque mandanda, &, cum opus eſt, efficienda ſunt, ſi de actionibus ſuis vtilitatem, ſecuritatem, gloriam reportare percupiunt. Dicet aliquis: ergo quid agendum cum legatis eorum, qui hoſtes ſunt, quibusve nullo pacto pacem concedere volumus? Ex tua ciuitate illæſi dimittendi ſunt, vt Romani Perſei legatos dimiſerunt; quibus vndecim dierum tempus, quo Italia excederent, aſſignatum fuit, additumque, ſi quid iis poſthac opus eſſet, cum P. Licinio Conſule agerent, qui breui in Macedoniam cum exercitu profecturus eſſet, & nemini in poſterum in Italiam reuerti liceret; comiteſque adiuncti, qui eoſdem, quouſque in nauim aſcenderent, comitarentur.[m] In legatis ſuſcipiendis adeo circumſpecti fuerunt Romani, vt, (quod fortaſſe vnicum eſt in hoc argumento exemplum) cum in vrbe rebellionem ſuſcitare Tarquinii regis legati tentauiſſent, *quamquam viſi fuerint, commiſiſſe, vt hoſtium loco eſſent, ius tamen gentium valuerit.*[n] Cum de hoc ſatis dictum ſit, reliquum eſt, vt oſtendamus; primam eius, qui legatos mittit, cogitationem eſſe debere, vt accuratiſſime diſpiciat, qui ſint, qui mittuntur, & qui ii, ad quos mittuntur: quæ res maximi eſt momenti, & circa quam ſæpe erratur, vt olim Tarentini; qui dum Romani, & Samnites iamiam prælia turi eſſent, vtriſque legatos miſerunt, ſignificantes, vt bello ceſſarent, alioquin fore, vt Tarentini contra eos, qui prælium vellent, arma cum alterutris coniungerent. Papirius, ad quem delata fuerat legatio, quaſi dictis illorum commotus, ſe cum collega ſuo conſulturum, reſpondit: Interim aciem ſtrui, & cuncta ad prælium ſacra, & profana de more parari iuſſit: Legati reſponſum expectabant, quibus, *Tarentini mei*, inquit Papirius, *omnia ex voto ſuccedunt, auſpicia optima, victimæ res lætas promittunt; iam, vt cernitis, manum conſerere vadimus:* ſubdit Liuius, *vaniſſimam increpans gentem, quæ ſuarum impotens rerum pro domeſticis ſeditionibus, diſcordiiſque aliis modum pacis, ac belli facere æquum cenſeret.*[o] Vix leuius fuit peccatum Arpali; qui Perſei legatus in Senatu Romano dixerat, Malle regem, vt ſuis excuſationibus fides adhiberetur; at ſi obſtinatis animis belli occaſio quæreretur, regem forti animo ſe, ſuaque defenſurum: *cuius ferocitas*, inquit Liuius, *patrum animos exacerbauit.*[p] Sic etiam indignati ſunt Ætolis, quorum arrogantes legati beneficia in Romanos collata exprobrauerant, cum reconciliatione magis indigerent.[q] Quos errores certe non committeret, qui ſe ipſum, vireſque ſuas, & eius, qui cum tractat, metiretur.

[k] Liu. l. 15.

[l] Liu. l. 15.

[m] Liu. l. 42.

[n] lib. 2.

[o] Liu. l. 9.

[p] lib. 42.

[q] Liu. l. 37.

Quod ſi C. Pictauius Antiochum circulo delineato adſtrinxit, ne exiret prius, quam ſuam erga Romanos voluntatem declararet, [r] ſignum fuit, cum optime calluiſſe, à quo veniſſet, & ad quem miſſus eſſet: quamquam putarim, hoc legati conſilium magis, quã Senatus mandatũ fuiſſe. Cuius Senatus natura, moſq; erat, verbis manſuetudinẽ ac moderationẽ præ ſe ferre, neq; vnquam ad minas haſce deuenire, niſi laceſſeretur. Igitur tenuiores cũ potentiorib. non obliuiſcantur ſic agere, vt decet; maxime quia facile eſt, quicquid in buccam venerit, tũc effutire, cũ ſcitur, nullam pœnã dicacibus paratam fore: ſed conſiderandum eſt, an verbis opera reſponſura ſint. Neq; tãtum in hoc ſagaces eos eſſe oportet, ſed in plerisq; aliis rebus: præcipue ad potentiores principes, cum opus eſt homines mittant, & nobilitate, & virtute præclaros. Nam quamuis tam nobilis, quam ignobilis perſonam illius, qui eum mittit, ſuſtineat: nihilominus magni principes, qui ſingula minutatim obſeruant, indignantur, quoties ad ipſos viri præclari non mittuntur.

[r] Plin. l. 34. c. 1.

Quam rem Annibal Scipionem alloquẽs innuit, ſibi incognitã non eſſe: nam ſciebat antiquiores Rom. propter legatorũ indignitatẽ Carthaginẽſibus pacem denegauiſſe, vnde ſubiungit, *Annibal peto pacẽ*: [ſ] Neq; hæc incogitãter dixit: nam cum iis temporibus Carthaginenſes Romam legatos pacis cauſa miſiſſent, inquit Liuius, *eorum ætatibus, dignitatibusq; conſpectis (nam longe primi ciuitatis erant) tum pro ſe quiſq; dicere, vere de pace agi.* [t] Et Iugurtha cum à Populo R. legatos, viros graues, nobiles, in maximis muneribus exercitatos, ad ſe miſſos eſſe, audiuit, vehemẽter extimuit. [u] Iam anni centum elapſi ſunt, cum Ludouicus XI. Galliæ rex tonſore ſuo magiſtro Oliuerio in legationibus vtebatur: hunc poſt mortem Caroli Burgundiæ Ducis miſerat negotiorum cauſa ad Andegauenſes, prope quorum ciuitatem natus erat; ideoq; cum omnibus indigenis ignobilitas eius exploratiſſima foret, etſi titulo Comitis Onculani frueretur, non ſolum Andegauenſibus legatio minus accepta fuit, neq; quod regi placeret, quidquã conſecutus eſt, ſed irriſus, ludibrioq; habitus fuit; creditq; pro re comperta Cominęus, niſi inde, quemadmodum clam ab amico pręmonitus fuit, effugiſſet, in flumen illum proiiciendum fuiſſe.

[ſ] Liu. l. 30.
[t] lib. 30.
[u] Sall. de bell. Iug.

Igitur mirandum non eſt, ad hæc reſpicientem Heluidium Priſcum, in Senatu contra Marcellum diſputauiſſe, *pertinere ad Veſpaſiani honorem, occurrere illi, quos innocentiſſimos Senatus habeat; qui honeſtis ſermonibus aures Imperatoris imbuant.* [x] Ipſique Romani timentes, ne Conſul iis in quadam honeſta petitione ſatisfaceret, ad ipſum miſerunt conſularẽ virum, *qui ſua quoq; eum, non publica ſolũ autoritate mouerent.* [y] Et eiuſmodi aliquãdo eſt ipſiuſmet legati autoritas, vt quod eorũ cauſa, qui eum miſerunt, principes nõ efficerẽt, haud raro in gratiã eius, qui miſſus eſt, efficiant; vt Alexander: Qui cum antea noluiſſet Athenienſiũ decretũ accipere, imo illud proieciſſet, mox perhumaniter ſuſcepit, cum à Phocione allatum fuit. [z]

[x] Tac. l. 20.
[y] Liu. lib. 9.
[z] Plut. in Phoc.

Neque

Neque minores ſunt reſpectus, & rationes, quæ inter pares habendæ ſunt: Nam quemadmodum minoris eſt maioribus cedere, ſic paris principis ad parem legatus principis ſui autoritatem reſpicere, & ſartam tectam tueri debet. Quandoquidem etſi res magnæ magis factis, quam verbis decidũtur: nihilominus ex verbis vel cum magnitudine animi, vel humiliter prolatis, natura eius, à quo manãt, cognoſcitur, & declaratur, & clarum aut timoris, ac ſecuritatis alienæ ſpecimen præbent.

Craſſus libero cuidam Parthorum legatorum ſermoni ſuccenſens, generoſe reſpondit, *Ad ea Seleuciæ ſe reſponſum daturum.* Tunc Vagiſes legatorum digniſſimus ridens, oſtenſa manus vola: *Hinc prius*, inquit, Craſſe, *pili exorientur, quam tu aſpicias Seleuciam.* [a] Hæc vola memoriam mihi refricat Carthaginenſium legati cuiuſdam ad Andromachum in Taurominia ſuæ reipublicæ principem: is Andromacho ſignificauit, niſi è littoribus ſuis Corinthiorum claſſem dimitteret, fore, vt Carthaginenſes ciuitatem illam ſubuerterent; vtque nutibus hanc ſubuerſionem melius explicaret, cum hæc diceret, volam manus vertebat, & inuertebat. [b] Hoc eſt, quod dicitur, alternis cantare. Nemo neſcit, duabus in rebus totam hominis virtutem cognoſci, in dicendo, in faciendo.

[a] Plut. in Craſ.

[b] Plut. in Tim.

Idcirco mirandum non eſt, ſi legati munus, quod non niſi in dicendo, perinde vt ducis partes ſunt in faciendo, extenditur; hac in parte ſummo ſtudio atque induſtria impleri debet, & nuſquam ſuperſtitioſius, & attentius hæc minutiora, quam in hoc hominum genere, attenduntur. Etenim reges, & principes raro ad colloquia deueniunt, ſed ſæpenumero per legatos ſeſe inuiſunt. Cum ad Romanos legati Antiochi regis veniſſent, vbi eos humaniter ſuſcepiſſent, L. Quintio iuſſerunt, vt illos attentius audiret, ipſiſq; reſponderet, *quæ ex dignitate atq; vtilitate populi R. responderi poſſent.* [c] Vbi videtur Romanos nõ minoris dignitatem, quam vtilitatem feciſſe. Quamobrem cum aliquando legati Romani cum Perſeo colloquium habituri eſſent, narrat Liuius, inceſſiſſe curam mortalibus videndi congrediẽtes, nobilem regem, & populi principis terrarum omnium, legatos. Neq; putet quiſpiam, aut Hiſpanos, aut quamlibet nationem in cerimoniis (vt dicitur) doctiorem eſſe, quam Romani fuerunt, non minus armis illuſtres, quam rerum omnium, quæ ad maieſtatem retinẽdam, & ad cerimonias pertinerent, ſcientiſſimi. Dirimebat regem, & legatos flumen, prima contẽtio fuit, vtri tranſgrederẽtur: ex parte regis allegabatur regia maieſtas: legati autẽ populi R. nomini aliquid exiſtimabãt deberi, & Perſea petiſſe colloquium, itaq; primus tranſiret. Cum vtriq; contarentur, alter legatorum, qui L. Philippus erat, quod nomen patri regis fuerat, ioco, *Minor*, inquit, *ad maiorem, & filius ad patrem transeat.* Ecce quantum legati dexteritas valeat. Tunc facile perſuaſum regi, vt tranſiret, quaſi videretur ætati, & parenti ſuo id tribuere. Sed aliud ad-

[c] lib. 34.

huc ambigebatur. Rex cum omni comitatu tranſire æquum cenſebat: legati vel cum tribus venire iubebant, vel ſi tantum agmen traduceret, obſides daret, nihil fore fraudis in colloquio: Rex Hippiam, & Pantaucum principes amicorum obſides dedit; ſubdit autor, *Nec tam in pignus fidei obſides deſiderati erant, quam vt appareret ſociis, nequaquam ex dignitate pari congredi regem cum legatis.* [d] Igitur dici non poteſt, Romanos apparentem hanc dignitatem prætermiſiſſe, & minoris æſtimaſſe, quam regna ipſa, imo in eam cunctis gentibus diligentiores fuere. Publius Villius legatus à Romanis ad Antiochum iam illum allocutus erat in Apamea, vbi, mortuo regis filio, cum aula tota mœſta degeret, & iuſtitium indictum fuiſſet, legatus, *ne alieno tempore incommodus obſeruaretur, Pergamum ſeceßit.* [e] Quæ res animaduertenda eſt, quia vbi non ſis, qui eſſe debes, non eſt, cur velis eſſe. Hanc tamen nominis dignitatem quouis modo adaugere velle, res eſt barbaricæ plena arrogantiæ, & quæ ſapientibus viris neque probanda, neque imitanda eſt, qualis illa fuit Gurgenſis Epiſcopi, cum minime contentus & palam, & ſecreto cum Pontifice negotia publica agitauiſſe, ſummo faſtu tres Cardinales, quibus cum ageret, à Pontifice deſtinatos adire grauatus eſt, cumque ii ſuos miniſtros tractandi cauſa ad illum miſiſſent, ipſe item tres ex ſuis ad illos remiſit. [f] Quæ res mihi tanto maiori admirationi eſt, quanto minus Iulius II. ingentis animi Pontifex huiuſmodi indignitates perferre vnquam potuit, cum mihi videatur, nullum principem teneri alienam arrogantiam cum ſui indignitate nutrire, vnde Salomon fortaſſe admonuit, *Reſpondendum eſſe ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* [g] Debent legati ſagaces, & prudentes eſſe, neque alienis fallaciis, & decipulis capi. Nam ſicuti in rebus bellicis perſæpe fraude agere permiſſum eſt, ita quicunque cum hoſte agit à verborum inſidiis non omnino tutus videtur: neque damni noſtri ſufficiens excuſatio eſt alienus dolus. Lacedæmoniorum legati Athenienſium Senatui perſuaſerant, reipub. intereſſe, vt quoddam fœdus cum Bœotiis, & Corinthiis feriretur. Quod Alcibiades propter priuata commoda ægre ferens, Lacedæmoniis legatis perſuaſit, vt cum populo Athenienſi non ita libere, ac feruide agerent, prout cum Senatu egiſſent; fore enim, vt plebs in ſuperbiam elata iis, quæ communiter percupiebantur, non conſentiat: ideoque vt maiori plebs inflammaretur deſiderio, frigide rem proponerent, & autoritatem ſuam fœderis paciſcendi prudenter diſſimularent; quia Senatus ipſe populum ad communem vtilitatem diſpoſiturus eſſet. Legati verbis Alcibiadis circumducti conſilium eius executi ſunt, accepto prius iureiurando, hanc tractationem occultam fore. Senatus hac tractandi diuerſitate obſeruata, & occultorũ inter Alcibiadem & legatos conſiliorum ignarus ex altera parte fremebat, populus ex altera iraſcebatur, vnde nõ modo quod legati petebant, effectũ non eſt, vt etiã contrariũ ſucceſſerit: nam Athenienſes cũ Argiuis, Mantinenſibus, Ælcis nouo fœdere iunctLacedæmoniis bellũ intulerunt. [h] Dicet aliquis: has fraudes Græcas eſſe, nimiũq ſubtiles. Reſpõdeo, ideo magis cauẽdas eſſe; memores, nos Italos aliquãdo nõ mi

noribu

[d] lib. 41.
[e] lib. 35.
[f] Guicc. lib. 9.
[g] Prouer. c. 26.
[h] Plut. in Alc.

noribus vſos fraudibus fuiſſe, qualis illa Petri Medices fuit, qui domi ſuæ regis Galliæ abſcondito legato, vnde colloquium audire poſſet, accerſito deinde Ludouici Sforciæ legato, talem cum illo ſermonem inſtituit, vt potuerit legatus Galliæ, quæ Ludouici erga regem voluntas eſſet, facile intelligere. Qui aſtus etſi tunc Italiæ calamitates non diminuit, tamen negari non poteſt, quin ſummo dolo peractus ſit. [i] Legati diligenter memoriæ mandare debent, quibus titulis eos, ad quos miſſi ſunt, appellent, in quo eos mandatis principum obtemperare magis, quam ſuo iudicio fidere par eſt. Idcirco Lacedæmonii legatum quendam puniuerunt, qui Antigonum Demetrii filium regem ſalutauerat, tametſi legatus ille pro quolibet Lacedæmone modium tritici, penurię maximæ tempore, impetrauiſſet. [k] Hæc Lacedæmonum natio perarguta extitit: Cui noſtra ætate Florentini valde aſſimilari poſſunt: proinde & maximi bellatores erant, & aliquando verbis ſe ab aliena inſolentia, ruditate, atque inhumanitate redimebant. Igitur vnus ipſorum cum ad Demetrium legatus eſſet, & miraretur rex (vti ſolent eiuſmodi principes elato animo eſſe) quod vnus tantum ſibi mitteretur legatus, reſpondit ille, *Nempe vnus ad vnum.* [l] Iterum ad Lygdamum tyrannum legati miſſi cum difficile admitterentur, quia malam valetudinem cauſaretur, legati, Deos immortales obteſtantes, reſponderunt, ſe adueniſſe, quo loquerentur cum illo, non vt luctarentur. [m] Inter innumera monita, quæ coaceruari poſſent, ſufficient hæc, quibus legati ad alia ſecum excogitanda prudenter manuducentur: modo ne obliuiſcantur illius, quod alibi diximus; vt nunquam dominis ſuis res perfectas eſſe, ſignificent, cum adhuc aliquid ſupereſt agendum; ſicuti Pętus Neroni literas dedit, *quaſi confecto bello, verbis magnificis, rerum vacuas.* [n] Vnde *Romæ trophæa de Parthis, arcuſq; Capitolini montis medio ſiſtebantur, decreta ab Senatu, integro adhuc bello.* [o]

[i] *Guicc. l. pr.*
[k] *plut. in Aphor. Lacon.*
[l] *ibidem.*
[m] *ibid.*
[n] *Tac. l. 15.*
[o] *ibid.*

Quam dedeceat belli, aliove prætextu Eccleſiaſticam ſupellectilem, vel bona dilapidare.

DISCVRSVS V.

QVoties hiſce diſſertationibus meis de religione antiquorum mentionem feci, nihil reſpexi, niſi vt oſtenderem, quid nos facere deceat, ſi Romani gẽtiles hoc vel illud effeciſſent. Quamobrem ſumma induſtria oppoſui me iis, qui aſſeruerunt, Romanos religione, quaſi artificio quodam propter diuerſos fines vſos fuiſſe. Inde etiam exemplo Romanorum noſtrates admonui, ne ambitionis ſuæ, aut alterius affectus cupiditates ſub religionis velamine abſcondere vellent, rem quippe ſceleratiſſimam facturi. [a] Hoc ipſum modo impellit me, vt eorundem exemplo patefaciam, quantum dedeceat, propter bellicas, aliaſve neceſſitates templorum diuitias deprædari. Nero, vt inhoneſtiſſimis ſuis cupiditatibus

[a] *lib. 3. diſſ. 10.*

morem gereret, deuaſtauerat Italiam, prouincias euerterat, ſocioſq; Populi Ro. & ciuitates, quæ liberæ vocabantur: tandem *in eam prædam etiam Dy ceſſere, ſpoliatis in vrbe templis, egeſtoq; auro, quod triumphis, quod votis omnis Populi Romani ætas proſpere, aut in metu ſacrauerat.* [b] Imo his non contento Nerone, per Aſiam atq; Achaiam non dona tantum, ſed ſimulachra numinum abripiebantur. Poſſet aliquis dicere; hæc nefarie patrata fuiſſe, quia Nero non belli neceſſitate adactus, ſed ſceleratis deſideriis exſtimulatus ad hæc ſacrilegia manum admouerat: at principes grauibus ac periculoſis neceſſitatibus impulſos, excuſandos eſſe, ſi ad ſacrum argentum, & aurum confugiant. Neſcio, an iuſtior cauſa, quam ea, quam Pompeius fouebat, allegari poſſit, cum arma contra Cæſarem reipub. cauſa ſuſcepiſſet. Et nihilominus idem Cæſar cauillandi Pompeium occaſionem non prætermittit iis verbis, *pecunia* è municipiis exiguntur, & è fanis tolluntur, omnia diuina, & humana iura permiſcentur, [c] & alibi, *pecuniam omnem, omniaq; ornamenta ex fano Herculis in oppidum Gades intulit.* [d] Quod autem ſequitur, pulcherrimum eſt: nam Cæſar vt laudem inde, vnde hoſtem vituperat, aucupetur, addit, cum ipſe Gades perueniſſet, pecunias, monumentaq;, quę ex fano Herculis collata erant in priuatam domum, *referri in templum iuſsiſſe.* [e] Conſideret, quiſquis hæc perlegerit, ea non ſcripta fuiſſe ab hiſtorico tantum, ſed à duce, qui de altero duce loquitur, vtriſq; omnium, quotquot ſuperioribus ætatibus fuerant, ducum maximis. In quorum altero hæc probantur, in altero vituperantur. Neq; dicendũ eſt, Cæſarem de hoſte ſuo aliter ſcribere non potuiſſe, quia ſcribens Cæſar ætatis ſuæ hominibus, qui res geſtas optime nouerant, vel maxime cauiſſet ea, quæ tanquã falſa ſibi exprobrari poſſent, conſcribere, præterquam quod cum innumeris gloriæ ornamentis vndequaq; illuſtraretur, falſas laudes emendicare non cogebatur. Sed ad vlteriora pergamus. In iiſdem commentariis bellorum ciuilium narrat, Scipionem antiquos Dianæ Epheſiæ theſauros expilaturũ fuiſſe, niſi à Pompeio, vt cæteris omiſſis cum exercitu adueniret, quia Cæſar transfretabat, vocatus fuiſſet: *Hæc res Epheſiæ pecuniæ ſalutem attulit.* [f] Quodq; ſequitur, deridiculum eſt, T. Ampium, Pompeianum hominem, cogitauiſſe ipſum quoq; hac pecunia vti, iamq; Senatores multos aduocauiſſe, vt coram iis acciperet, ſed Cęſaris victoria præuentum fuiſſe: *ita duobus temporibus Epheſiæ pecuniæ Cæſar auxilium tulit.* [g] Conſueuerũt pleriq; vrgentibus neceſſitatibus dicere, Aliud fieri non poſſe, cõfugiendũ eſſe, ad quæ poſſunt, quia ſalua patria argentum & aurum reponi queunt, ſed amiſſa patria, quidquid ea continet, amitti, neq; vnquam reſtitui. Ego id affirmo; cum aurum deeſſet Romæ, votaq; Delphico Apollini ſoluenda forent, matronas Romanas propria auri ornamenta voti ſoluendi cauſa reip. obtuliſſe. [h] Comperio etiam, cum ad redimendam libertatem precium Gallis exſoluendum eſſet, quo nihil grauius reip. accidere poterat, Senatũ ad matronas confugiſſe, vt ſummã pecunię neceſſariam congregarent, vtq; teſte Liuio, *ſacro auro abſtineretur.* [i] In hęc exempla principes Chriſtiani intueantur: quod ſi vt ea templa & altaria, à quibus Romani in cæca ſua gentilitate abſtinuerunt, in minoribus neceſſitatibus

b lib. 13.

c lib. 1. de bello ciu.

d ibid. l. 2.

e ibid.

f ibid.

g ibid.

h Liu. lib. 5.

i ibidem.

tatibus exſpoliare ſatius eſſe, putant; impiam hanc cupiditatem expleant; in ſummis proſperitatibus ad maius ipſorum ſupplicium iram diuinam experturi, quoniam in aduerſis nullam omnipotẽtis Dei, rerumq; ſacrarum rationẽ habuerint.

In rebus magni momenti libera miniſtris mandata danda eſſe.

DISCVRSVS VI.

TOt ſunt ea, quæ ſecus atq, à nobis cogitata ſunt, contingere conſueuerunt, vt ſi qui iubendi autoritatem obtinet, prudentiæ, iudicioq; eius, cui aliquid mandat, ſe non commiſerit, ſæpe in errorem ſe prolapſum eſſe, comperturus ſit; vt Neroni accidit; cum iuſſit nauarchis, vt certum ad diem in Campaniam redirent, *non exceptis maris caſibus.* [a] Nam gubernatores, vt Neronis mandatis obtemperarent, quamuis ſæuiente pelago à Formiis ſoluerunt, & graui Africo, dũ promontorium Miſeni ſuperare contendunt, Cumanis littoribus impacti, triremium pleraſq;, & minora nauigia paſſim amiſerunt; dumq; nihil referret, an bidui plus, minuſve claſſis, præſertim pacis tempore abeſſet, clades rei nauali accepta eſt, qualem bellum aſperum vix attuliſſet. Tiberius Nerone longe prudentior, Pannonicarum legionum motu intellecto, cum Druſum filium illuc mittẽdum cenſeret, comites addidit illuſtres, reiq; militaris prudentes, cæterum miſit ipſum *nullis certis mandatis, ex re conſulturum.* [b] Sic tempore Claudii (forſan opera eorum, qui ipſum conſulebant) cum in Armenia legatorum culpa turbæ eueniſſent, miſſus illuc fuit cum legione legatus Heluidius Priſcus; *rebus turbidis pro tempore vt conſuleret.* [c] Sed melius, quam Cæſares vigente libertate id Romani obſeruabant. Et Cæſar ipſe in Brittanniam traiecturus Labienum tribus cum legionibus, & duobus millibus equitum in Gallia reliquit diuerſis mandatis, ſed præcipue vt *conſilium pro tempore, & pro re caperet.* [d] Imo reip. Romanorum peculiaris mos fuit, vt in maioribus periculis libera ducibus ſuis mandata iniungerẽt, iudicio atq; virtuti eorum omnia commendantes, iis verbis, *cauerẽt, ne reſp. aliquid detrimenti caperet.* [e] Cæſar, quem ſæpe memorauimus, quoties legatis ſuis aliquid, quod ſummopere cuperet, ac neceſſarium putaret, mandabat, res diuerſas, quæ contingere poſſunt, conſiderans, ſemper addebat, *ſi reip. commodo facere poſſet*; Idemq; cum Labieno paullo poſt effecit, qui cum Cæſari reſpondiſſet, Quod mãdauerat, nimio iacturę periculo faciendũ fore, ab ipſo collaudatur, [f] eidemq; Labieno & Trebonio iterũ ſcripſit, vt ad certum diẽ adeſſent, ſed addito, *ſi reip. commodo facere poſſent.* [g] Hæc omnia non male à quodam autore obſeruata ſunt, qui per hanc occaſionem errorem quarundam rerump. taxat, quæ temporibus ſuis omnium rerum deliberationem ſibi reſeruabant, etiam cum ageretur de ſitu, quo tormenta bellica collocanda eſſent, & de cæteris quibuſcunq; minutioribus;

[a] Tac. l. 15.
[b] lib. 1.
[c] lib. 12.
[d] lib. 5. de bello Gall.
[e] Liu. l. 2.
[f] ibid.
[g] lib 6.

De nonnullis ad legatorum munus pertinentibus.

DISCVRSVS IV.

LEgati Parthorum Romam ad Neronem mandata regis Vologeſis, literaſq; aliquando attulerunt, quibus ſignificabatur, *Non recuſaturum Tiridatem Vologeſis fratrem accipiendo diademati in vrbem venire, niſi ſacerdotii religione attinerentur; iturum tamen ad ſigna, & effigies principis, vbi legionibus coram regnum auſpicaretur.* Tum Nero, cum audiuiſſet, Vologeſem iam occupauiſſe Armeniam, illudque petere, quod eripuerat, conſuluit inter primores ciuitatis bellum anceps, an pax in hoſte placeret: Nec dubitatum de bello: legati vero irriti remittuntur, *cum donis tamen; vnde ſpes fieret non fruſtra eadem oraturum Tiridatem, ſi preces ipſe attuliſſet.* [a] Ex quo loco nonnulla ad legatos pertinentia ab antiquis autoribus collecta diſſerere, animus eſt. Primo quidem, cum legatos humaniter honeſteq; tractandos eſſe, iam profeſſus fuerim, addo, hoc agendum eſſe, tametſi contra illos, qui ipſos legatos miſerunt, infeſto animo ſimus, quemadmodum ſuperius oſtenſum eſt, Romanos feciſſe erga Ætolorum legatos. [b] Non idem fecit Perſeus: qui Romanorum legatos aduentátes, aut apud ſe commorantes nullo humanitatis genere tractauit. [c] Et illa forſan altera fuit ex cauſis, cur Populus R. ira concitatus, ipſum regno priuauerit. Idcirco omni cautione animaduertendum eſt, ne aliqua iniuria iis inferatur. In quem errorem turpiter cecidit Anon, dum legatis Dauidis, à quo miſſi fuerant, vt eum de morte patris ſui Naas conſolarentur, *dimidiam partem barbæ eorum raſit, & præſcidit veſtes eorum medias vſq; ad nates, & dimiſit eos.* [d] Eſt enim antiquo gentium iure prærogatiua legatorum inuiolabilis. Proinde cum de periculo Planci, qui à Tiberio ad legiones Germaniæ tumultuantes legatus miſſus fuerat, ſermo haberetur, Tacitus ſcelus illud, & periculum auget verbis illis, *rarum etiam inter hoſtes, vt legatus Populi Rom. Romanis in caſtris ſanguine ſuo altaria Deûm commaculauiſſet.* [e] Idem fere in bellis ciuilibus, quæ inter Vitellium & Veſpaſianum geſta fuerunt, accidit Aruleno Ruſtico, qui niſi præſidio militum defenſus fuiſſet, legationis etiam barbaris gẽtibus ſacrum ius ante patriæ muros ciuili rabie violatum foret. [f] Sic Cæſar legatorum nomen apud omnes peræq; nationes ſanctum & inuiolatum appellat. [g] Sed idem Cæſar, quanquam clemẽtiſſimus, Venetorum Senatum, qui ſe ei dediderant, trucidari iuſſit, vt poſthac barbari ius gentium vereri diſcerent. [h] Igitur legati lædendi non ſunt, quia præter iuſtitiam nimiæ crudelitatis eſt contra illos, qui iniurias vlciſci nequeunt, & quibuſcum ratione diſputandum eſt, ſicuti armis aduerſus hoſtes, ſæuitiem exercere. Quod ſi fortuna effecerit, vt tu, qui pridẽ domi tuæ legatum inhumaniter tractaſti, in prælio vincaris ab hoſte (quemadmodum Tarentini, qui Romanos oratores in ſua ciuitate inhoneſte habuerant, [i] in campo, qui communis erat, prælio victi ſunt) fies præter cætera da-

[a] lib. 15.
[b] lib. 5. diſc. 9.
[c] Liu. lib. 42.
[d] 2. Reg. c. 10.
[e] lib. 1.
[f] lib 19.
[g] lib. 3. de bello Gall.
[h] ibid.
[i]

mna vulgi fabula, & ludibrium, quamquam Romana magnanimitas Tarentinis pacem, & libertatem largita eſt.[k] Romanorum facta, antequam opibus deliciiſque corrumperentur, legi non poſſunt, quin legentes in admirationem iuſtitiæ, bonitatis, ac virtutis ipſorum rapiantur. Quoniam vero inter bonos nunquam non mali commiſcentur; cum Apolloniatum legati Romam veniſſent, non defuerunt, qui animo magis Tarentino, quam Romano legatos violauerunt: ſed populus Romanus iuſtiſſimo remedio Apolloniatibus omnes eos, qui ipſorum legatos læſerant, tradiderunt.[l] Hæc principibus ſtudioſe legenda, memoriæque mandanda, &, cum opus eſt, efficienda ſunt, ſi de actionibus ſuis vtilitatem, ſecuritatem, gloriam reportare percupiunt. Dicet aliquis: ergo quid agendum cum legatis eorum, qui hoſtes ſunt, quibuſve nullo pacto pacem concedere volumus? Ex tua ciuitate illæſi dimittendi ſunt, vt Romani Perſei legatos dimiſerunt; quibus vndecim dierum tempus, quo Italia excederent, aſſignatum fuit, additumque, ſi quid iis poſthac opus eſſet, cum P. Licinio Conſule agerent, qui breui in Macedoniam cum exercitu profecturus eſſet, & nemini in poſterum in Italiam reuerti liceret; comiteſque adiuncti, qui eoſdem, quouſque in nauim aſcenderent, comitarentur.[m] In legatis ſuſcipiendis adeo circumſpecti fuerunt Romani, vt, (quod fortaſſe vnicum eſt in hoc argumento exemplum) cum in vrbe rebellionem ſuſcitare Tarquinii regis legati tentauiſſent, *quamquam viſi fuerint, commiſiſſe, vt hoſtium loco eſſent, ius tamen gentium valuerit.*[n] Cum de hoc ſatis dictum ſit, reliquum eſt, vt oſtendamus; primam eius, qui legatos mittit, cogitationem eſſe debere, vt accuratiſſime diſpiciat, qui ſint, qui mittuntur, & qui ii, ad quos mittuntur: quæ res maximi eſt momenti, & circa quam ſæpe erratur, vt olim Tarentini; qui dum Romani, & Samnites iamiam præliaturi eſſent, vtriſque legatos miſerunt, ſignificantes, vt bello ceſſarent, alioquin fore, vt Tarentini contra eos, qui prælium vellent, arma cum alterutris coniungerent. Papirius, ad quem delata fuerat legatio, quaſi dictis illorum commotus, ſe cum collega ſuo conſulturum, reſpondit: Interim aciem ſtrui, & cuncta ad prælium ſacra, & profana de more parari iuſſit: Legati reſponſum expectabant, quibus, *Tarentini mei*, inquit Papirius, *omnia ex voto ſuccedunt, auſpicia optima, victimæ res lætas promittunt; iam, vt cernitis, manum conſerere vadimus:* ſubdit Liuius, *vaniſſimam increpans gentem, quæ ſuarum impotens rerum pro domeſticis ſeditionibus, diſcordiiſque aliis modum pacis, ac belli facere æquum cenſeret.*[o] Vix leuius fuit peccatum Arpali; qui Perſei legatus in Senatu Romano dixerat, Malle regem, vt ſuis excuſationibus fides adhiberetur; at ſi obſtinatis animis belli occaſio quæreretur, regem forti animo ſe, ſuaque defenſurum: *cuius ferocitas*, inquit Liuius, *patrum animos exacerbauit.*[p] Sic etiam indignati ſunt Ætolis, quorum arrogantes legati beneficia in Romanos collata exprobrauerant, cum reconciliatione magis indigerent.[q] Quos errores certe non committeret, qui ſe ipſum, vireſque ſuas, & eius, qui cum tractat, metiretur.

[k] Liu. l. 15.
[l] Liu. l. 15.
[m] Liu. l. 42.
[n] lib. 2.
[o] Liu. l. 9.
[p] lib. 42.
[q] Liu. l. 37.

Quod ſi C. Pictauius Antiochum circulo delineato adſtrinxit, ne exiret prius, quam ſuam erga Romanos voluntatem declararet, [r] ſignum fuit, cum optime calluiſſe, à quo veniſſet, & ad quem miſſus eſſet: quamquam putarim, hoc legati conſilium magis, quã Senatus mandatũ fuiſſe. Cuius Senatus natura, mosq; erat, verbis manſuetudinẽ ac moderationẽ præ ſe ferre, neq; vnquam ad minas haſce deuenire, niſi laceſſeretur. Igitur tenuiores cũ potentiorib. non obliuiſcantur ſic agere, vt decet; maxime quia facile eſt, quicquid in buccam venerit, tũc effutire, cũ ſcitur, nullam pœnã dicacibus paratam fore: ſed conſiderandum eſt, an verbis opera reſponſura ſint. Neq; tãtum in hoc ſagaces eos eſſe oportet, ſed in plerisq; aliis rebus: præcipue ad potentiores principes, cum opus eſt homines mittant, & nobilitate, & virtute præclaros. Nam quamuis tam nobilis, quam ignobilis perſonam illius, qui eum mittit, ſuſtineat: nihilominus magni principes, qui ſingula minutatim obſeruant, indignantur, quoties ad ipſos viri præclari non mittuntur.

[r] *Plin. l. 34. c. 1.*

Quam rem Annibal Scipionem alloquẽs innuit, ſibi incognitã non eſſe: nam ſciebat antiquiores Rom. propter legatorũ indignitatẽ Carthaginẽſibus pacem denegauiſſe, vnde ſubiungit, *Annibal peto pacẽ:* [ſ] Neq; hæc incogitãter dixit: nam cum iis temporibus Carthaginenſes Romam legatos pacis cauſa miſiſſent, inquit Liuius, *eorum ætatibus, dignitatibusq; conſpectis (nam longe primi ciuitatis erant) tum pro ſe quiſq; dicere, vere de pace agi.* [t] Et Iugurtha cum à Populo R. legatos, viros graues, nobiles, in maximis muneribus exercitatos, ad ſe miſſos eſſe, audiuit, vehemẽter extimuit. [u] Iam anni centum elapſi ſunt, cum Ludouicus XI. Galliæ rex tonſore ſuo magiſtro Oliuerio in legationibus vtebatur: hunc poſt mortem Caroli Burgundiæ Ducis miſerat negotiorum cauſa ad Andegauenſes, prope quorum ciuitatem natus erat; ideoq; cum omnibus indigenis ignobilitas eius exploratiſſima foret, etſi titulo Comitis Oneulani frueretur, non ſolum Andegauenſibus legatio minus accepta fuit, neq; quod regi placeret, quidquã conſecutus eſt, ſed irriſus, ludibrioq; habitus fuit; creditq; pro re comperta Cominçus, niſi inde, quemadmodum clam ab amico prẽmonitus fuit, effugiſſet, in flumen illum proiiciendum fuiſſe.

[ſ] *Liu. l. 30.*
[t] *lib. 30.*
[u] *Sall. de bell. Iug.*

Igitur mirandum non eſt, ad hæc reſpicientem Heluidium Priſcum, in Senatu contra Marcellum diſputauiſſe, *pertinere ad Veſpaſiani honorem, occurrere illi, quos innocentiſſimos Senatus habeat; qui honeſtis ſermonibus aures Imperatoris imbuant.* [x] Ipſique Romani timentes, ne Conſul iis in quadam honeſta petitione ſatisfaceret, ad ipſum miſerunt conſularẽ virum, *qui ſua quoq; eum, non publica ſolũ autoritate mouerent.* [y] Et eiuſmodi aliquãdo eſt ipſiuſmet legati autoritas, vt quod eorũ cauſa, qui eum miſerunt, principes nõ efficerẽt, haud raro in gratiã eius, qui miſſus eſt, efficiant; vt Alexander: Qui cum antea noluiſſet Athenienſiũ decretũ accipere, imo illud proieciſſet, mox perhumaniter ſuſcepit, cum à Phocione allatum fuit. [z]

[x] *Tac. l. 20.*
[y] *Liu. lib. 9.*
[z] *Plut. in Phoc.*

Neque

Neque minores ſunt reſpectus, & rationes, quæ inter pares habendæ ſunt: Nam quemadmodum minoris eſt maioribus cedere, ſic paris principis ad parem legatus principis ſui autoritatem reſpicere, & ſartam tectam tueri debet. Quandoquidem etſi res magnæ magis factis, quam verbis deciduntur: nihilominus ex verbis vel cum magnitudine animi, vel humiliter prolatis, natura eius, à quo manat, cognoſcitur, & declaratur, & clarum aut timoris, ac ſecuritatis alienæ ſpecimen præbent.

Craſſus libero cuidam Parthorum legatorum ſermoni ſuccenſens, generoſe reſpondit, *Ad ea Seleuciæ ſe reſponſum daturum.* Tunc Vagiſes legatorum digniſſimus ridens, oſtenſa manus vola: *Hinc prius*, inquit, Craſſe, *pili exorientur, quam tu aſpicias Seleuciam.*[a] Hæc vola memoriam mihi refricat Carthaginenſium legati cuiuſdam ad Andromachum in Tauromínia ſuæ reipublicæ principem: is Andromacho ſignificauit, niſi è littoribus ſuis Corinthiorum claſſem dimitteret, fore, vt Carthaginenſes ciuitatem illam ſubuerterent; vtque nutibus hanc ſubuerſionem melius explicaret, cum hæc diceret, volam manus vertebat, & inuertebat.[b] Hoc eſt, quod dicitur, alternis cantare. Nemo neſcit, duabus in rebus totam hominis virtutem cognoſci, in dicendo, in faciendo.

[a] *Plut. in Craſ.*

[b] *Plut. in Tim.*

Idcirco mirandum non eſt, ſi legati munus, quod non niſi in dicendo, perinde vt ducis partes ſunt in faciendo, extenditur; hac in parte ſummo ſtudio atque induſtria impleri debet, & nuſquam ſuperſtitioſius, & attentius hæc minutiora, quam in hoc hominum genere, attenduntur. Etenim reges, & principes raro ad colloquia deueniunt, ſed ſæpenumero per legatos ſeſe inuiſunt. Cum ad Romanos legati Antiochi regis veniſſent, vbi eos humaniter ſuſcepiſſent, L. Quintio iuſſerunt, vt illos attentius audiret, ipſiſq; reſponderet, *quæ ex dignitate atq; vtilitate populi R. reſponderi poſſent.*[c] Vbi videtur Romanos nō minoris dignitatem, quam vtilitatem feciſſe. Quamobrem cum aliquando legati Romani cum Perſeo colloquium habituri eſſent, narrat Liuius, inceſſiſſe curam mortalibus videndi congredictes, nobilem regem, & populi principis terrarum omnium, legatos. Neq; putet quiſpiam, aut Hiſpanos, aut quamlibet nationem in cerimoniis (vt dicitur) doctiorem eſſe, quam Romani fuerunt, non minus armis illuſtres, quam rerum omnium, quæ ad maieſtatem retinēdam, & ad cerimonias pertinerent, ſcientiſſimi. Dirimebat regem, & legatos flumen, prima contētio fuit, vtri tranſgrederētur: ex parte regis allegabatur regia maieſtas: legati autē populi R. nomini aliquid exiſtimabāt deberi, & Perſea petiſſe colloquium, itaq; primus tranſiret. Cum vtriq; contarentur, alter legatorum, qui L. Philippus erat, quod nomen patri regis fuerat, ioco, *Minor*, inquit, *ad maiorem, & filius ad patrem tranſeat.* Ecce quantum legati dexteritas valeat. Tunc facile perſuaſum regi, vt tranſiret, quaſi videretur ætati, & parenti ſuo id tribuere. Sed aliud ad-

[c] *lib. 34.*

huc ambigebatur. Rex cum omni comitatu tranſire æquum cenſebat: legati vel cum tribus venire iubebant, vel ſi tantum agmen traduceret, obſides daret, nihil fore fraudis in colloquio: Rex Hippiam, & Pantaucum principes amicorum obſides dedit; ſubdit autor, *Nec tam in pignus fidei obſides deſiderati erant, quam vt appareret ſocijs, nequaquam ex dignitate pari congredi regem cum legatis.* [d] Igitur dici non poteſt, Romanos apparentem hanc dignitatem prætermiſiſſe, & minoris æſtimaſſe, quam regna ipſa, imo in eam cunctis gentibus diligentiores fuere. Publius Villius legatus à Romanis ad Antiochum iam illum allocutus erat in Apamea, vbi, mortuo regis filio, cum aula tota mœſta degeret, & iuſtitium indictum fuiſſet, legatus, *ne alieno tempore incommodus obſeruaretur, Pergamum receſſit.* [e] Quæ res animaduertenda eſt, quia vbi non ſis, qui eſſe debes, non eſt, cur velis eſſe. Hanc tamen nominis dignitatem quouis modo adaugere velle, res eſt barbaricæ plena arrogantiæ, & quæ ſapientibus viris neque probanda, neque imitanda eſt, qualis illa fuit Gurgenſis Epiſcopi, cum minime contentus & palam, & ſecreto cum Pontifice negotia publica agitauiſſe, ſummo faſtu tres Cardinales, quibus cum ageret, à Pontifice deſtinatos adire grauatus eſt; cumque ij ſuos miniſtros tractandi cauſa ad illum miſiſſent, ipſe item tres ex ſuis ad illos remiſit. [f] Quæ res mihi tanto maiori admirationi eſt, quanto minus Iulius II. ingentis animi Pontifex huiuſmodi indignitates perferre vnquam potuit, cum mihi videatur, nullum principem teneri alienam arrogantiam cum ſui indignitate nutrire, vnde Salomon fortaſſe admonuit, *Reſpondendum eſſe ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* [g] Debent legati ſagaces, & prudentes eſſe, neque alienis fallaciis, & decipulis capi. Nam ſicuti in rebus bellicis perſæpe fraude agere permiſſum eſt, ita quicunque cum hoſte agit à verborum inſidiis non omnino tutus videtur: neque damni noſtri ſufficiens excuſatio eſt alienus dolus. Lacedæmoniorum legati Athenienſium Senatui perſuaſerant, reipub. intereſſe, vt quoddam fœdus cum Bœotiis, & Corinthiis feriretur. Quod Alcibiades propter priuata commoda ægre ferens, Lacedæmoniis legatis perſuaſit, vt cum populo Athenienſi non ita libere, ac feruide agerent, prout cum Senatu egiſſent; fore enim, vt plebs in ſuperbiam elata iis, quæ communiter percupiebantur, non conſentiat: ideoque vt maiori plebs inflammaretur deſiderio, frigide rem proponerent, & autoritatem ſuam fœderis paciſcendi prudenter diſſimularent; quia Senatus ipſe populum ad communem vtilitatem diſpoſiturus eſſet. Legati verbis Alcibiadis circumducti conſilium eius executi ſunt, accepto prius iureiurando, hanc tractationem occultam fore. Senatus hac tractandi diuerſitate obſeruata, & occultorũ inter Alcibiadem, & legatos conſiliorum ignarus ex altera parte fremebat, populus ex altera iraſcebatur, vnde nõ modo quod legati petebant, effectũ non eſt, vt etiã contrariũ ſucceſſerit: nam Athenienſes cũ Argiuis, Mantinenſibus, Æleis nouo fœdere iuncti Lacedæmoniis bellũ intulerunt. [h] Dicet aliquis: has fraudes Græcas eſſe, nimiũq; ſubtiles. Reſpõdeo, ideo magis cauẽdas eſſe; memores, nos Italos aliquãdo nõ mi-

[d] lib. 41.
[e] lib. 35.
[f] Guicc. lib. 9.
[g] Prouer. c. 26.
[h] Plut. in Alc.

noribus vſos fraudibus fuiſſe, qualis illa Petri Medices fuit, qui domi ſuæ regis Galliæ abſcondito legato, vnde colloquium audire poſſet, accerſito deinde Ludouici Sforciæ legato, talem cum illo ſermonem inſtituit, vt potuerit legatus Galliæ, quæ Ludouici erga regem voluntas eſſet, facile intelligere. Qui aſtus etſi tunc Italiæ calamitates non diminuit, tamen negari non poteſt, quin ſummo dolo peractus ſit. [i] Legati diligenter memoriæ mandare debent, quibus titulis eos, ad quos miſſi ſunt, appellent, in quo eos mandatis principum obtemperare magis, quam ſuo iudicio fidere par eſt. Idcirco Lacedæmonii legatum quendam puniuerunt, qui Antigonum Demetrii filium regem ſalutauerat, tametſi legatus ille pro quolibet Lacedæmone modium tritici, penuriæ maximæ tempore, impetrauiſſet. [k] Hæc Lacedæmonum natio perarguta extitit: Cui noſtra ætate Florentini valde aſſimilari poſſunt: proinde & maximi bellatores erant, & aliquando verbis ſe ab aliena inſolentia, ruditate, atque inhumanitate redimebant. Igitur vnus ipſorum cum ad Demetrium legatus eſſet, & miraretur rex (vti ſolent eiuſmodi principes elato animo eſſe) quod vnus tantum ſibi mitteretur legatus, reſpondit ille, *Nempe vnus ad vnum.* [l] Iterum ad Lygdamum tyrannum legati miſſi cum difficile admitterentur, quia malam valetudinem cauſaretur, legati, Deos immortales obteſtantes, reſponderunt, ſe aduenisse, quo loquerentur cum illo, non vt luctarentur. [m] Inter innumera monita, quæ coaceruari poſſent, ſufficient hæc, quibus legati ad alia ſecum excogitanda prudenter manuducentur: modo ne obliuiſcantur illius, quod alibi diximus; vt nunquam dominis ſuis res perfectas eſſe, ſignificent, cum adhuc aliquid ſupereſt agendum; ſicuti Pætus Neroni literas dedit, *quaſi confecto bello, verbis magnificis, rerum vacuas.* [n] Vnde *Romæ trophæa de Parthis, arcuſq; Capitolini montis medio ſiſtebantur, decreta ab Senatu, integro adhuc bello.* [o]

[i] *Guicc. l. pr.*
[k] *plut. in Aphor. Lacon.*
[l] *Ibidem.*
[m] *Ibid.*
[n] *Tac. l. 15.*
[o] *ibid.*

Quam dedeceat belli, aliove prætextu Eccleſiaſticam ſupellectilem, vel bona dilapidare.

DISCVRSVS V.

QVoties hiſce diſſertationibus meis de religione antiquorum mentionem feci, nihil reſpexi, niſi vt oſtenderem, quid nos facere deceat, ſi Romani gẽtiles hoc vel illud effeciſſent. Quamobrem ſumma induſtria oppoſui me iis, qui aſſeruerunt, Romanos religione, quaſi artificio quodam propter diuerſos fines vſos fuiſſe. Inde etiam exemplo Romanorum noſtrates admonui, ne ambitionis ſuæ, aut alterius affectus cupiditates ſub religionis velamine abſcondere vellent, rem quippe ſceleratiſſimam facturi. [a] Hoc ipſum modo impellit me, vt eorundem exemplo patefaciam, quantum dedeceat, propter bellicas, aliaſve neceſſitates templorum diuitias deprædari. Nero, vt inhoneſtiſſimis ſuis cupiditatibus

[a] *lib. 3. diſt. 10.*

morem gereret, deuaſtauerat Italiam, prouincias euerterat, ſocioſq; Populi Ro. & ciuitates, quæ liberæ vocabantur: tandem *in eam prædam etiam Dij ceſſere, ſpoliatis in vrbe templis, egeſtoq; auro, quod triumphis, quod votis omnis Populi Romani ætas proſpere, aut in metu ſacrauerat.*[b] Imo his non contento Nerone, per Aſiam atq; Achaiam non dona tantum, ſed ſimulachra numinum abripiebantur. Poſſet aliquis dicere; hæc nefarie patrata fuiſſe, quia Nero non belli neceſſitate adactus, ſed ſceleratis deſideriis exſtimulatus ad hæc ſacrilegia manum admouerat: at principes grauibus ac periculoſis neceſſitatibus impulſos, excuſandos eſſe, ſi ad ſacrum argentum, & aurum confugiant. Neſcio, an iuſtior cauſa, quam ea, quam Pompeius fouebat, allegari poſſit, cum arma contra Cæſarem reipub. cauſa ſuſcepiſſet. Et nihilominus idem Cæſar cauillandi Pompeium occaſionem non prætermittit iis verbis, *pecuniæ* è municipiis exiguntur, & è fanis tolluntur, omnia diuina, & humana iura permiſcentur,[c] & alibi, *pecuniam omnem, omniaq; ornamenta ex fano Herculis in oppidum Gades intulit.*[d] Quod autem ſequitur, pulcherrimum eſt: nam Cæſar vt laudem inde, vnde hoſtem vituperat, aucupetur, addit, cum ipſe Gades perueniſſet, pecunias, monumentaq;, quę ex fano Herculis collata erant in priuatam domum, *referri in templum iuſſiſſe.*[e] Conſideret, quiſquis hæc perlegerit, ea non ſcripta fuiſſe ab hiſtorico tantum, ſed à duce, qui de altero duce loquitur, vtriſq; omnium, quotquot ſuperioribus ætatibus fuerant, ducum maximis. In quorum altero hæc probantur, in altero vituperantur. Neq; dicendũ eſt, Cæſarem de hoſte ſuo aliter ſcribere non potuiſſe, quia ſcribens Cæſar ætatis ſuæ hominibus, qui res geſtas optime nouerant, vel maxime cauiſſet ea, quæ tanquã falſa ſibi exprobrari poſſent, conſcribere, præterquam quod cum innumeris gloriæ ornamentis vndequaq; illuſtraretur, falſas laudes emendicare non cogebatur. Sed ad vlteriora pergamus. In iiſdem commentariis bellorum ciuilium narrat, Scipionem antiquos Dianæ Epheſiæ theſauros expilaturũ fuiſſe, niſi à Pompeio, vt cæteris omiſſis cum exercitu adueniret, quia Cæſar transfretabat, vocatus fuiſſet: *Hæc res Epheſiæ pecuniæ ſalutem attulit.*[f] Quodq; ſequitur, deridiculum eſt, T. Ampium, Pompeianum hominem, cogitauiſſe ipſum quoq; hac pecunia vti, iamq; Senatores multos aduocauiſſe, vt coram iis acciperet, ſed Cęſaris victoria præuentum fuiſſe: *ita duobus temporibus Epheſiæ pecuniæ Cæſar auxilium tulit.*[g] Conſueuerũt pleriq; vrgentibus neceſſitatibus dicere, Aliud fieri non poſſe, cõfugiendũ eſſe, ad quæ poſſunt, quia ſalua patria argentum & aurum reponi queunt, ſed amiſſa patria, quidquid ea continet, amitti, neq; vnquam reſtitui. Ego id affirmo; cum aurum deeſſet Romæ, votaq; Delphico Apollini ſoluenda forent, matronas Romanas propria auri ornamenta voti ſoluendi cauſa reip. obtuliſſe.[h] Comperio etiam, cum ad redimendam libertatem precium Gallis exſoluendum eſſet, quo nihil grauius reip. accidere poterat, Senatũ ad matronas confugiſſe, vt ſummã pecunię neceſſariam congregarent, vtq;, teſte Liuio, *ſacro auro abſtineretur.*[i] In hęc exempla principes Chriſtiani intueantur: quod ſi vt ea templa & altaria, à quibus Romani in cæca ſua gentilitate abſtinuerunt, in minoribus neceſſi-

[b] *lib. 13.*
[c] *lib. 1. de bello ciu.*
[d] *ibid. l. 2.*
[e] *ibid.*
[f] *ibid.*
[g] *ibid.*
[h] *Liu. lib. 5.*
[i] *ibidem.*

tatibus exſpoliare ſatius eſſe, putant; impiam hanc cupiditatem expleant; in ſummis proſperitatibus ad maius ipſorum ſupplicium iram diuinam experturi, quoniam in aduerſis nullam omnipotẽtis Dei, rerumq; ſacratum rationẽ habuerint.

In rebus magni momenti libera miniſtris mandata danda eſſe.

DISCVRSVS VI.

TOt ſunt ea, quæ ſecus atq; à nobis cogitata ſunt, contingere conſueuerunt, vt ſi qui iubendi autoritatem obtinet, prudentiæ, iudicioq; eius, cui aliquid mandat, ſe non commiſerit, ſæpe in errorem ſe prolapſum eſſe, comperturus ſit; vt Neroni accidit; cum iuſſit nauarchis, vt certum ad diem in Campaniam redirent, *non exceptis maris caſibus.* [a] Nam gubernatores, vt Neronis mandatis obtemperarent, quamuis ſæuiente pelago à Formiis ſoluerunt, & graui Africo, dũ promontorium Miſeni ſuperare contendunt, Cumanis littoribus impacti, triremium pleraſq;, & minora nauigia paſſim amiſerunt; dumq; nihil referret, an bidui plus, minuſve claſſis, præſertim pacis tempore abeſſet, clades rei nauali accepta eſt, qualem bellum aſperum vix attuliſſet. Tiberius Nerone longe prudentior, Pannonicarum legionum motu intellecto, cum Druſum filium illuc mittẽdum cenſeret, comites addidit illuſtres, reiq; militaris prudentes, cæterum miſit ipſum *nullis certis mandatis, ex re conſulturum.* [b] Sic tempore Claudii (forſan opera eorum, qui ipſum conſulebant) cum in Armenia legatorum culpa turbæ eueniſſent, miſſus illuc fuit cum legione legatus Heluidius Priſcus; *rebus turbidis pro tempore vt conſuleret.* [c] Sed melius, quam Cæſares vigente libertate id Romani obſeruabant. Et Cæſar ipſe in Brittanniam traiecturus Labienum tribus cum legionibus, & duobus millibus equitum in Gallia reliquit diuerſis mandatis, ſed præcipue vt *conſilium pro tempore, & pro re caperet.* [d] Imo reip. Romanorum peculiaris mos fuit, vt in maioribus periculis libera ducibus ſuis mandata iniungerẽt, iudicio atq; virtuti eorum omnia commendantes, iis verbis, *cauerẽt, ne reſp. aliquid detrimenti caperet.* [e] Cæſar, quem ſæpe memorauimus, quoties legatis ſuis aliquid, quod ſummopere cuperet, ac neceſſarium putaret, mandabat, res diuerſas, quæ contingere poſſunt, conſiderans, ſemper addebat, *ſi reip. commodo facere poſſet*; Idemq; cum Labieno paullo poſt effecit, qui cum Cæſari reſpondiſſet, Quod mãdauerat, nimio iacturę periculo faciendũ fore, ab ipſo collaudatur, [f] eidemq; Labieno & Trebonio iterũ ſcripſit, vt ad certum diẽ adeſſent, ſed addito, *ſi reip. commodo facere poſſent.* [g] Hæc omnia non male à quodam autore obſeruata ſunt, qui per hanc occaſionem errorem quarundam rerump. taxat, quæ temporibus ſuis omnium rerum deliberationem ſibi reſeruabant, etiam cum ageretur de ſitu, quo tormenta bellica collocanda eſſent, & de cæteris quibuſcumq; minutio-

[a] Tac. l. 15.
[b] lib. 1.
[c] lib. 12.
[d] lib. 5. de bello Gall.
[e] Liu. l. 2.
[f] ibid.
[g] lib. 6.

ribus; immemores moris, quem antiqui ſumma ratione obſeruabāt. Propterea q́ quo maior eſt laus, item vituperatio, quæ ex noſtris actionibus liberis, neq; coactis, neq; ab alio præſcriptis emanat; eo maiorem credendum eſt ex parte noſtri laborem fore in exequendis, aut fugiendis rebus, vnde eam laudem aut vituperationem ſperamus. Verumenimuero ſtulta quidem res eſt, perſuadere ſibi aliquem, qui longe abeſt, acutius poſſe quidlibet proſpicere, quam illum, qui rei gerendæ incumbit. Neq; veriſimile eſt, eum, de cuius vita agitur, in vlla re ſollicitari minus, quam illum, qui otioſus, & ſæpe ambitione, vel inuidia infectus de rebus, quas, vt plurimum ignorat, perpetuo diſputat: præterquam quod principibus abſentibus frequenter accidit, *vt ex diſtantibus terrarum ſpatiis conſilia poſt res afferantur.* h Ideo libera ducibus mandata expedit iniungere.

[h] Tac. l. 19.

Imperia probitate, atque clementia, non crudelitate melius retineri.

DISCVRSVS VII.

IN coniuratione, quæ Neroni detecta fuit, modiſq; crudeliſſimis ab ipſo vindicata, nihil grauius auribus ipſius accidiſſe ſcribit autor, quam quod à Sutrio Flauio tribuno audiuit: qui interrogatus, quibus de cauſis ad obliuionem ſacramenti proceſſiſſet, *Oderam te,* inquit, *nec quiſquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruiſti: odiſſe cœpi, poſtquam parricida matris, & vxoris, auriga, hiſtrio, & incendiarius extitiſti.* a Ex quo dignoſci poteſt, Neronem primo ſui principatus quinquennio in ſummo ciuium amore extitiſſe: hoc enim intellexit tribunus, cum profitetur, neminem præ ſe Neronis amantiorem fuiſſe, dum amabilis erat: hominibus enim ingenitum & naturale eſt, principes ſuos diligere, dum probitatem præſeferunt, ſed inceptis flagitiis, & ſæuitie gliſcente coguntur ipſos odio habere. Dicet aliquis, hæc vulgatiora eſſe, quam vt diſcurſum mereantur; cum diſcurſus diſputatione digniora argumenta requirat, aut ſaltem, ne trita ſit, atque vulgata, qua de agitur, materia. Ad quod reſpondeo, in re ſic trita atq; peruulgata pleroſq; nihilominus errauiſſe. Quamobrem Dionyſius Syracuſanorum tyrannus hunc populorum amorem, aut beneuolentiam irridens, dicere ſolebat, Adamantina vincula, quibus regna continentur, timorem vireſq; armatas, & conſequenter illud præſidium eſſe decem millium ſtipendiariorum barbarorum, quos filio ſuo reliquit. Sed optimus Dio, mortuo ſeniore tyranno, contrarium Dionyſio iuniori probauit, ſolida, ac vera regnandi vincula non alia eſſe, quam beneuolentiam, ciuiumq; promptitudinem, atq; gratiam, ſola virtute atq; iuſtitia quærendam: Quæ vincula etiamſi prioribus, quæ vere aſpera, ac duriſſima appellari queunt, molliora ſunt; durabiliora tamen ſunt, ac validiora ad imperii diuturnitatem. b Verum ſi cum Romanis malumus, quam cum Græcis, &

[a] lib. 15.

[b] Plut. in Dione.

cum

cum Imperatoribus, quam cum tyrannis diſſerere; &, ſi ſapientiſſimæ Auguſtæ iudicium tanti eſſe poteſt, vt ducis aut Philoſophi alicuius ſententiæ præferatur, profecto operæ precium erit, ex eo, quod ipſam maximus terrarum princeps audire grauatus non eſt, & ſermonem illius Dio, nobilis autor, collegit, vt rem totam noſtris principibus proponamus, eoſque Liuiæ exemplo ad placabilitatem, & ad vniuerſam virtutem pro viribus hortemur. Auguſtus aliquando in maxima animi anxietate verſabatur, quod inſidiis paſſim impeteretur, quarum præcipuus erat C. Cornelius Cinna, filia Pompeii Magni natus; neq; necare eos volebat, quia nihilo tutior editis cædibus erat, neq; dimittere impunitos, ne alios quoq; contra ſe incitaret. Dubium quid ſtatueret, ac neq; dies neq; noctes ſine cura, ac cum quiete agentem, Liuia aliquando percontata eſt, quidnam rei eum à ſomno detineret? Quis vero, inquit Auguſtus, vel minimum temporis à curis vacet, qui tot inimicos habeat, aliiſq; ſuper alias inſidiis petatur? an vero non cernis, quam multi & mihi, & imperio noſtro periculum ſtruant? Poſt multa hinc & inde propoſita, ac reſoluta Liuia tandem habere ſe, dixit, conſilium, quod nemo etiam ſummus amicus dare poſſet, non quia ſcientia, ſed quia deeſt audacia, & iuſſa proferre, Dicam, inquit, libere, tecum videlicet bonorum ac malorum particeps, te incolumi ipſa quoq; hodie regnans, eademq; vna, ſi quid (quod abominor) durius accidat, peritura. Ego enim ita iudico, plus clementiam, quam ſæuitiam proficere: nam miſericordes non ii tantum, quibus delicti gratia facta eſt, charos habent, ac gratiam referre ſtudent: ſed reliqui etiam omnes reuerentur, ac colent, ita vt nemo eos deinde lædere auſit. At qui ira inexorabili vtuntur, non modo eos odio habent ii, qui ſibi metuunt, ſed cæteri quoq; infenſi inſidiis ſtructis ſuam perniciem euitare ſtatuunt. Viden, vt medici rariſſime ſectiones, & ignes adhibeant, ne ipſa videlicet vitia corporis magis exaſperent, pleraque autem lenibus corporis exercitiis, & mitibus medicamentis molliunt ac ſanant? Sic ſermo lenis ad aliquem habitus, omnem fremitum laxat, contra aſper remiſſum etiam ad iram concitat: venia data ferocem etiam quemq; placat, ſupplicium vel mitiſſimos animos exaſperat. Et poſt multa hæc ſapientiſſime adiungit. Hominibus, Auguſte, non belluis imperas, eaq; eſt vnica beneuolentiæ ipſorum veræ conſequendæ ratio, ſi hoc ipſis perſuaſum efficias, neq; à volente, neq; ab inuito te quenquam eorum lædi: Cogi quidem ad metuendum aliquem homo poteſt, ad amandum autem perſuaſione opus eſt: ea beneficiis in eum collocatis, quæque aliis videat tribui, paratur. At qui iniuſte alium morte affectum ſuſpicatur, eandẽ ſibi fortunam metuens, cædis autorem vt odio habeat, impellitur: porro autem inuiſum eſſe ſubditis, neq; honeſtum eſt, & minime expedit. Hæc eſt quippe hominum ſententia, priuato omnes iniurias eſſe perſequendas, ne vel contemptui inde habeatur, vel opprimatur: principem vero debere ea, quæ in publicam rem peccantur, vleiſci; priuatim in ſe admiſſa tolerare, cum qui ita deliquerint, neq; ex contemptu, neq; ex incurſu poſſint ipſum tanta ſeptum cuſtodia damno afficere. Demum poſt pleraq; alia concludens addit. Ergo ab his, qui nunc ſunt rei

inſidiarum apud te facti periculum facere incipiamus: fortaſſis & hi mutabunt ſententiam, & alios meliores facient. Ad poſtremum Auguſtus Liuiæ conſilium ſecutus, Cinnæ pepercit, illumq; ſimul cum Val. Meſſala conſulatu donauit, eoq; facto ita ſibi omnium animos deuinxit, vt non modo inſidiæ contra ipſum nullę deinde componerentur, ſed opinio omnis earum intercideret.[c] Atq; equidē quis vnquam in Neronem (vt ad illum, vnde diſſertatio hæc principium traxit, reuertamur) coniuraſſet, ſi vitam, quam inceperat, continuaſſet? Nempe pollicitus fuerat, *ſe negotiorum omnium iudicem non fore, vt clauſis vnam intra domum accuſatoribus, & reis paucorum potentia graſſaretur*: Item iactauerat, *Nihil in penatibus ſuis venale, aut ambitioni peruium: diſcretam domum, & rempublicam*: Sæpe dixerat, *teneret antiqua munia Senatus: conſulum tribunalibus Italia, & publicæ prouinciæ aſſiſterent: illi patrum aditum præberent: ſe mandatis exercitibus conſulturum.*[d] Quis non adorauiſſet, nedum dilexiſſet Neronem, dum Domitium Corbulonem, virum optime meritum, retinendæ Armeniæ præpoſuit,[e] vtq; patris memoriam, eiuſq; merita, quo tutore vſus erat, honorauit, ita ſibi ſtatuas argento vel auro ſolidas aduerſus offerentes prohibuit: itē ne anni menſes eius cauſa mutarētur, vetuit: neq; accuſantibus delatoribus aures præbuit: neq; cū in acta principū iurarent magiſtratus, in ſua acta collegam Antiſtium iurare conceſſit: & Plautiū Lateranum ob adulterium Meſſalinæ ordine remotū Senatui reſtituit.[f] Et plura ſimilia ſummo amore, ac laude, non coniurationib. & morte digniſſima effecit: vnde tribunus ille fidelem ſe Neroni profeſſus eſt, *dum amari meruit*. Igitur nihil ad imperia conſeruanda tutius eſt, quam beneuolentiam populorum mereri: nā cętera vincula poſſunt quidē aliquatenus perdurare, ſed tandem nunquam ſine damno eorum, qui ea conſtrinxerunt, diſſoluuntur. Ideo prudenter opinatum fuiſſe illū cenſeo, qui dixit, Pulchram rem eſſe tyrannidem, niſi exitu careret.[g] Vnde non ſubditi modo, ſed amici, conſanguinei, vxor ipſa tyranni neci intereſſe cōſueuerunt. Sic Thebas virum ſuum Alexandrū Pheræū ſęuitię oſtentum occidit, quia viuos homines ſepeliebat, & nonnullos pelle apri, aut vrſi intectos canibus voluptatis cauſa lacerandos exponebat.[h] Timoleon cū in quodā pręlio fratrē Timophanē ſeruaſſet, eundem mox tyrannum effectū manu ſua occidit, cū tamen Timoleon manſuetæ naturæ omniū iudicio, & erga conſanguineos ſuos benigniſſimus extiterit: adeo imago, in quam ſe tyrannus transformat, turpis & horribilis eſt.[i] Ariſtomachus Argiuorum tyrannus cum primam Arati Sicyonii coniurationem euitauiſſet, à ſuis tandem ſeruis interficitur: adeo tyranni quælibet cuſtodia intuta eſt.[k] Verum quid de vxore, fratre, ſeruis dicam, ſi tyranni ſe ipſos, dum viuunt, miſere occidunt, peioraque morte tormenta patiuntur: vt Ariſtipppus Ariſtomachi ſucceſſor indicauit, qui iis ipſis, quos cuſtodes habebat, diffidens, clauſus cœnabat, & dormiturus mobili ſcala cubiculum aſcendebat, ibique catarrhactis demiſſis concluſus lectum in ipſis componebat, & concubinæ, qua vtebatur, matrem ad ſcalam alio loco claudendam mittebat, donec orto ſole ipſam, vnde pridie abſtulerat, tyranno vocato reponebat: Qui (ſicuti ſapien-

[c] Dion lib. 55.
[d] lib. 13.
[e] ibid.
[f] ibid.
[g] Plutar.
[h] Plut. in Pelop.
[i] Plut. in Timol.
[k] Plut. in Arato.

ciſſimus Plutarchus addit) inſtar ſerpentis ex ſua cauerna mane prodibat:[l] Et nihilominus effugere non potuit, quin occideretur.[m] Nimium laboraremus, ſi de omnibus infelicium tyrannorum necibus diſſertationem proſequeremur, nimiamq; pariter operam ſuſciperemus, ſi omnes bonos principes, qui virtutib. amabiles fuerunt, recenſere & extollere vellemus. Hoc tamen, quo tendimus, non præteribo; quod cum quilibet percipere poſſit, crudelitatem ad cōtinendos homines firmū vinculum non eſſe, principibus omnes illas artes eſſe negligēdas, quæ falſis præceptis ſuis huic doctrinæ contrariæ animis ipſorū inſtillatæ fuerūt: nam præterquam quod inhoneſtæ ſunt, etiam intutæ eſſe cōperiuntur. Ideo qui dicit, principē in eo imperio, quod nouiſſime occupauit, omnia renouare debere, audiendus non eſt.[n] Neq; alteri accommodandæ aures ſunt, qui magis fraude, quam virtute ad ampliſſimam fortunam peruenire poſſe, opinatur.[o] Nam præterquam quod id falſum eſt, neſcio quam hominibus improbitatis cupiditatem gignit: neq; identidem probo illud, nunquam principes in principatu tutos fore, iis ſuperſtitibus, qui ipſo ſpoliati ſunt,[p] nam hoc eſt carnificinæ ludum aperire. Iterum reiicimus alterum: multitudinem melius pœna, quam obſequio gubernari.[q] Neq; illud placet: promiſſam fidem, præſertim coactam, non eſſe ſeruandam,[r] quia præmeditari omnia oportebat; quæ ſuis quæq; locis pertractauimus. Vnum addo; ſemper moderanda, & ad bonum finem dirigenda eſſe ea præcepta, quæ ad rigorem, & ad nequitiam tendere videntur. Neq; memoria deponēdum eſt vnquam, quod N. Pompilius feciſſe ſcribitur: nā cum Iupiter eum doceret, quomodo fulmina procuraret capitib. Numa interrogauit, nū capitibus ceparū, dictoq;, ſe de capitib. hominum intelligere: Numa diuina mādata in partem benigniorem trahens interrogauit, an id crinib. effici poſſet: & repetente Ioue, crinibus animatis, ipſe minutos piſciculos intellexit, & procuratione inſtituit cepis, crinibus & piſciculis.[ſ] Ita nobis etiam faciēdū eſt, omnis ſcil. induſtria adhibenda, vt crudelitatē ad manſuetudinem pertrahamus, dūmodo immedicabiles morbi ad vrendū & ſecandum non impellant. Sed & Alexandrum in aſinarii cuiuſdam interpretatione ſeſe manſuetiſſime geſſiſſe legimus. Cum enim Alexander oraculo monitus eſſet, vt eum, qui ſibi porta egreſſo primus occurriſſet, interfici iuberet; aſinarium forte ante omnes obuiā factum ad mortē arripi imperauit. Eoq; quærente, quidnā ſe immerentem capitali ſupplicio, innocentemque addiceret; cum ad excuſandum factū ſuum oraculi pręceptum attuliſſet, aſinari⁹, *Si ita eſt*, inquit, *rex, alium ſors huic morti deſtinauit: nam aſellus, quem ego ante me agebam, prior tibi occurrit.* Delectatus Alexander & illius tam callido dicto, & quòd ab errore ipſe reuocatus erat; occaſionem in aliquanto viliore animali expiandæ religionis rapuit.[t] Cum igitur dicit aliquis, vt ante retulimus, principem in principatu ſuo tuto non viuere, niſi omnes, quos eodem ſpoliauit, extinguat: Neque hoc alia ratione, quam exemplo fundat, nos etiam quærere oportet, an poſſimus aliquem ex iis inuenire, qui regno ſpoliatis illæſis tuto regnauerunt: & præterita atque antiquiora relinquentes noſtræ tem-

[l] *ibid.*
[m] *ibid.*
[n] *lib. 1. c. 26.*
[o] *l. 2. c. 13.*
[p] *l. 3. c. 4.*
[q] *l. 3. c. 19.*
[r] *l. 3. c. 42.*
[ſ] *Plut. in N. Pomp.*
[t] *Val. Max. l. 7. c. 3.*

peſtatis exemplum adducimus Ferdinandi regis Catholici, qui etſi ducem Calabriæ Federici regis Neapolis, quem regno deturbauerat, filium ſeruauit, tamen regnum inter ſucceſſores regis Catholici permanſit. Igitur cum fere pari exemplo conſiderentur, regno ſpoliatos extinguere, vel non extinguere; vlterius procedentes experiamur, num ratio aliqua reperiatur, quæ pondere ſuo harum alteram lancium magis deprimat. Et certum eſt, quidcunq; ſiue prudenter, ſiue improbe faciant homines, non poſſe rerum euenta, & exitum certo cognoſci: cum hic à Deo, eiuſq; miniſtra fortuna in totũ dependeat. Igitur cũ rerũ exitus incerti ſint, ſumma ope niti decet, vt ex rebus, quæ nobis agendæ proponuntur, eas ſemel eligamus, quæ meliores, & cum iuſtitia coniunctiores ſunt: hanc enim ſaltẽ laudem merebimur, quod humani ac manſueti, non ſæui, atq; inhumani extiterimus: & ante omnia illud animo inſideat, quod dixit Veſpaſianus, *Neminem ſuum ſucceſſorem occidere.* Præterea quod idem dixit, ac fecit, imitemur: nam monentibus amicis, Metium Pompoſianum ei cauendum eſſe, quod vulgo crederetur habere geneſim imperatoriam, inſuper conſulem fecit, ſperans fore, vt beneficii accepti memor eſſet. [u] Atq; equidem non dubito, quin inter homines pleriq; ingratiſſimi inueniantur, ſed in rerum vniuerſitate nemo vnquam mihi perſuadebit, non eſſe longe maiorem eorum numerum, qui beneficium agnoſcunt, quam eorum, qui beneficii memoriam aſpernantur, niſi recẽs iniuria antiquum beneficium deleuerit. Nam quemadmodum parum veneni magis obeſt, quam multa poculo adſperſa dulcedo proſit: ſic quicunq; propter collatum aliquod beneficium, famam alicuius liberius minuere, & honorem ipſius lædere ſe poſſe, credit; is profecto non bene ſuas rationes ſubduxit, neq; mirandum eſſet, ſi viam hanc pergens inanem opinionem ſe ſuſcepiſſe, deprehenderet. Hoc inſuper addo, quicunque ex ſua clementia fructum capere vberiorem cupit, hanc ipſi exercendam eſſe, non quaſi timore adducatur; quo caſu intellecta non proficeret, ſed vt ſponte, ac virtutis cupiditate clementer agere videatur. Proinde tunc gratis animis clementia excipitur, cum principem feliciſſime regnantem nullius rei præſens, aut longinqua neceſſitas ad conſilium illud capiendum adigere, atq; exhortari videtur. Et de his ſatis dictum ſit.

[u] *Suet. in Veſpaſ.*

FINIS LIBRI DECIMI QVINTI.

SCIPIO-

SCIPIONIS AMIRATI DISSERTATIONVM POLITICARVM, *SIVE* DISCVRSVVM *IN C. CORN. TACITVM,* LIBER DECIMVS SEXTVS.

Quantum cauere debeat princeps in rebus, quæ ſibi proponuntur, diiudicandis.

DISCVRSVS I.

NIhil æque principis ingenium, ac ſapientiam patefacit, detegitque, quam rectum earum rerum, quæ ipſi proponuntur, iudicium: propterea quod Chymici theſauros, ac diuitias inæſtimabiles proponunt: exules nouorum adeptiones regnorum: Mathematici inauditas artes, & omnis generis præſertim bellica inſtrumenta: mali miniſtri modos tributorum, vectigalium, aliorumque onerum imponendorum exquiſitiſſimos. Quibus in rebus princeps, niſi caueat, errores maximos capere poteſt. Ex iis autem illa, quæ citra controuerſiam iniquitatem redolent, quibus aures omnino denegandæ ſunt, omittentes; reſtat, quomodo in cæteris animus principis regatur, conſiderare. Proinde Luſitaniæ

rex arguitur, quod Columbum, nauigationem Indicam exhibentem contempſerit, laudaturque Caſtiliæ regina, quæ rem propoſitam amplectens, noui orbis inueniendi fundamentum iecerit. Etenim mihi videtur, cum propoſitæ quæcunque res aut falſæ, aut veræ eſſe queant, principi adprime conuenire, vt eas neque acceptet, neque recuſet, niſi quatenus dignas, vt approbentur, vel reiiciantur, arbitratus fuerit. Credo equidem, maxime conducibile eſſe, omni aſſenſu cohibito, atque ſuſpenſo, aliquot in mente decreta, ac fixa dogmata retinere, quæ perraro fallunt, aut falluntur: verbi gratia, Non omnia, quæ verbis probabilia ſunt, & vera videntur, re ipſa eadem eſſe, aut eodem modo ſuccedere: Multa primo adſpectu magna, & magnifica videri, quæ per ſe ipſa debilia, vanaque deprehenduntur: Multa leuia videri, quæ magnum momentum ferunt; Neque omnia, qualia paruis formis conſpiciuntur, talia in magnis euadere. Præterea ſtudioſe conſiderandum eſt, quis ille ſit, qui proponit, quæque illa res, quæ proponitur: & priuſquam concludatur, an eius experimentum aliquod, interim ſilendo, haberi poſſit. Inde ſuadeor, vt dicam, principem non debere ſtatim aſſentiri, quia reperiuntur nonnulli, qui nihil recte dictum, monitumve putant, niſi quod ipſis autoribus dicitur, & monetur, & eiuſmodi erat natura Laconis præfecti prætorio Galbæ, *Conſilii, quod ipſe non afferret, inimicus, & aduerſus peritos peruicax.* [a] Quod non omnia re, vt verbis ſuccedant, manifeſte cognitum eſt in prælio, quod inter Perſeum, & P. Æmilium commiſſum eſt, in quo elephantes *nomen tantum ſine vſu fuerunt.* [b] Multa magna, & magnifica videri, quæ ſine vllo effectu euaneſcunt, comprobatum eſt in Antiocho rege, cum oſſa Macedonum in prælio Cynoſcephale occiſorum colligens, aliud non eſt conſecutus, quam vt, alienatis Macedonibus, in odium Philippi incurrerit; qui ea de re Antiocho ſuccenſuit, & Romanis nulla interpoſita mora adhæſit. [c] Leuia videntur, ſed exitu grauia deprehenduntur illa; quoties, verbi gratia, in ciuitatibus gubernandis præcipitur, puerorum, nutricum, pædagogorum, ſimiliumq; principiorum curam habendam eſſe. Quæ, inſtar magni alicuius ædificii fundamentorum, ſi bene collocentur, quælibet machina exſtrui poteſt; neglectis ædificium labaſcit: ad hanc rem Liuius, *Parua ſunt hæc, ſed parua iſta non contemnendo maiores noſtri maximam hanc rem fecerunt.* [d] Non ſemper in magnis formis eadem ſuccedere, quæ in paruis videntur; nihil eſt, in quo noſtra tempeſtate plura exempla afferri poſſint, cum videamus quotidie circumferri molendinorum, & machinarum, ſimiliumque opificiorum ideas, quæ in magnas formas redactæ omni effectu fruſtrantur. His animo principis infixis dogmatibus, ſi quis coram ipſo aliquid propoſuerit, caueat, vt Neronem imitetur, qui hominis cuiuſdam theſauros proponentis conditione non reſpecta, nulloque experimento exacto, imo pro comperto habens, quod in aëre fundabatur; quin etiam (quod peius fuit) vltro rumorẽ augẽs, mittenſque, qui velut partam prędam adueherent, ſeſe credulum nimis, & leuem, incautumque principem præbuit. [e] Non ita M. Dux Coſmus, qui Baſilio, patentes literas poſcenti, quibus liceret theſauros inueſtigare,

[a] lib. 21.
[b] Liu. l. 44.
[c] lib. 36.
[d] lib. 7.
[e] lib. 16. in prin.

gare, iuſſit, vt proferret; Vbi, & quando; tunc prouiſum iri, quia incertitudine hac negotia confunduntur. Idcirco argumentum illud, quod Annibal coram Antiocho fecit, perpulchrum eſt, cum ſcilicet dixit, *Non ſuadeo, qui vt non omnis peritiſſimus ſim belli: cum Romanis certe bellare, bonis, maliſque meis didici.*[f] Et Mutianus cum Veſpaſiano de hac materia clare ſic loquitur, vt neq; dici, neq; excogitari quidquam melius poſſit, oſtendens, proponentis hominis conditionem maxime attendendam eſſe, *Qui ſuadet conſiderandus eſt, adiiciatne conſilio periculum ſuum, &, ſi fortuna cœptis affuerit, cui decus acquiratur.*[g] Ex iis rebus, quæ proponuntur, aliæ præſertim vtilitatem promittunt, damnum autem futurum: aliæ damnum præſens, vtile futurum: qua in re ab initio arrigendæ aures, quia ſicuti non expedit ob paruam vtilitatem magnum, quod futurum eſt, detrimentum negligere; ita neque paruum damnum præſens retrahere debet, quin ad conſecuturam plurimam vtilitatem reſpiciatur. Et mirandum eſt, quo pacto in vtroque quotidie peccetur; peccatum autem prouerbio illo adiuuatur, Melius eſſe hodie parua tenere, quam plurima craſtino die. Vnde Galbæ liberti principem ſenectute fractum, neque victurum diu, cernentes, meſſem auream colligere feſtinabant.[h] Diuerſi fines cum principem decent, qui proſperam ſui memoriam, famamq; immortalem curare debet, quamuis hæredes ſuos habiturus non ſit.

[f] Liu. l. 36.
[g] lib. 18.
[h] lib. 17.

In omni re non modo quid agendum, ſed quod agitur, an præſentibus congruat temporibus, reſpiciendum eſſe.

DISCVRSVS II.

NVllam videtur diſputationem admittere præceptum illud; Vnicuiq; in tota vita ſua id agendum eſſe, quod honeſtum, & ratio ipſa dictat. Nam qui aduerſus hoc diſputaret, is nihil proficeret, imo improbi, ac flagitioſi hominis ſpecimen præberet. Nihilominus vt nunquam decet, nos qualibet occaſione, tempore, exemplo praua agere, ſic in quacunque re etiam optima, quæ agenda ſit, conſiderandum eſt, an exitum ſortitura ſit, an tempeſtiue agatur, an præſentibus temporibus congruat, ne abſque vlla vllius vtilitate opus irritum, ſæpe periculoſum, & incipienti exitiale aggrediamur, vt de Thraſea dictum eſt, qui ſeueritate ſua nihil Senatui profuit; neque cæteris libertatis, neque ſibi ſalutis viam aperuit.[a] Aliud me exemplum explicabit melius. Cum inter proximos, & amicos Thraſea conſultaretur, tentaretne defenſionem in Senatu, an ſperneret, diuerſa conſilia afferebantur: quibus adſtans Ruſticus Arulenus tribunus plebis cupidine laudis offerebat ſe interceſſurum Senatuſconſulto: ſed Thraſea, qui ſuo damno ſapere didicerat, flagrantis iuuenis ſpiritus cohibuit, *ne vana & reo non profutura, interceſſori exitioſa inciperet.*[b] Equidem nihil glorioſius tribunus agere poterat, quã ſapientem, atq; innoxium ſenatorem, ipſamq; adeo virtutem defendere: ſed cũ iam Neronis odiũ exardeſceret, quid iuuenis aliud egiſſet, quam

[a] lib. 14.
[b] lib. 16.

ſine

ſine Thraſeæ vtilitate ſuum ſibi excidium accelerare? Non enim tempora tunc Romanæ reipub. inſtabant, cum autoritas, & honeſtas magiſtratuum integra erat, & ſimilia cum laude efficiebantur. Igitur huiuſmodi laudis deſiderium, quod abſque ſpe fructus maxima damna parere poteſt, effugiendum eſt, ſicuti alio exemplo, ac ratione autor edocuit, cum de Galba loquens, *Conſtat*, inquit, *potuiſſe conciliari animos quantulacunq; parci ſenis liberalitate: nocuit antiquus rigor, & nimia ſeueritas, cui iam pares non ſumus*, [c] quia ſcilicet iam mores mutati. Ideo ſi quis hodie filium, quia ducis imperium non exaudiſſet, quamquam victorem, ſecuri feriri vellet, vt olim Torquatus, is profectò ſtolidæ crudelitatis notam ſibi inureret, neque amiſſum priſcæ militiæ decus reſtitueret. Ergo audita, lectave exempla ſtatim imitatione digna ne putentur; ſed etiam atque etiam perpendantur, an iis tempora conueniant, in eumque modum conſilia ſua quilibet diſponat, vt ea non aggrediatur, quæ ſibi noxia, cæteris minimum prodeſſe valent.

[c] lib. 17.

FINIS LIBRI DECIMI SEXTI.

SCIPIO-

SCIPIONIS AMIRATI

DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM

IN C. CORN. TACITVM,

LIBER DECIMVS SEPTIMVS.

Quiſquis aduerſa pleraque effugere, & inter egregios principes cenſeri cupit, is ſibi conſtare, & in omnibus actionibus æqualis eſſe debet.

DISCVRSVS I.

QVemadmodum peritiſſimi natatores propter diuturnam natandi conſuetudinem contra torrentem brachia extendere, & diſcrimina euadere poſſunt: ſic inſuetæ virtutis homines (nihil quidquam aduerſantibus, quæ nuper diſſeruimus) poſſunt maximæ laudis ſpe, moribus temporum ſuorum obniti, eoſq; maxima ex parte ſuperare: Quod in Catone deprehenſum eſt: cuius vitam, & mores quiſquis legerit, manifeſte intelliget, nihil obſtinatæ eius virtuti arduum, nihil inſuperabile fuiſſe. Corbulo, in quæ tempora inciderit, cum eum ducem Neronis fuiſſe cogitauerimus, non ignorabimus. Cum is antiquam diſciplinam ad nihilum, vt cæteras virtutes, redigi videret, non dubitauit militem, quia vallum non

[a] Tac. l. 12.

accinctus,atq; alium,quia pugione tãtum accinctus foderet,morte punire.[a] Dicet mihi aliquis : res non ſemper ita ſuccedunt,idcoque fallacia ſunt argumenta, quæ ab exemplis trahuntur : Hoc autem verum eſſe, comprobatur, quia Galba Imperator,cum dixit,*legi a ſe militem,non emi,* vitæ,imperiiq; iacturam fecit:vnde inquit Tacitus,vocem illam Galbæ fuiſſe *pro rep. honeſtam,ipſi ancipitem.* Ad quod reſpondeo;non hanc fuiſſe turbarum occaſionem,ſed aliam magis vniuerſalem, quæ ſtatim ſequitur, *Nec enim ad hanc formam cætera erant;*[b] quia de aulicis, & libertis eius æque fœda,ac de Neronianis leguntur. Igitur non debet,quiſquis apud populos fidem,& autoritatem quærit,moribuſq; præſentibus cupit obſiſtere,aliud facere,aliud dicere, ſed dicta factis conſtare debent : Nam qui ſemel deceptus eſt, te poſtmodum contemnet,vel tibi eatenus morem geret;quatenus vitantum cogetur. Cum quidam Archiepiſcopi Florentiæ tantum ſibi poteſtatis vſurpare vellent, quantum B.Antoninum habuiſſe, legimus,iis dictum fuit, curarent,vt,quomodo B.Antoninus vixerat,ipſi viuerent,deinde quælibet efficerent;neminem obſtiturum. Sicuti igitur qui artem poëticam tradunt, docent,ſi vis alios flere,primum tibimetipſi flendum eſſe:ſic res magnas effecturum oportet,vt nõ pompæ,& ambitionis gratia,ſed naturaliter, & ex animo ea faciat,quæ, vt alii imitatione conſequantur, elaborat. Quod ſi Iulio II. ferociter,atque impetuoſe agendo, proſpere cuncta ſucceſſerunt,id non,vt quidam aſſerit,ex temporum conſtitutione ſucceſſit, ſed quia in conſeruando theſauro, ac dignitate Eccleſiaſtica actiones eius æquales, ſibique conſtantes fuerunt, erga ſuos autem affines inuicto animo ſe gerens,nihil eorum cauſa Eccleſiaſticę vtilitati vnquam detraxit. Neq; ratio ab aliis adducta alicuius momenti videtur, quia ſi tempora Papæ Iulii feruorem in agendo requirebant, igitur quicunq; ætate Iulii ſedate agebant,in errore verſabantur : quod eius ſeculi hiſtoriis non comprobatur,quemadmodum neque Fabius Maximus ideo ſedate egit, quia in tempora inciderit, quibus temperate ageretur : nam eo tempore alibi bella gerebantur, quibus gerendis diuerſus à Fabiano ſtylus obſeruandus erat : Præterquam quod ars bellica iuxta ducum naturam, moreſque,non iuxta rationem militarem gubernaretur. Nos autem videmus, bonos duces modo lentos eſſe, modo impetuoſos, modo crudeles, modo benignos, prout belli ratio, ac rerum præſentium neceſſitas requirit,non prout eorum mos,& natura dictat. Verum autor,qui ab hac opinione diſſentit, ex ſe ipſo demum veritatem animaduertit : nam vbi concluſit, ad proſperam fortunam perpetuo conſeruandam ſimul cum temporibus variandum eſſe,mox alium pergit diſcurſum inſtituere,quo nititur probare,fortes reſpubl.viroſq; virtute præſtantes omni fortuna eundem animum,eandemque dignitatem retinere. Quibus opinionibus concordes fuiſſemus,ſi diſtinxiſſet,illud in paruis,& debilibus rebuſpubl.magis verum eſſe,hoc autem in potentioribus: at cum primo loco dixerit,remp.diutius viuere,& fortunatius agere, quam principatum,quia diuerſis temporum mutationibus ſe melius accommodare poteſt; quo caſu de Romanis loquitur : manifeſta deprehenditur repugnantia. Quod ſi

[b] lib. [illegible]

Cato

Cato temporibus non paruit, ſed vt ipſa ſibi parerent, voluit, quāto magis idem potentem remp. aut principem præſtare decet? hi ſiquidem (vt vltimo diſcurſu probe ſuſtentat) omni fortuna eoſdem animos, eandem dignitatem conſeruant. Loquar de noſtris temporibus, ne laudabilibus exemplis omnino carere videantur. Videmus regis Hiſpaniarum immenſam potentiam, atque iuſtitiam. Et nihilominus Mediolani, vbi de iuriſdictione Eccleſiaſtica, aut temporali agebatur, Cardinalis Borromæus eius miniſtris aduerſari, & eos excommunicare auſus eſt, & in incepto, nunquam indignitatem aliquam admittens, perſeuerauit: quæ res & ipſi, & regi perhoneſte ſucceſſit, dum rex in optimam partem, vt Chriſtianum principem decebat, cuncta interpretans, mandauit, vt, quod æquum foret, conficeretur. Equidem fuit ille nobiliſſimæ Eccleſiæ, quam pariter diuinus Ambroſius adminiſtrauerat, digniſſimus Antiſtes, vitam Ambroſii ſimilem ducens innocentiſſimam, omnique laude refertam: Quin etiam ex locuplete Cardinale, opimis Pontifici reditibus conſcientiæ cauſa renuntiatis, pauper effectus, poterat in cæteris eoſdem, quos Ambroſius, mores tenere. Totum igitur huius materiæ pondus in illo conſiſtit, vt quod agitur, ex animo, & firma, rectaq; inſtitutione agatur: nam qui vere agit, ſemper immutato animo agit, neq; temporibus ſubiacet. Sic aut poſt labores optata aſſequimur, aut mortem glorioſam obimus: quæ ſane ignobili vitæ anteferenda eſt, cum ſeruis, ocyus omnibus moriendum ſit. Concludamus igitur, homines, qui temporibus potentiores non ſunt, conſulto agere, dum temporibus morem gerunt, vaſtumque curarum pelagum fugiunt; alioquin in eo aut ſubmergētur, aut non ſine ſui dedecore ad littus eiecti, cum ſuæ conditionis hominibus natando, agitabuntur: quemadmodum Cato Statilium irridebat, quod Cenſorios eius mores imitaretur in republ. Proinde ipſum commiſerabatur, & amicis commendauit, quo iuuenilem animum in ſuperbiam elatum mitigarent.[c] [c] *Plut. in Cat. Vtic[illegible].*

Non eſſe vtendum imperio, vbi iure agi poteſt.

DISCVRSVS II.

QVoties quidam noſtra tempeſtate duces in vitam aliquorum legibus ordinariis animaduertere non potuerunt, confeſtim ad legem militarium ſubſidium confugerunt, allegantes ſe poſſe iure militari, etiam incognita cauſa, homines internecioni dare. Proinde quotidie videmus, non modo ſupremos exercituū duces, ſed centuriones, ſimileſve miniſtros ſępe in milites contemptis legibus deſæuire. Profecto, cum ſcripta lex habeatur, quo iure ſimilia efficiant, non video. Obſeruo aūt, non centurionem, aut ducem quempiam, ſed Galbā ipſum Imperatorem Romanum vituperari, quod Ciconium Varronem, & Petronium Turpilianum *inauditos, atq; indefenſos, tanquam innocentes*, damnauerit,[a] qua in re duplex error cōmittitur, alter quia princeps, qui legib. non obtēperat, tyrannidē [a] *lib. 17.*

exercet;alter quia,dum illos,quibus princeps ſuccenſet,tanquam noxios interire iubet, mauult, vt tanquam innocentes pereant; vnde mortuis miſeratio contra principem, vindictæq; deſiderium exoritur. Ideo ſapienter Tiberius cenſuit, *non vtendum imperio, vbi legibus agi poſſet*. Quocirca maior admiratio ex eo capienda eſt, inueniri principes, qui ab amicis harum rerum non imperitis commoniti, non poſſe quempiam via ordinaria damnari, audeant ipſis in vim poteſtatis, quam abſolutam in hominum vitam, necemq; ſe habere putant, damnandi auctoritatẽ impartiri. Quod Liuius de Philopœmene, qui Achæorum prætor tunc temporis erat, ſcripſit, ad hanc rem facit. Is quoſdam, quos mortuos maximopere cupiebat, à multitudine contra eos furiente ſummo ſtudio liberauit, *non quia ſaluos vellet, ſed quia perire indicta cauſa nolebat*. Imo iubent leges, neminem morti deſtinandum, niſi ore ſuo delictum fateatur: Proinde cum Cardinali Caraffæ mors denuntiata fuiſſet, reſpondit, *Cum tamen nihil confeſſus ſim?* Denuntiantes autem ii, cum crederent, eum de Sacramento confeſſionis intelligere, reſponderunt, Iam confeſſarium illic adeſſe. Dicent nonnulli: Quid agendũ cum magnatibus; aduerſus quos tantummodo ſuſpectos, ceterum innoxios, tanquã contra nocentes decretum eſt? contra leges imperandi, & rationem ſtatus liberandine ſunt? hæc enim, ne magnates offendantur, aut ſi læſi fuerint, vt ab iis caueatur, præſcribit. Dico, has leges ſtatus in meo libro deſiderari, noſque debere accidentia, quę mutabilia ſunt, & innumera rationi, quę ſtabilis, & vna eſt, non rationem accidentibus accommodare. Neque principem, cuius cuſtodia in manu Dei eſt, timere decet, ſi magnatem aliquem innocentem compererit, eum liberare, aut ſi etiam reus fuerit, aliquando abſoluere, vt clementiæ opera exerceat. Similiter ſubditus *vt imbres, & cætera naturæ mala. ſi auaritiam, & luxum dominantium toleret*.[b] Philippus Secundus rex Hiſpaniarum cum Ferdinandum Albæ Ducem in inſulam deportaſſet,[c] illum inde reuocatum Luſitanico bello præfecit, neque tamen eum admiſit ad iuſiurandum, quod prouinciæ principi regis filio præſtabant; vnde Dux ſolitus erat dicere, A rege ſe mitti ad regna debellanda, cum catenas adhuc, & compedes ex carcere trahat.[d] Quo facto regis ſecuritas communi cum laude non minus, quam Ducis moderatio, ac patientia reſplenduit, nedum mali aliquid hinc ſequeretur. Quod ſi quis diceret, ſummos reges poſſe, quicquid libet, facere: Reſpondeo, Magnum Ducem Coſmum permiſiſſe, vt M. Dux Franciſcus filius pondus militum, arciumq; regendarum confideret Petro Martello, quem paullo antea ſecuri feriri iuſſerat; neque illi ablata, aut diminuta fuit hæc prouincia, etiamſi Camillus eiuſdem Petri frater coniurationis in principem reus necatus fuerit. Non me præterit, maximis principibus ſæpenumero neceſſitates ingruere, quibus coguntur inuſitata conſilia capere ob delinquentium illorum potentiam, quos vinculis dedere, ac ſupplicio afficere neceſſe eſt. Ad quæ aliud nequeo reſpondere, niſi quod dixit Plato, neq; Deos poſſe cum neceſſitate contẽdere.[e] Hoc tñ in huiuſmodi reb. moneo, ſi periculũ immineat maximũ, & quod non niſi alio periculo vitari queat, operę-

[b] *lib. 20.*
[c] *Franc. lib. 3. de reb. Luſit.*
[d] *idem.*
[e] *Lib. 7. de legib.*

precium

precium eſſe, temporibus nonnihil moræ concedere: neq; enim huic diſſimile eſt fortaſſe, quod inquit Sapiens, tempus eſſe deſtruendi, tempus ædificandi. [f] Et huc pertinere poteſt diſcurſus ille, Non debere principes ſumma rerum in vnaquaque re expoſcere. [g] Item alius, Rerum quarundam intelligentiam diſſimulandam eſſe. [h]

[f] *Eccl. 3.*
[g] *lib. 10. diſc. 6.*
[h] *lib. 1. diſc. 4.*

Maximum errorem committi, dum in militaribus muneribus deferendis ſola nobilitas reſpicitur.

DISCVRSVS III.

ROmanorum exercitus in limite inferioris Germaniæ collocatus diu ſine viro conſulari fuerat, *donec miſſu Galbæ Vitellius aderat, Cenſoris Vitellij, ac ter Cōſulis filius: Id ſatis videbatur.* [a] Sic noſtra tempeſtate accidere ſolere, obſeruamus, cum quis dux aut Marchio electus eſt. Alibi in laudem nobilitatis multa diximus, exemploq; Auguſti hortati ſumus principes, vt antiquas ſtirpes pro virili, ſaltem ad gloriam ſuam, conſeruent. [b] Neq; nunc ſententiam commutauimus: verum nihil præter maiorum imagines in muneribus deferendis, maxime regendis exercitibus, reſpicere, deinde, *Id ſatis*, dicere, maximum certe errorem eſſe arbitror. Non prætermiſit Tiberius nobilitatem colere, ſed artem bellicam in nobilibus expetebat, & munia militiæ daturus, quo pacto pacis artibus fulſiſſent, inquirebat, *mandabatq; honores, nobilitatem maiorum, claritudinem militiæ, illuſtres domi artes ſpectando, vt ſatis conſtaret non alios potiores fuiſſe.* [c] Quod autem in nobilitate rem bellicam quæreret, in ea epiſtola clarum eſt, quam de moribus Tacfarinatis in Africa Senatui ſcribit, adhortans patres, vt bello conficiendo Conſulem eligant *gnarum militiæ, corpore validum, & bello ſuffecturum.* [d] Quo loco duas dotes ſuperius intactas adiungit, hoc eſt, corporis valetudinem, & ad onera belli ferenda aptitudinem. Vbi ſingularis eſt militaris artis ſcientia, priuata vitia pleraq; facile tolerantur: ſed hæc ſola ſine fortitudine perraro in precio habentur. Proinde videmus, ſuperioris Germaniæ legiones contempſiſſe Hordeonium Flaccum, vtpote *ſenecta, ac debilitate pedum inualidum, ſine conſtantia, ſine autoritate.* [e] Igitur non ſola nobilitas reſpicienda eſt: nam militaris ars, inter exercitus vitam ducendo, hoſtes coram videndo, cum iis congrediendo, non illuſtrium parentum, etſi bellatorum, ortu addiſcitur. Et Imperator Leo cum cenſet illuſtrem ducem eſſe, qui non ſanguinis claritate, ſed rerum geſtarum gloria reſplendet, ſicut non aurea haſta, ſed ferrea, & acuta bello apta eſt. [f] Cupitne quis deprehendere, quales virtute militari deſtituti nobiles hi euadant? in hunc eundem Vitellium, & ſi Imperator deinde fuit, intueatur. Inquit autor, *Id ſatis videbatur.* Alibi Vitellii rebus, quia Veſpaſianus arma ceperat, declinantibus, quædam prodigia

[a] *lib. 17.*
[b] *lib. 2. diſc. 7.*
[c] *lib. 4.*
[d] *lib. 3.*
[e] *lib. 17.*
[f] *ſentent. mil. 113. & 21.*

enarrans, *ſed præcipuum*, inquit, *ipſe Vitellius oſtentum erat, ignarus militiæ, improuidus conſilii: quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus vrgendo trahendove bello modus, alios rogitans: & ad omnes nuntios vultu quoq; & inceſſu trepidus, deinde temu-* [g] lib.16. *lentus.* [g] Noſtris temporibus (etſi valde inæquali proportione) ſimilem ducē fuiſſe Petrum Portucarrerium Tunetanæ arcis præfectum, accepimus: fertiliſque talium virorum prouentus non deficiet, ſi dixerimus, *Id ſatis videbatur.* Dicet aliquis; Romani duces erant omnes fere nobiles, & pleriq; adoleſcentes maximis exercitibus præficiebantur: hi vero militarem experientiam cum habere nequiuerint, ſequitur, vt more noſtro in muneribus bellicis nobilitas militari virtuti præferretur. Iſtud equidem diligentius examinandum videtur, cum præſertim Tacitus quodam loco egregiam nobis occaſionem offerat. Nam primo Neronis imperii anno allatum erat, Parthos in Armeniam irrupiſſe, pulſo Rhadamiſto: proinde inquirebatur *in vrbe ſermonum auida*, quemadmodum princeps vix ſeptendecim annos egreſſus ſuſcipere eam molem, aut propulſare poſſet: quod ſubſidium in eo, qui a matre regeretur; num prælia quoq; & oppugnationes vrbium, & cætera belli per magiſtros adminiſtrari poſſent. Alii alia contra diſſerebant; ſed quod ad rem eſt, addebant; *Octauo decimo ætatis anno Gn. Pompeium, nono decimo Cæſarem Octauianum ciuilia bella ſuſtinuiſſe: & ſequitur: pleraq; in ſumma for-* [h] lib.13. *tuna auſpiciis & conſiliis, quam telis & manibus geri.* [h] Igitur hoc modo aliquis ex Hiſpaniæ proceribus poterit auſpiciis & conſiliis magis quam armis & manu exercitus regere, cum ei experientiſſimi, ſummæq; exiſtimationis milites deeſſe nō poſſint. Reſpondeo, aliud eſſe de principe ſermonem habere, aliud de priuato. Et ex duobus malis peius eſt à principe inualido ſenecta, & ignauia regi, quam à principe ignaro, & adoleſcente: ille enim neq; per ſe, neq; per alios militiam recte gubernabit: hic ſaltem neceſſario, ac naturaliter permittet, vt peritiores exercitum regant, præterquam quod in caſu noſtro Vitellius princeps ſenex, omniumq; ignarus, & ad militiæ labores ineptus erat: Pompeius & Octauius, quāquam vix ex ephebis exceſſerant, non penitus ob inſcitiam militiæ incepti erant. Præterea obſeruandum eſt: hæc inter vulgares fuiſſe diſcurſus dictitata; non certam autoris ſententiam. Deniq; non adeo tenenda ſunt, quæ circumferebantur, quin ea, quæ geſta ac perfecta fuere, non præferenda ſint, hoc eſt, Neronem prudentiſſime excellentiſſimum omnium ducem Corbulonem retinendæ Armeniç præpoſuiſſe, lætis præter ſuetam adulationem, Senatoribus, quia *videbatur locus* [i] ibid. *virtutibus patefactus.* [i] Præter illa, quæ ſatis veritati conſentanea diximus, quandā animi mei ſententiam hunc locum illuſtraturam in medium afferre, neceſſe habeo. Quemadmodum nos Chriſtiani, ſiue quis ſenex ſit, ſiue adoleſcens, ſiue ruſticus, ſiue nobilis, ſiue ignobilis, ſiue artifex, doctor, medicus, mercator, eques, aut cuiuſcunq; profeſſionis ea, quæ ad religionē pertinent, plus minuſve, omnes intelligimus: Sic apud Romanos artis militaris principia ac fundamenta, quaſi materno lacte imbibebantur, cumq; arte militari omnes fere illius religionis articuli coniungebantur. Quare parentes, aut maioris æui fratres, ab exercitibus

reduces, pueris vel inter dapes, & ad ignem conſidentes narrabant, quomodo oppugnationes oppidorum factæ fuiſſent, quomodo hoſtes inſidiis decepti, quomodo cum ipſis in campo dimicatum, quomodo infidelium amicorum rebellio caſtigata, quomodo militaris diſciplina correcta, totq; alias militiæ neceſſitates. Vnde mirandum non erat, ſi maturius quam ętas permitteret, rerum militarium periti ſſimi euaderent: ſed hæc ſcientia adaugebatur magis, dum euntibus cũ tota familia in prouinciam ducibus contingebat, vt adoleſcentuli filii non modo exercitus viderent, ſed in iiſdem ortum ducerent, & educarentur: vnde Caligulæ nomẽ prodiiſſe traditũ eſt.[k] Et Agrippina eius mater militaribus officiis perfuncta, *impoſitum Rheno pontem ſolui prohibuit*.[l] Hinc legimus, Cæcinam cum Salonina vxore, inſigni equo, oſtroq; vectam, ex Gallia in vrbem rediſſe. [m] Hinc Caluiſii Sabini vxor, *mala cupidine viſendi ſitum caſtrorum per noctem militari habitu ingreſſa eſt*.[n] In ſumma, etſi apud Tacitum legimus, olim decretum, *ne fœminæ in ſocios aut gentes externas traherentur*: tamen aliàs conceſſum fuit, iterumq; cum diſputaretur; permiſſum, vt cum magiſtratibus in prouinciam iret.[o] Addo præterea, quoſdam aliquando adoleſcentes exercitibus regendis deſtinatos fuiſſe, qui ab ineũte ætate militiæ aſſueti, & ſupra ætatem ſapientes noſtram diminuere poſſunt admirationem. Recitat Liuius, Scipionem poſt patrem ac patruum defunctos in Hiſpaniam ducem miſſum fuiſſe, ætatis ſuæ annum agentem vigeſimum quartũ anno vrbis 543. Coſſ. Sulp. Galba, & Fuluio Centumalo. [p] Et nihilominus idem Scipio non ſolum cladi Cannenſi interfuerat, ſed tribunus militum de non deſerenda rep. milites quoſdam in contrarium conſultãtes ad ſacramentum adegit. [q] Quo tempore decimum & nonum annum excedere non poterat. Credemuſne, ſolum Scipionem, & non pleroſq; alios adoleſcentes, & tunc, & aliàs in exercitibus verſatos eſſe? Hæc diſſerui, vt probarem, artem militarem ab adoleſcentulis Romanis quaſi cum lacte apprehenſam fuiſſe: ſic in ciuitatibus, quæ mercurialibus negotiationibus deditæ ſunt, videmus adoleſcentes teneris adhuc annis eas artes, quæ ibi celebrantur tractare, & melius, quam alibi cæteri quicunq; ſagaciores, ediſcere: adeo vt mirandum nõ ſit, ab adoleſcentibus Scipione, Pompeio, Octauio ea ætate, quam ſcriptores tradiderunt, maximos exercitus feliciter ductos fuiſſe: quod vero non omnes excellerent, minus mirandum eſt, quia non eadem felicitate in agris naſcuntur nobiles herbæ, vt tribuli, & vrticæ: pręterquam quod cauſa, cur Vitellius ineptus euaſerit, in comperto eſt; quia ſcilicet pueritiam ſuam aliis, quam bellicis meditationibus inter ſpintrias Tiberii exercuit.[r] Concludo igitur, nobilitatis reſpectum in militaribus muneribus diſtribuendis contemnẽdum non eſſe, maxime quia temporibus noſtris pleriq; ducibus huiuſmodi nobilioribus libentius, quam nouis hominibus obtemperant, modo ne illud enuntietur, *Id ſat is videbatur*. Hoc enim pacto non modo noua regna non acquirentur, ſed etiam exercitus, & claſſes vix domum ſaluæ reducentur.

[k] *lib. 2.*
[l] *ibid.*
[m] *lib. 18.*
[n] *lib. 17.*
[o] *lib. 3.*
[p] *lib. 16.*
[q] *lib. 22.*
[r] *Suet. in Vitell. c. 3.*

Principibus curandum eſſe, ne ſubditos ſuos lædant.

DISCVRSVS IV.

SVb finem pulcherrimæ illius orationis, quam Galba ad Piſonem, cum ipſum in filiũ adoptaret, habuit, ad cætera regnandi monita vnum addidit, ꝙ ꝑfecto vbiq; in palatiis principum inſcribi, & perpetuo memoria retineri mereretur: hoc autem eſt, *Cogita, quid aut nolueris ſub alio principe, aut volueris.* [a] Idem fere Dio ſcribit, à Mecœnate dictum fuiſſe Auguſto in calce orationis, quam ad ipſum habuit, verbis hiſce, *Si hæc tua ſponte omnia egeris, quæ velles alium in te imperium habentem agere, nulla in re peccabis.* [b] Quod cum Chriſtiano præcepto valde congruit, Quod ſibi non vult quiſq; fieri, id alteri faciendum non eſſe. Quam ſententiam Alexander Seuerus, etſi minime Chriſtianus, adeo dilexit, vt non modo illam frequenter vſurpauerit, ſed etiam vbiq; in palatio, & in operibus publicis inſcribi mandauerit. [c] Nam opus, quod huius ſententiæ iterata commemoratio paritura eſt, illud præcipuum erit, vt cæteri à te ea non patiantur, quæ tibi olim priuato diſplicebant, & rerum potitus cures, vt cæteri iis rebus fruantur, quibus tu quondam frui deſiderabas. Si præceptum hoc mente recoleretur; & principes iuberent, vt quoties mane cubiculum ad tunicam porrigendam cubicularius ingreditur, diceret, Memento, princeps, eorum, quæ Galba ad Piſonem dixit, quẽadmodum legitur, Regem Perſiæ obſeruauiſſe, vt ſibi ſemper mane ſuggeri vellet, meminiſſet ea peragere, quæ Meſoromaſdes monita reliquerat, [d] profecto ſuperuacanea foret præceptorum omnis multiplicatio, & hoc vnum inſtar omnium proficeret. Verum quia omnes hanc meditationem refugiunt, & principibus res (vt aiunt) digeſtæ proponendæ ſunt; ideo ad particularia deueniam. Et legentis memoriam refricans, proprium eſſe humani ingenii, vt magis contemptu, quam damno afficiatur, [e] ita proſequor. Si aliquem lædere cogitas, eum ne contemnito: nam Caligula à Chærea occiſus fuit, quod eum vt mollem, & effœminatũ denotare omni probro conſuerat: & modo ſignum petenti Priapum, aut Venerem dare; modo ex aliqua cauſa agenti gratias, oſculandam manum offerre formatam, commotamq; in obſcœnum modum. [f] Et ſimilẽ ob cauſam Quintianus contra Neronem coniurauit. [g] Quod legum ope efficere potes, id per vim atq; potentiam ne efficito; nam tyrannidis famam inutiliter acquires. [h] Cũ præmia ac remunerationes militibus pollicitus fueris, ne differto: quia principiũ defectionis à Galba Imperatore ortum eſt *ex deſperatione delati toties donatiui.* [i] De iniuriis, quas intimi & familiares tui ſubditis tuis fecerint, ne omittas pœnam ſumere, quia læſus à priuato, & fere à principe deriſus, contra principem magis, quam contra priuatum iram recondit, coquitq;: vnde Pauſanias Philippum

[a] Tac. l. 17.
[b] lib. 52.
[c] Lamprid.
[d] Plutarch. de doctr. princ.
[e] lib. 1. diſc. 1.
[f] Sueton.
[g] Tac. l. 15.
[h] hoc lib. diſc. 2
[i] lib. 17.

Macedoniæ regem interfecit. Si aliquem grauiter læſeris, penes te noli ipſum habere: quod non obſeruauit Lambertus Imperator, qui ex venatione fatigatus ſomnum capiēs ſub cuſtodia Vgonis, cuius patrem interfecerat. Vgo arrepta temporis opportunitate patris mortem vindicauit. [k] Ne homines in continuo tuæ crudelitatis pauore detineas, quia cum dubitēt omnes, ne ſibi illud accidat, quod cæteris euenire cernunt, ſibi cum tuo excidio conſulere non procraſtinabunt. [l] Filias, ſorores, vxores ſubditorum tuorum relinquito: nihil enim, quam hoc, magis principes commaculat: quam ob cauſam à ſuis populis Oddo Antonius Vrbinatium dux interfectus eſt. [m] Quidam principes adeo obſcœni ſunt, & inhoneſti, vt poſtquam ſuam libidinem expleuerint, ad prædæ partem aulicos ſuos inuitent: quæ fuit potiſſima cauſa necis Iohannis Galeatii Sforciæ Mediolani ducis. [n] In duos treſve homines ne omnes fauores, cæteris regni proceribus contemptis, accumules: hoc enim ad deſperationem pleroſq; adigit. Fœminis tuis iniuriam ne facito: nam quia aditum & conſuetudinem apertam habent, omniſq; poteſtatis ſociæ, participeſq; ſunt, acerrimam poſſunt, ſi libet, vindictam ſumere; vt Roſimunda fecit aduerſus Albuinum, qui primus Longobardorum in Italia rex fuit. [o] Fratres diuerſa matre natos, neq; autoritate pares ne contemnito: nam ob hanc cauſam Petrus Caſtiliæ rex ab Henrico fratre vita, regnoq; ſpoliatus eſt. [p] Ne regna iniuſte vſurpes alieno ſanguine, alioquin tibi eadem proprio deponenda erunt, vt coactus eſt deponere Carolus Tertius Neapolis rex, qui Iohannam affinem ſuam cum, oblitis faucibus, interemiſſet, haud multo poſt à Pānonibus coram populo occiſus fuit. [q] Ne ſpolies quenquam patrimonio; quod quia vitam ſuſtentare ſolet, ideo pleriq; opibus, quaſi vitæ ſubſidijs ablatis, ruunt vindictæ cauſa in præcipitia. [r] Si nouus princeps es, re imperare contentus eſto, neq; vanas oſtentationes curato, quia hoc contra Cæſarem coniuratos male animauit. [ſ] Accepi ab aliquibus (quod diſputationis noſtræ fundamentum erueret) aliud eſſe principem agere, aliud priuatum ſtatum retinere: idcirco multos ad imperium euectos opiniones mutauiſſe, vnde præceptum, Cogitandum eſſe, quid aut volueris ſub alio principe, aut nolueris, futile euaderet. Ad quæ reſpondeo: verum eſſe, *non eadem decora principibus viris, & imperio populo, quæ modicis domibus aut ciuitatibus.* [t] Sed tamen recta ad virtutem, & ad honeſtatem cuncta principum conſilia dirigenda eſſent. Non amplius tibi, cum princeps iam factus ſis, obſequio atq; adulatione aduerſus alios principes graſſandum eſt, non eſt diſſimulandum, non ſunt amplius indecora patienda: Cum priuatus eſſes, litium immortalitatem vituperabas, aulicorum licentiam faſtidiebas, mercatorum furta diſplicebant, militum latrocinia deteſtabaris; quare modo in principatu aduerſus iſta non decernis? Cum priuatus viator eſſes, difficiles viæ, itinera male tuta, publicanorum moroſitas, cauponum doli, totq; alia pauperum viatorum incommoda diſplicebant, cur principatum adeptus rebus hiſce non conſulis? nū friuola hæc tibi videntur? At non Romanis leuia, minutaq; viſa ſunt: ſiquidem in viis publico beneficio reparandis non modo maximum ſtudium collocaue-

[k] Luitpr. l. 16.
[l] Herod. l. 4.
[m] Simonetta l. 7. c. 5.
[n] Corius par. 6
[o] Paul. Diac. l. 2. c. 14.
[p] Vaſ. Rod. c. 18
[q] Bonnius dec. 4 l. 1.
[r] Ariſt.
[ſ] Suet. & cæteri.
[t] Tac. l. 3.

runt,ſed etiam magnificentiam incredibilem.Igitur Galbę præceptum veriſſimũ eſt:nam cum toto ſuæ ætatis tempore priuatus, & ad imperium nouiſſime ſublatus fuiſſet,nōdum cæterorum vitia principum obliuioni tradiderat,ideoq; de illis Piſonem commonefaciebat. Quinimo meditationes illæ,quas priuatus fouebas,pluris tibi ſunt faciendę,quam eę,quæ te principem ſubſecutæ ſunt.Etenim ſicut illæ,cum vnus de multis eſſes,communi populi conſenſu in animo tuo excitabantur,vnde non abs re dictum fuit,vocem populi vocem eſſe Dei;ſic hę dominandi libidine exſuſcitatæ contemptis prioribus, vi dominationis à teipſo te conuellunt, & quaſi ebrium, & effrenis inſaniæ hominem per fas & nefas,quocunq; cupiditas trahit, retrahitq;, te voluunt atque reuoluunt.

Populos non eſſe in continuo metu detinendos.

DISCVRSVS V.

NIſi princeps timeatur, populi in officio contineri non poſſunt:verum ſi populi continuo timore ſollicitentur, non modo hoc tyrannidem redolet,ſed etiam intutum eſt: Tyrannicum eſt, quoniam ciuilis gubernationis finis eſt, populorũ felicitas:intutũ,quia quiſquis timet, quamcunq; poteſt,operam nauat,& cuilibet ſeſe periculo exponit, vt ex illo timore liberetur;ſicuti Galbæ milites fecerunt,de quibus noſter; *Nec remedium in cæteros fuit, ſed metus initium, tamquam per artem, & formidinem ſinguli vellerentur, omnibus ſuſpectis.*[a] Etſi enim ii aliis de cauſis ad ſcelus illud committendum impulſi ſunt, omnes tamen timore commoti fuerunt: *in communi omnes metu terrebantur.*[b] Sicque indubitata ;& vera eſt hæc propoſitio; vt qui omnino deficere aliquando voluerint, quo defectionis cauſam ſibi prætexerent, eundem timorem nunquam non ſimulauerint, vt Cephalenii de Samiis apud Liuium,ibi; *cæterum ipſine ſibi finxerint hunc metum, & timore vano quietem exuerint*: & quæ ſequuntur.[c] Idem Germanicæ legiones effecerũt,inter quas ſummo aſtu rumor diſſeminatus, ſtolideq; receptus fuerat,fore,vt decimarentur, & promptiſſimus quiſq; centurionũ dimitteretur.[d] Quibus rumoribus Silures in defectione pertinaces fuere, credentes,Imperatorem dixiſſe,vt Sicambros,*ita Silurum nomen penitus extinguendum.*[e] Ariſtoteles inter cauſas regni mutandi timorem non prætermittit, afferens Artapanis exemplum.[f] Igitur in animis populorum timorem enutrire, erroneum eſt. Quæ res,principibus non incognita, effecit, vt plurima prudentiæ cauſa egerint, quæ cæteri ob ſimplicitatem acta fuiſſe, putauerunt; verbi gratia, cum Tiberius nō ignarus, pleroſq; in rumore ſerui Clementis fouendo peccauiſſe, ſingulos tamen non putauit eſſe conquirendos.[g] Neq; P. Æmilius cũ Græciã peruagaretur, cenſuit inquirendũ, quid quiſq; in bello Perſei publice,vel priuatim contra Romanos machinati fuiſſent, *ne cuius metu ſollicitaret animos ſociorum.*[h] Alii, ꝙ faciendũ eſt,cito exequuntur. Cæſar,cũ Carnutes bello viciſſet,non ignarus,ab iis initium

a lib 17.
b ibidem.
c Liu.l.38.
d Tac lib.17.
e lib 32.
f
g L.2.diſ.8.
h Liu.l.45.

belli ortum eſſe, ac proinde ſibi à Romanis maxime timere, ſolum principē ſceleris, & concionatorem belli Guturnatum ad ſupplicium depopoſcit, adeo vt verberibus exanimatum corpus ſecuri feriretur: hæc autem geſta ſunt, *quo celerius ciuitatem metu liberaret.* [i] Igitur his caſibus celeritas grata eſt, ne diuturno timore oppreſſi, noua conſilia capiant: quod Cæſar, & Romani efficere conſueuerunt. Cum Q. Fuluius Capuanos, qui à populo Romano ad Annibalem non ſolū deſciuerant, ſed etiam acerrimos ſeſe hoſtes profitebantur, in deditionē accepiſſet, conſilium illud iniuit, vt inconſulto collega, nullis Senatus literis perlectis, ne, quod nollet, facere cogeretur, vno die octuaginta patricios Capuanos ſecuri percuteret, *Ita*, inquit Liuius, *ad Capuam res compoſita conſilio ab omni parte laudabili ſeuere, & celeriter in maxime noxios animaduerſum.* k Vbi conſilium ab omni parte laudabili dicitur, Capuanos ſeuere ac celeriter interemiſſe. Verba illa Camilli Romanis perſuadentis, vt de ſubiugatis ciuitatibus cito deliberent, aurea ſunt. *Tot populos inter ſpem metumque ſuſpenſos animi hebetis: & veſtram itaque de iis curam quamprimum abſolui, & illorum animis, dum expectatione ſtupent, ſeu pœna, ſeu beneficio praeoccupari oportet.* [l] Sic Tacitus *longa pace deſides, ſegnis & oblita bellorum nobilitas.* [m] Igitur veriſſimum illud eſt, quod prudentiſſimus Cominæus ſcripſit; Quiſquis apud principem autoritate pollet, is nunquam debet eundem principem in timore detinere: In quo Conuentualis, inquit, errauit, cui proinde rex Ludouicus XI. vitam eripuit. Igitur peſſima res eſt, populos, milites, inimicos, dominos continuo timore ſollicitos detinere.

[i] lib 8. de bello Gall.

k lib. 26.

[l] Liu. l. 12.

[m] lib. 17.

Magnis viris diuitias nimias, & inopiam nimiam æque periculoſas eſſe.

DISCVRSVS VI.

NArrat Plato, in conuiuiis Græcorum ſolitos fuiſſe muſicos cantilenam quandam canere; cuius argumento primus ſanitati locus, alter pulchritudini, tertius vero diuitiis, addebantq; , probe quæſitis, attribuebatur. [a] Sed alibi ſerius loquens, ait, Hominem tria poſſidere, animum, corpus, opes, quibus tertiū pariter locum tribuit; etſi, inquit, à Græcis, & à barbaris in primo loco ponuntur. [b] Ego pecuniam inferiore, quam tertio gradu collocandam puto; primum locum nūquam aſſignabo. Aſſero nihilominus, quicunq; pecuniæ ſatis quęſiuit, cum totius vitæ neceſſitatibus prouidiſſe: ſatis autem pecuniæ interpretor, quātum à neceſſitate redimatur: neq; ita diuitiis abundet, vt ipſarum potentia in altum ſublatus, mox decidens ruat; Vnde ſapiens neq; diuitias, neq; paupertatem, ſed tantum, quæ victui ſunt neceſſaria, dari ſibi à Deo poſtulauit. [c] Neq; ad ciuitatis Spartanæ quidquam ſalubrius decreuiſſe Lycurgus putatur, quam quod nullus ciuium alio aut ditior eſſet, aut pauperior. [d] Idem Plato, cui totius Græ-

[a] in Gorgia.

[b] lib. 9. de legib.

[c] prouerb. c. 30.

[d] Plut. in Lycur.

ciæ cõſenſu diuini hominis titulus delatus eſt,oſtẽdit paupertatem,&diuitias duos eſſe peſtiferos ciuitatis morbos: nam quemadmodum multæ diuitiæ luxuriã, ſegnitiem,rerum nouarum deſiderium. turbas pariunt,ſic paupertas rerũ nouarũ eandem cupiditatem,multa ſcelera &inhoneſta gignit.[d] Ideo apud hiſtoricos, qui veritatis philoſophicę adſtipulatores ſunt,paſſim legitur,rerum nouarũ motores nunq̃ non aut pauperes,aut diuites extitiſſe:aut malos principes hunc ꝑtextũ interficiẽdi pleroſq; ſemper habuiſſe,quia nempe aut paupertate,aut diuitiis, impellentib.contra remp.conſpiraſſent.Inter cæteros ſtimulos,q Othonẽ ad imperiũ occupandũ adegerũt,alter fuit *inopia vix priuato toleranda.*[e] Neq; dubiũ eſt, quin Iulianus multarum diuitiarum auxilio imperium mercatus fuerit.[f] Verum quod Imperatores,aut delatores ad crimen maieſtatis obiiciendum,tanquã locis topicis quibuſdam,diuitiarum,aut paupertatis argumento vſi ſint, quibus in viris compertum eſt clarius,quam in Sylla,& Plauto? *Syllam inopem, vnde præcipuam audaciam.* Quo loco paupertatem nimiæ audaciæ matrem notare eſt: de altero, *Plautum magnis opibus,*& quæ ſequuntur, hoc eſt, *ne fingere quidem cupidinem otij: ſed veterum Romanorum imitamenta præferre; aſſumpta etiam Stoicorum arrogantia, ſectaque, quæ turbidos, & negotiorum appetentes faciat.*[g] Cum Soſibius Claudium Cæſarem hortatus eſt, vt Valerium Aſiaticum extingueret, hunc diuitiarum exceſſum attigit, *Caueri vim, atque opes principibus infenſas.*[h] Neque C. Caſſio aliud delictum præter antiquas diuitias obiectum; *niſi quod Caſſius opibus vetuſtis.*[i] Neque aliud Statilio Tauro nocuit, quem appellat autor, *opibus illuſtrem.*[k] Ob id P. Anteius interemptus, *opes eius præcipuas*: quodque ſequitur, perelegans eſt, *eamque cauſam multis exitio eſſe.*[l] Ex altera parte Torquatus Syllanus necatus eſt, quod delatores eum accuſauerint, *prodigum largitionibus, neque aliam ſpem, quam in rebus nouis eſſe.*[m] Vtque ſuperius dictum eſt, audaciam ex paupertate oriri, ſic alibi ex inopia proditionem.[n] In priſca republic. illud prudentiſſime inſtitutum fuit, vt in bello non admitterentur capitecenſi: nam vt diuitiæ vice obſidum ſunt, ſic qui ſub ſole nihil habent, aut ignaue dimicant, aut facile ad hoſtes transfugiunt.[o] Vnde cum Ser. Sulpitius Galba, & Aur. Cotta Coſſ. in Senatu conſiderarent, vter in Hiſpaniam aduerſus Viriatum mitteretur, Scipioni Æmiliano neminem mitti placuit, *Quod alter nihil haberet, alteri nihil ſatis eſſet.*[p] Igitur ſi paupertas,& diuitiæ perículoſæ ſunt, quid in hac re conſilii capiemus? *Vt princeps donet pauperi, diues principi.* Quod ſi quis conſilium hoc meum negligeret,legat autorem noſtrum;apud quem Auguſtus erga Hortalum Hortẽſii nepotem liberalitatem exercuit.[q] Tiberius paupertati Æmilii Lepidi,& M.Seruilii ſubuenit.[r] Et Nero erga Valerii Meſſalæ, Aurelii Cottæ, Aterii Antonini egeſtatem minime parcus fuit.[s] Et reprehenditur Vitellius, quod pauperes eos nobiles,qui ab exilio à ſe,&à Galba reuocati fuerant,nullo ſubſidio iuuerit.[t] Contra diues auaro principi donare debet, & nauigantes imitari, qui merces in mare proiiciunt, quo vitam tueantur; neq; enim tyrannus, quia cuncta abſorbet, mari diſſimilis eſt. Sic Seneca, vir ob aſſidua ſapientiæ ſtudia & aulæ

[d] in 4. de rep.
[e] lib.17.
[f] Herod. lib.2.
[g] lib 14.
[h] l.11. in princ.
[i] lib.16.
[k] lib.12.
[l] lib.16.
[m] lib.15.
[n] lib.20.
[o] V.Max.l.1. c. 8.
[p] Idem l.6.c.4.
[q] lib.2
[r] ibid.
[s] lib.13.
[t] lib.18.

morum notitiam ſapientiſſimus, cum vidiſſet, pleriſq; diuitias exitio fuiſſe, Neronem orauit, vt tot diuitiarum pondere diminuto, minimam facultatis partem concederet.[u] Et quamquam poſtulatis fruſtratus eſt; tamen conſilium optimum fuit, pereuntibus hanc ob cauſam pleriſque, mortuo etiam Pallante ditiſſimo Neronis liberto, *quod immenſam pecuniam longa ſenecta detineret.*[x] Illud bonum eſt ius imperandi, cum quid vtiliter, ſimulq; cum honeſtate perficitur. Nam dum pauperem largitione adiuuas, remp. ipſam exornas, & conſeruas, eodemq; tempore laude dignum opus efficis, quia honeſtiſſima res eſt, egenorum, maxime nobilium, neceſſitatibus opitulari. De Alexandro Seuero ſcribitur, venaticam prædã ab ipſo cum amicis diuidi ſolitam, & libentius pauperibus, nunquam diuitibus, à quibus accipere malebat.[y] In quo magnitudinem animi præ ſe ferebat, cum ſe potentibus inuictum, pauperibus miſericordem oſtenderet. Quod ſi priuatos piget largiri principibus, donent pauperibus, Eccleſias, & hoſpitalia fundent, virtute præditos munerentur, dummodo ne videantur partes fouere; viatorum commoditati pontes fluminibus iniiciant: ſic contra tyrannorum rapacitatem ſibi ſecuritatem, & apud Deum, homineſque veram, ſolidamque gloriam comparabunt. Quam rem plerique Turcarum Baſſæ efficere non ignorauerunt, inter quos Mehemet Viſirius, qui à furioſo occiſus fuit, in operibus publicis theſauros immenſos erogauit: quod dictum ſit, vt eo magis Chriſtiani excitentur. Princeps vero, qui ſuum non vult ærarium exhaurire, bona rebellium largiatur: hoc enim pacto Carolus I. in nouo ſe Apuliæ regno ſtabiliuit, bonis Baronum, qui ſub regibus Sueuis potentes fuerant, Gallos ditando.[z] Sic hoſti auferendo, & amicis donando, eos tui imperii conſeruandi cupidiſſimos reddes: neque aliter Romani effecerunt, cum ad loca bello ſubiugata colonias immittebant: alioquin vno tempore duos tibi inimicos efficies, cum ſcilicet, quem bonis priuas, & eum, erga cuius obſequia gratus non exiſtis. Nobilium paupertati præcipue ſubuenitur matrimoniis: qua via inter potentiores ſeſe Auali collocauerunt, dum matrimoniis in domum Aquinatum Baronum ſucceſſere. Dominatus laici cum Eccleſiaſticis ſacerdotiis miſceri non debent: attamen quis error fuerit, hominem optime meritum bonis Eccleſiaſticis remunerari? Quorum ope Carauioli Rubei cum ex locupletibus pauperes facti eſſent, modo Epiſcopatu Cataníenſi adiuti ex pauperibus ditiſſimi euaſerunt. Plerique ex paupertate ſubleuantur magiſtratibus, & prouinciarum, regnorumque adminiſtrationibus: vt accidit Gn. Lentulo contra Getulos Conſuli, de quibus triumphum duxerat; Cui viro (ne credatur, populos expilandos eſſe) iuxta autoris elogium, *gloria fuerat bene tolerata paupertas, dein magnæ opes innocenter partæ, & modeſte habitæ.*[a] Quod ſi quis in hanc rem attente diſpexerit, non deerunt artes, quibus paupertas, & diuitiæ ſubditorum exæquentur. Nam omnes ſumptuariæ leges, quibus & gulæ, & veſtibus, & ſeruitiis, cæteriſque pompis modus imponitur, nihil aliud ſpectant, niſi vt ſubditi ne depauperentur. Ideo prodigis bonorum adminiſtratione interdicitur: ludi ſine præſente pecunia prohibentur; filiisfa-

[u] *lib.14.*

[x] *ibid. in fin.*

[y] *Lampridius.*

[z] *in archiuio Neapol.*

[a] *lib 4.*

miliarum,pecuniæ non accommodantur,& ſimilia: Contra, vſuræ limitãtur, bonorum emptio in aliis ciuitatibus vetatur, precia rebus apponuntur, monopolia prohibentur, venditiones cum læſione vltra dimidiam precii partem reſcinduntur, ne quiſquam cum iactura aliena locupletetur. Sed periculoſior, quam putamus, eſt hæc pauperum, & diuitum exæquatio, quia per ipſam nutritur ignauia, exaſperatur induſtria: neq; aliunde, quã ex hoc fonte, tot Romanorum ſeditiones pro lege Agraria prodiere. Illud ante omnia ſanum conſilium eſt inquirere in ciuitatibus, qua arte ſibi quiſq; victum paret, vt Athenis Ariopagitæ conſueuerãt,[b] etſi quidam ſcripſit, pœnas in otioſos à Piſiſtrato ſancitas fuiſſe.[c] Quod hodie prudentiſſime cum eius reip. beneficio Luccæ obſeruatur. Nam qui nihil habent, vnde viuant, & otiari volunt, fucis, vt inquit Plato, ſimillimi, vtq; inutiles è ciuitatibus eliminandi ſunt; maxime quia fuci inter apes aculeo carent, at inter homines aliqui aculeati, alii nõ aculeati ſunt. Qui aculeo carent, ſunt mendicantes: aculeati fuci latrones, graſſatores, ſcelerumq; patratores cæteri.[d] In quibus puniendis minore ſeueritate nobis vtendum nõ eſt, quam vtantur apes, de quibus Plinius ingenioſe, atq; eloquenter ſcribit; apibus fucos inſtar ſeruorum eſſe, proinde priores operibus addici, & negligentes inclementer puniri: addit, iam matureſcente melle, à ſingulis apum claſſibus ſingulos fucos necari.[e] Neq; certe iniuria, cum eos alienis frui laboribus, haud æquum ſit. At optimi principes, qui publicis morbis, antequam ingruant, in ſuis ciuitatibus occurrere ſolent, opera publica exſtruere debent, adeo vt nemo excuſare ſe poſſit, quod eum materies laborandi deficiat, vt Pericles feciſſe ſcribitur.[f] Poſtquam hanc diligentiam præſtiterint, iure principes apum rigorem exequuntur, niſi pueritia, ſenecta, ęgritudo, aut membrorum mutilatio laborem præpediat. In quo id reſpiciẽdum foret, ne, quemadmodũ dixit Plato, in loco fœcundo ſepulchra exſtruenda non eſſe, quia nemo viuus, aut defunctus viuo homini alimẽtum ſubtrahere debet:[g] ſic nemo ſanus homo propter alterum ægrotantem inutilis reddendus eſt: verum aut paucorum ſanorum opificiũ, & labor pluribus infirmis opem ferat (vt propter piam inſtitutionem xenodochiorũ vbiq; inter Chriſtianos ædificatorũ videre eſt) aut infirmi (infirmos voco mutilos, & ad laborẽ ineptos) mutuo ſibi ſeruiẽdo, communem egeſtatem diminuant, vt eleganter poeta ille indicauit, dum claudum oculos cæco, cæcum pedes claudo mutuo dantes figurauit: vnde ex duobus per ſe inutilibus corporibus vnum fiebat vtile: præterquam quod inueniuntur mutilati, & manci pleriq; ingenio pollentes adeo, vt pedes inſtar manum habeant, & mirabilia poſſint pedibus efficere.[h] Quæ omnia diſſerimus, nihil Sacerdotum dignitati detrahentes, qui ſacris intenti, ſecularibus laborib. immunes eſſe debẽt. Idcirco Plutarch. quærens, cur ſacrificulorũ regi in vrbe nullũ munus, aut concionem habere liceret: forſitan, inquit, ꝙ ipſius conſilia intra templorũ parietes conſiſtere, & Diuũm ope regni pondus ſuſtinere debet.[i] Quamquam electionis vas, vt ignauis hoc refugium tolleret, ſæpe ſcribit, Manibus ſuis nocte & die ſe laborauiſſe,[k] alioſque ad ſe imitandum allexit.[l]

[b] Val. Max. lib 2. c. 1.
[c] Plut. in Solone in fin.
[d] lib 5. de rep.
[e] lib. 11.
[f] Plut. in Peric.
[g] lib. 12 de leg.
[h] Dion lib. 54.
[i] in Problem.
[k] 1 Cor. 4.
[l] ad Ephes. 4. ad Theſſal. 2. & 3.

Princi-

Principibus in ſummo honore eſſe debere, quicunque ante illos dominatum exercuerunt.

DISCVRSVS VII.

Debet vnuſquiſq; princeps corũ, in quorum locum ſubrogatus eſt, memoriam, ſi non propter ipſorum merita, at ſaltem propter ſe ipſum, honore proſequi, ne quiſquam eius exemplo principem contemnere aſſueſcat; ideoq; ij, qui præteritos principes læſerunt, acerrime puniendi ſunt. Quod Vitellius apprime docuit, cum omnes, qui præmia pro cæde Galbæ libellis, quaſi ob aliquam notabilem operam popoſcerant, conquiri, & interfici iuſſit, *Non honore Galbæ, ſed tradito principibus more, munimentũ ad præſens, in poſterum vltionem.*[a] Ideo prudenter dixit Cicero, Cæſarem Pompeii ſtatuas erigentem, id conſequi, vt ſuas ſtabiliat.[b] Nemo magni Ducis Coſmi amplitudinis, ac dignitatis potior cauſa extitit, quam Laurentius Medices, qui Ducis Alexandri occiſor ad principatũ illi viam aperuit: nihilominus patriæ legibus Coſmus ſe non oppoſuit, quin locum haberent: quia hoc agens munimẽtum ſibi quærebat in præſens; in poſterum, ſi quid tale ſibi contigiſſet, vltionem. Hæc regula, monitumq; adeo verum eſt, vt (quod de Cæſare diximus) nec inimici quidem principis fama, gloriaq; ſpernenda ſit, cunctiſq; patefaciendum, quantũ reuerentiæ principatus celſitudini debeatur. Proinde Carolus I. princeps alioquin egregius, arguitur, quod Curradinũ, quaſi graſſatorem ac flagitioſum quempiam necari iuſſerit: quemadmodum contra, clementia, ac benignitas Conſtantiæ Reginæ Siciliæ Petri Aragonii vxoris, & Curradini conſobrinæ præ cæteris magnanimis actibus commendata eſt. Hæc enim, cum eiuſdem Caroli filium mari captum in ſua manu haberet, populuſq; obnixe peteret, vt in Curradini vindictam interimeretur, non permiſit; neq; regalem fortunã tam ærumnoſis conditionibus ſubiiciẽdam eſſe putauit, etſi Carolus aduerſus ſanguinem eius ſæuiiſſet. Neq; profecto Regina Neapolis Iohanna dum virum ſuum Andream ſtrangulari iuſſit, aliud effecit, quam quod Carolum III. quo pacto illam eodem mortis genere afficeret, edocuit: ipſe vero Reginæ occiſor Pannonibus ſuccedentibus item oſtendit, quo pacto ab iiſdem exemplo ſuo interficeretur. Cum Petrus Medices, quod priuato carcere à Iohanne eiuſdem familiæ detentus fuiſſet, à republica peteret, vt Iohannes capite plecteretur, non defuit, qui auribus eius inſuſurrauit; Deſiſteret ab incepto, non enim expedire, vt hic mos in Medicæos animaduertendi introducatur. Quanto magis principi curandum eſt, ne inuendicata præceſſoris morte ipſe offendatur. Idcirco Tacitus non contentus ſemel hanc ſententiam attigiſſe, alibi repetit, *vltor eſt, quiſquis ſucceſſit.*[c] Et Darius in fine ſuis ſermonis, quem Alexandro referri voluerat, monuit, quoad vindictam aduerſus eum, qui ipſum prodiderat, meminiſſet Alexander, cauſam hanc magis regibus cunctis communem, quam Darii propriam eſſe, *quam negligere illi & indecorum eſſe, & periculoſum.*[d] Magnum huiuſce rei exemplum in Dauide obſeruatum eſt, qui nuntium morti-

[a] *lib.17.*

[b] *Plut. in Cic.*

[c] *lib.17.*

[d] *Iuſtin. lib.11. in fin. & Q. Curt. l.5 in fin.*

Saulis

Saulis præceſſoris ſui vita priuauit; cumque alii veniſſent, caput Iſboſeth Sauli filii offerentes, ſapienter dixit: *Occidi, qui mortem Saulis nuntiauit, cui oportebat mercedem dare pro nuntio, quanto magis nunc, cum homines impii interfecerunt virum innoxium in domo ſua*, iuſſitque illos interfici. [e]

[e] lib.2.Reg.c.4.

Relinquendum eſſe ſpatium noxiis, quo ſuas culpas emendent.

DISCVRSVS VIII.

SIcuti quidam in corporibus noſtris morbi apparent, quibus non ſemper ad remedia confugiendum eſt, ſed naturæ progreſſus attendendus, [a] ſic non omnibus populi criminibus ferro, & igne opus eſt, ſed aliquando permittendum ſpatium, quo ſuos errores agnoſcat: quo ſtylo maioribus periculis occurritur. Huius criminis notatus fuit Cæcina, qui belli cupidus, *proximam quamq; culpam, antequam pœniteret, vltum ibat.* [b] Neque minus, quam ipſe, Agrippina: quæ ſibi valde nocuit, dum *pœnitentiam filii, aut ſocietatem non operitur.* [c] At contra, Iulius Agricola eximiam moderationis laudem retulit, dum leuibus peccatis parcens, grauibus ſeueritate obuiam ibat, *nec pœna ſemper, ſed ſæpius pœnitentia contentus erat.* [d] In quo exæquatus fuit, imo ſuperatus à Germanico. Is enim quamquam coacto exercitu, & parata in defectores vltione, *dandum adhuc ſpatium ratus, ſi recenti exemplo ſibi conſulerent*, præmiſit literas ad Cæcinam, ſignificans, *Venire ſe valida manu, ac ni ſupplicium in malos præſumant, vſurum promiſcua cæde.* [e] Hæc imperandi prudentia in imperatoribus ab incunabulis reip. ducta eſt, cuius temporibus iis, quos pœnitebat, nunquam non parcebatur. Ideo Conſul F. Maximus, etſi Æquorum perfidiæ vehementer iratus, affirmat, quocunque modo ſeſe res haberet, malle ſe, vt Æquos pœniteat, quam vt, quæ hoſtes, patiantur: *ſi pœniteat, tutum receptum ad expertam clementiam fore.* [f] Ego exempla multiplico, vt quemadmodum alias dixi, principes moneam, ne ſtatim ad ferrum confugiant; cum aliquando longe melius magna negotia clementiæ conſiliis, quam pœnis conficiantur: Quamobrem Ætolis dictum fuit, etſi cum Antiocho ſe coniunxiſſent, neque tantum ſocii, & ſuaſores, ſed autores belli extitiſſent, *ſi pœnitere poſſint, poſſe & incolumes eſſe.* [g] O populum, iure terrarum principem; cum in nocturnis tenebris ad infinitam Dei patientiam hac parte magis, quam nos in clara veritatis luce, atque ſplendore, appropinquaueris.

[a] Plat. in Tim.
[b] Tac. l.17.
[c] lib.13.
[d] in vita Agr.
[e] lib.1.
[f] Liu. lib.3. in princ.
[g] lib.39.

De præda, deque vtilitate, ac damno, quod ex ea proficiſcitur.

DISCVRSVS IX.

PRædari dulce eſt; ſed ea res plurimis compenſatur incommodis: nam prædis onuſti milites, minime cogitantes pericula, ſæpe eo recidunt, vt ab hoſtibus

facilius, citiuſq; trucidentur; quod accidit Sarmatis, *qui cupidine prædæ graues onere ſarcinarum velut vincti cædebantur.*[a] Alibi victoria iam quæſita amittitur, dum hoſte relicto milites prædæ intendunt; quod Germanis nocuit in prælio, quod cum Cereale geſſere.[b] Peius eſt, quod cum præda minus fortib. obtingat, ii, ad quos ea ſpectaret, defraudantur, vt dicebat Appius Claudius.[c] Sed adhuc peius eſt, cum ii prædas occupant, qui periculis non interfuerũt, quod exemplo militum C. Heluii apparuit; niſi Conſul Manlius prudenter prouidiſſet, vt præda inter milites iuſte diuideretur.[d] Cum itaq; prædæ ea dulcedo ſit, vt ſæpe victores victos reddat, vt remiges illi experti ſunt, qui agrũ Nucerinum prędati ad naues redibant,[e] & Græci illi, qui ex Patauino agro prædas agebant,[f] & hoſtes à Quintio deprehenſi, quibus *funeſtam populationem fecit.*[g] Profecto in prædando cautiſſime agẽdum eſt, ne piſcium inſtar hamo capiantur. Verum vt, quid de hoc argumento ſentiendum ſit, clarius conſtet, omnino perlegendum eſt, quod A. Cornelio dictatori accidit; qui cum ab hora diei tertia ad octauam anceps cum Samnitibus certamen protraxiſſet ſubito intellexit, in Romanorum impedimenta cupiditate prædæ impetum ab hoſte factum fuiſſe. Quod vbi dictatori trepidus nuntius attulit: *Sine modo,* inquit, *ſeſe præda præpediant.* Tum magiſtro equitum accito, *Vides tu,* inquit, *M. Fabi, ab hoſtium equite omiſſam pugnam? hærent impediti impedimentis noſtris: aggredere (quod inter prædandum omni multitudini euenit) diſſipatos: raros equis inſidentes: raros, quibus ferrum in manu ſit, inuenies, equoſq; dum præda onerant, cæde inermes, cruentamq; illis prædam redde. Mihi legiones, peditumq; pugna curæ erunt: penes te equeſtre ſit decus.* Hoc modo impediti præda Samnites, poſtquam quinq; horas ferociſſime dimicaſſent, momento victoriam amiſerunt.[h] Quiſquis perinde atque in ſpeculo videre cupit, quam manifeſta ex prædandi cupiditate damna enaſcantur, legat, quod Venetorum exercitui accidit, cum à præda, ac populatione Treuici auelli milites non poſſent; tunc enim Galli Addam fluuium tranſiuerunt; vnde inſperato euentu Triultius exultabundus ad regem Galliæ, Iamiam debellatum fore, exclamauit.[i] Legat adhæc, quid Ferdinando regi Neapolis iuniori accidiſſet ob Frangetis depopulationem, ſi Galli occaſione vti ſciuiſſent.[k] Legat ſimiliter, & pro re comperta habeat, fœderatorum cladem ad Tarum contra Carolum VIII. aliunde non deriuaſſe, quam à Dalmatis, dum ad impedimenta Gallorũ occupanda miſſi fuere, quemadmodum fuſe, ac manifeſte Guicciar. teſtatur.[l] Imo ſubdit ille, famam fuiſſe, tunc à Triultio ea impedimẽta ſtudioſe, quo prędatores allicerẽtur, incuſtodita relicta fuiſſe.[m] Non ita Galli, qui vincentes, neminiq; hoſtium parcentes inuicem ſe commonefaciebant, Meminiſſent, quid antehac Guineguaſti accidiſſet, cum Gallorum exercitus in prælio contra Maximilianum regem Romanorum pene victor, prædæ ſtudio diſſipatus, in fugam verſus eſt.[n] Ideo cum Cæſar, Pompeio deuicto, paullo poſt caſtra expugnauit, nihil vehementius poſtulauit à militibus, quam ne prædæ auidi, quod reſtabat, negligerent perficere.[o] Et alibi, *At barbaris conſilium non defuit; nam duces eorum tota acie pronũtiari iuſſerunt, ne quis ab loco diſcederet: illorum eſſe prædam,*

[a] Tac. lib. 1.
[b] lib. 20.
[c] Liu. l. 5.
[d] lib. 38.
[e] lib. 27.
[f] lib. 10.
[g] lib. 3.
[h] lib. 8.
[i] Guicc. lib. 8.
[k] lib. 3.
[l] lib. 2.
[m] ibid.
[n] ibid.
[o] lib. 3. de bell. ciuil.

atq; illis reſeruari quæcunq; Romani reliquiſſent: proinde omnia in victoria poſita exiſtimarent.[p] Igitur quoties exercitum præda onuſtum alter exercitus aggreditur, vnde periculum immineat, conſilium vtiliſſimum eſt, vt tota præda, aut pars illius derelinquatur. Neq; Aluiano, qui Veneti exercitus partem regebat, hoc remedium incognitum fuit: iuſſit enim Treuicum incendi, quo ſui milites egrederentur, ſed adeo tardum fuit remedium, vt Galli iam omnes flumen prius tranſiuerint. Hoc, vel ſimile præceptum præterquam quod à Leone Imperatore traditur,[q] hoc etiam modo melius percipietur. Romanorum conſuetudo fuit, vt dimicaturi vnuſquiſq; ſarcinas ſuas in vnum locum ſeponerent, vnde ſæpe repetitum eſt: *ſarcinas legionariorum in aceruum iubet comportare,*[r] *ſarcinis in medium coniectis,*[ſ] *impedimentis in locum tutum remotis,*[t] & paſſim alibi. Agedum, ſi, vt expedite pugnent, ſarcinas exuunt, quanto magis erepta hoſtibus præda deponenda eſt, ne ipſius ſeruandæ gratia ſemetipſos deperdant? Verum quoniam ſcriptionis huius principio prædas bonas eſſe, pronuntiaui, non erit abs re, vt oſtendamus, quo pacto duces ſapientia ſua ipſas meliores, ac iucundiores efficere queant: meliores autẽ ipſas dubio procul reddent, ſi inter milites ſumma dexteritate, ac manſuetudine diſtribuẽt. Audite, quid de Volumnio Conſule ſcribitur, poſtquam Salentinum agrum, vbi natus ſum, viciſſet. *Prædæ erat largitor, & benignitatem per ſe gratam comitate adiuuabat, militemq; iis artibus fecerat & periculi, & laboris auidum.*[u] Quod ſi nõ omnes duces erga milites ſuos hac liberalitate vtuntur, neq; libenter ac ſæpe Volumnium imitantur, at ſaltem aliquando, licet raro, eum morem retineant; illud enim aſſequentur beneficium, vt præda quo fuerit rarior, eo charior militibus futura ſit; quod de Camillo dictum eſt: *prædam militi quo minime largitore duce, eo gratiorem,* &c.[x] Præda etiam, quæ cum laude coniungitur, chariſſima eſt, vtpote qua non minus, quam præmio militum animi exhilarantur: Quod egregie Quintius in prædæ ex Æquis partæ diſtributione obſeruauit: *addebantur & laudes, quibus haud minus, quam præmio gaudent militum animi.*[y] Non inficiabor, aliquando prædam aliter diſpenſandam, quam militibus eſſe: vt Coſſ. T. Romulius, & C. Vecturius fecerunt, qui eam in ærarii ſupplementum contulerunt.[z] Et quamquam hoc in reip. infantia contigiſſe legimus circiter annum vrbis trecẽteſimũ; nihilominus poſt 150. circiter annos item legimus, à Scipione militibus nõ totam prædam diuiſam fuiſſe, in cuius diſtributione noluit liberos admitti.[a] Inter cætera noſtra mala hoc maximum eſt (etſi raro nobis contingit, vt vincamus) quod ex prædis nullam publice vtilitatem capimus, quemadmodum in prælio nauali nuper obſeruari potuit, ex quo nullum reip: commodum emanauit: cum ex aduerſo notatu dignum ſit, Romanos ex manubiis Gallorum, quæ in triumphum à C. Flaminio adductæ ſunt, ſex millia militum conſcripſiſſe.[b] At quia nonnunquam euenit, vt ab hoſtibus noſtra recuperemus, non quæ eorundem ſunt, deprædemur; notabilis quidem fuit illa, neſcio an prudentia, an liberalitas, an iuſtitia, an ſimplicitas Conſulis Lucretii Tricipitini, qui ingenti præda in vrbem, maiore multo gloria reuerſus, illam in campo

Martio

[p] lib. 2. de bello Gall.
[q] cap. 19.
[r] Hirt. de bello Afric.
[ſ] Liu. lib. 22.
[t] lib. 1.
[u] lib. 10.
[x] lib. 5.
[y] lib. 2.
[z] lib. 3.
[a] lib. 22.
[b] lib. 23.

Martio expoſuit, *vt ſuum quiſq; per triduum cognitum adduceret, reliqua vendidit, quibus domini non extitere.*[c] Oportet inſuper in præda partienda magnificam quandam alacritatem præ ſe ferre, ne quod donatur, quadam lentitudine donatum eſſe videatur: quod forte Varro Annibali obiecit, cum Senatui hæc ſcripſit, *Annibalem ſedere ad Cannas, in captiuorum preciis, prædaq; alia victoriam nec victoris animo, nec magni ducis more metientem.*[d] Quamobrem ſi quæcunq; nobilia opera Romanorum operum nomine digna ſunt, vere opus Romanum fuit, quod nobilis ille Gallus in victoria, qua Carolus I. vtramq; Siciliam acquiſiuit, effecit: nam rege intento prædæ, & trutinam afferri imperante, vt victi Manfredi theſaurum diuideret, Quid opus eſt, inquit, tot lancibus? & theſaurum pedibus contemptim in tres partes diuiſit, inquiens, Primam regi, alteram reginæ, tertiam equitibus diſtribuendam eſſe.[e] Cum itaq; vnuſquiſq; curare debeat, vt ex præda honorem, atq; vtilitatem colligat, conſideretur, quale commodum, & gloriam Scipio exhauſerit ex præda; cum ſcilicet virgo illa Allucio Celtiberorum principi deſponſata, quæ intacta, & gratis reſtituta viro eſt, ei oblata fuit: Profecto ex ea præda immenſam nominis gloriam, eximiamq; apud Hiſpanos, populos natura magnanimos, beneuolentiam ſibi parauit: prædicabant videlicet, *Veniſſe diis ſimillimum iuuenem, vincentem omnia cum armis, tum benignitate, ac beneficiis.* Itaque Allucius delectu clientium habito, cum delectis mille, & quadringentis equitibus intra paucos dies ad Scipionem veniens, Romanas partes ſecutus eſt.[f] Optima pariter illa præda eſt, quæ militibus, vt ad virtutem excitentur, conceditur, quemadmodum Vocula fecit, etſi fruſtrato euentu: *Vtque præda ad virtutem incenderetur.*[g]

[c] lib. 5.
[d] lib. 22.
[e] Ioan. Villan. lib. 7. c. 10.
[f] Liu. l. 28. ad fin.
[g] Tac. l. 20.

FINIS LIBRI DECIMI SEPTIMI.

SCIPIONIS AMIRATI

DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM

IN C. CORN. TACITVM,

LIBER DECIMVS OCTAVVS.

Stultum videri conſilium, ſi hoſtis in anguſtiis locorum vexari poſſit, illum in aperto expectare.

DISCVRSVS I.

HOſtem quiſquis aggreditur, hunc ex viribus ſuis animum ſumere neceſſe eſt: at, qui vim, impetumque ab hoſte patitur, cum ſic res ſuas componere oportet, vt non modo inuadenti reſiſtere, ſed etiam ſuperior eſſe poſſit. Quoniam vero anguſtiæ, & clauſtra locorum meliorem ſecum conditionem ferunt, equidem aberrat, qui neſcit eorum locorum occaſione vti, anguſtias occupando, ibique primum hoſtis furorem excipiendo; vt Græci fecerunt aduerſus Xerxem apud Thermopilas. Nam qui anguſtias cuſtodit, is hoſtem facilius propellit, videturque tentare, an pauca periclitando, rerum ſummam proſpere ſeruare poſſit: inſuper hoſtem defatigare conatur, quo temporis fruatur commoditate, aliaſque

vtilitates colligat: adeo vt quiſquis has locorum opportunitates negligit, quia, cum anguſta ſint, tot hominum capaces eſſe nequeunt, quot ſecum hoſtis habet, plures errores inducat. Nam prima vtilitas, quæ in huiuſmodi locis eſſe conceditur, eſt, vt pauci multos ſuſtentare poſſint: Quod ſi ad ea loca cuſtodienda multis opus fuerit, non video, cur, ſi hoſtis cum multis aduenerit, tu quoq; multus eſſe nequeas. Nam cum in ditione tua ſis, veriſimile eſt, vt facilius, quam hoſtis commeatum pares. Quod ſi, quia plura loca ſunt, vnde hoſtis in tuam ditionem ingrediatur, diſputetur, difficiliorem fore eorum cuſtodiam: nos de iis locis, & anguſtiis intelligimus, per quas veriſimiliter hoſtem tranſiturum, credendum eſt; vt ipſi Græci fecerunt, qui poſt multas conſultationes, relictis Theſſaliæ anguſtiis, Thermopilas inſederunt, arguentes, illac regem Perſarum cum exercitu aduenturum, prout aduenit.[a] Neq; Romanorũ argumentum, quod Annibalem non in alpibus, ſed ad Ticinum expectauerint, admodum validum eſt.[b] Nam quia Romani in alpibus nullum ius habebant, in ſolo alieno hoſti occurrere non poterant. Quod ſi alpes ad Romanos ſpectauiſſent, præſtabat illic hoſtem expectare, neque quidquam errauiſſent, quemadmodum non nemo affirmat. Imo quo anguſtiora alpium elegiſſet loca, eo prudentius egiſſent, ſi modo Liuio ſtandum eſt, qui alpinos reprehendens, quod eum in anguſtioribus expectare neſciuerint, hæc ſcribit, *Qui ſi valles occultiores inſediſſent, coorti in pugnam repente, ingentem fugam, ſtragemque dediſſent*,[c] ꝙ vero in huiuſmodi locis hoſtẽ excipere, melior ſit conditio, ex his colligitur, *Ibi non bello aperto, ſed ſuis artibus, fraude, ac deinde inſidiis eſt circumuentus*. Neque tantum à Liuio, quod diximus, approbatur, ſed à militibus Othonis, qui Cæcinæ Vitellii duci occurrere in alpibus cogitabant, quanquam ob tarditatem ad Padi ripas occurrerint. Verba autem hæc ſunt: *His copiis rector additus Annius Gallus, cum Veſtricio Spurinna ad occupandas Padi ripas præmiſſus: quoniam prima conſiliorum fruſtra ceciderant, transgreſſo iam alpes Cæcina, quẽ ſiſti inter Gallias poſſe ſperauerat*.[d] Et arguitur Tutor, quod ripas ſuperioris Germaniæ, & alpium anguſta loca præſidiis non clauſerit.[e] Ipſe Annibal antequam in Italiam deſcenderet, Hannonem poſt ſe reliquit, *vt fauces, quæ Hiſpanias Galliis iungunt, in poteſtate eſſent*.[f] Cæſar, vt Dyrrhachii equitatum Pompeii frenaret, locis, vnde damno affici poterat, præſidia impoſuit.[g] Sic paullo ante Rutilius Lupus Pompeii miles Iſthmum occupauerat.[h] Quod ſi quis pertinacius contenderet, tot autorũ teſtimonia ad hanc rem probãdam afferri poſſent, vt omnis in cõtrariam partem diſputatio inanis euaſura eſſet. Ætoli cum Romanis bellum gerebant, cumq; eoſdem Romanos poſſent propellere, ſi Coracis montis altiſſimi inter Callipolim, & Naupactum ſaltum inſediſſent, maluerunt ad Naupactum belli impetum ſuſtinere: Inquit Liuius: *Romanum Conſulem Acilium, cum illuc perueniſſet, quia ex illo monte & iumenta multa præcipitata cum ipſis oneribus ſunt, & homines vexati, facile cognouiſſe, quam cum inerti hoſte res eſſet, qui tam impeditum ſaltũ nullo præſidio, vt clauderet tranſitum, inſediſſet*.[i] Aliud in bello Perſei teſtimonium eſt, cum Licinius Conſul ex Epiro in Athamaniam tranſiens, in tranſitum incide-

[a] Herodot. l. 7.
[b] Liu. l. 21.
[c] ibid.
[d] Tac. lib. 18.
[e] lib. 20.
[f] Liu. l. 21.
[g] lib. 3. de bello ciu.
[h] ibid.
[i] Liu. lib. 36.

runt tantæ difficultatis, vt Romanorum confeſſione, ſi rex opportunitate lo-
ci arrepta, Romanos inde vexauiſſet, in ſummum eos diſcrimen adduxiſſet. Qui
idcirco hoſtis ſocordiam admirantes, neq; ſaluti gratulantes, artis militaris im-
peritiam in hoſte riſerunt: *Contemptus quoq; hoſtium, adeo ignorantium opportunita-*
[k] lib. 42. *tes ſuas acceſſit.* [k] Quod vero hæ ſaltuum anguſtiæ, ſi occupentur, difficultates af-
ferant, in bello Perſei clariſſime apparuit, cum idem Conſul Gonnum in ipſis ſal-
tibus, per quos ex Macedonia in Theſſaliam tranſitur, ſitum oppidum aggredi
[l] ibid. in fin. vellet; nam *cum & loco & præſidio valido inexpugnabilis res eſſet, abſtitit incepto.* [l] In
eodem bello Conſul Martius, qui poſt alios Coſſ. Licinio ſucceſſit, faſſus eſt, po-
tuiſſe Perſeum, ſi loca illa præoccupare ſciuiſſet, Romanos exercitus profligare;
vix enim decem militibus pleraque illorum, teſte Liuio, cuſtodiri poterant: vn-
de Conſulum, ſe in eas anguſtias coniicientium, temeritas potius, quam auda-
[m] lib. 44. cia accuſatur. [m] Dum vero Galliæ rex in Italiam per incuſtoditos ſaltus penetra-
uit: porro illud effecit, quod olim Romani per loca, quæ modo memorauimus.
[n] ib. 12. Eſt autem adnotandum, quod hoc loco addit Guicciardinus, [n] rem certiſſimam
eſſe, ſi Gallis tunc repugnatum fuiſſet, inanem eorum in tranſeundo conatum
futurum fuiſſe. Quod ſi Proſper Columna, dum menſis accumberet, neq; pro-
pter hoſtium longinquitatem loca cuſtodienda cuſtodiret, à Gallis improuiſo
captus eſt: idem euenit Romanis, cum ſe à caſtris hoſtium longe diſtare putantes,
[o] Liu. l. 42. a Macedonibus oppreſſi fuerunt. [o] Igitur ſaltus & anguſtias occupare vtile eſt:
ſed diligenter cuſtodiendæ ſunt, non vt Antiochus, qui Thermopilas inſedit ad-
[p] Liu. l. 36. modum diuerſo animo, quam quem habuit Pelopidas. [p] Neq; tamen inde facile
expulſus fuiſſet, niſi M. Portius a conſule Acilio miſſus ad occupandum alterum
ex tribus iugis, quod Callidromum dicebatur, Ætolos, qui iugum illud inſede-
rant, ſomno ſopitos inueniſſet; vt in aliis iugis Tichiunte, & Rhoduntia, quæ in-
caſſum tentauerat, compertum eſt. Quod de locorum opportunitatibus dictum
eſt, idem de arcibus cenſendum; non quia improbem, eas diruendas eſſe, quæ
nullam tibi vtilitatem parituræ ſunt, ſed illud inſanum conſilium puto, vt cæteris
omnibus dirutis, illæ tantummodo conſeruentur, quæ ſi occuparentur ab hoſte,
extremum imperio tuo excidium afferre poſſent. Nam quemadmodum Mithri-
dates in fuga theſauros prudenter ſeminari iuſſit, vt inſequentem hoſtem colli-
gendæ pecuniæ intentum moraretur; ſic deſiderãdum quidem eſſet, vt princeps,
quem hoſtis aggreditur, nihil amitteret; ſed neceſſitate cogente, hoſtem in re le-
ui, ne totum amittatur, occupare ſatius erit: vt nuper Religio Melitenſis
effecit, quæ S. Hermi arcem amittendo hoſtis vires con-
ſumpſit, illoq; bello ſe à Turcarum potentia
glorioſe liberauit.

Quid magis expediat, hoſtemne bellum inferentem expectare, an eidem occurrere.

DISCVRSVS II.

AVtoris teſtimonio apparet, voluiſſe Othonem Vitellio in Galliis occurrere, *quem ſiſti intra Gallias poſſe ſperauerat:* ſed fruſtrata ſpe, quia iam alpes Cæcina ſuperauerat; Annius Gallus, & Veſtricius Spurinna *ad occupandas Padi ripas præmiſſus.* [a] In quo argumento cum diſputari ſoleat, an, quoties inuaſurus hoſtis timetur, bellum expectare, an inferre ſatius ſit, [b] Othonis exemplo, omnino ſanius conſilium videtur bellum detinere procul, quam in ſua ditione alere. Neque hoc axioma quiſquam melius probauerit, quam autor ille, qui contrarium aſſerit, quia exempla, quibus hoſtem inuadendum eſſe probat, longe validiora ſunt iis, quibus hoſtem expectandum eſſe, ſuſtentat: nam manifeſte videtur Crœſus Cyro ſuadere, vt Thomyrim adoriatur. [c] Sicuti etiam Annibal Antiocho perſuadere conatur, Romanis in Italia bellum inferendum eſſe. [d] Neq; minimi momenti fuit Agathoclis conſilium, qui domi impotens aduerſus Carthaginenſium vires, in Africam felici euentu traiecit. [e] Sic Scipiones feliciter conſecuti ſunt, non modo vt patriam continuis bellis, quibus ab Annibale vexabatur, liberarent, ſed etiam debellarent Carthaginem. Igitur hæc opinio, inferendum eſſe bellum, duorum barbarorum exemplis, & altero Græci, altero Romani ducis confirmatur. Modo, qualia ſint contraria exempla, diſpiciamus. Primum eſt: dum Athenienſes domi ſuæ bella expectauerunt, ſuperiores extitiſſe: cum in Siciliam exercitus ſuos tranſtulerunt, & patria procul bella geſſerunt, libertatem amiſiſſe. Alterum ex fabulis poetarum deducitur: quibus Anthæus Lybiæ rex fuit inſuperabilis, dum cum Ægyptio Hercule de finibus regnorum contendit: at cum ob eiuſdem Herculis aſtum regno procul contendere incepit, ipſum regnum vitamq; amiſit. Vnde fabulæ locus datus eſt, Anthæo à matre, quę terra erat, vires ſuppeditatas fuiſſe. Tertium eſt ex monito, q Ferdinandus Aragoniæ rex Neapolis filio ſuo Alphonſo reliquit, vt regem Galliæ intra regni ſui fines cũ exercitu toto expectaret, neq; ipſi procul occurreret. Quibus exemplis ordine reſpondens, dico, nullum eorum ad rem facere, excepto fortaſſis poſtremo. Quod ſi ita ſe habet (nam & in hoc controuerſia eſt, quia Ferdinandus vetuit occurſum, non vt hoſtis domi expectaretur, ſed quia concordiæ ſpem fouebat, & Pontificis animum à ſe magis alienare verebatur, [f]) Ferdinandus neq; Cyro, qui conſilium Crœſi executus eſt, cõparandus videtur, neq; cęteris tribus aliis, Annibali, Scipioni, Agathocli; etſi non me latet, exemplũ Carthaginenſium adduci etiam à Q. Fabio Maximo ad diſſuadendum Scipioni Africanum bellum. [g] Nos n. modo quærim⁹; an ei, q bellũ contra ſe mouendũ eſſe, certo ſcit, vel ſuſpicaẽ, ho-

[a] lib. 18.
[b] lib. 2.
[c] Herod. lib. 2 in fine.
[d] Liu. l. 34.
[e] Iuſt. l. 22.
[f] Guicc. lib. 1.
[g] Liu. l. 26.

ſtem ag-

ſtem aggredi,an expectare ſatius ſit. Quiſquis autẽ Athenienſes vituperat, quod in hoſtiles terras bellum attulerint, is etiam de Romanis, cæteriſq; populis, aut principibus non bene ſenſerit; cum tamen, præſertim Romani,non domi deſidendo,ſed aliena imperia inuadendo, nominis ſui gloriam nõ minus,quam imperii fines longe,lateq; propagauerint. Neq; magis Herculis exemplo moueor, quoniam Anthæus non ſponte ſua,ſed Herculis dolo extra regni ſui fines extractus eſt. Verum nunquam altercationi finem impoſuerit, qui exemplis tantummodo diſputet: cum hæc ab vtraq; parte facientia, innumera inueniri poſſint:& Cyrus ipſe,qui Crœſi conſilio Thomyrim aggreſſus eſt,exercitum,vitamq;ſuam amiſit.Igitur vtra queſtio melioribus innitatur rationibus,diſpiciamus; quamuis tot ducum autoritati ſumma ratio coniuncta eſſe videatur. Crœſus enim,qui Cyrum ad Thomyrim adoriendam impellit, hac ratione mouetur, quia ſi Cyrus in ſuo regno prælium amitteret,Maſſagetæ ea victoria cõtenti non fuiſſent, ſed facile totum regnum eius occupauiſſent; quod potius Cyro faciendũ erat, vt Maſſagetas in ipſorum regno vinceret, & proſequens victoriam,regnum Thomyris occuparet. Peſſima vero res eſt (quod nemo neſcit)duobus colludentibus,vt alter amittendo,parum amittere,alter lucrando,multum lucrifacere poſſit. Oſtendit etiam,filio Cambyſis indecorũ eſſe mulieri cedere, quaſi dicere vellet,ex duobus æque dubiis conſiliis illud amplectendum eſſe, quod maiorem ſecum honeſtatem ferat. Annibalis autem ratio à ratione Crœſi diuerſa eſt, ſed non inualidior. Eſt autem hæc, dum Italia intacta fuerit, poteritq; contra externos hoſtes exercitibus & milites, & commeatus ſupplere, nullum regem, aut nationem cum Romanis poſſe contendere: proinde niſi exhauriretur hic fons,vana eſſe omnia conſilia: *Annibal negabat opprimi Romanos,niſi in Italia,poſſe.*[b] Addit autor,cuius nomen ſæpe omitto, aggredientis animum audentiorem eſſe quam illius animum, qui expectat, vnde confidentior eſt exercitus; & milites, qui in alienis terris exiſtunt, neceſſitate adigi ad dimicandum, vnde virtus maior. Sententiam autem quinq; rationibus defendit: prima eſt,hoſtem vtilius expectari,quia ſine incommodo tuo,multa ipſius exercitui commeatuum, omniumq; rerum, quibus indiget,incommoda curare potes. Cui rationi reſpondeo,quiſquis aggredi hoſtem deliberauit, eum iam decreuiſſe, vnde ſibi commeatum expediat, & facilius eſſe, vt aggreſſor in hoſtilibus terris ipſius hoſtis commeatibus vtatur,quam vt impedimentum in ſuis commeatibus extrinſecus aduectis accipiat. Præterea inquit, Poſſe,qui bellum expectat, eius cõſilia facilius propter meliorem ſituum cognitionem irrita facere. Reſpondeo, ſi præceptum illud verum eſt, non eſſe hoſtem à tergo vnquam relinquendum; ſemper eum, qui in hoſtiles terras ingreſſus eſt, itinerum, viarumq; peritiſſimum fore, vtpote propter quas alias ambulauerit: quod ſi aggreſſor ob inſcitiam locorum incommodum habiturus eſt, habebit illud, poſtquam profligatus fuerit: quod malum ex hoſtis victoria magis proficiſcitur, quam quod hoſtis minus vias, quam tu, nouerit: præterquam quod quicunq; regionem aliquam aggreditur, nõ poteſt eius regionis, quoad opus eſt, cognitio-

[b] *Iuſt. l. 31.*

gnitionem non habere: vnde narrat Plutarchus,[i] cum Athenienſes bellum inferre in Siciliam decreuiſſent, inſulæ ſitum, formamq;, & maris, quo alluitur, naturam, portuumq; & cæterorum locorum deſcriptionem ante oculos nunquam non habuiſſe. Sed adhuc tertiam addit autor ille rationem: Potes, inquit, maioribus viribus hoſti obſtare, quia facilius tuos in tua ditione congregaueris, quam extra fines eduxeris. Reſpondeo: loca illa, quæ inuaduntur, vt plurimum littoribus contineri: ideo qui bellum expectat, ignarus, quo primum loco hoſtis appulſurus ſit, plura loca munire, ac præſidiis cuſtodire debet, vnde minorem, quam hoſtis, congregandarum virium commoditatem habet; hoſtis autem in te certo conſilio ruit: præterquam quod ſi bellum diuturnum ſit, hoſtis aggreſſor habebit ipſe quoque militum ſupplementa, quæ continuo mitterentur à principe, ſiue republica, quę belli autor eſt. Quarto loco addit, ſi profligatus fueris, reliquias colligere facile potes, cum quia multi ob propinqua refugia ſeruabuntur, tum etiam quia ſupplementa non valde procul expectanda ſunt: At vero caueat princeps, ne intra ſui regni fines profligetur, quia vtplurimum continget, vt regnum amittat: proinde cum dux Guiſiæ agrum Neapolis inuaſiſſet, dux Albæ prælium detrectans aiebat, Nolle ſe vno prælio totum regnum ſpe vnius tantum holoſericæ veſtis lucrifaciendæ in diſcrimen ponere: nihil enim amplius dux Albæ, duce Guiſio profligato, viciſſet; alioquin regnum illud amiſſurus. Quinto loco addit, Nonnullos fuiſſe, qui hoſti permiſerint, vt oppida pleraque occuparet, & in viſcera regni penetraret, quo relictis per loca multa præſidiis exercitus eius debilitaretur, mox facilius expugnaretur. Valde vereor, vt hæc ratio, etſi ſubſiſtere videtur, effectu ſemper caruerit. Quotuſquiſq; enim princeps, aut reſpubl. ſua caſtella ſinit expugnari, vt collocatis ab hoſte præſidiis hoſtilem exercitum debilitatum citius diſſipet? Hoc quidem vero verius eſt, iis, qui bellum expectant, accidere, vt præter voluntatem multa amittant: vnde bellum libenter protrahunt, & ſicut in corporis morbis procul à corde noxium venenum arcetur, ſic ii bellum detinēt, vt temporis beneficio perfruantur. Qua diſputatione (niſi fallor) eluceſcit, longe præſtare, hoſtem aggredi, quam vt nos aggrediatur, expectare; cum ob rationes, quæ vndiq; validiores ſunt, tum ob ducum ſcriptorumq; autoritatem, qui de hac materia agentes, in hanc ſententiam aperte inclinant. Cui ſententiæ nonnulla ſuffragantia, legentium vtilitati adiungere non pigebit. Dico igitur, plures eſſe eos principes, qui à ſuis populis odio habentur, quam qui diliguntur: vnde quiſquis in regno ſuo profligatur, hoc etiam malum experietur, vt præter hoſtes, qui externi ſunt, domeſticos etiam habeat, vt Romani poſt Cannenſem ab Annibale acceptam cladem ſenſerunt. Quare Scipio Africanus idem Carthaginenſibus euenire poſſe ſperabat, vt oſtendit in ea oratione, qua Q. F. Maximo reſpondit, vbi hæc materia ampliſſime tractatur. Ad hæc quo maior eſt ſalutis ſpes, eo magis defendendi ſui pertinacia deferueſcit: ſed quia in patriis locis melius, quam in externis, poteſt vnuſquiſq; aſylum inuenire, hinc accidit, exercitus in terris ſuis frequentius diſſipari.

[i] *in Nicia.*

Sic Tacitus, *Et propinqua Cremonenſium mœnia quanto plus ſpei ad effugium, minorem ad reſiſtendum animum dabant.* [k] Hoc de Auguſto ſcriptum eſt, cum percuperet, aduerſus M. Antonium potius in Græcia penes loca, vbi ille imperaſſet, bellum gerere, quam prope vrbem in Italia; Ideo illum profectionem ſuam Brunduſium verſus maturauiſſe.[l] Quodque de Hiſpanis, qui cum Aſdrubale contra Romanos in Hiſpania ſtipendia merebant, dictum eſt, mentem noſtram egregie probat; hoc eſt, eos, *vinci in Hiſpania, quam victores in Italia trahi*, maluiſſe.[m] Quiſquis hoſtem procul à patria aggreditur, hunc habet laudabilem prætextum; quod altaria, templa, tecta domeſtica præſeruans; videtur hoſtilia tantum bona ſibi vindicare. Ideo laudatur Otho, *quod non Italia adiri, nec loca, ſedeſque patriæ videbantur: tanquam externa littora, & vrbes hoſtium vrere, vaſtare, rapere.*[n] Leo Imperator, qui de apparatu bellico ſcripſit, dux & ſcriptor excellentiſſimus, perſpicue docet, bellum in hoſtili ſolo gerendum eſſe, & ſuperius allatam rationem repetit, minorem ei adeſſe fortitudinem, cui propinqua ſalutis ſpes eſt.[o] Narrat Iuſtinus, Darium ideo permiſiſſe Alexandro, vt prope accederet, quia maiori ſibi gloriæ tribuebat, ſi illum bello, viq; repelleret, quam ei obuiam procederet.[p] Sed ſuo damno quantum referat, vt hoſtis appropinquet, expertus eſt, qui cum ipſum repellere vellet, non amplius id ſuæ poteſtatis erat. Neque enim veriſimile eſt, vt debilior ad potentiorem aggrediendum moueatur, vnde quædam in omnium mentibus opinio inualuit, fortiorem ſemper eſſe, qui aggreditur: quæ Annibalis fuit ſententia. *Inferimus bellum*, inquit, *infeſtiſque ſignis in Italiam deſcendimus, tanto audacius, fortiuſque pugnaturi, quanto maior ſpes, maiorque animus inferentis eſt vim, quam arcentis.*[q] Quæ opinio bellum expectanti multis de cauſis damnoſa eſſe poteſt, ideoq; vt hoſti occurratur, ſummo ſtudio enitendum eſt. Quod attinet ad diſtinctionem illam, principem ſcilicet bene armatum poſſe hoſtem domi expectare. Ego quidem neminem quam Romanos, armatiorem fuiſſe, video: qui nihilominus errorem ſuum agnoſcentes, quod Annibalem ad Italiam appropinquare ſiuiſſent, Scipionem in Africam mittendi conſilium ceperunt: in quo reipub. ſalus ſita fuit. Neq; video, quomodo Annibalis iudicium coram Antiocho prolatum euitari queat: Cui iudicio fruſtra opponitur, ex animi affectu, atque inueterato odio illud profectum fuiſſe; nam Annibal in ea oratione profitetur, damnum & emolumentum, quod ex eo bello emanauiſſet, ſeipſum iuxta afficere, ac regem Antiochum: adeo vt recte Liuius affirmet, Annibalis opinionem ſemper vnam & eandem extitiſſe; neq; Antiochum probet, quod eius monitum neglexerit. Romanos olim potuiſſe, & Heluetios poſſe in præſentia maiore militum numero domi, quam foris ſua defendere; perinde eſt, ac ſi dixeris, luſorem poſſe vnico aleæ iactu omnia ſua bona periclitari. Verum ne in hoc articulo dubitatio vlla remaneat, bina conſilia ſuggeram; alterum Sulpitii Conſulis, alterum Hieronis Syracuſanorum regis, vtrumq; huic diſputationi certum finem imponentia. Rex ad bellum Carthaginenſe opem, & dona opulentiſſima Romam miſerat, quibus conſilium addidit, vt prætor, qui Siciliam

[k] Tac. lib. 19.
[l] Dion l. 50.
[m] Liu. l. 23.
[n] lib. 18.
[o] cap. 20.
[p] lib. 11.
[q] Liu. l. 21.

pouinciam regebat, in Africam cum exercitu traiiceret, *vt & hoſtes in terra ſua bellum haberent, minuſque laxamenti daretur iis ad auxilia Annibali ſubmittenda.*[e] Conſul autem paucis poſt annis cum populo de armis Macedonicis verba faciens, inquit, *Sed vtrum in Macedoniam legiones transportetis, an hoſtem in Italiam accipiatis, hoc quantum interſit, ſi vnquam ante alias, Punico certe proximo bello experti eſtis.*[f]

[e] Liu. libr. 31.
[f] lib. 22.

Quantum noceat, diſpertire exercitum, neque integrum hoſti obiicere.

DISCVRSVS III.

IN prælio, quod inter Othonis, & Vitellii duces primum conſertum eſt, quo Othoniani victores euaſerunt, legitur, nocuiſſe Cæcinæ, quod cohortes diſperſiſſet. *Nam Cæcina non ſimul cohortes, ſed ſingulas acciuerat, quæ res in prælio trepidationem auxit, cum diſperſos nec vſquam validos pauor fugientium abriperet.*[a] Bis hoc errore peccatum fuiſſe, Tacitus teſtatur: ſemel Tiberio imperante, cum in Germania proprætor L. Apronius contra Friſios primo tres leues cohortes, & rurſum duas, dein tempore interiecto, acrius equites immiſit: ſubdit autem: *ſatis validi ſi ſimul incubuiſſent: per interuallum aduentaſſent, neq; conſtantiam addiderant turbatis, & pauore fugientium auferebantur.*[b] Iterum Vitellio contra Veſpaſianum mouēte: nam cum tranſgredi Apenninum integro exercitus ſui robore, & feſſos hyeme atq; inopia hoſtes aggredi in aperto poſſet, *dū diſpergit vires*, acerrimum militem, & vſq; in extrema obſtinatum trucidandum, capiendumq; tradidit.[c] Quid igitur? dubitandum ne eſt, quin hoc præceptum prudentiſſimum ſit, cum ter ab eodem autore ſuggeratur? Verum quo tu, qui hæc lecturus es, ad me maiore fide perlegendum mentem adhibeas, adiunge ad iſta, quæ prudentiſſimus Guicciardinus tradidit, dum de irritis Gallorum apparatibus loquitur. Creditur, inquit, huic bello nocuiſſe, (vt plerunq; accidere conſueuit) militum in plures partes diuiſio: alioquin ſi omnes vna Genuam verſus iter direxiſſent, meliorem forſitan ſucceſſum habuiſſent.[d] Hæc Guicciardinus, à quo propoſitionis huius rationes adduntur. Quibus quatuor exemplis, quod ea ſatis fore mihi perſuadeo, nihil addiiciam, prudenti ducis conſilio committens, quo tempore ipſis vtendum eſſe, putet, cum iſta, quæ diximus, non ſemper, ſed (vt Guicciardinus inquit) plerunq; contingere ſoleant.

[a] lib. 17.
[b] lib. 4.
[c] lib. 19.
[d] lib. 8.

Multitudini erranti ipſos errores, eorumque cauſas ob oculos ponendos eſſe.

DISCVRSVS IV.

HOmines quo ignorantiores, eo fidentiores ſunt: quod ideo fit, quia quid ſibi deſit, neſcientes, nihil ſibi deeſſe putant. Cui rei conſonat ea ſententia, Reſpicientem ad pauca facile deliberare. Huiuſmodi hominibus, etſi vt plurimum rationis incapaces exiſtunt, perraro documentum aliud prodeſt, quam rerum ipſarum euentus, qui merito a prudentibus *ſtultorum magiſter* appellatus eſt.[a] At quanquam nimium periculoſa res eſt, euenta rerum expectare, vt inde edoceamur: nihilominus cum Dei ſolius ſit non errare, ſapientiſſimi principis aut populorũ gubernatoris erit, quoties aliqui errores eueniũt, hominibus, qui eos commiſerunt, eoſdem errores, & ipſorum cauſas ob oculos ponere: & efficere, vt inde aut vtilitatẽ accipiant, aut ſaltem ne iterum in eundem lapidem impingant, quod non minimi erit momenti. Conſuetudo eſt vbiq;, vt peccatũ pœna comitetur: verũ quia variis de cauſis pœnæ locus dari ſæpe non poteſt; opportuni⁹ ac propinquius remediũ adhibendum eſt, vt ſaltem pœnitentia ſequatur: quæ in animũ peccantis nunq̃ deſcendere poteſt, niſi is ſeſe peccauiſſe, cognoſcat. Sertorius, cum milites ſui pugnam obſtinate poſcerent, videns, ſi eos prohibuiſſet, nihilominus contra hoſtem ituros, valde animo vexabatur, quia inferiores hoſtibus futuros pręſagiebat: paucorum igitur periculo omniũ ſaluti cõſuluit: cohortem equitũ in hoſtem immiſit: quæ cum cedere ac premi cœpiſſet, alteram ſubſidio miſit: quo ſubſidio vtramq; ſeruauit, monuitq; vniuerſos, qualem importuna ipſorum petitio, vt nempe cum toto exercitu prælium cõmitteretur, exitum ſortita fuiſſet.[b] L. Minutius cum ſuam tandem animaduertiſſet, quia ſe F. Maximo adęquaſſet, temeritatem, victus ad milites pulcherrima verba prolocutus eſt quę quidẽ verba ab audacibus, neq; integre prudentib. viris, vt perpetuo memoria recolantur, digniſſima ſunt, *Eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat, quid in rem ſit: ſecundum eũ, qui bene monenti obediat: Qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eũ extremi ingenij eſſe: Nos ſecundam ſortem ingenij teneamus, vbi prima negata eſt.*[c] Solent, qui equos condocefaciunt, ne vmbras extimeſcant, ad rem illam ipſam, quæ cauſa timoris erat, eos ſiſtere, quo cernentes non ineſſe rei periculum, quod cogitatione apprehenderant, aſſueſcant non timere: at cum hominibus plane contrarium inſtitutum tenendum eſt: oportet enim ob oculos illis, & coram ponere ea mala, in quæ præcipites currunt; vt vere mala eſſe, cognoſcẽtes horreant, abhorreantq;. Capuana plebs aliquando nobilium gubernationi pertæſa, totũ Senatũ trucidare, & ciuitatis imperiũ ſibi vindicare ſummopere cupiebat. Quẽ infeſtũ Senatui animum cum Pacuuius, nobilis homo, ſed plebi ac-

ceptiſſi-

[a] Liu. libr. 22.

[b] Front. l. 1. c. 10.

[c] Liu. lib. 22.

ceptiſſimus,intellexiſſet, rationem iniit, qua & Senatum ſeruaret, & obnoxium
ſibi,ac plebi faceret,plebique ipſi errorem,quo ducebatur,aperiret. Hæc autem
fuit. Omnes Senatores in curia, ipſis conſentientibus, concluſit: tunc vocato
ad concionem populo,ei dixit, Quod ſæpe optauerunt,vt de Senatu ſupplicium
ſumerent,modo tutum,ac liberum eſſe: ſolos,& inermes Senatores à ſe clauſos,
& cuſtoditos eſſe; ſed ne quid temere,ac raptim agatur,credere ſe, priuſquam de
ſingulorum capite ius ſententiæ fiat,neceſſe eſſe,vt antequam vetus Senatus tol-
latur, nouus cooptetur: non enim putare, illos aut velle regnum inducere, aut
omnino Senatum habere nolle. Itaque citari,inquit Pacuuius,ſingulos Senato-
res iubebo,de quorum capite vos conſulam: quod de quoque vos cenſueritis,
fiet: ſed prius in eius locum virum fortem, ac ſtrenuum nouum Senatorem co-
optabitis, quam de noxio ſupplicium ſumatur. Placuit plebi conſilium,& no-
minibus in vrnam coniectis, citari, quod primum ſorte nomen excidit, ipſum-
que è curia produci iuſſit. Vbi auditum eſt nomen;malum,& improbum pro ſe
quiſque clamare, & ſuplicio dignum. Tum Pacuuius: video, quæ ſententia de
hoc ſit dicta: eiicitur pro malo, atque improbo: bonum Senatorem, & iuſtum
eligite. Primo ſilentium erat, inopia potioris ſubeundi: deinde cum aliquis o-
miſſa verecundia quempiam nominaſſet, multo maior extemplo clamor orie-
batur;cum alii negarent,noſſe: alii nunc probra, nunc humilitatem, ſordidam-
que inopiam,& pudendæ artis,aut quæſtus genus obiicerent: Hoc multo magis
in ſecundo, aut tertio Senatore eſt factum, vt ipſius pœnitere homines, appare-
ret: *Ita dilabi homines: notiſſimum quodq; malum maxime tolerabile dicentes eſſe, iu-*
bentesque, Senatum ex cuſtodia dimitti. Hinc conciliata plebs de mutanda republ.
nunquam amplius cogitauit.[d] Hoc Pacuuii conſilium autor diſcurſuum pluri- [d] *Liu.lib.24.*
mi fecit, ac merito, vtpote quo in quacunque ciuili gubernatione nullum ſa-
pientius excogitari poſſit. Verum in militaribus ſeditionibus, vt milites erro-
rem ſuum agnoſcant, (vnde noſtri diſcurſus occaſionem ſumpſimus) non mi-
nus prudens illud monitum fuit,quod apud autorem noſtrum legimus,cum Al-
phenus Varus in Valentis exercitu caſtris præfectus,furiente milite,vetuit obire
vigilias centurionibus,omiſſo tubæ ſono,quo miles ad belli munia cietur: *Igitur*
torpere cuncti,circumſpectare inter ſe attoniti: & id ipſum,quod nemo regeret,pauentes,
ſilentio,patientia,poſtremo precibus, ac lachrymis veniam quærebant.[e] Hinc eſt, quod [e] *Tac.l.18.*
in huiuſmodi motibus nihil æque milites mouet, quã cum exprobatur iis, addi-
turque interrogatio, Quem imperatorem habebunt? cui parituri ſunt. Hoc e-
nim pacto errorem quem faciunt,ipſis vel manibus tangunt, ipſiſque oculis ſuis
conſpiciunt. Sic Druſus, *Percennione*,inquit, *& Vibuleno ſacramentum dicturi ſu-*
mus? Percennius, & Vibulenus ſtipendia militibus, agros emeritis largientur? deniq; pro
Neronibus, & Druſis imperium Populi Romani capeſſent?[f] Sic Germanicus inter cæ- [f] *lib. 1.*
tera, *Dii*,inquit, *non ſinant, vt Belgarum, quamquam offerentium, decus iſtud, & clari-*
tudo ſit, ſubueniſſe Romano nomini, compreſſiſſe Germaniæ populos. Et ſeditioſos nihil
æque flexit,quam quod filium Caligulam ad Treueros miſiſſet.[g] Vocula ad ſuos [g] *ibid.*

à Gallis allectos, *Hoc prodigium,* inquit, *toto terrarum orbe diuulgabitur, vobis ſatellitibus, Ciuilem, & Claſſicum Italiam inuaſuros. Tutori Treuiro agetis excubias? ſignū belli Batauus dabit: & Germanorum cateruas ſupplebitis?* [h] In antiqua rep. Scipio Africanus exercitui ſuo in Hiſpania ſeditionibus agitato, *In prætorio,* inquit, *tetenderunt Albius, & Atrius: claſſicum apud eos cecinit: ſignum ab iis petitum eſt: ſederunt in tribunali proconſulis Scipionis: lictor apparuit: ſubmouente eo inceſſerunt: faſces, & ſecures prælata ſunt. Lapides pluere, & fulmina iaci de cœlo, & inſuetos fœtus animalia edere, vos portenta eſſe, putatis? hoc eſt portentum, quod nullis hoſtiis, nullis ſupplicationibus ſine ſanguine eorum, qui tantum facinus auſi ſunt, expiari poſſit.* [i] Non poterat Auguſtus, quæ Scipio de Albio, & Atrio, eadem de M. Antonio dicere. Sed inde capta occaſione, quod ſe Cleopatræ mancipium conſtituiſſet, hoc eodem tenore milites ad iram concitare non deſinebat, inquiens, *Fierine poteſt, vt nos, qui Pyrrhum, Philippum, Perſeum, & Antiochum deuicimus, tot nationes vbiq; terrarum ſubiugauimus, nunc ab Ægyptia muliere proculcemur?* [k] Quæ ars Neroni minime incognita certiorem Senatum fecit, quantum laboris ille ſubiſſet, ne Agrippina curiam, externis nationibus reſponſum datura, ingrederetur. [l] Quamobrem ſubit ſæpe mirari, cur nonnulli cenſeant, quoties magnus aliquis princeps de vita, relictis natu minimis filiis, decedit, ſecuturas regnorum rebelliones. Ecquem dominum vocabunt? num aduenam? id mihi credibile non eſt, vt populi regem ambiant incognitum, lingua, moribus, veſtibus, ac mente diſſonum. An eiuſdem prouinciæ homini ſe ſubiicient? ecquo pacto quiſquam excogitare poteſt, vt gens elatianimi, & vix aſſueta maximo omnium principi obtemperare, vni ex ſuis, & haud raro minori, ſponte pareat? Verum vnde digreſſi ſumus, redeamus, & hanc materiam aliquantum dilatemus: non modo enim vtilis eſt propter multitudinis errores corrigendos, ſed etiam ſingularium hominum, neque modo priuatorum, at ipſorum quoque regum; quibus perſæpe accidit perinde vt iis, qui altiſſimos montes incolunt: Hi ſiquidem, quia ſol, vbi ſuos reflectat radios, non habet, minimis æſtibus vexantur: ſic reges culparum ſuarum ignem non ſentiunt; quia penes ſe viros non habent, qui in regem veritatis radios quodammodo repercutiant. Quare optimus, vereque ſagax appellandus ille eſt, qui alienis exemplis reflexionem hanc inquirens, ſuum principem eius errores docet, admonetque. Quæ ars mirum in modum à Datan obſeruata eſt erga Dauidem; quo exemplo nullum præclarius in ſacro, aut prophano quouis libro legere eſt: *Diues,* inquit, *habebat oues, & boues plurimos valde: pauper autem nihil habebat omnino præter ouem vnam paruulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius ſimul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens, eratque illi ſicut filia: Cum autem peregrinus quidam veniſſet ad diuitem, parcens ille ſumere de ouibus, & de bobus ſuis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad ſe, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini, qui venerat ad ſe.* Iratus autem indignatione Dauid aduerſus hominem illum nimis, dixit ad Nathan, *Viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir, qui fecit hoc.*

[h] *lib.20.*

[i] *lib.28.*

[k] *Dion lib.50.*

[l] *hæc ſcripta videntur vergē-te ad occaſum Philippo II. impubere filio.*

Tunc Nathan: *Tu es ille vir:* & poſt nonnulla: *Vriam Hethæum percuſſiſti gladio, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon.* [m] At ſi quantum Dauid peccatum ſuum fleuit, tantundem cæteros peccatorum ſuorum pœnitentia caperet; neſcio, an exoptandum foret, vt in ſimilia mala noſtri principes inciderent, quo ad tam ſalutarem, ſplendidamque emendationem extollerentur. Verum & reges increpare audet nemo, neque ipſi vel audire increpantes volunt; omnem monitorem abnuentes. Hinc factum eſt, vt tacito communique omnium conſenſu nullæ tragœdiæ amplius recitentur, quia poëma illud ad priuatos minime pertinet, ſoloſque principes attingit. A quibus ipſe quoque veniam peto, ſi forte nimis audacter in ipſos prouectus ſum; Deum non minus, quam Dauid, obteſtans, me boni publici cauſa hæc ſcriptitaſſe.

[m] lib. 2. Reg. c. 12.

Optimi ducis partes eſſe, deliberare, bellumne feſtinandum, an differendum ſit.

DISCVRSVS V.

PRæcipuæ ducis partes ſunt, cognoſcere, an bellum differendum, an maturandum ſit: hinc enim tota belli gerendi ratio dependet. Suetonius Paullinus, quo ſua tempeſtate in operibus militaribus nemo ſagacior extitit, in eo bello, quod inter Vitellium, & Othonem inceptum eſt, prudenti diſcurſu *feſtinationem hoſtibus, moram ipſis vtilem diſſeruit.* [a] Neque militis, aut præcipui conſiliarii nomen vnquam merebitur, qui in hac difficultate conſilium proponere neſcit: ideo Tacitus Vitellium arguit; quod conſilii inops eſſet, *quantus vrgendo, trahendove bello modus, alios rogitans.* [b] Inter multas belli differendi cauſas altera eſt, quoties damni periculum maius eſt, quam commodi ſpes; vt de Duce Albæ, cum Dux Guiſius regnum Neapolitanum inuaderet, dictum eſt. [c] Huic ſimilis deliberatio illa fuit Gnei Sulpitii dictatoris, dum bellum contra Gallos trahebat; nolens, rerum ſummam periclitari cum eo hoſte, cuius vires propter deteriorem loci conditionem in dies diminuebantur (quod inter alias cauſas numeratur, cur bellum differendum ſit) præterquam quod commeatu carebat, arces fere nullas poſſidebat, eiuſque nationis tota vis in primo impetu, qui mora interiecta euaneſceret, conſiſtebat. [d] Sic annis præteritis inter eos, qui monomachiam exercebant, obſeruabatur, vt, cum alter alterum ſic vulneraſſet, vt ex ſe ipſo paullatim viribus defecturus eſſet, non feſtinaret certamen, ſed hoſtem morando, donec ſenſim deficeret, tantummodo propelleret. Quiſquis hiſtorias non oſcitanter perleget, hoc perſæpe accidiſſe, comperiet, nempe alterutri principum inter ſe bellantium ſemper expediuiſſe variis de cauſis, prælium aut differre, aut feſtinare. Idcirco

[b] lib. 16.
[c] diſc. 1. huius libri.
[d] Liu. lib. 1.

circo Frontinus notat, Alexandrum & Cæſarem, quod exercitus ducerent veteranos, nunquam non prælium maturauiſſe: ex aduerſo Fabius Maximus contra Annibalem, & Byzantii contra Philippum ſemper prælium recuſabant, ſalubri conſilio, nempe cognoſcentes minimam adeſſe cum hoſte dimicandi opportunitatem.[e] Ille igitur excellentior inter duces erit, qui hac in re voluntatem hoſtis exequi non cogetur. Neque video, qua ratione quiſque probare queat, nullum ducem prælium euitare poſſe, quoties aduerſarius vrget, illudque omnino depoſcit.[f] Nam ſi ita ſe res habet; hoc eſſet ab hoſte dependere. Proinde pulcherrimum illud eſt reſponſum, quod legatus quidam Romanus Samnitibus reddidit: Quibus dicentibus, ſe quodam inter Capuam, & Sinueſſam loco Romanum exercitum expectaturos, Romanus reſpondit, *Non quo hoſtis vocaſſet, ſed quo imperatores ſui duxiſſent, ituros eſſe.*[g] Illud autem, quod dicitur, Qui prælium conſerere non vult, cum quinquaginta millia paſſuum procul ab hoſte caſtrametari debere, vel ſe in oppido claudere, vel fugere: hoc verum non videtur, quia prudens dux hoſtem ſequi, & inuenire non ignorabit, vt dictator Sulpitius, & Fab. Maximus ab illo autore allegati fecerunt. Ego maiores duces, quam fuerint Cæſar, & Pompeius, quos ex aduerſo collocem, non habeo: quorum alter, nempe Cæſar, cum bellum prælio abſoluere percuperet, alterum cogere nunquam potuit, etſi prouocaret illum quotidie, ſeq; è regione caſtrorum eius ſemper collocaret: neque ob id Pompeius in caſtris ſe continebat, ſed ipſe etiam copias educens, ab tergo caſtris relictis, Cæſaris conatus omnes eludebat.[h] Dicet aliquis: Quomodo ergo Cæſar vicit? Vicit, non quod ab ipſo, ſed quia à ſuis Pompeius præliari coactus fuit, vt idem Cæſar teſtatur: *& ſi quando quid Pompeius tardius, aut conſideratius faceret, vnius eſſe negotium diei, ſed illum delectari imperio, & conſulares, prætorioſque ſeruorum habere numero, dicerent.*[i] Sic Appianus,[k] & Plutarchus,[l] prælio Pompeium abſtinere decreuiſſe, ſcripſerunt: Quod conſilium facultas non defeciſſet, niſi cum à ſuis Agamemnon, & rex regum diceretur, inanibus vocibus feſtinare belli ſummam coactus fuiſſet. Sed ad exemplum Philippi regis Macedonum ab autore aduerſario allatum deueniamus. Et videamus, quomodo cum Liuii textu concordet, vt quicunq; has diſputationes legerit, rei veritatem diſcernere queat. Poſtquam igitur autor ille dixiſſet, Quiſquis prælium recuſat, eum aut procul eſſe, aut in oppido ſe claudere, vel fugere debere, ſequitur his verbis. Hæc autem vera eſſe, manifeſte ex mille cernitur exemplis, præſertim in bello, q. Romani cum Philippo Macedone Perſei patre geſſerunt: quia Philippus à Romanis vexatus, prælio ſe non certaturũ, decreuit, & ne cogeretur, factũ Q. Fab. Maximi primo imitat⁹ eſt, ſeq; cũ exercitu ſuo in ſummitate mõtis collocauit, in quo ſe permuniuit, exiſtimãs, nunq̃ Romanos eũ aggreſſuros eſſe: verum fefellit ſpes, quia Romani eum inde expulerunt, iiſq; cum reſiſtere non poſſet, cum toto exercitu aufugit: ne vero in totum periret, aſperitas locorum effecit, quæ perſequentibus Romanis fuit impedimento. Philippus igitur prælium detrectans, & penes Romanos caſtrametatus aufugiendum ſibi putauit.

[e] *lib. 1. c. 3.*
[f] *lib. 3. c. 10.*
[g] *Liu. l. 8.*
[h] *Cæſ. lib. 3. de bell. ciuil.*
[i] *ibid.*
[k] *lib. 2 de bello ciuil.*
[l] *in Pompeio.*

Hactenus ille. Modo conſiderandum eſt: Philippum, quia Romanos viderat & armis, & diſciplina militari ſuis præcellere, ideo confragoſa, & arcta loca, hoſtibus ardua, ſibi vtilia elegiſſe, vnde catapultarum, & baliſtarum ope ex rupibus illis, quaſi muris, aduerſus Romanum exercitum potentiorem ex æquo dimicaturus videbatur; prout re vera ambiguam eo loco victoriam effecerat: hæc narrante Liuio; *poſtquam multis vulneratis, interfectiſque recepere ſe regii in loca aut munimento, aut natura tuta, verterat periculum in Romanos, temere in loca iniqua, nec faciles ad receptum anguſtias progreſſos.* [m] Quod ſequitur, patefacit, Philippi conſilium optimum fuiſſe, *neque impunita temeritate inde recepiſſent ſeſe.* Ad quid? Ecce fabulæ nodum reſolutum. Cum in hoc ſtatu res eſſet, paſtor quidam à Charopo principe Epirotarum miſſus deducitur ad Conſulem: is ſe in eo ſaltu, qui regiis tunc oneratus caſtris erat, armentum paſcere, ait, omnes montium eorum anfractus, calleſque noſſe: ſi ſecum aliquot mittere velit, non iniquo, nec perdifficili aditu ſupra caput hoſtium deducturum: hæc Charopus renuntiari iubet, ita crederet, vt ſuæ potius omnia, quam illius poteſtatis eſſent: Cum magis vellet credere, quam auderet Conſul, experiri ſpem oblatam ſtatuit: & vt auerteret rem à ſuſpicione, biduo inſequenti laceſſere hoſtem, diſpoſitis ab omni parte copiis, ſuccedentibuſq; integris in locum defeſſorum nõ deſtitit: vbi ad inuia equiti ventum ſit, in planitie aliqua equitatum locari iubet: pedites, qua dux monſtraret viam ire: nec ante clamorem tollere, quam ab ſe ſigno accepto pugnam cœptam arbitrari poſſet: nocte itinera fieri iubet (& pernox forte luna erat) interdiu cibi, quietiſque ſumeret tempus: ducem promiſſis ingentibus oneratum, ſi fides extet, *vinctum tamen*, tribuno tradit. Sic rex & à fronte, & à tergo circumuẽtus aufugere coactus. Agedum; ex huius hiſtoriæ narratione deprehenditur, Philippi calamitatem, non quod locum elegiſſet deteriorẽ, ſed ex proditione Charopi proceſſiſſe: ſine qua dictator Sulpitius, & F. Maximus, & quilibet dux ægre dimicauiſſent. Quod ſi rex accuſandus eſt, quia ſingula circũſpicere opus erat, at ſaltem diſſertationum autoris ſentẽtia fallitur, & Romani temere Philippũ aggreſſi erant, coſq; pœnituiſſet, niſi proditione adiuti fuiſſent. Vt vero vlterius diſſerendo procedamus: opinor, non poſſe hoſtẽ ad prælium committẽdum proprie dici coactum eſſe, quoties aggreſſor id ſuo cũ damno efficit, hoc enim perinde eſſet, ac ſi quis muro caput illidere vellet, quod nemini vetatur. Dũ dicitur; ſi hoſtium alter præliũ committere velit, alteri nullũ præ tribus illis, quæ diximus, remediũ ſuperfuturum: neſcio quomodo concluſio hæc firmetur: nam hæc ſuperioribus aduerſantur, cum dictum eſt, ſi Annibal Fabiũ adortus fuiſſet, Fabium expectaturũ, & præliũ commiſſurũ fuiſſe. Concludamus igitur, ad quẽuis ducem pertinere, vt, an bellum procraſtinandũ, an maturandũ ſit, non ignoret. Quod ſi bellum producendum eſſe, cognouerit, ſedulam operã adhibeat, ne prælium committat: quod poſſe fieri oſtẽdimus: propterea quod Fabius, & Sulpitius, & præter hos Pompeius, & Philippus idem effecerũt: quamquã (quod attinet ad hos poſtremos) ille à ſuis, nõ ab hoſte impulſus, hic proditione dimicat,

[m] *lib. 32.*

& vterq; vincuntur. Ergo ſi reſp. Veneta, aliave reſp. ſiue princeps duci ſuo mandauerit, ne prælium committat, abſtinere debet? Hoc eſt Suetonii Paullini conſilium: neq; debet quiſq; hanc doctrinam docere, non poſſe ducem quemquam prælium euitare, ſi hoſtis illud omnino depoſcat. Nam ſi id agis, vt me doceas, poſſe quemuis caput muro, vt diximus, allidere, aut ſe in mare proiicere, vel ſe ipſum interficere, nihil doces. Adhuc vnum addendum mihi ſupereſt: etenim ſi dixiſſet; nullum ducem prælium ſubterfugere poſſe, quoties milites ſui pertinaciter illud expoſcunt, minus abſurde dixiſſet, quam dicendo, ex aduerſarii nutu prælium dependere. Id autem per Pompeium nuper probatum eſt, & per Fab. Maximum modo probatur, nō quia contra voluntatem ſuam dimicare coactus fuerit, ſed quia contra patriæ mores autoritatem ſuam cum Minutio magiſtro equitum exæquauerat, eidemq; collegæ in prælio infeliciter laboranti opem ferre neceſſe habuerat.[n] Cuius rei ratio eſt, quia milites niſi ad prælium prompte deſcendant, dedecori ſibi attribuunt, quaſi hoc eorum ignauiæ ſit argumētum, ideoq; contra duces ſuos, vt Minutius contra Fabiū, turbas inſtituunt. Et quadrat militum Varronis, & P. Æmilii exemplum: qui nimis audacter, nec perplexe dixerant, *Niſi ſignum detur, ſine ducib. ituros.*[o] Quod Fabius, qui has difficultates præſenſerat, recte L. Paulū monuerat, annuntians, non minus certaminis ſibi contra collegam Varronē, quā contra Annibalē fore. *Cum illo*, aiebat, *in acie tantum, cum hoc omnibus locis, ac temporibus certaturus es, & aduerſum Annibalem legioneſque eius tuis equitibus, ac peditibus pugnandum tibi eſt: Varro dux tuis militibus te eſt oppugnaturus.*[p] Ad quæ Æmilii reſponſio fuit magis fatentis ea, quæ diceret, quam ob collegæ ferociam facilia factu eſſe. Quod ſi quis diceret, hæc accidere: quoties bipartitum eſt imperium, quoniam milites pugnæ cupidi temerarium alterum ducem ſequuntur; dico, Cæſarem, dum ſolus eſſet, ſummæq; exiſtimationis dux, ipſum etiam non minores his difficultates contra Afranium, & Petreium in Hiſpania expertum fuiſſe: nam cum pugnam recuſaret, nedum dicerent milites, ſe iniuſſos prælium commiſſuros, aperte dixerant (quod longe deterius eſt) poſtquam præſens victoriæ occaſio præterlabi ſinebatur, *etiam cum vellet Cæſar, ſeſe non eſſe pugnaturos.*[q] Quibus diſſimilia non fuerunt, quæ dictator C. Sulpitius à militibus audiuit: *ſe iniuſſu imperatoris aut dimicaturos, aut agmine Romam ituros.*[r] Quibus rebus quæ remedia adhibenda ſint, nulla video, niſi vt coercendi autoritatem, & militarem maieſtatem dux retineat, vtque profiteatur, non teneri ſe, militibus conſilia ſua reuelare; ſolas militum partes eſſe, imperata exequi. Qua autoritate vſus eſt M. Licinius Craſſus, qui militi petenti, quando caſtra mouenda, reſpondit, Times tubæ ſonitum non audire ſolus? Et Metellus Pius in Hiſpania interrogatus, quid poſtero die facturus eſſet, reſpondit, Si tunica ſua interior id reſciret, eam combuſturum.[ſ] Oratio illa, quam Otho ad turbantes milites habuit, ad hanc rem perbelle facit, præſertim cum inquit: *parendo potius, quam imperia ducum ſciſcitando res militares continentur.*[t] Si via hæc ſeuera nimis viſa fuerit, aliam humanitatis, modeſtiæque plenam inire licet,

[n] Liu. l. 22.
[o] ibid.
[p] ibid.
[q] lib. 1. de bello ciuil.
[r] Liu. lib. 7.
[ſ] Frontin. lib. 1. c. 1.
[t] Tac. lib. 17.

quam Cæſar ingreſſus eſt: exempli gratia, Si ſine pugna, & ſine vulnere meorum rem conficere poſſum, cur ſecundo prælio aliquem ex meis amittam? cur vulnerari patiar optime meritos de me milites? cur fortunam pericliter? [u] Frontinus integrum caput impendit in tradendis modis, quibus milites pugnam flagitantes frenari queant. [x] Quod ſi quis eorum precibus compulſus prælium commiſerit, & inferior fuerit, nullam moram trahat, quin cum C. Sulpitio militibus præteritam audaciam exprobret. *Vbi illi clamores arma poſcentium? vbi minæ, iniuſſu imperatoris prælium inituros? en ipſum imperatorem clara voce vocare ad prælium, & ire armatum ante prima ſigna: ecquis ſequeretur eorum, qui modo ducturi fuerint? in caſtris feroces, in acie pauidi. Vera audiebant: itaque tantus pudor ſtimulos admouit, vt ruerent in hoſtium tela, alienatis à memoria periculi animus.* [y] Et de his ſatis dictum eſto.

[u] lib. 1. de bello ciuil.

[x] lib. 1.

[y] Liu. lib. 7.

Nullum hoſtem, hoſtilemque arcem à tergo relinquendam eſſe.

DISCVRSVS VI.

IN deliberatione Othonis, an ſibi pugnandum eſſet, peritiſſimus bellorum Suetonius Paullinus ſuadebat, vtilem bello moram eſſe, vt ante diximus, rationemq; addebat, quod Vitellius à tergo nullas copias haberet: *nec multum virium à tergo.* [a] Pauca quidem verba hæc ſunt, ſed ſignificantia, atq; prægnantia: nempe non ignorabat vir, quo (vt ait Tacitus) nemo illa tempeſtate rei militaris callidior habebatur, quantum momenti afferret, loca à tergo tuta, vel intuta relinquere. Iamque cum Britannorum defectionem reprimeret, iterum elegerat ſibi locum *tergo ſylua clauſum,* [b] vt in fronte ſolummodo hoſtes haberet. Veſpaſianus cum arma contra Vitellium mouere decreuiſſet, Italiam petiturus, ad reges Parthorum, & Armenorum legatos miſit, *ne verſis ad ciuile bellum legionibus, terga nudarentur.* [c] Vnde non video, cur autor quidam dixerit, Si arces adeo ſint munitæ, vt expugnari nequeant, ab exercitu poſt tergum linqui, ſicque infructuoſas eſſe; quia validus exercitus, cum ei paribus iuribus non obſiſtitur, penetrat in hoſtiles terras, neque ad oppida, & arces, quæ poſt ſe relinquit, vllum reſpectum habet, quemadmodum ex antiquis hiſtoriis videre eſt. [d] Quibus verbis non modo Suetonius Paullinus, & Veſpaſianus refragantur, ſed etiam Cæſar, qui militaris huius præcepti obſeruantiſſimus ſæpe in commentariis ſuis illius mentionem facit. In bello enim, quod contra Gallos geſſit, acceſſerunt ad eum Morinorum legati, purgantes populum ſuum, quod temere contra Romanos arma mouiſſent, & ſeſe mandata Cæſaris acturos, offerentes: quæ, inquit, opportune facta ſunt, *quod neque poſt tergum hoſtem relinquere volebat, neque,* &c. [e] Eodem bello cum ad Senonum oppidum Vellaunodunum perueniſſet, illud expugnandi conſilium cepit, *ne quem poſt ſe hoſtem relinqueret.* [f] Hirtius

[a] Tac. l. 18.

[b] lib. 14.

[c] lib. 18.

[d] lib. 4. c. 47.

[e] lib. 4. de bello Gall.

[f] lib. 6.

tius in bello Alexandrino teſtatur, Cæſarem, cum rei frumentariæ copiam apud Ruſpinam oppidum reperiſſet, curauiſſe, vt ad maritima loca aduceheretur, quæ nolebat poſt ſe vacua relinquere.[g] Ex his maximorum Imperatorum teſtimoniis, quales Cæſar, & Veſpaſianus extitere, item non contemnendi ducis, qualis Paulinus, præter Hirtium, bellicam regulam indubiam eſſe intelligimus, Non eſſe à tergo hoſtile quidquam relinquendum. Verum fortaſſe regulæ huius ratio inueſtiganda eſt; quam tamen haud procul quærimus: etenim ipſe Cæſar, vt diximus, apud Senones eam ſubiungit, *quo expeditiore frumentaria vteretur*. Nihil certius eſt, quam quod arces neque ambulant, neque magno exercitui, quin procedat, impedimentum vllum afferre poſſunt: verum quia hic exercitus commeatibus, aliiſque rebus indiget, pauci, & vel quinquaginta milites, qui ex arcibus illis, quas reliquiſti, opportune egrediantur, viaſque obſideant, maximum tuis rebus detrimentum allaturi ſunt. Hirtius etiam addit rationem, voluiſſe Cæſarem maritimis oppidis præſidium relinquere, vt haberet claſſis, quo ſe in tutum reciperet. Carolus VIII. cum in Italiam ad regnum Neapolis occupandum deſcendit, nullum locum poſt ſe reliquit, quem non aut expugnauerit, aut conditionibus in fidem receperit, ne, qui portam venienti in Italiam aperuiſſet, eandem redeunti claudere poſſet: verum vna cum Venetis idem Dux belli concitator, cæteriq; fœderati ad Tarum in tale periculum regem coniecerunt, vt vitam ſuam ſanctis Dionyſio, & Martino, peculiaribus Galliæ patronis, commendare coactus fuerit.[h] Quod ſi rex vitam ſeruauit, neque forte exiſtimationem ſuam deteriorem fecit, cum alii Gallis victoriam, fœderatis alii tribuant; ex eo tamen patefactum eſt, quiſquis in nouas terras, quarum non eſt dominus, ingreditur, operam ipſi dandam eſſe, vt, quæ poſt tergum, relinquit, cuncta beneuola, & quam tutiſſima relinquantur.

[g] *de bell. Alex.*

[h] *Guicc. lib. 2.*

Milites in prælium pranſos & vegetos, non ieiunos, & defatigatos ducendos eſſe.

DISCVRSVS VII.

POteſt quis defeſſus eſſe, & non eſurire, at famelicus nunquam non laſſitudine laborabit, cum ad pugnandum viribus, & vigore deſtituatur: ideo quod dicitur milites defatigatos in prælium ducendos non eſſe, etiam de eſurientibus vere dici poteſt. Quam rem præter hoc argumentum plurimorum iuuat autoritas: nam Scipio cum Aſdrubale conflicturus *teſſeram veſperi per caſtra dedit, vt ante lucem viri, equique pranſi eſſent:* & qui belli illius exitum notauerit, non minus Scipionem hoc conſilio adiutum, quam Aſdrubalem ſiti, fameque ſuorum deuictum reperiet.[a] Idcirco merito Gedeon ad viros Socoth dixit, *Date, obſecro, panes populo, qui mecum eſt, quia valde defecerunt, vt poſſimus proſequi*, &c.[b] Sed quis hoc admiretur, cum Hippocrates doceat, Vbi eſuries eſt, ibi

[a] *Liu. l. 28.*

[b] *Iudic. 8.*

non

non eſſe addendum laborem. [c] Vt clarius hæc materia percipiatur, ſciendum eſt, Romanos nunquam in caſtris cibos, niſi certis horis, cepiſſe, ideoq; neceſſe erat, vt dux, in cuius erat poteſtate ineundi prælii ſignum dare, horam comedẽdi præſcriberet, idq; per teſſeram quandam; vnde cum Æmilius intellexiſſet, Thuſcos prælium cogitare, inquit Liuius, *extemplo teſſeram dari iuſſit, vt prandeat miles, firmatiſq; cibo viribus arma capiat.* [d] Verum de hoc nemo Vlyſſe melius: nam cum audiuiſſet, ab Achille Græcos ad arma ſine vlla mora conuocatos fuiſſe, diſerte monuit, Non eſſe ieiunos Græcos ad pugnam mittendos, ſed iubendum, vt cibum & vinum guſtent, vnde robur & fortitudo: non enim poſſe hominem totum diem ad ſolem vſq; occidentem ieiunum, etſi cupidum, dimicare, quin mẽbra grauentur, & genua labent. [e] Quiſquis igitur ieiunum hominem, & conſequẽter laſſum in prælium ducit, imprudenter agit. Cuius laſſitudinis damna pluribus exemplis patent: quandoquidem apud autorem noſtrum Celſus, & Paullinus abnuebant, *militem itinere feſſum, ſarcinis grauem, obijcere hoſti, non admiſſuro, quo minus expeditus, & vix quatuor millia paſſuum progreſſus, aut incompoſitos agmine, aut diſperſos, & vallum molientes aggrederetur.* [f] Cuius rei arguuntur alibi milites Voculæ, quod inuito duce, *incompti, feſſique prælium ſumpſerint.* [g] M. Popilius Lænas cum poſt diuturnum, & anceps bellum Gallos viciſſet, omiſit illos perſequi, *quia ſubijcere exercitum pugna feſſum nouo labori nolebat.* [h] Memorabilis oratio illa eſt, quam P. Æmilius de hac laſſitudine vitanda habuit coram militibus: inter cætera autem, *Nihilne intereſt*, inquit, *vtrum militem, quem neq; via labor hodie, neq; operis fatigauerit, requietum, integrum in tentorio ſuo arma capere iubeas, atque in acie plenum virium, vigentem & corpore, & animo educas, an longo itinere fatigatum, & onere feſſum, madentem ſudore, ardentibus ſiti faucibus, ore atque oculis repletis puluere, torrentem meridiano ſole, hoſti obijcias recenti, quieto, qui nulla re ante conſumptas vires ad prælium adferat.* [i] Et mirum eſt, quam frequenter Cæſar in Curionis infelici illo, quo cæſus eſt, prælio, confectum itinere, & labore exercitum, equos, militeſque defeſſos, integros hoſtes, ſuos laſſitudine deficientes repetit, vt ſolam hanc fuiſſe cladis cauſam ſignificet. [k] Cumq; Gallorum inuaſionem in Sabinum legatum deſcribit, errorem Gallorum patefacit, *quod exanimati peruenerint*, & cauſa cladis iis verbis innuitur, *opportunitate loci, hoſtium inſcitia, ac defatigatione.* [l] Quamobrem idem Cæſar, vtpote inſignis ac peritiſſimus dux, non neſcius, quãti interſit, an milites integri, an defeſſi confligant, cum Ptolomæi regis copias Alexandriæ fudiſſet, & confertam armatorum multitudinem collocatam in vallo vidiſſet, *laſſos itinere, ac præliando milites ad oppugnanda caſtra ſuccedere noluit.* [m] Quemadmodum ii, qui natare docent, ſcientes, longa natatione omnes deficere ſolere, id reſpiciunt, vt natatores addiſcant, quo pacto reſpirent, & requiem capiant: ſic magni duces omnem induſtriam adhibent, vt fatigatos milites recreent, & laboribus exonerent; ſicuti Galba Cæſaris legatus fecit, qui ab hoſtibus in ipſis caſtris obſeſſum, cum iam amplius horis ſex continenter pugnaretur, ac non ſolum vires, ſed etiam tela Iulianis deficerent, neq; poſſent, vt hoſtes, inte-

[c] *l. 2. Aphor. 16*
[d] *lib. 19. Iliad.*
[e] *Homer. l. 19. Il.*
[f] *Tac. lib. 18.*
[g] *lib. 20.*
[h] *Liu. l. 7.*
[i] *lib. 44.*
[k] *lib. 2. de bello ciu.*
[l] *lib. 2. de bello Gall.*
[m] *ibid.*

groſ feſſis ſubſtituere, ideoq; re ad extremum perducta, P. Sextii Baculi, & Voluſeni monitu, decreuit auxilium extremum experiri, vt ſui milites, eruptione facta, hoſtes aggrederentur. Itaq; conuocatis centurionibus, milites certiores fecit, paulliſper intermitterẽt prælium, ac tantũmodo tela miſſa exciperent, ſeq; ex labore reficerent: poſt ſigno dato, è caſtris erumperent.[n] Quod conſiliũ fortunam cõmutauit, occiſis, partim fugatis triginta millib. hominum. Nos, inſtar Romanorum, ſcutis non vtimur: at dubitandum non eſt, quin ea præter cæteros vſus, nẽpe in tranſnandis fluminib. in teſtudine conficienda, præcipue in toto corpore defendẽdo, in prælio etiã vulneratis militib. ſaluberrima fuerint; vt iis verbis declaratur, *Vt noſtri, & qui vulneribus confecti procubuiſſent, ſcutis innixi præliũ redintegrarent.*[o] Quiſquis igitur in pugna ſuperari nõ vult, vel ſaltẽ anſam eripere cęteris, ne dicant, illum ob ſuã ſocordiam clade affectum fuiſſe, ſicuti magna ex parte Craſſo obiectum fuit; ſtudeat, ne milite defeſſo, aut eſuriente prælium committat.[p] Idcirco ex documentis, quæ P. Æmilius militibus præcipit, duo potiſſimum hanc materiam reſpiciunt, *Vt corpus quam validiſſimum ac perniciſſimum habeant, cibumq; paratum ad ſubita imperia.*[q] Verum quia, vt vulgo dicunt, omnis regula patitur exceptionem; quotieſcunq; acciderit, vt aliquis ſummam diligẽtiam adhibuerit, quo improuiſum hoſtẽ adoriatur, tũc nullas nectere, & interponere moras debet, ne fructum incepti laboris amittat. Hinc Claudio Neroni cõtra Aſdrubalem celerrime properanti, cum dicerent quidam, feſſum via ac vigiliis militem reficiendum; non modo ille ſuadere, ſed ſumma ope orare inſtitit, *ne conſilium ſuum, quod tutũ celeritas feciſſet, temerarium morando facerent.* Cuius Cl. Neronis cõſilio peracto, cum Aſdrubale dimicatum, & debellatum eſt.[r]

[n] lib. 3. de bello Gall.

[o] ibidem l. 2.

[p] Appian. de bell. Part.

[q] Liu. l. 44.

[r] lib. 27.

In arduis media conſilia inutilia eſſe, ideoque, duobus principibus diſſidentibus, neutram partem fouere, principi pernicioſum eſt.

DISCVRSVS VIII.

FLuctuabat incertus animi Veſpaſianus, antequam de capeſſendo imperio deliberaret; modo in ſpem erigebatur, modo aduerſa reputabat; illud in primis meditabatur, eſſe priuatis cogitationibus progreſſum, & prout vellent, plus minuſve ſumi ex fortuna: *imperium cupiẽtibus nihil medium inter ſumma & præcipitia.*[a] In Etruria viget prouerbium, quod quanquam ad res priuatas pertinet, minimo tamen labore ſermoni noſtro ſuffragatur, Excidio, vel vltimæ ruinæ cuiusq; nullam deberi miſerationẽ. Quamobrẽ errant, qui Cæſaris liberalitatẽ in exemplum adducunt: Etenim Cæſar, qui ſumma ambiebat, nihil mediũ mẽte agitabat. Ego quidẽ ex diuitib. pauperes, & ex pauperibus diuites priuatos multos vidi, ſed pauciſſimi principes leguñ, cũ ſemel ceciderint, ſurrexiſſe, eorumq; miſerabilẽ cõditionẽ defleo, quoties in annalib. Neapolitanorũ regum lego, Carolũ Primum

[a] lib. 18.

tribus

tribus Manfredi vtriuſq; Siciliæ regis filiis victũ ſubminiſtraſſe, vix medio floreno viritim æſtimandum. Hinc prudentiſſimus Liuius ore Scipionis Africani dixit: *Regum maieſtatem difficilius ab ſummo faſtigio ad medium detrahi, quam à mediis ad ima præcipitari,* [b] quaſi innueret, reges difficilius quidem cadere, quam priuatos, at ſi labi incipiant, penitus ruere. Igitur principes hoc monitum, quod Antiocho Syriæ regi datum fuit, non à me, ſed à Scipione Africano accipiant. Sed regum culmine relicto, ad diuerſos caſus deueniamus. Samnites, quorum dux erat C. Pontius, exercitus Romanos ad furculas Caudinas inter duos ſaltus clauſerant, & cum, de iis quid deliberarent, ſatis certum conſilium non ſuppeteret, vniuerſi Herennium Pontiũ patrem Imperatoris, qui grauior annis militarib. muneribus immunis erat, per literas cõſulendũ cẽſuerunt. Is ſtatim nuntio audito, *cenſuit omnes quamprimum inuiolatos dimittendos*: quæ vbi ſpreta ſentẽtia eſt; iterũ eodem remeante nuntio conſulebatur: *cenſuit, ad vnum omnes interficiendos.* Quæ vbi tam diſcordia inter ſe, velut ex ancipiti oraculo, reſponſa data ſunt, ipſum in conſilium vocauerunt: qui plauſtro in caſtra aduectus, ita ferme locutus eſt, vt nihil ſententiæ ſuæ mutaret, cauſas tantum adiiceret. Priore ſe conſilio, quod optimum duceret, cum potentiſſimo populo per ingens beneficium perpetuam firmare pacem, amicitiamq;: altero conſilio in multas ætates, quibus amiſſis duobus exercitibus, haud facile receptura vires Romana res eſſet, bellum differre: *tertium nullum conſilium eſſe.* [c] Aurea ſunt hæc Herennii verba. Adnotetur ex verbis huius ſapientiſſimi ſenis, quale primum fuiſſet conſilium, & quomodo illud optimum vocat, poſtquam ad alterum deuenit, quod neq; bonum appellat, neq; malum, quia neceſſitas hoc pepererat, primo refutato, etſi ſua non carebat ratione. Quod ego ob oculos poſui, ne ii, qui ad improbitatem natura vergunt, crudelitatem amplectendam cenſeant: quod quidem autores docere auſi ſunt, dicentes; perraro ſcire homines, aut extremam bonitatem, aut extremam improbitatem colere. Verum quid mirandum, tertiam illam viam à ſapientibus contemni, ſi Deum legimus ab hominibus tepidis abhorrere? *Et mandauit mandata ſua cuſtodiri nimis.* Cum vero inquit, *Vtinam frigidus eſſes*, tunc oſtendit, extrema illa perinde atq; tepiditatem mala eſſe. Rebus agendis æque feſtinatio (vtpote quæ conſilium non recipit, vnde temeritas appellanda eſt) ac tarditas nocet, quæ bene conſulta in diem differens, amittit fructum, qui ex conſilio colligendus erat. Et nihilominus, quia mora in arduis inceptis periculoſa, aggrediendæ res ſunt, & exequendæ: *nam qui deliberant, deſciuerunt*, inquit Mutianus. [d] Fabius Valens Vitellii dux, Rauennatem claſſem defeciſſe audiens, ſi ceptum iter properaſſet, nutantem Cæcinam præuenire, aut ante diſcrimen pugnæ aſſequi legiones potuiſſet. Nec deerant, qui monerent, vt cum fidiſſimis per occultos tramites, vitata Rauenna, Hoſtiliam, Cremonamve pergeret. Aliis placebat, accitis ex vrbe prętoriis cohortib. valida manu perrumpere. *Ipſe inutili cunctatione agendi tempora conſultando conſumpſit: mox vtrumque conſilium aſpernatur, quod inter ancipitia deterrimum eſt, dum media ſequitur, nec au-*

[b] Liu. l. 37.

[c] Liu. lib. 9.

[d] Tac. li. 8.

[e] *lib.19.*
[f] *Liu.l.2.*
[g] *ibid.*
[h] *lib.11.*
[i] *Liu.l.42.*
[k] *Liu.l.31.*

ſus eſt ſatis, nec prouidit. [e] Nunnulli in rep. gerenda putant, per hæc media conſilia amicos ſibi conciliare: ſed illud Ap. Claudius, & P. Seruilius erroneum eſſe docuerunt: nam Seruilius *medium ſe* gerendo, *nec plebis vitauit odium, nec apud patres gratiam inijt.* [f] Et quanquam Appius improbe ſe geſſit, tamen *Seruilius neutris, Appius patribus mire gratus.* [g] In hunc errorem cadunt omnes ii principes, & reſpubl. quæ bellorum pericula vitare ſe putantes, neutram partem fouent, cenſentq;, duobus principibus maioribus concurrentibus, a neutris ſibi ſtandum eſſe. Neq; animaduertunt, victorem, quia nihil tibi debet, omnem occaſionem libenti animo arrepturum, vt te opprimat, maxime quia propter recens partam victoriam auctas ſibi vires ſentit. Oſtendit Guicciardinus in hoc errore Florentinos verſatos fuiſſe, dum intenti ciuilibus diſcordiis, quibus, ne meliorem partem amplecterentur, impediebantur; cum rege Galliæ arma reip. minime iunxerunt: & neutram partem, & de die in diem conſilia ambigua, & incorrupta ſequentes, regis Galliæ animum, qui de ipſis ſibi multa pollicebatur, vehementer irritauerunt, neq; Pontificis odium mitigauerunt, & abſq; vlla reip. vtilitate neutralitatis ſuæ fructum regi Aragoniæ, qui cum illis libenter pepigiſſet, fruendum permiſerunt. [h] Antiqua recentibus exemplis lubens adnecto, vt appareat, mutatis temporibus veritatem eandem ſemper eſſe. Nam etſi in rebellica inſtrumēta, modiq; bellandi mutantur, ratio tamen belli nunquam mutatur. Et quoties cum exemplo manifeſtum documentum à ſcriptore coniungitur, vtq; iuriſtæ dicunt, caſus eſt in terminis, tunc ei acquieſcendum, credendum, & obtemperandum eſt: alioquin erratur contra exemplum ipſum, contra eum, qui rem ita geſſit, & contra illum qui ſcripſit. Ariſtenus Achæorum prætor cum audiuiſſet conſilium Cleomedontis, qui dixerat, in bello inter Romanos, & Philippum expedire Achæis, vt quieſcerent, abſtinerentq; armis, ita reſpondit, *Quod Cleomedon tanquam mediam & tutiſsimam nobis viam conſilij oſtendebat, ea non media, ſed nulla via eſt,* redditq; rationem; *Etenim præterquam quod aut accipienda, aut aſpernanda vobis Romana ſocietas eſt; quid aliud, quam nuſquam gratia ſtabili, velut qui euentum expectauerimus, vt fortunæ applicauerimus noſtra conſilia, præda victoris erimus?* [i] Ante bellum illud, quod paulo poſt inter eoſdem Romanos, & inter regem Antiochum, atq; Ætolos ab altera parte geſtum eſt, Antiochi legatus diſſidens, poſſe regi conciliare Achæos, quia Romanorum amici eſſent, poſtquam admiranda de regio apparatu prefatus eſſet, tandem rogauit, vt neutri parti ſeſe cōiungerent, neq; bello ſe interponerent. Ad quæ Conſul Quintius, coram quo hæc legatio expedita eſt, ſigillatim reſpondit: cum vero ad conſilium illud, vt ſe bello non interponerent, deuentum eſt, hæc memoranda verba ſubdit; *Nam quod optimum eſſe dicant, non interponi vos bello, nihil imo tam alienum rebus veſtris eſt; quippe ſine gratia, ſine dignitate præmium victoris eritis.* [k] Fuit Flaminius præclarus adeo dux, adeoq; clara ſunt eius verba, vt illis non acquieſcere iniuria fuerit. Addam ſolummodo, quod de rege Alphonſo, & de Senenſibus aliquando legi. Hi enim cum neutram partem in quodam bello Italo ſecuti eſſent, deinde vtraq; factio agrum eorum de-

populata

populata eſſet, tum rex dixit, Senenſibus idem, quod iis, qui mediam partem domus incolunt, accidiſſe: incolæ enim eiuſmodi, vtplurimum ab inferioribus fumo, à ſuperioribus lotio vexantur.[l] [l] *Panor. l. 4.*

Pecuniam neruos eſſe belli.

DISCVRSVS VIII.

APud rerump. gubernatores pecuniam neruos eſſe belli, perinde indubitatū axioma eſt, vt apud Mathematicos, totum ſua parte maius eſſe. Proinde cum Mutianus naues, milites, arma congregauiſſet, nihil æque eum fatigabat, quam pecuniarum conquiſitio, *eos eſſe belli ciuilis neruos dictitans.* [a] Suetonius Paulinus, quo nemo illa tempeſtate militiæ peritior habebatur, de toto genere belli pro Othone gerendi contra Vitellium diſſerens, cenſebat, procraſtinandum eſſe, præcipue quia Senatum & populum Othoni fauentes haberent, & conſequēter *publicas, priuataſq; opes, & immenſam pecuniam inter ciuiles diſcordias ferro validiorem.* [b] Neq; Antonius Primus ad accelerandum bellum, quod Mutianus pro Veſpaſiano aduerſus Vitellium inceperat, firmiore argumento mouetur, quā quia deeſſe pecuniam animaduertebat: *vnde interim pecuniam & commeatus?* [c] quibus Vitellius, ſuperato Othone, abundabat. Neq; ſolum pecunia belli ciuilis neruus eſt, quemadmodum Mutianus arbitratu ſuo dictitabat, ſed cuiuslibet belli ſiue ciuilis, ſiue non ciuilis: imo omnibus ſcriptoribus hæc ſententia, tanquam ſemper vera, probata eſt, præſertim Ciceroni, qui præter eximiam doctrinam conſulatu functus magnam in Romana rep. autoritatem conſecutus eſt, eoq; libentius hîc à me citatur, *Vectigalia,* inquit, *neruos eſſe reip. ſemper duximus,* [d] & alibi, *Nerui belli pecunia.* [e] Liuius ore Aſdrubalis affirmat, Annibalem non modo largitionibus loca quędam difficilia tranſiuiſſe, neq; auxilia Gallorum ſine pecunia conduci potuiſſe, ſed ſeipſum *inopem tantum iter ingreſſum, vix penetraturum ad alpes fuiſſe.* [f] Thucidides de Pericle narrat: primam rationem, vnde is Athenienſes ad incommoda belli ſuſtentanda hortabatur, illam fuiſſe, quod vires illis non deeſſent, quodq; commeatus præcipue conſilio, & pecuniæ copia expediatur. [g] Et poſtquam hoc argumentum abſoluit, orationem ad numerum militum conuertit. Vtq; dubium non ſit, quin Thucidides pecuniam pluris quam milites fecerit (etſi hanc ſententiam comprobare partium mearum non eſt, quia ſatis eſſe mihi puto, ſi pecuniam neruos eſſe belli, oſtendero) loquens ipſe principio ſuarum hiſtoriarum de bellis, quæ Troianum bellum præceſſerant, concludit, parua ea bella fuiſſe, non propter hominum, ſed propter pecuniæ penuriam. [h] Et paullo poſt, Propter pecuniæ, inquit, penuriam ante Troianum bellum res exiles admodum geſtæ ſunt. [i] Contra quam ſententiam autor diſcurſuum, forte ad ingenium oſtentandum, diſputat, aſſerens, pecuniam minime neruos eſſe belli. [k] Quam opinionem, inquit ille, allegari à Quinto Curtio in eo bello,

[a] *Tac. l. 18.*
[b] *ibid.*
[c] *lib 19.*
[d] *pro lege Manil.*
[e] *in Philipp.*
[f] *lib. 23.*
[g] *lib. 2.*
[h] *in proœmio.*
[i] *ibid.*
[k] *lib. 2. c. 10.*

quod Antipater Macedo,& rex Spartarum inter ſe geſſerunt,hiſce ferme verbis: Ob pecuniæ,inquit, penuriam rex Spartarum ad prælium coactus & profligatus eſt:nam ſi biduo bellum diſtuliſſet,mors Alexandri per Græciam innotuiſſet,itaque rex ſine prælio viciſſet: ſed pecunia deficiente, cum dubitaret,ne à militibus deſereretur,tentare fortunam prælii coactus eſt; & hinc affirmat Q. Curtius,pecuniam belli neruos eſſe; Quæ ſententia quotidie allegatur, & in ore principum non adeo prudentium celebratur;Hi enim pecuniæ fidentes credunt ad ſui tutelam, multos poſſidere theſauros,ſatis eſſe: neq; cogitant, ſi theſaurus ad victoriam ſufficeret,Darium ab Alexandro nunquam vincendum fuiſſe:& quę ſequuntur. Quæ ſententia(etſi rem,quam tractamus,non attingit)non à Q. Curtio allata fuit, cuius hiſtoria eo bello Spartano mutilata eſt, ſed à Plutarcho.[l] Et rex Spartanus fuit Cleomenes, non Agis, & victor fuit Antigonus, non Antipater: Et bellum non fuit Alexandri ætate, quo tempore Agidis prælium cum Antipatro commiſſum eſt, ſed tribus poſt ipſum ætatibus, cum Cleomenes ob theſaurum exhauſtum profligatus, in Ægyptum fugit: in altero autem bello Agis,quem pecunia defeciſſe dicitur, in bello fortiter occubuit: Modo ad rē deuenio:neq; dubium eſt,ſi princeps ſoli pecuniæ fiſus fuerit,quin eum ſua ſpes deceptura ſit:quandoquidē dum pecuniam neruos eſſe belli dicimus, intelligimus præterea, ne cæteræ circumſtantiæ deſint; quemadmodum & humana corpora non neruis modo, ſed etiam oſſibus,& carne, & ſanguine conſtituuntur. Verum ſicuti brachium,etſi oſſibus,carne, ſanguine validum, munere ſuo male fungeretur, ſi impeditum fuiſſet, quia neq; trahi,neq; retrahi poſſet: ſic exercitus(etſi bellicoſis hominibus, qui ſunt ipſius oſſa, armiſque, quæ carnium inſtar ſunt, valide munitus) nunquam mouebitur, ſi theſauri deſint, qui neruorum officio funguntur. Ad quam ſimilitudinem forte reſpexerunt, qui primo hanc ſententiam protulerunt, pecuniam neruos eſſe belli. Nimis autem vniuerſalia ſunt exempla illa, ſi theſaurus ad victoriam ſufficeret, Darius Alexandrum viciſſet, Græci Romanos, Carolus dux noſtris temporibus Heluetios, Pontifex,& Florentini ducem Vrbini: quæ nihil momenti afferunt: quia non ſequitur, victoriam in ſinum eius è cœlo deuolaturam, apud quem maiores theſauri cubant, modo qui bellum tecum gerit, tantum in ære habeat, quanto ad ſua incepta perficienda opus eſt. Præterea non ſunt hæc intelligenda de exercitu effœminatorum, vel longa felicitate deſidum adeo, vt & caro, & nerui deſint militibus aduerſus veteranorum exercitum, qualis Macedonicus fuit contra Darium. Cuius exercitus victoriam non admirabitur, quiſquis apud Q. Curtium diſciplinam eius perlegerit, præſertim neminem ordines caſtrorum niſi ſexagenarium duxiſſe.[m] Ex aduerſo, Perſarum luxuriam, deliciaſq; conſideret, neq; de pecuniæ vi quidquam diſputandum erit: nam eiuſmodi exercitibus ea damno eſt potius, quam auxilio. Græcos autem tanquam ditiores, victuros fuiſſe, hoc ego non concedo, niſi intelligat de regibus Aſiæ, ac Macedonum, qui Græci nō erant. Sed omnibus conceſſis, ſufficiebat, Romanos tantum poſſidere pecuniæ,

[l] *in Cleomene.*

[m] *lib. 2.*

quantæ

quantæ indigerent. Proinde ſuſtinẽtes, pecuniam neruos eſſe belli, dicemus; qui non vicerunt, non ideo non viciſſe, quia hæc ſententia vera non ſit: ſed quia aliæ illos circumſtantiæ deficiebant, quæ ad victoriam requirebantur. Verumenimuero ille aut his exemplis non admodum confidens, vel vt ſuas rationes magis fulciat, ad Solonis autoritatem confugit: Quem, inquit, cum à Crœſo rege Lydiæ ingens ei theſaurus oſtenderetur, quid ſibi de viribus eius videretur, interrogatum reſpondiſſe, Non ideo ab ſe potentiorem eum iudicari, quia bellum ferro, non auro expediretur, & poſſe aliquem ferro validiorem illud aurum Crœſo eripere. Neque hoc, quantum veritati conſonet, video, vt quilibet apud Herodotum legere poteſt. [n] Is enim colloquium hoc inter Crœſum & Solonem referens de ferro, & de bello nullam mentionem facit, quia ad illa vſque tempora fortuna Crœſum non deſtituerat, quin hoſtes ſuos & ferro, & auro ſuperare poſſet. Item exemplum, quod de Gallis, & de rege Macedoniæ adducit, aliter ſe habet, atque ab ipſo allegatur, quemadmodum vnuſquiſque apud Iuſtinum diſpicere poteſt. [o] Etenim rex Macedoniæ Antigonus, qui ille eſt, de quo locuti ſumus, & qui Cleomenem vicit, non vt Gallos terreret, ſed vt legatos magnifice exciperet, ad regalem menſam eos admiſit: & quanquam Galli ex illo ingenti apparatu, & tanta auri, atque argenti ſupellectile allecti, cum poſtmodum aggreſſi fuerunt, nihilominus adeo afflicti ſunt, vt eo bello abſtinuiſſe maluerint. Vnde propria autoris verba ſunt, Eiuſmodi famam peruagatam fuiſſe, *vt Antigono pacem huius victoriæ opinio non à Gallis tantum, verum etiam à finitimorum feritate præſtiterit.* Pergit idem autor, ſuo tempore Venetos ærarium theſauris refertum habentes victos, neque ab eo defenſos fuiſſe. Sed cur non dicit (magis enim ad rem diceret) quamuis hoſtes exercitum bellicoſiorem, quam Veneti, haberent, tamen Veneti breui temporis ſpatio cuncta, quæ amiſerant, recuperauerunt, quia pecunia magis, quam hoſtes, abundabant? Et certum vnicuique ſit, me non hæc altercandi ſtudio commiſiſci: ſed ſi locus vllus reuera ad probandam pecuniæ vim vſquam efficax eſt, hic dubio procul plurimum valet. Verum quia in rationibus ipſius refutandis amplius temporis nolo conterere, alterum Liuii exemplum afferam: quo ſuam idem autor opinionem adſtrui putat; nam vbi Liuius Alexandrum cum Romanis comparat, de pecunia nulla fit mentio. Sed huic obiectioni poſtmodum ſatisfaciemus. Si igitur dux aliquis, & exercitus ſeligendus eſſet, qui ad panem, pecuniamque ſibi parandam idoneus eſſet; ego certe nunquam credam, ab ipſo autore ſeligi meliorem poſſe quenquam præ Annibale, eiuſque exercitu, non calamitatis, ſed ſummarum victoriarum tempore. Hæc ſuggero propterea, quod idem profitetur, fieri non poſſe, vt bonis militibus pecunia deſit, quaſi pecunia per ſe ipſam ad milites eat. Et paullo antea dixerat: pecuniam ſecundo loco neceſſariam eſſe, ſed hanc eiuſmodi eſſe neceſſitatem, quam boni milites per ſe ipſos vincerent. Scripſit Liuius, [p] cum Annibal Romanos viciſſet, nuncios Carthaginem mi-

[n] lib. pr.

[o] lib. 25.

[p] lib. 23.

ſiſſe, quo res ab ipſo præclare geſtas exponerent: hoc eſt, Cum ſex Imperatoribus eum, quorum quatuor conſules, duo dictator, ac magiſter equitum fuerint; cum ſex conſularibus exercitibus acie conflixiſſe: occidiſſe ſupra ducenta millia hominum: ſupra L. millia cepiſſe: ex quatuor Conſulibus duos occidiſſe: ex duobus ſaucium alterum; alterum toto exercitu amiſſo vix cum L. hominibus effugiſſe: magiſtrum equitum, qui conſularis poteſtatis ſit, fuſum, fugatumque dictatorem, quia ſe in aciem nunquam commiſerit, vnicum haberi Imperatorem: Brutios, Apuloſque, partem Samnitum, ac Lucanorum defeciſſe ad Pœnos. Ad finem deinde tam lætarum rerum, annullorum aceruum maximum in veſtibulo curiæ effundi iuſſit, adiecitque, neminem niſi equitem, atque eorum ipſorum primores id gerere inſigne. Sed quæ glorioſæ, veriſſimæq; legationis ſumma? *Mittendum igitur ſupplementum, mittendam in ſtipendium pecuniam.* Quomodo ergo fieri non poteſt, vt bonis militibus deſit pecunia? cur pecunia ſeſe militibus Annibalis ſponte non offerebat? quomodo boni milites per ſe neceſſitatem pecuniæ ſuperant, ſi Annibalis milites eandem vincere nequiuerunt? quod ſi hæc pecunia non reperitur poſt adeptas eiuſmodi victorias, & profligatis hoſtibus, ecquando inuenietur? autor non nominatus quid ad hæc reſponderet? videretur ne illi hæc ſecunda, an pręcipua & prima neceſſitas? Igitur prima omnium, & vrgentiſſima neceſſitas eſt, cum exercitus indiget pecuniæ: Et prudenter Demades Athenienſibus, vt naues in mare mitterentur, & remiges, militeſque imponerentur, iubentibus, pecuniæ indigens reſpondit; Primo de pane cogitandum, poſtea de nauibus: Et recte itentidem Archidamus, qui conſiderans, bellum eſſe immenſam pecuniæ voraginem, eodem reſponſo vſus eſt, quod nos dictitamus, Sine bis cocto pane nauim aſcendendam non eſſe. Verum vt ad Annibalem noſtra reuertatur oratio, etſi aduerſariis eius nouum videbatur, cum poſt tot victorias, & mirandas hoſtium cædes adhuc indigum eſſe pecuniæ, quaſi pecunia per ſe victores ex neceſſitate adiret, & comitaretur: nihilominus vnanimi Senatorum conſenſu multa argenti talenta in Italiam miſſa fuere: & ratio eſt, quia militiæ muneribus penſitatis, militi aut caſtra mouenda ſunt, aut oppida, & regiones defendendæ, aut oppugnandæ, aut aggrediendæ, vel ſitus explorandi, vel prælio decertandum, ſimileſque functiones peragendæ. Inter quas occupationes ſi commeatus, aut pecunia propter cæteras viuendi neceſſitates quærenda ſit, non poteſt tantum incommodum diuturno tempore tolerari. Et quanquam in ciuitatum expugnationibus, cum milites illas depopulantur, accidit, vt milites pecunia non deficiat: nihilominus conſiderandum eſt, non ſemper, imo perraro ciuitates expugnari: quod ſi expugnationes frequenter acciderent, quantum militari diſciplinæ, vt milites rapinæ aſſueſiant, expediat, non video. [q] Nam ſic aſſuefactis militibus, cum ciuitas expugnata eſt, ſi volueris, ita belli ſumma exigente, prædam ſubtrahere, difficile obtemperantes eos reperias. Neceſſe eſt enim, vt ſtipen-

[q] Tac. lib. 20.

dia ſua

dia ſua & certa miles habeat, ſi nutibus tuis obſequentem deſideras. Alioquin fruſtra conſcribitur exercitus, & oportebit, vt vel diſſoluatur, vel ex neceſſitate dimicans (vt euenit Cleomeni) hoſtibus ſuccumbat. Nolo ego huic loco ſinem imponere, niſi aliquid addam, quod Liuii mentem de re pecuniaria declaret.[a] Etenim apud ipſum Annibal, cum à Carthaginenſibus in Africam reuocaretur, fremens, gemenſque, ac vix lachrymis temperans dicitur legatorum verba audiſſe. Poſteaquam edita ſunt mandata, *Iam non perplexe*, dixit, *ſed palam reuocant, qui vetando ſupplementum, & pecuniam mitti iampridem retrahebant*. Ex quibus intelligimus; etſi Annibal victorem habebat exercitum; tamen ex diutina poſſeſſione Italiæ propter deficientem pecuniam detractum fuiſſe. Neque obſtat, quod in comparatione Alexandri cum Romanis, nulla apud eundem Liuium pecuniæ mentio fiat, cum de militum copia, de ipſorum virtute, de ducum numero, atque fortuna ſermo habeatur. Propterea quod ſi quis omnia hæc conſiderauerit, inueniet, in militum copia pecuniam etiam neceſſario comprehendi. Quod ſi hanc interpretationem concedis, quam veriſſimam eſſe, puto, dico amplius: cum & Alexandrum, & Romanos ad ſua bella gerenda pecunia non deficeret, eius mentionem ſuperuacaneam fuiſſe. Verum quid refert, ſcriptorem cuncta neceſſaria interdum non numerare, cum ipſemet Annibal ob ſupplementa, & pecuniam negatam ex Ita[illegible] detractum fateatur? Igitur pecunia neruus eſt belli, hoc eſt, exercitibus mo[illegible] præbet; & ſine theſauris neque ſua defendi, neque ad aliena expugnanda homines, & arma congregari queunt.

[a] *lib. 30.*

Hoſtem quemcunque inutiliter contemni.

DISCVRSVS X.

INter præcipua documenta, quæ tyroni dabantur, illud vnum erat, vt qui ferire vellet, ita ageret, ne intectum eodem tempore corpus exhiberet, adeo vt vice feriendi ipſe vulnus acciperet.[a] Hoc monendus videtur, quiſquis facetiis aliquem irridet: illius enim plerunque irritus ictus eſt, & viciſſim feriri facile poteſt. Quod ſi quis ſedato animo celebriora examinet dicteria, frequentius in prouocantes ea retorta fuiſſe, & prouocatos mollius læſiſſe, comperiet: adeo vt dicacibus hominibus idem, quod calcipetis equis eueniat, vt magis verberentur, quam verberent: quod regi Macedoniæ Philippo accidit, qui cum Philippum Megalopolitanum ioco regem vocaſſet, hic viciſſim fratrem illum appellauit.[b] Igitur in familiaribus colloquiis quiſquis alios ſcõmatibus petere delectatur, vt hunc morem exuat, ſatius eſt; ceteroquin nihil inde lucri facturus. Qui vero huiuſmodi vitium contraxerunt, ii maioribus ſe periculis ſem-

[a] *Veget. lib. 1.*

[b] *Liu. lib. 39.*

per exponent: maxime ſi contra militares homines cauillis, & aculeis vtantur. Qua de re Cremonenſes teſtimonium perhibent, qui dum tertia decimanos illudunt, direptam ab iis patriam ſuam vident. *Mox tertia decimanos ad exſtruendum amphitheatrum relictos, vt ſunt procacia vrbanæ plebis ingenia, petulantibus iurgiis illuſerant.*[c] Idem plebi Romanę accidit à militibus Vitellii: nam cum iniurioſos milites vernacula vrbanitate quidam ſpoliauiſſent, abſciſſis furtim baltheis, *an accincti forent, rogitantes, non tulit ludibrium inſolens contumeliæ animus: inermem populum gladiis inuaſere.*[d] Parentum noſtrorum ætate nemo nõ admiratus eſt cur Fabritius Maramaldus contra militare inſtitutum iuſſiſſet coram ſe Ferruccium interficere, qui iam in eius cuſtodia conſtitutus erat: & quamquam aliquis dicat, hoc ideo factum fuiſſe, quia dedecere videbatur, vt cuius milites Principem Auraicum occiderant, is occiſo minor viuere permitteretur: tamen ea vera cauſa eſt, quod in expugnatione Volaterræ Ferruccii milites Fabritium illuſerant, qui alludentes ad vocem Maramaci, quia eo nomine communiter Maramaldus appellabatur, ex muris felem eidem oſtenderant. Nunquam igitur miles militem aduerſarium derideat: hæc enim ſumma imprudentia eſt, cum quia linguæ procacitas aduerſus eum, qui belli arbiter non eſt, inutilis habetur, tum quia ſine prouocantis vtilitate hoſtis ira magis accenditur. [illegible]e cum fortitudinis cos dicatur, hoſtibus adimenda, non augenda eſt; imo ſi fieri poſſet, iidem mitigandi, non exacerbandi eſſent: cuius rei nobiliſſimum eſt, quod apud autorem noſtrum legitur, exemplum, cum ſparſo inter Othonianos rumore, milites à Vitellio defeciſſe, *falſum gaudium in languorem vertit.*[e] Igitur aduerſarii ſparſis opportune rumoribus eneruandi ſunt potius, quam ira, quæ audaciæ miniſtra eſt, armandi. Vnde quia Veientes procaciter illuſerant, legitur, *Non alio ante bello infeſtior Romanus: adeo hinc contumeliis hoſtes, hinc Conſules mora exacerbauerant.*[f] Et paullo poſt prudentiſſimus ſcriptor, oſtenſurus, has non eſſe milite dignas artes, de Veientibus hæc adnectit: *Sed Veiens hoſtis aſſiduus magis, quam grauis contumeliis ſæpius, quam periculo animos agitabat.*[g] Quemadmodum igitur domi non ſunt amici aculeis petendi, neque bello rediens miles laceſſendus, neque quoties gladiis res agitur, verbis hoſtis irritandus eſt; ſic principem maxime dedecet aduerſus alterum hoſtem principem dicteriis aculeatum eſſe. Vnde iure Philippus rex Macedoniæ notatur, quod cum Phaneas prætor Achæorum ei dixiſſet, *Aut vincendum, aut melioribus parendum* eſſe, ſubito reſpondit, *Apparet id quidem etiam cæco*, iocatus in valetudinem oculorum Phaneæ: ideo ſubiungit autor; *Et erat dicacior natura, quam regem decet.*[h] Quod ſi principem ſimilia dedecent, multo minus decebit ad iurgia deſcendere, vt Vitellius, & Otho, qui *quaſi rixantes ſtupra, & flagitia inuicem obiectauere.*[i] Quandoquidem ſicut Areopagus ſapienter conſtituerat, vt in orationibus affectus, tanquam additamenta cauſæ, remouerentur; ſic quid magis extra cauſam dici

[c] Tac. lib. 19.
[d] lib. 18.
[e] ibid.
[f] Liu. l. 2.
[g] ibid.
[h] lib. 32.
[i] Tac. lib. 18.

poteſt,

poteſt,quam cum armis res agenda eſt,iurgiis, & opprobriis certare? Igitur inter duos principes vel bellum geratur, vel epiſtolæ mittantur, vel per legatos agatur, vel in familiaribus ſermonibus de iis mentio fiat, vel quocunque modo inter ſe negotia communicent; procul omnis abſit contumelia, vtpote indigna principe, qui ſuæ cauſæ æquitati fiſus, iram ad certaminis periculum reſeruet; neque curet inter dicaces, aut obiurgatores, verbiſve potentiores annumerari.

FINIS LIBRI DECIMI OCTAVI.

SCIPIONIS AMIRATI

DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM IN C. CORN. TACITVM,

LIBER DECIMVS NONVS.

Antequam prælium ineatur, hoſtis vires velitationibus, leuibuſque prælis tentandas eſſe.

DISCVRSVS I.

ANtonius Primus Flauianarum partium dux contra Vitellium, dum de belli gerendi ratione conſultatur, ſtationes hoſtium irrupit, *tentatiſque leui prælio animis*, ex æquo diſceſſum.[a] Idem Cerialis fecit contra Ciuilem nauali prælio, *tentato telorum iactu:* Nam Cerialis etſi nauium numero inferior, tamen remige, nauiumque magnitudine validior erat.[b] Non deeſt, qui diſputat, An leuia prælia ante conflictum neceſſaria ſint, & in eam propendere ſententiam videtur, damna, & vtilitatem, quæ ex iis expectari poſſunt, haud multum diſcrepare. Nam ſi exercitus vicerit, abſque dubio audentior fiet, at contraria ratione ſi victus fuerit, timore occupabitur. Ideo vult, leuia hæc prælia, non niſi certa victoriæ

[a] *lib.19.*
[b] *lib.21.*

ſpe,

ſpe, committenda eſſe: neq; animaduertit, quiſquis hoſtem tentandi cauſa præliatur, cum de victoria certum eſſe non poſſe: nam ſi victoriam certo ſperaret, ſatius foret, vt confligeret, quam vt velitaretur. Id autem exemplo Poſthumii Tuberti dictatoris deprehenditur, de quo ſcribitur permiſiſſe, vt milites *tentato paullatim euentu certaminum,*[c] virium comparatione hoſtem periclitarentur, quo certam ſibi victoriæ ſpem præſagirent. Et Popilius Lænas Conſul, neq; ſpernendus Romanorum dux, antequam cum Gallis dimicaret, caſtra munire voluit, *vt prius noſceret vires, quam periculo vltimo tentaret.*[d] Et ratio eſt, quia cum poſſet tam in leui prælio, quam in conflictu inferior euadere, melius erat in illo, quam in hoc hoſti ſuccumbere: & autoritas Valerii, quam adducit, clariſſima eſt: *leuibus certaminibus tentandi hoſtis cauſa.*[e] At vero ſi Cæſaris, & ducis, & hiſtorici excellentiſſimi autoritas magnifacienda eſt, imo ſi cæteris omnibus autoribus præponderat, manifeſte apparebit, ſuo illum exemplo cæteros orbis terrarum duces docere voluiſſe, vt nulla ratione cum hoſte nouo dimicet, niſi prius leuibus præliis tentetur: hæc ſiquidem non tantum eius vires indicabunt, ſed etiam tuos audentiores reddent. Cum igitur contra Belgas, quæ natio propter numerum, atq; virtutem plurimi faciēda erat, exercitum duxiſſet, conflictum differre, decreuit: *quotidie tamen equeſtribus præliis, quid hoſtis virtute poſſet, & quid noſtri auderent, periclitabatur.*[f] Etſi autem pars militum in leuibus hiſce præliis ſuccumbit; non ideo tota ducis exiſtimatio amiſſa eſt. Nam ſi hoc ita ſe haberet, nemo, qui ſemel inferior fuiſſet, repetito prælio vincere poſſet. Imo ſapiens conſilium eſt, quo totum conſeruetur, partem periculo obiicere: neque enim deſunt remedia, paſſim à prudentibus ducibus vſurpata, quibus amiſſo prælio, iterum valentiores reſurgant: & ſæpe leuis prælii iacturam maximæ victoriæ conſecutæ ſunt, vt Cæſaris exemplo patefactum eſt. Qui non leuiter afflictus, ſed pene in integrum debellatus, quia nongentos ſexaginta milites amiſerat, tribunos quinquaginta quinque, triginta centuriones, triginta duo vexilla; non ideo victoriæ ſpem abiecit, ſed capta remedia fuerunt hæc. Primo ſuos milites multis rationibus, & facunda oratione ſolatus eſt: qua adeo concitati fuere, vt iterum ſtatim dimicare vellent: ſed Cæſar (quod alterum remedium fuit) *ſpatium interponendum ad recreandos animos putabat.*[g] Etenim cum aliquem timor inuaſit, prius ab illo timore eximendus eſt, ſignumque aliquod exigendum, vnde affectus ille depoſitus eſſe cognoſcatur; deinde nouis bellorum periculis exponendus. Quod à M. Horatio Conſule effectum fuit, qui velitationibus, leuibuſque præliis milites aſſuefecerat, potius vt animos ſumerent, quam vt dedecoris, quod decemuirum ductu ſubierant, recordarentur.[h] Et quoniam Cæſari caſtra mutare, neceſſe erat; obſeruanda eſt mirabilis induſtria, ac diligentia, quam hominum opinione maiorem adhibuit: quam etiam quiſquis in huiuſmodi malam fortunam inciderit, vtiliter obſeruabit. Cum Q. Fabii dictatoris exercitus ab Annibale profligatus eſſet; dictator multos dies intra vallum milites obſeſſorum magis, quam obſidentium more continuit, vnde tali pœnitudine, quod victi fuiſſent, milites

[c] *lib.4. Liu.*
[d] *lib.7.*
[e] *ibid.*
[f] *lib.2. de bello Gall.*
[g] *lib.3. de bello ciu.*
[h] *lib.8. Liu.*

correpti fuerunt, vt præbita iterum pugnandi facultate hoſtem vicerint.[i] Nec multo poſt vterque, quid alteruter virtute poſſet, *leuibus præliis* declarauerunt.[k] Ante hoc bellum Romani, qui ad furcas Caudinas ſubiugati fuerant, ignominia accenſi, iniuſſu Conſulum hoſtem inuaſerunt; atque diſſipauerunt.[l] Equidem vt iactura militum fiat, quo deinde reſarciatur, quove integra de hoſtibus victoria referatur, autor non ſum: Verum ſapientis eſſe, puto, ita paucos velitationum periculis obiectare, vt victoria facilius obtineatur, non vt leuibus præliis debilitato exercitu, ægre ſumma belli tractetur. Ad quæ ſi reſpexiſſet infelix Luſitaniæ rex Sebaſtianus, cum regem Feſſæ aggreſſus eſt, ſe ipſum, plurimamque ſui regni nobilitatem morti non obieciſſet: nam ſæpe, tentatis hoſtibus, plura emendantur, quæ poſtquam conflictum eſt, reprehendi tantummodo, non corrigi poſſunt. Curet itaque dux, vt leuibus præliis hoſtem tentet, priuſquam confligat, vt alibi exemplo Scipionis, & Aſdrubalis compertum eſt.[m] Nam perinde, vt hoſtem validum deprehendet, ſic bellum reget: ſi inferiorem, maturabit; ſi vero ſuperiorem, moram interponet. Quod alibi demonſtrauimus præcipuum munus ducis eſſe.[n] Vnde memorabilis eſt Q. Fabii ad M. Liuium oratio, qua monuit, ne prius, quam genus hoſtium cognoſceret, temere manum con ſereret.[o]

[i] lib.19.
[k] ibid.
[l] ibid.
[m] lib.28.
[n] lib.18. diſ.
[o] Liu. l 27.

Vtrum peditatus equitatui præferendus.

DISCVRSVS II.

NAtiones pleræque equitatu pollent, vt Iazyges, qui Romanis *vim equitum, qua ſola valent, offerebant.*[a] Sicut etiam Parthi: *Atque illis ſola in equite vis.*[b] Pleriq; peditatu magis valent, vt modo Heluetii, olim Romani. Age vero, quid melius ſit, equitatu, an peditatu valere, non poſtponenda quæſtio eſt. Et quo ad exempla, difficile eſt huiuſmodi iudicium proferre, cum cernamus, non minus Parthos equitatu, quam peditatu Romanos imperia ſua propagauiſſe: proinde rationibus diſputandum eſt. Et quoniam non deeſt autor, qui de hoc argumento diſputat, magnaque ex parte diſcurſum ſuum circa Romanos inſtituit, nititurque eorum exemplo probare, pedites, quam equites pluris faciendos eſſe; non abs re eſt, vt, cur pedites equitibus prętulerint, diſſeramus. Neq; dubium eſt, hunc morem primo ex neceſſitate inuectum fuiſſe; quia cum Romani omnis conditionis homines ad arma tractanda aſſuefieri vellent, neque omnes ob paupertatem equos habere poſſent, (imo minor pars equos habebat.) coacti fuerunt, reipub. ſuæ neruos in peditatu collocare: vnde Romulus diuiſo in triginta curias populo, tres tantum equitum centurias conſcripſit.[c] Tullus Hoſtilius, cum Albanos in vrbem ſuſcepit, equitum numerum auxit, decem ipſorum turmis creatis; ſed eadem ratione multo auctiores fuerunt pedites, quibus legiones perfectæ ſunt.[d] Neq; Tarquinius de Romuli centuriis quicquam immutauit,

[a] lib 71.
[b] lib.6.
[c] lib.1. Liu.
[d] ibid.

niſi quod in illis tribus centuriis vt mille trecenti equites annumerarentur, voluit.[e] Seruius, qui ciuitati ad recte viuendi normam pacis bellique artes præſcripſit, cum iudicauiſſet, ex cenſu ciues diſtinguendos eſſe, illos in quinque claſſes diſtribuit, quæ omnes centum nonaginta tres centurias comprehendebant: inter quas octuaginta centuriæ, quæ primam claſſem conſtituebant, cenſus maioris erant; ex his autem non niſi decem, & octo equitum centuriæ (computatis, quas Romulus ordinauerat) creatæ ſunt. Et nihilominus adnotandum eſt, etiamſi tam paruus equitum numerus eſſet; tamen illis de publico ſtipendia ſoluta, ipſorumque alimentis viduarum quarundam reditus, quibus ſuſtentarentur, aſſignatos fuiſſe.[f] Vtq; nullus dubitãdi ſcrupulus remaneat, quin Romanorum paupertas in cauſa fuerit, cur equitum numerus non augeretur, pulcherrimum ſeſe offert exemplum in L. Tarquinio, qui de gente patricia à L. Quintio Cincinnato magiſter equitum creatus fuerat: is ob eandem paupertatem, quia equitem agere non poterat, inter pedites ſtipendia ſemper meruit.[g] Igitur autoritate Romanorum aſſerendum non videtur, peditatum meliorem eſſe, quam equitatum: patet enim, cur Romanorum vires in peditatu valentiores extiterint. Dum dicitur; Bella per equites prius, quam per pedites antiquitus geſta fuiſſe: ſed cum animaduerteretur, peditatum fortiorem eſſe equitatu, omnes pedeſtrem militiam amplexos eſſe; hoc mihi vellem ego probari. Facile enim coniicitur, prima prælia potius pedeſtria, quam equeſtria fuiſſe, quia tardior equorum vſus fuit, cum equum domare, & calcaribus, frenoque obedientem efficere antea oportuerit, quod Bellerophonti attributum eſt.[h] Neque video, quantum illa ratio valeat, quod pedites ad plura, quam equi loca ire poſſint: cum totum imo contrarium mihi videatur; quia niſi eques aliquo ire potes, poteris ire pedes: ſicque T. Quintius equitibus ſuis, vt facerent, mandauit, cum aduerſus Philippum conſilio Charopi miſſi fuerunt.[i] Idemq; à Gallogræcis effectum fuit. *Equitatum quia equorum nullus inter inæquales rupes vſus erat, ad pedes deductum, decem millia hominum*, &c.[k] Cum vero ex equitibus facile fiant pedites, ſi nonnulla ingruerit neceſſitas, contrarium fieri nequit. Iniuria dubio procul equo fit, dum dicitur, difficile eſſe, vt ordinem ſeruet: nam apud illos, qui nobiliſſimi animantis huius laudes collegerunt, de docilitate, atque obtemperatione, deq; pene rationabili intelligentia equorum, qua in dominorum mandatis, & aliquando neceſſitatibus ſentiendis vtuntur, res admirandæ narrantur. Quod ſi dicitur, in hominum genere alios viles, alios animoſos eſſe: proinde ſi contigerit, animoſum equum vili homini, aut vilem hominem animoſo equo coniungi, inæqualitatem hanc inutilem, ac confuſionis plenam fore: neſcio, cur dici contrarium nequeat; hoc ſcilicet vtilitatem magis, quam damnum cenſeri, quippe animoſus, gloriæque cupidus miles cum ex equo deſcendere poſſit, peiorem conditionem habere non poteſt, quam ſi pedibus militaret: ſed vilis, & puſilli animi miles, ab equo in hoſtium turmas præteruectus, ſæpenumero, velit, nolit, fortia cogetur agere, quæ ſua ſponte non ageret. Sunt nihilominus

[e] *ibid.*
[f] *Liu. l. 2.*
[g] *lib. 3.*
[h] *Plin. lib. 28. c. 56.*
[i] *Liu. l. 38.*
[k] *ibid.*

attente perpendenda plurima Romanorum exempla, quibus equites deſilire ex equo ſolebant, & cum hoſtibus pedites certare, vt ad lacum Regillum dictator
[l] Liu. lib. 2. T. Largius equitibus iuſſit, vt equo deſcenderent.[l] Sic fecit Conſul Valerius
[m] lib 3. in bello contra Sabinos.[m] Sic Sextus Tempanius contra Volſcos.[n] Et ſic ipſi-
[n] lib. 4. met equites vltro fecerunt dimicantes cum Hernicis,[o] & alibi. Qui, ſimileſque
[o] lib. 7. loci ab autore, qui equitatum præfert, contemni videntur: iis enim reſpondet, Conſules iuſſiſſe, vt equo deſcenderent, quo peditibus in periculo conſtitutis opem ferrent. Poſtremo locum quendam Liuii ſibi reſeruat; cui inquit, reſponderi non poſſe: cum ſcilicet Romani equites cum Samnitibus equitibus in agro Soræ dimicantes, item deſcenderunt, non vt peditibus ſuppetias ferrent, ſed quia iudicauerunt, neceſſarium eſſe ad victoriam ex equo deſcendere. Et nihilominus ibi clare apparet, illum ex equis deſcenſum ideo eueniſſe, quia magiſter equitum mortem obiuerat: cuius cadauer cum Samnites rapere contenderent, Romani ad vindicandam iniuriam pedites eſſe maluerunt, *Nec abfuit, quin corpore etiam, quia inter hoſtiles ceciderat turmas, Samnites potirentur, ſed extemplo ad pedes deſcenſum ab Romanis eſt.* Et quia dux hoſtium itidem interfectus fuerat, neque ipſi cadauer ſui ducis deſerere voluerunt: ideo ſubdit: *coactique idem Samnites facere, & repentina acies circa corpora ducum pedeſtre prælium init.*
[p] lib. 9. [p] Igitur locus hic item negligendus eſt. Sed quia dictis locis, & poſtremo huic replicari poſſet: cur igitur Romani laborantibus peditibus in equo non ſuccurrebant? Dico, Exercitus ambos tunc perplexos; & ſimul amicos, & hoſtes confuſos fuiſſe, vnde equorum impetus non minus hoſtibus, quam commilitonibus periculum, ac detrimentum attuliſſet. Quod probatur loco illo Tempanii, cuius equites ſponte facti pedites, *eo ſe inſerunt: obiectis parmis, vbi*
[q] Liu. lib. 4. *ſuorum plurimum laborem vident.*[q] Si enim cum equis illùc perueniſſent, illos attriuiſſent, non ſubleuaſſent. Ex quibus omnibus fere locis videtur, quicunque equo inſidet, poſſe fieri peditem, ſed pedes, cum ſibi opus eſt, quia caret equo, in eum inſilire non poteſt. Proinde ad lacum Regillum, vbi equites Romani relictis equis hoſtes diſſipauiſſent, fuerunt iiſdem *equitibus admoti equi, vt proſequi hoſtem poſſent.* Simile accidit cum Sabinis: nam profligato ipſorum cornu, *eques inter ordines equitum tectus, ſe ad equos recepit.* Igitur his exemplis non probatur peditatum meliorem eſſe equitatu: ſuumque retinet vigorem Annibalis ſententia, cum in Cannenſi prælio videns Romanos equites ex equis deſcendentes, & conſilium eorum irridens, inquit, *Quam mallem, vinctos mihi traderent equites:* ſed hic locus germane interpretãdus eſt: quia nequaquam iuſſerãt Conſules, vt equites deſcenderent, etiamſi Annibali falſus erat delatus rumor. Sed deſcenderant ideo, quia Conſul P. Æmilius ob vulneris vim ex equo iamiam caſurus vi-
[r] lib. 22. debatur, *Omiſſis poſtremo equis, quia Conſulem ad regendum equum vires deficiebant.*[r] Igitur cum Annibalis autoritas nos adiuuet ad equitatũ peditatui præferendum, cumq; Romanorũ autoritas, quod peditatũ ſponte prætulerint, nihil nobis obſtet: reliquum eſt, vt videamus per noſmetipſos, num ad equitatus prærogatiuam

compro

comprobandam nonnihil adhuc aggregare poſſimus. Neq; dubium eſt, quin Romani pluris equitatum fecerint, quam peditatum: quod ſi ipſi illum huic antepoſuerunt, multo ęquius eſt, nos eiuſdem ſententiæ eſſe, ideo quia perfectioris equitatus potimur. Quod vero antiqui pluris æſtimarent equites, probatur, quia equites ex melioribus, quam pedites, conſcribebantur; quod illi patricii, hi plebeii forent. Ideo Conſul Valerius equitibus, *Agite*, inquit, *iuuenes, præſtate virtuti peditum, vt honore atq; ordine præſtatis.* [f] Et vbi de lacu Regillo fit mentio: *recepit exemplo animum pedeſtris acies; poſt quæ iuuentutis prima cohors æquato genere pugnæ*, &c. Adeo vt duæ potiores equitum conditiones fuerint, familiarum honeſtas, & ordo militiæ. Hinc eſt, quod ex præmiis, quæ militibus dabātur, ad pedites vna pars, ad centuriones duæ, ad equites tres ſpectabant. [t] Neq; abs re Perſeus equites appellat principes iuuentutis, & equites eſſe ſeminarium Senatus, ex quibus inter patres annumeratis creari Coſſ. duceſq; exercituum. [u] Præterea dixerat Cæſar, vt alibi demonſtratum eſt, ſi à cæteris omnibus militibus deſertus fuiſſet, cum ſola tamen decima legione ad bellum illud abſoluendum ſe iturum: quam legionem deinde in locum prætoriæ cohortis accepiſſet: Haud multo poſt accidit, vt cum Cæſari colloquium cum Arioviſto habendum eſſet, neq; Gallis equitibus fideret, pleroſq; eiuſdem decimæ legionis equum aſcendere iuſſit: vnde alter ipſorum feſtiue iocans inquit, *Cæſarem plus præſtitiſſe, quam pollicitus fuerat: nam cum dixiſſet, ſe velle milites decimæ legionis vice prætoriæ cohortis habere, illos etiam equites creauerat.* [x] Igitur dubitandum non eſt, quin equeſtris ordo equitatui præferretur. Modo, noſtrum equitatum Romano excellere, perſpicue, vt puto, patebit, ſi oſtenderimus; equeſtrem olim militiam imperfectam fuiſſe, vnde noſtra iure potior exiſtimanda ſit. Primum autem quid dicemus de more illo, quo equis frenos adimebant, quem equidem modo rideremus? non enim video, quid maius infrenes equi, quam frenati ſecum ferre poſſint vtilitatis. Neq; dubitamus, quin Mamerci dictatoris magiſter equitum hoc ſuis equitibus iuſſerit, ipſeq; exemplum dederit. [y] Idem fecit Fuluius Flaccus, hoc conſilium dicens, quondam Romanis vtile fuiſſe, ſolamq; rationem adducens, quia equi ſine freno maiore impetu ferantur. [z] Verumenimuero illa equitatio Romanorum ſine ſtapedibus profecto equitibus multum virium & agilitatis ſe huc & illuc circumuertendi adimit. Quod propter multa experimenta in Corn. Coſſo apparuit, cum aduerſus Tolumnium regem Veientum certauit, eumq; interfecit, is enim equo deſcendere coactus *confeſtim haſta innixus ſe in pedes recipit.* [a] Pręterea ex hiſtoriis, & equeſtribus ſtatuis videre eſt, antiquorum ephippia ante, & à tergo non habuiſſe armata munimenta vlla, quibus eques ſolidius inſideat equo. Hinc etiam Romani non adeo, vt nos, equis delectabantur, quod hæc ars nondum omnibus numeris abſoluta eſſet; atq; ideo, ne pendentibus pedibus fatigarentur, libentius lectica, quam equo vtebantur: proinde Vonenes Parthis ingratus fuit, quia, inſtar Romanorum, *ſegni equorum cura*, lecticam frequentabat: *quoties per vrbes incederet, lecticæ geſtamine.* [b] Vt autem vno, ſed valido argumento

[f] lib. 3.
[t] lib. 37. l. 40. l. 41. l. 45.
[u] Liu. l. 42.
[x] libr. pr. de bell. Gall.
[y] Liu. l. 4.
[z] lib. 40.
[a] lib. 4.
[b] Tac. lib. 2. prin.

mento liqueat, Romanos hanc artem nō bene calluiſſe, vnde factum eſt, vt magis peditatu, quam equitatu vſi ſint; maximum huius rei ſpecimen præbuit Cæſar, cum equitatus ſui augendi cupidus, Germanorum auxilia accerſiuit: Eorum enim aduentu, quod minus idoneis equis vtebantur, à tribunis militū, reliquiſq; equitibus Romanis, atq; euocati. equos ſumpſit, & Germanis diſtribuit.[c] igitur ex iis, quæ diximus, videtur concludendum, peditatum Romanis frequentiorem fuiſſe, non quia ſolus bello opportunior eſſet, ſed quia militiam apud nobiles, æque ac plebeios florere volebant: Oſtenſum etiam ſatis videtur, Romanis rei equeſtris ſcientiam defuiſſe, & iudicium Annibalis in præferendo equitatu veritati congruere: & nihilominus Romanos præmiis & honoribus equites magis, q̄ pedites, affeciſſe. Neq; ideo quia Romanorum peditum maior numerus erat, ſequetur, vt peditatum pluris facerent: quia hoc pacto Tiburtini, Priuernates & diuerſi coloris lapides præferendi eſſent amethyſtis, hyacinthis, pyropis, & adamantibus, quorum copia minor eſt. Non inficiabor, ſicuti panis, vtpote naturalis cibus hominis, nunquam deeſſe debet, cum & coturnicib. & attagenis, cæteriſq; precioſis carnibus abſq; detrimento carere poſſimus: ſic principem peditū numerū idoneum, inſtar panis, conſtanter retinere debere; cui peditatui, tanquā condimentū, velitum excellentes aliquot cohortes apponet, item cataphractorū, vt militiam ſuam perficiat, & nobilius illuſtret: nam in exercitibus equi non tantum ad loca exploranda, ad populandos agros, ad fugientes hoſtes perſequēdos, item ad aduerſariorum equos ſuſtinendos neceſſarii ſunt, ſed etiam ad tranſeunda flumina, in quibus trāſeundis, poſito in ſuperiore & inferiore parte equitum ordine, ſtruitur peditibus veluti pons quidam, quo nullus militum in medio equitum tranſiens perire poteſt.[d] Item quia cum equitibus velociſſimi pedites mixti vtiliſſimi ſunt.[e] Vnde Q. Nauius centurio vehementer laudatus fuit, quod primus peditum cum equitibus commiſcendorum inuentor fuerit.[f] Et Vegetius inquit, hanc mixtionem tantū referre, vt quamquam hoſtes equites virtute tuos equites antecellunt, nihilominus hac mixta cohorte hoſtes ſuperatum iri.[g] Quod in Nauio deprehenſum eſt. Etenim cum ſemper Campani victores euaſiſſent, hoc inuento victi fuere: Itē ſunt equi neceſſarii, quia ob equorum velocitatem omnia, quæ neceſſaria ſunt, facilius nuntiari poſſunt. Quæ res multis de cauſis commoditates parere poteſt incredibiles: vnde equites illi duo Narnienſes profligatum, vitaq; functum Aſdrubalem, & victorem fuiſſe Neronem Romam nuntiauerunt.[h] Item vtiles equi ſunt, quia pedites à peditibus aliquando ſuperari nequeunt, quemadmodum Romanis contra Ligures accidit, inter quos tribus horis ex æquo dimicatum fuerat: Hinc iuſſit Conſul equitibus, vt equū conſcenderent, & tribus agminib. hoſtem aggrederentur: quo facto victoriā conſecutus eſt.[i] Itē quia propter arma meliora, quæ in equo ferri poſſunt, quoties deſcendunt, pedites alios facilius vincunt. *Verecundiæ erat equitem ſuo alienoq; marte pugnare, peditē ne ad pedes quidem digreſſo equiti parem eſſe.*[k] Hoc autem illud eſt, quod principio dixeramus, equitem in pedes receptum poſſe peditis officio re-

[c] *Cæſ. lib. 7. de bello Gall.*

[d] *Cæſ. de bello ciuil. lib. 1*

[e] *ibid. l. 7.*

[f] *Liu. l. 26.*

[g] *lib. 3. c. 16.*

[h] *Liu. l. 27.*

[i] *lib. 42.*

[k] *lib. 1.*

ſicio recte fungi,ſed peditem equo carentẽ nunquã poſſe equitem agere. Et mirum in modũ ad hæc facit Sex. Tempanius, *Niſi hæc armata cohors ſiſtat impetũ hoſtium, actũ de imperio eſt.*[l] Ad ſummã,qui equitem pediti,& per conſequens equitatum peditatui non præfert, is hominẽ armatum inermi, & loca munita debilibus nõ preferet: nã addito equo, pedib.hominis,qui minus, q̃ equus currit,maior additur vigor,item impetus maior,quia peditis impet⁹ equo cõparandus non eſt:item ad repugnandũ hoſtib.cæteraq; militaria munia expedienda longius tẽporis ſpatiũ ſuppeditatur.Preterea cum pedites noſtri procul à perfectione diſtẽt antiquorũ, noſter a.equitatus antiquo precellat,nimis hinc perſpicuũ,exploratumq; eſt,quanto magis equitatus peditatui à nobis anteferẽdus ſit. Verum inde equitum vires eluceſcant, quia cũ M.Antonius duodeviginti præliis Parthos viciſſet,tandẽ quia ipſorũ equitatui par eſſe non potuit,pene debellatus eſt,dicẽte, Plutarcho,illas M.Antonii victorias nihili faciendas fuiſſe,quia hoſtẽ aſſequi nõ poterat.[m] EtXenophon,vt milites ſuos,qui equis carebant,animaret,dixit,decẽ millia equitum non eſſe amplius q̃ decem millia hominum, & neminem vnquã à morſibus,calcibuſve equorum periiſſe,&pedites eminus certius,fortiuſq; ferire.[n] Et nihilominus quod dux ille fecit,cum ad praxim deuentum fuit,contrariũ commonſtrat. Nam cum poſtremi eius militum à Parthis vulnerarentur,neq; ab iis Parthi offendi poſſent, cognouit,illud iter abſq; equorum ope agi non poſſe: idcirco quinquaginta circiter equos comparauit, in quos impoſiti milites equitum more armati dubio procul vniuerſo exercitui ſalutem pepererunt.[o]

[l] *Liu.lib.4.*
[m] *in M.Antonio.*
[n] *lib 3.*
[o] *ibid.*

Bellica antiquorum tormenta, etſi noſtris diſſimilia, conſimilem fere ſtragem edidiſſe: deque eorundem vtilitate.

DISCVRSVS III.

CVm Antonius Primus pertinaces in eo milites ſuos videret, vt omnino Cremonã aggredi vellent, nullam rationem,nullumq; prætermiſit argumentũ, quo illis perſuaderet,conatũ hunc omittendum eſſe.Inter cetera autem: cur bellica tormenta expectare nollent ?*gladiiſne, & pilis perfringere, ac ſubruere muros vllæ manus poſſent?*[a] quaſi diceret : gladii, & pila ad certamina ſingularia inuenta ſunt : vbi contra muros eundum, alia inſtrumenta,quam gladii, & ſecures,quærenda. Quamobrem T. Veſpaſianus cũ obſeruauiſſet, Hieroſolymã huiuſmodi miſſilibus armis expugnari non poſſe,decreuit, vt milites à pugnando deſiſterẽt, donec omnia illa inſtrumenta,que ad expugnandas ciuitates &antiqui &p̃ſentes artifices repererant, admota fuere.[b] Et Corbulo etſi excellentiſs. dux nunquam Volãdũ cepiſſet,niſi tormẽtis bellicis,miſſilibus haſtis, globiſq; igniferis vſus fuiſſet.[c] Et ratio eſt, quia quocunq; brachia non extenduntur, neceſſe eſt,vt eo in-

[a] *Tac.l.19.*
[b] *lib 21.*
[c] *lib. 13.*

ſtrumen-

ſtrumenta, brachiorum viribus vibrata, perueniant. Idcirco ad lædendum non minus, quam ad defendendum admiranda vetuſtis temporibus inuenta fuerunt. Vnde Cæſar contra Scipionem in Africa ſcorpionibus, catapultis, aliiſq; inſtrumentis, quæ ad ſe defendendum parari conſueuerunt, adeo ſe communiuerat, vt quanquam eius exercitus tunc temporis ex tyronibus cōflatus eſſet, tamen Scipio nunquam eum aggredi auſus fuerit. [d] Qui cupit admirabiles machinas ad hominum, vrbiumq; tutelam inuentas cognoſcere, is perlegat, quæ centū quinquaginta ante Cæſarem annos fecerit Archimedes, quo patriæ ſuæ muros ab armis Romanorum defenderet. Fuerunt enim ea inuenta eiuſmodi, vt M. Marcellus, abiecta ſpe expugnandæ vi ciuitatis, ad illam obſidendam ſeſe conuerterit. Inter quas machinas quemadmodum illa admiranda eſt, qua Romanorum naues harpagonibus captas, & ſubleuatas, deinde in mare maximo nautarum pauore, atq; detrimento præcipites dabat, [e] ita olim Germanis præcipuum pauorem intulit, & nobis gignit admirationem ſuſpenſum illud, & nutans machinamentum Romanorum, quo repente demiſſo è caſtris, præter ſuorum ora, ſinguli pluresve hoſtium ſublime rapti, intra caſtra effundebantur. [f] Centum ante Archimedem annos Demetrius non minus admirandis machinis vtebatur, vnde Poliorcetes, hoc eſt, expugnator vrbium dictus, [g] maxime in bello contra Rhodios. [h] Verum ne quis temporum noſtrorum inuentum admiretur, quo plumbeæ glandes ſclopeto emiſſæ thoracem ferreum non penetrant, vnde huiuſmodi temperaturæ thorax in precio habetur; mihi quidem Zioli inuentio admirabilior eſt, qui ſic thoraces temperauit, vt haſta viginti ſex brachiis procul per catapultam emiſſa nihil aliud impreſſionis faceret, quam paruam quandam lineam, quæ magis penicillo, quam ſagittæ mucrone facta videbatur. [i] Inter cætera militaria inſtrumenta, tam ad nocendum alteri, quam ad ſe defenſandum comparata, certum eſt, baliſtam eiuſmodi fuiſſe, vt nihil illi diu reſiſtere poſſet, cum ingentis ponderis ſaxa, fulminis inſtar, emitteret, cunctaq; vehementi ictu proſterneret, [k] *ſed excuſſa baliſtis ſaxa ſtrauere informe opus.* [l] Neq; ſecus ac conſueuimus noſtro ſeculo ſaccis lana refertis, & huiuſmodi inuentis muros contra bombardarum impetum defendere, antiqui & centonibus eoſdem tuebantur, quo ſcilicet machinæ impetus materiem illam mollem percutiēs flacceſſeret, neq; murum concuteret, vt docet Vegetius. [m] Et idem fortaſſe intelligit Cæſar, cum in expugnatione Maſſiliæ de ſtoriis quibuſdam ex funibus anchorariis, ad muros appoſitis mentionem facit, quæ omnia noſtrorum temporum expugnationibus maxime congruunt. [n] Veruntamen vt, vnde diſceſſit, noſter ſermo reuertatur, non abs re Antonius Primus, vt miles, ac dux rerum militarium ſcientiſſimus, nolebat ſine tormentis bellicis Cremonæ muros oppugnari, quia (præterquā quod id nullo pacto fieri poterat) facile ſibi perſuadere debebat, ſi huiuſmodi inſtrumentis hoſtes inſtructi forent; maximum ſuos milites damnum inde reportaturos eſſe; ſicuti & antea à Vitellianis militibus: notabile à baliſta quadam miræ magnitudinis damnum ceperant: hæc ſcilicet, *ingentibus ſaxis hoſtilem aciem*

[d] de bell. Afric.
[e] Liu. l. 24.
[f] Tac. lib. 20.
[g] Plut. in Demetr.
[h] ibid.
[i] ibid.
[k] Veg. l. 4. c. 22
[l] Tac. l. 20.
[m] l. 4. c. 23.
[n] libr. 2. de bell. ciu.

prorue-

proruebat, lateq; cladem intuliſſet, ni duo milites præclarum facinus auſi, arreptis è ſtrage ſcutis, ignorati, vincula, ac libramenta tormentorum abſcidiſſent. [o] Ex quibus præter alia multa, quæ omittuntur, intelligitur, quanquam inter noſtri temporis, & antiquorum tormenta maxima fuerit diſcrepantia, tamen quo ad mœnia diruenda, hominesque interficiendos, & obſeſſos defendendos, eoſdem effectus peperiſſe. Adeo vt otioſa mihi videatur fore diſquiſitio, Si Romani in hæc tempora, quibus bombardas in vſu habemus, incidiſſent, egiſſent, necne, ea, quæ admiranda ſuis temporibus egerunt. Quia etiamſi concedatur inter ipſorum machinas, & noſtras maxime intereſſe; tamen rebus proportione exæquatis, eadem peregiſſent; ſi non, verbi gratia, decem diebus, at ſaltem paullo ſerius: Adhæc illud de Romanis addamus: Quemadmodum ob pleraſque difficultates, quas inuenerunt, minime deterriti ſunt, quin ciuitates expugnarēt, vincerentq;: ſic etiam noſtrarum machinarū inuentione non perterrendos fore: quoniam ſi hoſtes ad ſe defendendos huiuſmodi machinis, & inſtrumētis vterentur, ipſi pariter ad eoſdē hoſtes offendēdos arte nō carerēt. Autor diſcurſuū cum has diſputationes circūferri audiret, anſam cepit inquirēdi: quantū ab exercitib. noſtra tempeſtate tormentorum vis æſtimanda, & an opinio, quæ de iiſdem cōmuniter habetur, vana ſit. Et quoniam probare nititur, haud multam tormentorū rationem ex parte eorum, qui ſe defendunt, habendam eſſe, diſcurſum incipiēs, inquit: Vel is, qui ſe defendit, in oppido aliquo, vel in campo intra vallū continetur, ſi in oppido, & arce aliqua; hæc arx aut parua eſt, vt plerunq; arces eſſe ſolent, vel eſt magna: primo caſu quidquid defenditur, incaſsū defenditur, quia tormētorū impetus talis eſt, vt nullus murus, etiā craſſiſſim⁹, paucis diebus nō diruatur. Antequam vlterius progrediar, abſq; tergiuerſatione reſpondeo: quēadmodum arces ideo muniuntur, vt hoſti, quoad fieri poteſt, repugnetur; ſic tormēta bellica ideo inuēta fuiſſe, vt hoſtis, quoad fieri poteſt, oppugnet: ſicuti medici non ideo inuēti ſunt, quo mors à nobis amoueat, ſed vt in morbis & infirmitatib. quib. vexamur, illa remedia nobis afferāt, q̄ opportuniora videntur. Omnes igitur quotquot ſunt, arces, & tormēta efficere non poſſunt, quoties hoſtis, qui aggreditur, fortior eſt eo, qui aggreſſorē ſuſtinet, vt progreſſu temporis arx obſeſſa nō expugnetur Verum non ideo ſequitur, omnes arces inutiles, aut parui eſſe momenti: nam præter auxilia, quæ ab amicis interea temporis adueniunt, cum plurimum interſit, primos hoſtis impetus retundere, & fatigare, vel milites, vel pecuniam, deniq; tempus ipſius conſumere: certum eſt, his remoris dum vnam alteramve arcē veniēti hoſti obiectas, antequā ad cor & inteſtinas imperii partes perueniat, vincēdi belli cōmoditatem illi eripi, vt Turcis accidit: Qui amiſſo tempore in expugnatione S. Hermi, tormentis eiuſdē artis afflicti, Draguto duce defuncto cū pleroq; exercitu, [p] non potuerunt ob hanc morā alias arces, & ciuitatem præcipuam, inſulamq; occupare, ad quod adſpirabant. Exemplū vero, quod de ciuitate Brixiæ adducitur, etſi ad allatam ab illo autore diſtinctionem parum facit: nam Brixia magnum eſt oppidū, non paruū; ad tractationē de tormentis nō pertinet.

[o] *lib.19.*

[p] *Adrian. l.*

Neq; mirum factu eſt,cum paullo antea fuerit à Venetis capta qui ciuitatē &arce ab hoſte vindicauerant,vt Galli arcis domini ciuitatem reciperent. Neq; per cōſequens video,quid vltramontani aggreſſores amplius,quam noſtrates Itali egerint,imo Itali maiore quam Galli,repugnatione eam ceperunt; Verum quod hac de cauſa exemplum illud ad rem nō faciat,omittamus. Etenim neq; item veritati congruit, quod idem inquit; Brixienſes tormenta plurima habuiſſe, quibus viam ab arce ad ciuitatem muniuerant,eaq; à Fuxio Gallorum duce contempta fuiſſe; eundem per media tormenta tranſeuntem ſimul cū exercitu, ciuitatem occupauiſſe,neq; à tormentis notabile damnum ſenſiſſe.Moueor autem,vt dicam hæc vera non eſſe ex verbis, quæ Fuxius apud Guicciardinum ad milites ſuos dicit,cum eos ad inuadendam vrbem hortaretur; monens, Vt conſiderarent,quāto ſibi dehoneſtamento futurum ſit, ſi, dum olim conati ſunt in hoſtium vrbes ingredi contra militum, ac tormentorum vim, contra propugnacula; modo, tā patente aditu, nulla re præter ſolos homines obſtante, ſuo deſiderio fruſtrarentur.[q] Autori diſcurſuum nimis noua hæc Guicciardini repugnantia videretur niſi quibuſdam forte paucis tormentis, quorum mentio fit, mitigaretur; ſed non tamen cum tanto apparatu, neque tanto ordine, vt ipſe narrat: ſic enim proſequitur Guicciardinus. Quibus dictis Fuxius, peditibus, mox cataphractis præcedentibus,egredi è caſtello cepit: cuius egreſſu cum milites quoſdam inueniſſet,qui ope tormentorum progreſſum ipſius impedire conabantur;iis facile repulſis,per decliue montis ad forum palatii ferociter deſcendit,& cætera,quę ſequuntur.Autoris,quem toties allegauimus,concluſio pulchra eſt,Adeo vt,inquit, quiſquis in arce parua ſe defendit,&muri diruti ſint,neq; poſt valla,& aggeres retinere ſe poſſit,& ſolis tormentis confidat,iam deuictus ſit: quaſi diceret. Homo quiſpiam bene armatus,proſtratus humi, & qui reſurgere nequeat,& ſuo thoraci ferreo confidat, iam debellatus eſt. At progrediamur: & quid de magnis cēſeat oppidis,videamus. Si magnam,inquit, vrbem defendis,in qua ſubinde retrocedendo,liceat propugnacula diruta ab hoſtibus reparare; tunc nihilominus tormenta iis, q foris vrbem oppugnāt,vtiliora ſunt,q̃ tibi,qui illam intus defendis. Verum de hoc ipſo Turcæ interrogandi eſſent, qui Famaguſtā obſederūt:illic n.plura fuerūt occiſorū Turcarū millia, q̃ obſeſſorū centena fuerint.Etenim, teſte Adriano,[r]quadraginta hoſtiū millia,& teſte comite Biccario,[ſ]quinquaginta millia eo bello conſumpta fuerunt. Ex obſeſſis a. qui ab initio quatuor mille fuerūt,cū debellatū eſt,octingenti adhuc integri ſuperſtites extiterunt,[t]demptis ægrotantib.Quod ſi ſtrenuos illos milites cōmeatus, & tormentarius puluis non defeciſsēt,tātaq; locorū longinquitate auxilia ſubmitti potuiſsēt, adhuc fortaſſe Famaguſta in Venetor.poteſtate foret.Neq; rationes(præter experientiam, quæ contrariū oſtendit)alicuius momenti ſunt:quia ſi tormenta bellica mari in nauibus,ac triremibus portantur, neq; obſtante ventorum & aquarum inſtabilitate accommodantur, prout opus eſt:non video,cur in locis terreſtribus,ſiue alti ſint ſiue humiles, ad libitum adaptari nequeant, neq; quomodo hoſtis maiorem ha-

[q] lib. 10. anno 1512.
[r] lib.21.
[ſ] lib.pr.c.27.
[t] Adrian. ibid.

beat cõmoditatem ſe in altum extollendi, quam tu, qui ciuitatem defendis, maxime ſi aream magnam habueris, præſertim etiam ſi propugnacula ita fortia, & capacia exſtructa fuerint, vt omnis magnitudinis tormenta & pati, & ferre poſſint: neq; vnquam mœnia adeo humilia, & ineffoſſa humo abdita ſunt, vt qui obſidet, ſemper in ſuperiore parte collocatus te deſpectet: præterq̃ quod, prout res mutantur, ſic & conſilia rebus opportuna capienda ſunt. Et quiſquis oppugnationes arcium noſtro tempore factas legerit, prǽter Melitenſem obſidionem, præcipue videbit; longe maius obſidentium, quam obſeſſorum damnũ fuiſſe, & dirutis muris, & vſu tormentorum vtrinq; ſublato, deueniri tandẽ ad ſclopeta, & gladios, & haſtas: Hoc illud eſt, ꝙ ſuperius retuli; non obſtante medicorũ curatione, tandem moriendum eſſe: & nihilominus his & tormentorũ, & ꝓpugnaculorũ artib. cõpertum eſt, Melitenſes equites Turcis reſtitiſſe, & adhuc vigere, hoſtiumq; conatib. mille impedimenta, & curas interponere: quæ quidem mirabilia dictu forent, ſi antiquorum monumentis conſcripta legerentur. Tranſit autor ad tertiam diſputationem, Cum ſcil. in campo ſperas, temetipſum intra valla tormentis defendere poſſe; vbi, Si hoſtis, inquit, te aggrediatur, & regionis cauſa te validior ſit, lociq; eminentioris beneficio tibi ſuperior adſtet, & ipſo ſuperueniente nondum caſtra vallis, & aggeribus munieris, facile te coget illinc diſcedere, &c. Verum ſi tribus hiſce rebus meliores habuerit hoſtis conditiones, quis eum victorẽ fore inficiabitur? Cum de re aliqua inſtituitur diſputatio, caſib. paribus inſtituẽda eſt: nã ſi quis in mœnib. propugnacula conſtruxerit, ſuaq; tormẽta bene diſpoſuerit, fere ſemper obſidenti ſuperior euadet, quamuis obſidẽs tormẽtis ſimiliter nõ careat: obſeſſus n. hac potiore cõditione vtitur, vt ex caſtris ſuis fortius ſe tueatur. Idcirco ex innumeris Romanor. certaminib. pauciſſima ea fuerũt, q̃ aduerſus hoſtium caſtra tentata fuerint: quod ſi hoſtes Populi Romani cõciderunt, id accidit, quia Romani virtute, numero, diſciplina, arte militari ſuperiores erant: quibus dotibus locorum, ac munitionum potiorem hoſtium cõditionem non ſolum æquabant, ſed etiam ſuperabant. Sæpe etiam hoſtis ob caſtrametationum inſcitiam vincebatur. Quamobrem etiamſi concedã, Romanos, perinde vt ſuorum temporum difficultates vicerunt, ſi ad hæc tempora vixiſſent, noſtris hiſce pariter difficultatibus ſuperiores futuros; nunq̃ tamen conceſſero, quin maiorem laborem, & moram ab huiuſmodi tormentis nacti fuiſſent, nedum negem, quod cenſet ille, Romanos hac tempeſtate maiores victorias accumulaturos fuiſſe. Igitur non ita, vt putat, tormenta contemnenda ſunt. Quod ſi aliquando accidit, vt aliquis ſine tormentis oppida, aut caſtra hoſtium, qui tormenta habebãt, deuicerint, vt Heluetii Nouariæ; nihil poſſum dicere, niſi euenta eiuſmodi valde ſingularia eſſe, neque quotidie contingere: Et quamuis Flauianarũ partium milites abſque tormentis Cremonam ceperint, & Vitellianos vicerint; non ideo tamen tormenta nihil valere, aduerſus ducum militumq; experiẽtiam ſtabiliendum eſt. Vtq; quicunq; iſthæc legerit, certior ſit; hæc euenta ſingularia, neq; inter exempla recipienda eſſe; hæc pauca, quæ ſequuntur, de Hel-

uctiorum victoria legere ne grauetur. Redierunt Nouariam victores, & tan quam triumphantes, tantaque nominis gloria, vt pleriq; conſiderantes propoſitæ rei magnanimitatē, mortis euidentiſſimum contemptum, certandi feritatē exitus felicitatem, auſi fuerint, hoc facinus cunctis Græcorum ac Romanorum præclare geſtis præponere.[u] Ob eam igitur cauſam dicendum non eſt, torment. inutilia eſſe, quia iuxta vulgare prouerbium, Flos vnus non facit ver: quin etiam rem noſtram vehemēter adiuuant, quæ Motinus ipſorum dux ipſis Heluetiis dixit, cū eos ad facinus illud exhortaretur. Solus supereſt vobis labor tormēta occupare, ſed minuetur; qui eadem tormēta, iniquo collocata ſitu, extempore aggrediemur, inq; nocturnis tenebris; quæ ſi maximo impetu aggreſſi fuerim[x], minimū temporis ſpatium erit, quo ab hoſtibus offendamur, idq; tumultu, trepidatione, repētina cōfuſione interrumpetur.[x] Ex quo videmus, prudentem hunc ducē tormenta plurimi feciſſe, etſi male locata eſſent. Quæ tormenta (idq; finē differendi faciat) quantum in bello momentum obtineant, ipſimet Heluetii experti fuerunt, cū haud multo poſt ad S. Donatum contra Gallos dimicauerunt quod prælium Triultius, dux omniū experientiſſimus, non hominum ſed gigātum fuiſſe cenſuit, dictitans, Duodeuiginti prælia, quibus interfuerat, ſi compararentur huic, puerilia fuiſſe. De quo prælio prodidit Guicciardinus, dubium non eſſe, quin Heluetii victoriam reportaturi fuiſſent, niſi tormēta obſtitiſſent,[y] quæ bellicoſam illam nationem docentia, non ſemper audaciam, ſiue temeritatē potius felicem eſſe, Gallis victoriam attulerunt. Quod ſi libere atq; ingenue mens noſtra aperienda eſt, putamus, nullum principem, qui multa poſſit amittere, exēplum capere debere ab natione, quę diuerſorum ſtipendia principum merita, nihilq; fere aliud bello, quam ſuorum corporum ſalutem exponēs, cogitur neceſſario ſuam oſtentare audaciam, atq; adeo cunctis patefacere, quam paucis ii munimentis ingentes cæterorum apparatus vincere conſueuerint.

[u] lib. 11.
[x] ibid.
[y] lib. 12.

De munitionibus, & munitas arces vtiles eſſe, nunquam exitioſas.

DISCVRSVS IV.

OMnis bellica diſciplina in duob. cōſiſtit: in eo, vt ab hoſte quiſq; ſe defendat ne ab illo vincatur; & in hoſte offendēdo, adeo vt ipsū vincat. Qui ſe defendit, aut in cāpo ſe defendit, aut intra vallū. De armorum genere ad ſe tuendum, itemq; ad hoſtem defendendum, alibi diſſeruimus.[a] Modo de muniendis arcibus tantum loquar. Et quoniam hæ conſtruuntur aut ad conſtruentis tutelam, aut ad totam regionem defendendam; nulla dubitatio eſt, quin hæ poſtremo loco dictæ prioribus digniores exiſtant: quia his expugnatis tota regio ſubiugatur, illis autem vna tantum ciuitas occupatur, & hæc imperiorum propugnacula nuncupantur, taliſque fuit Cremona à Romanis contra Gallos, qui vltra

[a] l. pr. diſ. 7.

Padum

Padum incolebant, ædificata, *propugnaculum aduerſus Gallos trans Padum agentes, & ſi qua alia vis per alpes rueret.*[b] Ideo Dantes, rerum militarium intelligentiſſimus poëta Peſcheriam arcem pulchram, forteque inſtrumentum nuncupauit, quo Brixienſes, & Bergomates propellerentur.[c] Sic Philippus Perſei pater Corinthum Græciæ compedes appellabat.[d] Et Sutrium clauſtra Hetruriæ dictum fuit: *quæ vrbs ſocia Romanis velut clauſtra Hetruriæ erat.*[e] Sic Nepete.[f] Sicuti noſtris temporibus dici poteſt Caieta, clauſtra eſſe regni Neapolitani. Et Caletum Anglis ſcala fuit, qua in Galliam deſcendebant. Quarum præcipuarum arcium maxima ratio habenda eſt, ſummaque laude dignus habebitur ille, qui ſitubus ſingulis exploratis, ita arces locabit, vt totam regionem poſſit vnica arte defendere. Verum quia hic articulus muniendæ regionis, ſiue ciuitatis inter homines ſublimi ingenio præditos ſine diſputatione præteritus non fuit, videndum eſt, quid ea de re Plato ſenſerit: qui de cuſtodia regionis ita ſcripſit. Vniuſcuiuſque diligentia, & opera ea potiſſima ſit, vt, quoad fieri poteſt, ab hoſtium impetu regio defendatur, hoſtiſque vallis, turribus, muris, procul arceatur: additque ciuitatem circularem loco editiſſimo, vt fortior ſit, ædificandam eſſe.[g] Sequitur, de mœnibus loquẽs, videturq; ſibi contradicere, Spartanorũ morẽ collaudans, qui muros contemnebant. Verum omnia ſano iudicio accipienda ſunt, quia Plato (vt opinor) maluit, quæ hominibus fugienda ſint, cum intra mœnia clauſi ſe defendunt, docere, quam ipſa mœnia contemnere: non ſecus ac ſi quis ægroto vinum bibendum concedere, timens, pericula ex vini vſu proficiſcentia deteſtaretur, vinumque ipſum videretur abominari; tamen modicum eius vſum permitteret: Sic Plato, vbi muris homines pigros, & ob ſecuritatem incurioſos fieri, diſſeruit, tandem ſubiungit. Nihilominus, ſi muris homines defendendi videntur, hoc pacto fiat: domuumque quandam continuationem præſcribit, vnde ex ſeipſis quaſi mœnia conſtituantur. Præter hanc reſponſionem, quæ fit Platoni, quam veram eſſe, puto, obſeruandum eſt, quod dum regionem ipſe mœnibus, vallis, turribus, permunit, ciuitatemq; in mõte collocat, ex hoc arces approbare videtur, etſi muros ex ciuitate ſuſtulit, quos nihilominus neq; ſuſtuliſſe penitus dicendus eſt, quia ſatis eius tutelæ prouiderat ædium continuatione. Verum audiatur Ariſtoteles, qui de mœnibus, cæteriſque ad hanc rem pertinentibus hæc habet:[h] Muros, inquit, vrbibus qui negant ciuitates eas habere debere, quæ ſe virtutem colere profitentur, eiuſque poſſeſſionem ſibi vendicant, ac mordicus retinent: næ illi valde antique hac de re exiſtimant, idque cum videant, re, & factis eas refelli, quæ ſe itaglorioſe venditabant. Et vero aduerſus ſimiles, neque admodum numero præſtantes, in murorum præſidio, ac munimento ſalutem collocare, non eſt honeſtum. Sed quando euenit, & fieri poteſt, vt qui adoriuntur, & impetum faciunt, virtute humana; eaque, quæ in ciuibus numero paucis ineſt, ſint ſuperiores ac potentiores (ſi ſalutis ratio habenda eſt, & non vltro accipienda detrimenta, & perferendæ contumeliæ) vt quæque munitio ſtabiliſſima, & tutiſſima eſt; ita habenda eſt ad bellum accommodatiſſima: præſertim

[b] *Tac. l. 19.*
[c] *c. 20 de Infer.*
[d] *Plut. in Arat.*
[e] *Liu. lib. 9.*
[f] *lib. 6.*
[g] *lib. 6. de leg.*
[h] *lib. 7. politic. c. 11.*

cum hodie reperta ſint telorum, & tormentorum,& machinarum genera ad vrbium oppugnationes exquiſitiſſima, & perfectiſſima. Hæc Ariſtoteles. Sed quid noſtro diceret ſeculo, quo tormenta, & machinæ illorum temporum comparatæ noſtris, pueriles eſſe viderētur? Et reuera in Græcia omnis ars expugnationum, atq; munitionum inuſitata erat: proinde ſcribit Plato, armamētarium, portum, & mœnia Athenarū opus fuiſſe partim Themiſtoclis, partim Periclis: & Pauſanias teſtatur, arcē muris cinctam fuiſſe à Cimone Miltiadis filio. Verū quid Ariſt. ſubiungat, diſpiciamus: perbelle enim noſtro hæc argumento accommodantur; Simile eſt, inquit, vrbes muris non eſſe cingendas, cenſere, atq; ſi quis regionem quærat incurſionibus hoſtiū expoſitā, atq; opportunā, & loca montoſa circumcidat: itemq; domiciliis priuatis parietes nō circumdet, tanquā habitatores propterea ignaui ſint futuri. Si igitur hæc ita ſe habent, non tantum muris cingendæ ſunt vrbes, ſed etiam curandū, vt ita concinnētur, vt affabre exſtructæ eſſe videātur, & quam munitiſſimę ſint non tantū aduerſus ea belli inſtrumēta, quæ modo ſunt in vſu, ſed etiā in poſterum inuenientur. Quemadmodū enim (pergit philoſophus) iis, qui adoriuntur, & inuadunt, curæ eſt excogitare, quibus modis omnia, aut aliqua habeant ſuperiora, ita & iis qui ſibi cauent, alia iam inuenta ſunt, alia ipſi quærere, & acerrimo ſtudio inueſtigare debent: nam ab initio ne conantur quidem in eos impetum facere, qui præmuniti, ac præparati ſunt. Ex quibus verbis Ariſtot. pene diuina mens pręcognoſcere videtur, fore, vt temporis proceſſu machinæ bellicæ fortiores fierent, atq; idcirco conſulere, vt pari ſtudio, atq; menſura defendentia inſtrumenta inueniātur. Igitur nullus dubitationis locus relinqui videtur, quin aliqua loca communire neceſſarium ſit: nam quia munimentis huiuſmodi nihil aliud quæritur, quam vt hoſtis conditio fiat deterior; hinc omnia inuenta ad hoſtem offendendum profluxere. Inter cætera cum illud valdè noxium ſit, quo aggredientem hoſtem à lateribus vexamus, affligimuſque,[i] hinc turres, & propugnacula, & quæcunq; hoc incommodum gignerent, inſtituta ſunt, vt fuerunt muri Hieroſolymæ: *qui duos colles immenſum editos claudebant, per artē obliqui, aut introrſum ſinuati, vt latera oppugnantiū ad ictus pateſcerent.*[k] Quæ muniendi forma ſicuti, quia nulla neceſſitas fuerat, qua tolleretur, ſublata non fuit; ſic muri altitudo imminuta eſt, quia modo difficultatem hoſti nullam, imo plurimam auget expugnandi facilitatem: ſiquidem muris non arietibus, ſed diſſimilibus tormentorum ictibus concuſſis, ac dirutis, quanto maior eſt materia, tanto facilior fit, quem ruinæ præbent, aſcenſus: vnde ſi mœniorum altitudo foſſas non excedat, tunc quia à tormentis percuti nequeūt, aſcenſum difficiliorem reddunt: quapropter turres illæ Hieroſolymæ altitudinis ſexaginta, & centum viginti pedum pernicioſæ modo eſſent.[l] Huius artis, quæ mœnia, & valla, ſimiliaq; conſtruere docet, Romani præ cæteris gentibus gnari adeo extitere, itemq; modos, & aſtus oppugnationū calluerunt adeo, vt quiſquis hanc potiſſimam fuiſſe cauſam, cur orbem terrarum vicerint, aſſeuerauerit, haud procul vero aberraret, cum barbari diuerſa ratione ſemper ignari eiuſdem artis

[i] *Caſ. lib. 7.*

[k] *Tac. lib. 21.*

[l] *ibid.*

fuerint.

fuerint. Ideo cum Tacitus, Parthos ad Gorneam caſtellum, ſitu, præſidioq; munitiſſimum expugnandum veniſſe deſcribit, ſubdit, *Nil tam ignarum barbaris, quam machinamenta, & aſtus oppugnationum, at nobis ea pars militiæ maxime gnara eſt.* [m] Quocirca tradit Cæſar, Sueſſones ſeſe ei dedidiſſe propter ingentes belli apparatus, quos ab illo inſtrui viderant, nunquam antea à Gallis auditos, nedum perſpectos. [n] Et Liuius Boios appellat, rudem in expugnandis ciuitatibus gentem. [o] Cum itaque antiqui hoc modo de arcium munitionibus locuti fuerint, diſcutiendum ſupereſt, quibus argumentis quidam perſuadere conentur, multo eas pernicioſiores, quam vtiles eſſe. Ad quæ ſi quis mihi replicaret, autorem diſcurſuum de arcibus natura munitis, non de iis, quæ arte exſtruuntur, loqui, ideoque cenſere, nunquam Romanos conſueuiſſe has exſtruere, dico, vt hoc argumentum melius explicetur, aliter ſolitos fuiſſe Romanos in Italia, extra Italiæ fines aliter bella tractare; quia cum magis expediret illis reip. ſurgentis principiis Italos in ſocietatem admittere potius, quam dominatu premere, arcium exſtructiones ſuperuacaneæ erant, quibus viſi fuiſſent velle Italiæ principatum ſibi vendicare, non ſociorum iura ſeruare. Neque quiſquam melius, quam ipſe auctor hoc probat, cum de modis propagãdi imperii diſſertãs, oſtendit, Romanos his artibus vſos fuiſſe: Verũ quoties extra Italiã bella geſſerunt, æque ac nos munitionibus, arcibuſq; vſi ſunt: nam præterquam quod id moris eorũ fuit vt imperii Romani limites ponerent, qui nihil aliud, quã arces erant, vtebantur etiam caſtellis; quã vocem ab ipſis Romanis deriuatã habemus, qui minorib. caſtris hoc nomen appoſuerunt. Quod ſi quis hoc negaret, allegãs, caſtella illa, alius generis fuiſſe, videretur is negare Romanos habuiſſe belli tormenta, quod eiuſdem non eſſent formæ, vt noſtra ſunt. Nihilominus inter legendum, præſertim apud Cæſarem, reperiemus, caſtella, inſtar noſtrarum arcium fuiſſe. *Cæſar profecto occupato itinere ad Dyrrachium finem properandi facit, caſtra ad flumen Apſum ponit in finibus Apolloniatium, vt vigiliis, caſtelliſque benemerita ciuitates tuta eſſent.* [p] Tacitus agricolam laudans, nullum fuiſſe, inquit, ab eo poſitum caſtellum aut vi hoſtium expugnatum, aut pactione, ac fuga deſertum: & ibidem Galgacus Britannus, ſuos ad Romanos expellendos adhortans; *Nequicquam vltra formidinis, vacua caſtella, ſenum coloniæ, inter male parentes, & iniuſte imperantes ægra municipia, & diſcordantia.* Quem locum allegaui, vt videatur, Romanos, præter colonias, etiam caſtella habuiſſe. [q] Verum quod omnes populi, & Romani ipſis arcibus vterentur, quid clarius poteſt atteſtari, quam Capitolina arx? Carthaginenſes Byrſam habuerũt: Thebarum arx Cadmæa dicta eſt. [r] Argi Lariſſa vocabatur, [ſ] imo duæ ibi fuerunt. [t] Megaris cognominabatur Miſſæa. Neq; Meſſenii arce caruerunt, quã Theomatam dixerunt: & Athenienſes, præter Pyrrhæum, quod armamentarium forte, ac validiſſimum erat, arcem nomine Munichiam habuerunt. Corinthus, & Græci Italiæ, vt Tarentini, & Græci Siciliæ, vt Syracuſani, omnes arcem habuere. Neque vero ad hanc rem populi ſine ratione conſenſerunt. Etenim cum pluribus de cauſis neceſſariæ ſunt arces, tum præcipue, vt inquit Ariſt.

[m] lib. 13.
[n] lib. 2. de bello Gall.
[o] Liu. lib. 21.
[p] Cæſ. lib. 3. de bello ciuil.
[q] In vita I. Agric.
[r] Plut. in Pelop.
[ſ] Liu. lib. 32.
[t] lib. 44.

quia nemo illos aggreditur, quos bene inſtructos eſſe, cognoſcit, vnde hoſtibus alioquin aggreſſuris, animus diminuitur: deinde quia paucis te in arce defendis, quem extra arcem ægre multi defenderent: quod à Cæſare prætermiſſum non fuit, *quo minore numero militum munitiones defendi poſſent*.[t] Tertio neceſſariæ arces ſunt, quia imminẽtibus periculis ad eas confugitur; vt Hirtius dixit de Pharnace, qui viuus in poteſtatem Romanorum perueniſſet, niſi in ſuorum expugnatione caſtrorum commoditatem fugæ nactus eſſet.[u] Quarto, vt hoſtis defaſſetur, quod inquit Appianus de Scipione, qui vigilia, longoque labore feſſus, tandem coactus fuit quinquaginta millibus Carthaginenſium, qui ad arcem confugerant, vitam largiri.[x] Quinto, vt temporis commoditate, atque, vt dicitur, beneficio vti poſſis, quod quia multa ſecum ferre commoda conſueuit, ad vitam te aliquando reſtituere valet, vt accidit Romanis, quibus inſperato, cum de deditione cum Gallis paciſcerentur, ſuperuenit Camillus.[y] Sexto, ad meliores, & minus ægras ab hoſte conditiones impetrandas, cuius rei apud antiquos, & noſtrates innumerabilia ſunt exempla. Veruntamen qui arcibus aduerſantur hallucinari videntur, dum eas inutiles iudicant, propterea quod nullam arcem proceſſu temporis, quoties hoſtis multis eam viribus aggreditur, reſtituram putant; non animaduertentes, arces non ideo, quod inexpugnabiles ſint, vtiles eſſe, ſed quia hoſti, quoad fieri poteſt, repugnant, & moram iniiciunt. At, quæ ab aduerſariis opponuntur, videamus: credunt enim, arces principibus arrogantiam aduerſus ſubditos adiungere, ideoque, ne exſtruantur, conſulunt, ne imperii heredes, dum arcibus nimium fidunt, flagitioſe viuant; quod ditionis amittendæ cauſam illis præſtet. Ad quæ reſpondeo: ſi princeps eius naturæ ſit, multo inhumaniorem, minuſque pudentem fore, ſi inſtructum exercitum, quam ſi munitam arcem habeat. Adeo vt ſi propter huiuſmodi charitatem ſuadet, vt exercitus alantur, arceſque tollantur, nihil agat. Si vero dicit; arces infructuoſas eſſe, quia propter miniſtrorum culpam intercipiuntur, vt Mediolanenſis arx ob ſolennem Bernardini de Curte perfidiam olim amiſſa eſt: reſpondeo, cum aliquis ex tuis miniſtris te prodere omnino vult, nullum remedium eſſe. Verum à quibus principes inclementius tractati ſunt, quam à ducibus, exercitibuſq; ſuis? Quis Galbam imperio priuauit, niſi ope ipſius Galbæ militum Otho? quis Othonem, niſi Cæſarum exercitus in Germania, qui Vitellium ſibi ducem cooptauerant? quis Vitellium imperio, vitaque ſpoliauit, niſi exercitus, quos ipſimet Imperatores in oriente habebant, quorum ſe principem fecerat Veſpaſianus? ex quibus liber infarciri poſſit multo maiore copia, quam arcium exemplis. Sed autor omnino ſuas rationes magnorum ducum autoritate fulciendi cupidus, ita ſubdit: Guido Vbaldus Vrbinatium regulus Federici filius, qui ſuorum temporum præclariſſimus dux fuit, cum à Cæſare Borgia Alexandri VI. Pontificis filio ex ditione ſua, ad quam orta quadam occaſione poſtmodum reuerſus eſt, expelleretur; omnes arces, quę in ſua prouincia exſtructæ erant, demoliendas curauit, quod eas pernicioſas putaret: nam propter ſubditos, à quibus diligebatur,

[t] *lib. 7. de bello Gall.*

[u] *lib. de bello Alex.*

[x] *Appian. de bello Pun. ad fin.*

[y] *Liu. lib. 5.*

batur, carere arcibus malebat, propter inimicos autem videbat, non ſatis eas eſſe, quia ipſas defendere nō poterat niſi campeſtris exercitus ope, qui eaſdem tueretur: ideo ſeſe ad illas diruendas conuertit. Vellem, vt alibi dixi, vt hic autor teſtimonia aliquanto cautius allegaret: nam primo verum non eſt, omnes ab illo duce arces dirutas fuiſſe, cum Sancti Leonis, & Maioli arces intactas reliquerit. Alterum eſt, quod arces demolitus fuit, non cum in ſuum ſtatum rediit, ſed cum poſt Vrſinorum cum Valentino concordiam coactus fuit iterum de ſuo Ducatu decedere; hoſtem enim illis commoditatibus priuare voluit: ſibi vero, ſi aliquando, vt domum reuerti poſſet, Deus conceſſiſſet, minores difficultates relinquere. Ad cuius veritatis confirmationem eadem Guicciardini verba hic apponere mihi viſum eſt: hæc autem ſunt. Dux Vrbini etſi à populo, qui pro eius ſalute velle ſe mortem contemnere, pollicebatur, ne diſcederet, rogaretur; tamen arma hoſtilia magis timens, quam populari auræ, vocibuſque fidens, Venetias reuerſus, hoſtium impetum declinauit, dirutis prius omnibus imperii ſui, exceptis Sancti Leonis, & Maioli, arcibus. Ad aliud ab ipſo adductum exemplum tranſeamus, eademq; verba referamus, ne ipſius ſententiam captare velle videamur. Papa Iulius, inquit, expulſis Bononienſi ciuitate Bentiuolis, in illa ciuitate arcem exſtruxit, deinde per gubernatorem ſuum tyrannice tractari populū illum iuſſit, adeo vt idem populus rebellauerit, arcemq; illico amiſit, quæ nihil ipſi profuit, imo valde nocuit; at ſi iuſte gubernationem illam tractauiſſet, arx aliquatenus adiumēto illi fuiſſet. Nolim ego contra quemquam abſque neceſſitate inuehi: dico tamen Pontificem Iulium hominem fuiſſe, & humano more peccatorum onere grauatum: ſed quanta pietate, virtute, iuſtitia, è dominatu Bononiæ Bentiuolos eiecerit, & quantum inde gloriæ, vtilitatis, ornamenti Bononienſibus acceſſerit, cum grauiſſimo tyrannidis iugo liberati eſſent, præterquam quod ex ſe ipſo id ſatis innotuit, legantur verba, quæ illius regiminis Prior coram Pontifice, dum Bononia diſcederet, profeſſus eſt. [a] Cognoſcere ſe felicem ſtatum, in quo ciues collocati eſſent, & quantum expulſis tyrannis diuitiarum, & ciuitatis ſplendor amplificatus foret, cumque antea alieno arbitrio vitam, & patrimonia obſtricta haberēt, modo ab omni parte tutos, gubernationis, & redituum participes patria ſua perfrui; neque reperiri illorum quemquam, qui priuatim ab ipſo honores, ac beneficia non accipiat; aſpicere ſe in ciuitate ſua Cardinalitiam dignitatem renouatam; videre in ciuibus ſuis pleroſque Eccleſiaſticos gradus, aulæque Romanæ munera præcipua: ob quæ innumera, ac ſingularia beneficia decreuiſſe, omnes opes ſuas, honorem, ſalutemque vxorum, ac filiorum prius vitam amittere, quam Sedis Apoſtolicæ tutelam, & animorum ſuorum erga ipſum ſtudium, atque obſeruantiam poſthabere: Iret felix, & hilaris, neque rerum Bononienſium minimam ſuſciperet moleſtiam, quia prius fluuium ſanguine Bononienſium repletum fore, intellecturus eſſet, quam vt ea ciuitas aliud inuocaret nomen, vel alterius iuſſa, quam Iulii Pontificis, vnquam exciperet. Si huic Priori fides aliqua adhibenda eſt, qui non perplexe, ſed

[a] *Guicc. lib. 9.*

particulatim beneficia à Papa Iulio accepta commemorat; hoc certe non erat, vt inquit ille, populum prodere, tyranniceque tractare: ipſeque Guicciardinus in ſua proferenda ſententia liberrimus ſcriptor, qui Prioris dicta recenſet, poſthæc ore ſuo narrans, quo pacto Bononienſes æream ſtatuam, quam in honorem Iulii erexerant, fregerint, nullam Pontifici, eiuſve miniſtris cauſam attribuit: ſed hoc, inquit, accidiſſe, vel quia (& hæc fere autoris verba ſunt) Bentiuolorum ſatellites autores eſſent, vel quia populus belli damnis atque ærumnis afflictus, vt eſt natura parum gratus, rerumque nouarum cupidus, nomen, ac memoriam illius odio haberet, qui liberandæ, boniſque plurimis accumulandæ ipſorum patriæ cauſa extiterat. Igitur arx neque ob malam Iulii adminiſtrationem, neque ipſiuſmet arcis gratia amiſſa eſt: quæ (vt idem oſtendit autor) male munita erat; quippe pauci inerant pedites, minimus commeatus, minima munitio: quod ſimiliter cuiuis accideret exercitui, quoties inermis eſſet, ſine commeatibus, ſine idoneo duce: verum eiuſmodi iactura Pontificiis miniſtris imputari poterat, non Pontifici, quod arcem ædificauerit: Nam experientia oſtendit, vtiles eſſe arces non ad opprimendos populos, quod ipſe non fecit, ſed ne iiſdem populis liceat improbis eſſe. Cum iis enim ſæpe neceſſarium eſt, vt princeps eas partes impleat, quas cum ægrotis medicus: quibus etiam inuitis medicinæ, & remedia cætera paranda, & imperanda ſunt. Sed progrediamur vlterius. Nicolaus Caſtellanus (inquit aduerſarius auctor) Vitelliorum pater in patriam ſuam ab exilio redux illico binas arces, quas Sixtus IV. ædificauerat, demolitus eſt; nimirum exiſtimauit, non arces, ſed populi beneuolentiam in eo dominatu ſibi ſalubrem fore. Interrogo ipſe hominem hunc: quid Vitellio efficiendum erat, niſi vt arces dirueret, cum iis dirutis, ſuarum cupiditatum omnium frenum, atq; obſtaculum remouendum eſſet? ſiquidem ſuo vſui eas reſeruare minime poterat: manifeſtam enim viſus fuiſſet velle tyrannidem occupare, & moris eſt eorum, qui patriam ſubigere cogitant, ab initio populum adulari, ac tyrannidem ante omnia diſſimulare. Quæ Platonis ſententia eſt: nam talis homo (inquit[a]) omnes libēter ſalutat, cunctis obuiis blanditur, nomen tyranni recuſat, multa pollicetur, publico, priuatoq; ære obſtrictos liberat, populo, & amicis agros diuidit, denique erga omnes manſuetum, comemq; ſe fingit. Igitur Vitellius, quod erat ei neceſſe, profecit, neq; miror, quod non ſecus egerit. Sed vlterius diſſeramus: aduerſarius enim autor ad cœlum alterum effert exemplum, inquiens. Id vero recentiſſimum, & euidentiſſimum exemplum eſt ad demonſtrandum, inutilem eſſe arcium ſtructuram, ruinā earundem vtilem, quod Genuæ paucis ab hinc annis accidit. Nouimus enim, poſtquā ea vrbs anno ſalutis 1507. à Ludouico Galliarum rege defeciſſet: iſq; cum magno exercitu ad eam recuperādam in Italiam veniſſet: recuperata vrbe, regem condidiſſe ingentis molis arcem, quantā nullam eo tempore fuiſſe, cōſtat. Nam & loci natura, & arte inexpugnabilis videbatur: Godefæ promontorio ſuper mare eminēti inſidebat, vt illinc vniuerſus portus, & magna etiā vrbis pars telis feriri poſſet. Nihilominus tamē cū deinde anno 1512. Galli omnes

[a] *Plat. lib. 8. de repub.*

Italia

ſtalia pellerentur, Genua quoq; arcem nihil formidans,ad Octauianum Fregoſium defecit,qui illam obſidione cingens,ſexdecim menſium ſpatio fame coactā ad deditionem compulit. Poſtquā eam Fregoſius occupaſſet,omnium conſiliis, qui ſuadebant, vt illam,tanquàm refugium quoddam conſeruaret,contemptis, funditus diruendam curauit,exiſtimauitq; populi beneuolentiam,virtutemque ſuam melius fore fundamentum imperii eius,quo etiamnum potitur,quam vllas arces,aut propugnacula. Neq; vero ſpe ſua fruſtratus eſt: nam cum ante Genuēſes mille peditibus adiuti, ſæpe ad alios,atq; alios princip s defecerint, à Fregoſio vt rebellarent,ne à decem millibus cogi potuerunt.Quamobrem manifeſte licet hinc cernere,arcis illius deſtructionem Fregoſio nil nocuiſſe;ſtructuram Galliæ regem defendere nequiuiſſe: Ex quo ſequitur,ſumptuoſam illius arcis ſtructurā regi fuiſſe magna cum infamia amiſſam,& à Fregoſio eandē ſingulari virtute occupatā, demolitamque. Quid aliud huic tam arduo,ac memorabili exemplo reſpōdebimus;niſi ꝙ ſi diſcurſator hic tādiu vixiſſet (ni tñ hoc ſuis temporibus accidit)profecto cognouiſſet,quantū Fregoſius arcē diruēdo aberrauerit.Etenim dū cęteri principes in arcib.degētes maiori cū dignitate,atq; vtilitate cum hoſtib. paciſcūtur, ipſe, quia arciū præſidio carebat, in poteſtatē Marchionis Peſcariæ ſe cōſtituere coactus eſt,apud quē paucis poſt menſib.obiit.[b] Verū ex contingētib. reb.facta iudicāda nō ſunt,dicamuſque,male Fregoſiū egiſſe, dū arcē demolitus eſt ob alterā ex duab.rationibus,imo ex vtraque: vel quia putabat propter virtutem,ac probitatē ſuam,& propter amorē,quo à Genuenſib. diligebatur, ſe vinci nō poſſe,vel quia neq; ſciuit,neq; potuit iuſtū timorē illū vincere,ne ſi arcē conſeruaret,patriæ tyrānus haberetur. Vterq; aūt error etſi ab honeſtis cauſis originē trahit, tñ æque nocet; cū pateat, populi beneuolentiā nunquā eiuſmodi eſſe, quin timoris ſocietate indigeat,alioquin in periculis te deſeret: queadmodū Fregoſius à Genuēſi derelictus eſt,de quo Guicciar.poſtquā dixiſſet,cum in ſummo apud populū amore vixiſſe,ita proſequitur. Populus in factiones diuiſus etiamſi circūquaq; ab exercitu potēte, variiſq; linguis permixto obſideretur, rerū progreſſum otioſe ſpectabat iiſdem oculis,quibus alii eius miſerias olim contemplabantur.Et magnanimos viros quo virtute ſunt excellentiores, eo propter communem vtilitatē inuicto ad contemnendam famam animo eſſe debere,alibi diſſeruimus.[c] Vtilitas igitur,quæ ex arcis demolitione ad Octauianum Fregoſium deriuauit,præter ſua ipſius mala,ea fuit, vt patriā ſuam cerneret prædæ hoſtiū expoſitam: cuius deprædatio, teſte Guicciardino, inæſtimabilis fuit argenti,gemmarum, pecuniarum, ditiſſimæque ſupellectilis,cum ea ciuitas ob mercium frequentiam infinitis diuitiis accumulata ſit. Deinde memoratus autor diſputationem de arcibus inſtituit, quas reſpublicæ conſtruunt, non in patria ipſa, ſed in prouinciis,quas acquirunt. Et exemplo Florentinorum ſentētiam ſuam firmat, qui arcem Piſis exſtructam à Piſanis ipſis occupatam cito amiſerunt, quæ poſtea cum in poteſtatem Gallorum veniſſet, Florentinis in recuperanda Piſana ciuitate difficultates auxit. Ad quæ reſpondendū puto: ſi Petrus Medices,qui arcibus

[b] *Guicc. lib 14. anno 1522.*

[c] *lib. 3. diſ 3.*

moderabatur, voluit Piſanam, & Liburnēſem arces regi Galliæ concedere, quod primum concedēti nocuit, me neſcire, quam culpam arcibus ipſis attribuere debeamus. Tandem ad finē diſputationis fortius reſeruās argumentum, Sufficere, inquit, nobis populi Romani autoritatē, qui ſi vellet vrbes aliquas per vim compeſcere, atq; frenare, nil noui in illis exſtruebat, ſed & mœnia illarum, & cætera propugnacula diruebat. Hoc autem ſuperius oſtendebamus, falſum eſſe. Et poſtquam reſpondit tacitę obiectioni exempli Tarentinę ciuitatis antiquitus, & nuper Brixiæ; ſequitur, concludens; Quod ad ædificandas arces hoſtibus repellendis pertinet, neceſſarias eas eſſe iis populis, & regnis, quæ iuſtos alunt exercitus; iis vero, qui exercitibus carent, inutiles eſſe: quia exercitus ſine arcibus poſſunt ſe defendere, at arces ſine ope exercituum nunquam ſe tuebuntur. Hoc ſimile eſt, cum alibi dixit: bonos exercitus pecuniæ non indigere, imo propter eam maioribus periculis ſubiacere. Cui rei ſuperius reſponſum eſt, cum oſtendimus, Romanos arcium extruendarum peritiſſimos, arcibuſque vſos fuiſſe. Verum quia veritas ex ſe ipſa eluceſcit, ſi ipſe autor alibi nos docet, bonum ducem naturæ locorum, ſituumq; gnarum eſſe debere,[d] quid hoc aliud denotat, niſi vt loca munitioni apta quærat, cognoſcat, diſponat? Verba autem, quæ ab ipſo adducuntur, P. Decii tribuni militum, quid ſonant aliud, quam arcium laudes? cum præſertim illarum vtilitas diſtincte recenſeatur. *Vides tu, Aule Corneli, cacumen illud ſupra hoſtem: arx eſt illa ſpei, ſalutiſq; noſtræ: ſi eam (quoniam cæci reliquere Samnites) impigre capimus.*[e] Bonus ille miles non appellauiſſet arcem illam ſpei, ac ſalutis, niſi imperiis retinendis illud officium retinerent arces, quod in nauibus anchoræ. Quod ſi ille tandem permittit, vt principes in limitibus imperiorum ſuorum aliquā arcem habeant; nonne animaduertit, Piſas Florentinis æque in finibus eſſe, atque Euphrates, & Rhenus Romanis? nonne videt pariter, arcium multitudinem in Italia non aliunde procedere, quam quia multa ſunt imperia, eorumque fines, vt multi ſunt Italię principes? quin etiam addo ego, tot arcium ſtructuras Italię perutiles eſſe; quia nulla gens vtcunque militaris, & numeroſa ſic modo poſſet illam regionē facile percurrere, ac deuaſtare, ſicuti priſcis temporibus propter arcium defectum licuit Gottis, cæteriſque gentibus, quæ diuerſis ſeculis clades cladibus accumulantes, nobiliſſimam omnium prouinciā inundauerunt. Et quoties animo reuoluo, Auguſtum cæſis in Germania,[f] tribus Quinctilii Vari legionibus, tanto terrore perterritū, vt excubias per vrbem induxerit, ne quis tumultus exiſteret, & præſidibus prouinciarū prorogauerit imperiū, vt & à peritis, & ab aſſuetis ſocii continerentur: vouerit & magnos ludos Ioui Opt. Max. *ſi remp. in meliorem ſtatū vertiſſet*; quod factum Cimbrico, Marſicoq; bello erat: adeoq; conſternatum animo fuiſſe, vt per continuos mēſes barba, capilloq; ſubmiſſo, caput interdum foribus illideret, vociferans, *Quinctili Vare legiones redde*: diemque cladis quotānis mœſtū habuerit, ac lugubrem; hinc equidē in eam adducor ſententiā, vt exiſtimem, nullam aliam ob cauſam hæc egiſſe, niſi quia, vt belli peritiſſimus, cognoſcebat optime, ruptis limitibus illis poſſe Germanos abſq; vllo arcium im-

pedimento

[d] *lib. 3. c. 3.*

[e] *Liu. lib. 6.*

[f] *Dion lib. 56.*

pedimento Romam recta venire. Quandoquidem nunquam ego opinabor, vllum exercitum, licet potentiſſimum, hoſtium imperium inuaſurum, & excurſurum eſſe, nullo habito reſpectu ad ciuitates, vel arces, quæ poſt ſe relinquuntur; quemadmodum ipſe, nullo allegato exemplo, in antiquis hiſtoriis aſſerit ſe legiſſe. Igitur arces (vt mea fert ſententia) perutiles ſunt, nihil refragantibus rationibus, & exemplis in contrarium adductis. Quam communem hominum opinionem cum innumeræ rationes fulciant, & Melitenſis inſula, quam multa ex parte propugnaculum Italiæ vocandam eſſe, puto, noſtris temporibus abunde comprobauerit, præſenti diſſertationi finem imponam.

Quid potiſſimum Romanam rem amplificauerit, virtus, an fortuna.

DISCVRSVS V.

PRopter ciuilia inter Vitellium, & Veſpaſianum bella, rebus Romanis, quia Dacia & Germania defecerant, in ſummo diſcrimine conſtitutis, inquit autor, *adfuit, vt ſæpe aliàs fortuna Populi Romani.*[a] Qui locus ſingularis non eſt, etenim alibi fortunam pro Veſpaſiano pugnauiſſe dixit: *Quæ Flauianis ducibus non minus ſæpe, quam ratio adfuit.*[b] Vnde mihi in mentem venit diſcurſus illius, quem autor quidam de fortuna conſcripſit, quærens; vtrum Romani fortuna, an virtute imperium propugnauerint. Quod ſi fortunam, gentilium Romanorum inſtar, intelligeremus; inſanum meo quidem iudicio eſſet iudicare, virtute magis, quam fortuna Romanos creuiſſe; hoc enim pacto Diis ipſis potétiores fuiſſent. Quod ſi apud nos Chriſticolas aliud fortuna non eſt, quam ſecunda rerum cauſa Dei voluntate commota, optimum erit, vt quæcunq; nobis feliciter accidunt, diuinæ magis voluntati, ac bonitati, quam noſtræ virtuti attribuamus: Quod autor quidam ſuſtineri non poſſe dicit, hoc eſt, fortunam potiorem eſſe virtute, & nihilominus alibi diſcurſum ab hoc penitus diuerſum inſtituit, vbi Liuii verba illa miratur: *adeo occæcat animos fortuna, vbi vim ſuam ingruentem refrenari non vult.*[c] Igitur contra illuminat mortalium animos, quoties vult, vt bonis euentis fruantur; quæ in eo diſcurſu optime probat. Idem Liuius bellum inter Romanos, & Æquos geſtum deſcribens, vbi, quo ſtatu res Romanę eſſent, oſtendit, hoc eſt, peſtilentiæ morbo mortuum alterum Conſulem, Collegam eius exigua in ſpe trahere animam, affectos pleroſque principum, patrum maiorem partem, militarē fere ætatem omnem, vt non modo ad expeditiones, quas in tanto tumultu res poſcebat, ſed vix ad quietas ſtationes viribus ſufficerent, ſubdit; *deſerta omnia, ſine capite, ſine viribus Dÿ præſides, ac fortuna vrbis tutata eſt.*[d] Sed locus ille nullam admittit repugnantiam, quo loco oſtendens idem autor, neq; Æmilium, neq; Perſeum confligendi animum habuiſſe, ſubdit; *fortunam, quæ plus humanis conſiliis pol-*

[a] *Tac. l. 19.*

[b] *ibid.*

[c] *Liu. lib. 5.*

[d] *lib. 3.*

let, certamen contraxiſſe. [e] Et Cæſar Romanorum nobiliſſimus, idemq; ſummus ſcriptor, maximuſq; dux, qui innumeris bellis interfuit, præfuitq;, haud raro in ſuis commentariis fortunę meminit: *multum cum in omnibus rebus, tum in re militari fortuna poteſt.* [f] Sic in difficili Eburonum expugnatione, *quantũ in bello fortuna poſſit, & quantos afferat caſus, cognoſci potuit*, [g] & alibi ſæpe: [h] ſed ante omnia nõ militum, non ſuæ virtuti, ſed fortunæ de cunctis proſperitatibus, quę ſibi in Italia, in Hiſpaniis, in maritimis contra hoſtium claſſes expeditionibus gratias agendas eſſe, præcipit, [i] neq; hæc abs re: cum admiranda ſibimetipſi contigerint: nam cũ ſemel in mari in ſummo verſaretur periculo, omnia momento mutata ſunt, & qui ſibi timuerat, tranquillo portu potitus eſt; qui vero terrorem aliis incuſſerat, de ſua ſalutę ambigere cepit. [k] Quamobrem mirandum non eſt, ſi Apollonia Brundiſium traiecturus, nautam, qui incognitum illum vehebat, animo conſternatum, bono iuſſit animo eſſe: quod veheret, non virtutem dixit, vel autoritatem, ſed fortunam Cæſaris. [l] Græci in omnibus, quæ dixerunt, aut fecerunt, admirabili dexteritate vſi ſunt, vtpote qui altiſſima ſapientia referta pectora habebant: hi in quodam Æginæ templo fortunæ ſtatuam, cui Cupido aſſiſteret, collocauerunt: quod ideo factum eſt, inquit Pauſanias, vt oſtenderent, homines in rebus amatoriis fortuna magis, quam pulchritudine proficere: & ſubdit, recte dixiſſe Pindarum, fortunam alteram eſſe Parcarum, quæ ſororibus potentia anteiret. [m] Neque illa ſtolida penitus Thebanorum fuit inuentio, qui in manu fortunæ, tanquam matris, aut nutricis, Plutum collocauerunt. [n] Adeo vt ipſe quoque non dubitem, quin gentiles Romani fortuna magis, quam virtute, imperium acquiſiuerint. Modo ſi rem propius perpenderimus; qua ratione dixere gentiles, fortunam in bello maxime dominari, eadem cenſendum eſt, ſapientiſſimos Hebræos, verum Deum cognoſcentes, ſæpenumero Deum exercitum ideo cognominauiſſe, quod in exercitibus præcipue, & in bello fortunæ, quæ miniſtra Dei eſt, potentia oculis conſpiciatur. Proinde Dauid pulcherrimis ad hanc rem ſententiis Deo, non virtuti ſuæ, vt Cæſar fortunæ, omnia fauſta refert accepta, *Non ſaluatur rex per multam virtutem, & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ, Fallax equus ad ſalutem: in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur.* [o] Et alibi, *Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me.* [p] Rurſus alibi de Deo, *Qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti, vt arcum æreum, brachia mea.* Ad ſummam, Deum ſubiugauiſſe illi hoſtes eius, profitetur. [q] Vtque I. Cæſar ſuæ fortunæ fidens maritimas tempeſtates negligit, ſic ipſe & rex, & non minus, quam Cæſar, bellator altius aſcendens, inquit, *In Deo meo tranſgrediar murum.* [r] Nam rabiem maris euadere, naturale opus eſſe poteſt, ſed muros tranſgredi citra maximum miraculum nemo poteſt: quodq; ſignum eſt indubitatæ, certiſſimæq; fiduciæ, quam in fortunæ autorẽ habebat, adiunxit, *Si exurgat aduerſus me prælium, in hoc ego ſperabo:* quaſi dicat; bella non tantum non extimeſcam, ſed gloriæ, ac beneficio mihi ducam. Quid igitur infero? Nihil profecto aliud, niſi, cum Chriſti fideles nullam præ ipſo Deo fortunam colant, cunctis mor-

[e] lib.44.
[f] lib.6.de bello Gall.
[g] ibid.
[h] l.3.de bell.ciu.
[i] l.3.de bell.ciu.
[k] ibid.
[l] Plut.in Caſ.
[m] lib.7.Achaica.
[n] l.9.poetic.
[o] Pſal.32.
[p] Pſal.43.
[q] Pſal.17.
[r] Pſal.17.

talib. Deo magis, quam virtuti humanæ fidendű eſſe; ſaltem ne gentilibus Romanis inferiores ſimus, qui Deæ fortunæ magis, quam ſibimetipſis ſua geſta referebant. Quapropter ex noſtra parte quælibet agentes, & milites, arma, pecuniam conquirentes, item diſciplinā ſeruantes, præſertim vero bonam cauſam tuentes, firme credamus, quæcunq; eueniunt, Dei voluntate, atq; nutu eueniſſe, fixumque ſit Camilli illud, tanquam oraculum, *Omnia proſpere eueniſſe ſequentibus Deos, aduerſa, ſpernentibus.* [f]

[f] *Liu. l. 5.*

Cur ad principes frequentius deferantur mendacia?

DISCVRSVS VI.

MAxima quidem Tiberii iniquitas erat illa, quæ homines ob ſæuitiæ timorem viles, atq; abiectos reddens, quoties egrederetur è curia, Senatorum adulationes mirabatur: homines illos vocans ad ſeruitutem paratos. [a] Quidam principes aliquando conqueſti ſunt, quod ſibi veritas ab omnibus occultetur, neque animaduertunt, eiuſmodi ſuos mores eſſe, vt nemo, quantumuis veritatis proferendæ cupidus, non deterreatur. Iulius Agreſtis, inſignis, ac peritus miles, Vitellium contra Veſpaſianum de imperio certantem ad virtutem accendere non ceſſabat, ſpem victoriæ faciens, quia equorum, ac virorum ſatis adeſſet: *qui, ſi alius dux foret, inferendo quoque bello ſatis pollebant*: cumq; cerneret, Vitellium haud libenter audire, quæ Veſpaſianus feliciter agebat, eum perpulit, vt ad vires hoſtium ſpeculandas ipſe mitteretur: cum autem remeauiſſet, abnuenti Vitellio, vera eſſe, quæ referret, atq; vltro corruptum, arguenti, *Quandoquidem,* inquit, *magno documento opus eſt; nec alius iam tibi, aut vita, aut mortis mea vſus, dabo, cui credas:* atq; ita digreſſus voluntaria morte dicta firmauit. [b] Xerxes Demaratum interrogauit, an Græci auſuri eſſent ipſum expectare, & congredi: Demaratus autem vera reſpondens ab ipſo deridetur, etſi prius veniam petiiſſet, nū vera, an iucunda vellet audire, & rex, vera, reſpondiſſet. [c] Ecquis igitur principibus veritatem dicat, quoties dedecus, aut mors timenda eſt? Non enim ſemper Achilles adeſt, qui fideiubeat, ſe & verbis, & manibus auxiliaturum, quemadmodum Calchanti promiſit, ne timeret cauſam aperire, cur Græcorum exercitus peſte moreretur. [d] Quamobrem hoc caſu, vt, quæ diximus, confirmentur, tacendum non eſt, quid etiam ſancti & innocentiſſimi homines efficere conſueuerint, quo principes tanto minus, ſi veritas iis reticetur, admirentur. Achab rex Iſrael ad bellum iturus erat, cumq; quadringentos haberet Prophetas, qui bonum belli exitum annuntiabant; Michæas, vt ſententiam ſuam diceret, accerſitus eſt, qui regi charus non erat, quod ipſi veritatem dicere ſolitus eſſet: ſed ne Ioſaphat Iudæorum regi diſpliceret, cum in conſilium adhibere voluit. Nuntius vero vel ex ſe, vel à rege Michæam monuerat, dicens, *Ecce ſermones Prophetarum ore vno regi bona prædicant: ſit ergo ſermo tuus ſimilis eorum,*

[a] *Tac. l. 3.*

[b] *lib. 19.*

[c] *Herod. l. 7.*

[d] *Homer. in princ. Iliad.*

& loque-

& loquere bona: cui Michęas ait: *Viuit Dominus, quia quodcunq; dixerit mihi Dominus hoc loquar:* cumq; coram Achab adductus eſſet, & de belli exitu interrogaretur, reſpondit, *Aſcende, & vade proſpere, & tradet Dominus in manus regis:* cumq; iterum, vt vera proferret, rogaretur, & ille *moriturum,* innueret, ad Ioſophat conuerſus inquit, *Nunquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, ſed ſemper malum.* [e] Qua in re conſiderandum eſt, Michæam, ſanctum virum, neq; ignarum, regem à veritate abhorrere, ironice prædixiſſe, non quod euenturum erat, ſed quod ipſe rex cupiebat. Et nihilominus enuntiatæ veritatis compenſatio fuit, vt percuteretur in maxillam, & in carcerem mitteretur.

[e] 3. Regum 22.

Hoſtes ad deſperationem in prælio redigendos non eſſe.

DISCVRSVS VII.

ANtonius Primus vocatos ad concionem ſuos docuit, *eſſe adhuc Vitellio vires, ambiguas, ſi deliberarent, acres, ſi deſperaſſent.* [a] Corbulo bellicæ rei magiſter, cum exercitu Tigranocerta perrexit; *nec quidquam vrbi detractum, quo promptius obſequium integri retinerent.* [b] Et quiſquis prior illud pronuntiauit, hoſti fugienti argenteum pontem ſtruendum eſſe, aliud non cogitauit, quam vt ne fugere prohibito neceſſitas honeſte moriendi eidem non imponatur: quæ res victoriam certam ſæpe commutauit in cladem: quare optimum fuit Euribiadis conſilium, vt ne Græci Helleſponti pontem, quo Xerxes in Perſiam rediturus erat, diſſoluerent, ne pugnandi neceſſitate Xerxes acrius quam antehac, Græciam vexaret, & in periculo poneret. [c] Sextus Iul. Frontinus pleraq; multorum ducum exempla collegit, quibus docemur, recedentibus hoſtibus viam denegandam non eſſe, ne clauſi bellum renouent, [d] & Scipionis Africani dictum præ omnibus memorat, Hoſti fugienti viam non modo concedendam, ſed etiam ſternendam, atque muniendam eſſe. Verum quia exemplum ſine documento perinde eſt, vt lex ſine procemio, operæprecium eſt, vt, quæ Liuius narrat de Anxure, qui Terracina dicitur, in medium afferamus. Capto enim municipio illo, *plena hoſtium cuncta erant, & in muris diu cædes pariter fugientium, ac reſiſtentium armatorum, atq; inermium fuit: vnde cogebantur victi, quia cedentibus ſpei nihil erat, pugnam inire, cum pronūtiatum repente, ne quis præter armatos violaretur, reliquam omnem multitudinem voluntariam exuit armis.* [e] Idem Sutrii accidit, vt victi prælium inſtauraturi eſſent, niſi iuſſum fuiſſet, *poni arma, & parci inermi, nec præter armatos quenquam violari.* [f] Et conſilium, quod Tutor & Sabinus ceperunt, ne reliquiæ exercitus Vitellii aſfligerentur, alio non reſpiciebat: *Vicit ratio parcendi, ne ſublata ſpe, venia pertinacia accenderentur.* [g] Inter Scipionem & Mandonium commiſſo prælio pulchrum affert documentum Liuius: nam etſi Romani victores extitiſſent, tamen ex Ro-

[a] Tac. lib. 19.
[b] lib. 14.
[c] Herod. l. 8.
[d] l. 2. c. 6. de ſtratagem.
[e] Liu. l. 5.
[f] lib. 6.
[g] Tac. l. 20.

manis,ſociiſq; mille ducenti circiter milites, amplius tribus millibus vulneratis, periere, *& minus cruenta victoria fuiſſet, ſi patentiore campo, & ad fugam capeſſendam facili foret pugnatum.* [h] Igitur malum conſilium eſt, hoſti neceſſitatem pugnandi imponere; propterea quod, vt non obſcuri nominis autor de hoc optime dixit, huiuſmodi neceſſitas tuis iniungenda, hoſtibus eripienda, & quam longiſſime ab iis amouenda eſſet: & alius pari prudentia dixit, Prudentibus principibus, & rebuſpublic. ſatis eſſe, vt vincant: nam quoties hoc non ſatis eſt, ſæpe ſuccumbunt. Sicut igitur nos alibi oſtendimus, populos in continuo pauore detinendos non eſſe: [i] Sic hoſtes dimicantes ad deſperationem adigendi non ſunt. Quod aperte ſignificauit Hebræus Abner, qui ante Aſael fugiens, oranſque illum, vt ſibi fugere liceret, cum Aſael fugienti inſtaret, percuſſit Abner auerſa haſta cum in inguine, & transfodit, inquiens, *Num vſq, ad internecionem tuus mucro deſæuiet? an ignoras, quod periculoſa ſit deſperatio?* [k] Ideo Romanorum mos erat in ſummis præliorum anguſtiis ad arma deponenda hoſtes voce inuitare: *vna vox ponere arma iubentium per totam fertur aciem.* [l] Macedones hæc non animaduertentes, Romanos ad mare fugientes aliquando perſecuti adeo fuere, vt Romani dedecore, ac neceſſitudine coacti, dum reſiſterent, Macedonum fere ducentos cæciderint, paremque numerum ceperint, dicente Liuio, nihil aliud, quam vltimam neceſſitatem, cum recipere ſe tuto ad naues prohiberentur, animos Romanorum ſimul deſperatione alia ſalutis, ſimul indignitate irritauiſſe. [m] Idcirco prudenter egit prætor L. Æmilius Regillus in obſidione Phocæ: *Coactus ergo periculo militum prætor, receptui canere iuſſit, ne obiiceret incautos furentibus deſperatione, ac rabie.* [n]

[h] lib.28.
[i] l.17. diſ.5.
[k] 2. Reg.c.2.
[l] Liu.lib.9.
[m] lib.44.
[n] lib.57.

Principem promiſſorum memorem, ac repræſentatorem eſſe debere.

DISCVRSVS VIII.

ROmani cum hoſtibus pacta conuenta ſeruare ſancte, ac religioſe ſolebant: proinde Flauius Sabinus Veſpaſiani frater ad Vitellium miſit nuntium, *cum mandatis, & queſtu, quod pacta turbarentur.* [a] Neq; Vitellius aliter ſe purgat, quam culpam in militem conferens, cuius nimio ardori imparem eſſe modeſtiam ſuam: neq; vero belli ciuilis, aliamve cauſam audet afferre, etſi tempora corruptiſſima erant. Hæc Romanorũ fides, pactorumq; obſeruantia non modo reip. ſed etiam Tiberii temporib. adeo per orbem terrarum inclaruerat, vt Maroboduus regno pulſus, & à multis nationibus ad ſe vocatus, non aliud ſubſidium, quã miſericordiam Cæſaris quæſiuerit: cui cum Tiberius reſpondiſſet, *tutam ei, honoratamq, ſedem in Italia fore, ſi maneret: ſin rebus ſuis aliud conduceret, abiturum fide, qua veniſſet,* [b] per duodeviginti annos non exceſſit Italia, pactis inuiolatis: idemq; Ca-

[a] Tac.l.19.
[b] lib.2.

tualdæ caſus, neq; aliud perfugium: ille Rauennæ ſeruatus, hic forum Iulium Narbonenſis Galliæ miſſus. Neq; Claudius in deditione Mithradatis dubitaſſet, *accipere captiuum pacto ſalutis, an repetere armis, rectius foret*, niſi obſeruanda eſſe pacta putauiſſet: imo poſtquam eum Romæ ſuſcepit, auſus eſt liberas efferre voces in vulgum, vultu quoque interrito coram populo permanere: nempe tutus erat, pacta non violatum iri. [c] Quiſquis promiſſiones vi factas præſtandas non eſſe, oſtendit: is perinde inſanit, atque amantes, qui per ſyluas dum ſpatiantur, abietes, & fagos cum vident, ſuas ſibi videre amaſias videntur: ſic autor quidam ad rem ſuam longinquiſſimas res violenta interpretatione, trahit: nulla enim hiſtoria clarius oſtendit, promiſſam fidem à Romanis ſeruatam ſemper eſſe, quam Sp. Poſthumii ab ipſo autore citatum exemplum. Quem tamen Poſthumium, ſi quicunque promiſſa fallere volunt, imitarentur: vel nemo inueniretur, qui ea ſeruaret, vel virtutis opus foret maius, quam pactorum obſeruantia. Quæ res, vt pateſcat lucidius, hiſtoriam repetemus. T. Veturius Caluinus, & Sp. Poſthumius Romani Coſſ. cum Samnitibus bellum gerentes intra ſaltus Caudinos incaute capti ſunt, vbi ab hoſtibus inermes ſub iugum miſſi fœdas pacis conditiones acceperunt. Conſulibus Romam reuerſis, cum de conditionibus pacis referretur, non fuit diſputatum in Senatu, an pacta ſint ſeruanda, nec ne: ſed ad quem ſpectaret ea ſeruare, num ad Coſſ. qui promiſerant, an ad populum, cuius iniuſſu promiſerant. Tunc Sp. Poſthumius, qui memorabili aliquo, atq; illuſtri facto male ducti exercitus, & male initæ pacis ignominiam delere decreuerat, argumenta protulit validiſſima, quibus probaret, Populum Romanum iuſcium per Coſſ. obligari non potuiſſe, & ſponſionem illam præter ſponſores ſuos obligare neminem; Idcirco Romani omni obligatione, ac religione ſoluti per fæciales Conſules nudos, ac vinctos ad hoſtes mitterent, vt contra vilia ipſorum, qui ſpoſponderant, capita ſæuiant, & ferrum atq; iras acuant, neq; interim Romani paci conſentiant. Sic faciat, qui promiſſis ſtandum eſſe, non putat, iiſq; (niſi fallor) pactorum violatio facile condonabitur. Commouit patres hæc virtutis excellentia, & Poſthumius in ore erat; cum laudibus ad cœlum ferebant. Et quamquam tribuni plebis interceſſiſſent, quod ſacroſanctos viros dedi hoſtibus violarive poſſe, negarent: tamen permiſſum eſt, vt Pæcialibus Romanis traderentur, qui eos Samnitibus dederent. Conſideretur, quæſo, antiqua hæc virtus; quod ſi eam imitari non licet, ſaltem admirationi habeatur: neq; ex puriſſimis hiſce veræ ſolidæq; virtutis fontibus ſordida turbidaque vitia deriuentur. Conſules Romani ſponſionem capite ſuo exſoluunt, quodq; noſtri martyres ad cœleſtem gloriam conſequendam egerunt, id propter terreſtrem, patriæque gloriam hi peragunt. Proinde ad portam vrbis Samnitium venere: fæciales veſtem detrahi pacis ſponſoribus; manus poſt tergum vinciri, iuſſerunt: cumq; apparitor verecundia maieſtatis Poſthumium laxe vinciret, *Quin tu*, inquit, *adducis lorum, vt iuſta fiat deditio?* Sicque Samnitibus traditi ſunt, vt erroris publici pœnas luerent. [d] Concludit ideo allegatus autor, promiſſam fidem

[c] lib. 12.

[d] lib. 9.

infring

intringi poſſe; neq; animaduertit, hoc conſilium bonum non eſſe, ſed neq; omni ex parte tutum, quia nemo principi ſuſpectæ fidei fidem præſtiturus eſt. Quocirca teſtatur Tacitus, damno fuiſſe Romanis M. Antonii ſcelus: qui Artauaſdem regem Armeniorum, ſpecie amicitiæ illectum, dein catenis oneratum, poſtremo interfecerat: vnde filius eius Artaxias memoria patris Romanis infenſus Arſacidarum vi, ſeque, regnumque tutatus eſt. e Quod reuera fecit Antonius præter mores Populi Romani, quo nemo fidei ſuæ obſeruantior fuit. Cum Amilcar ad petendam pacem ire ad Coſſ. Romanos minime auderet. timens, ne eodem modo ſibi catenæ iniicerentur, quo à Carthaginenſibus Corn. Aſinæ Conſuli fuerant iniectæ; eius collega Hanno, optimus Romanæ fidei æſtimator, nihil tale timendum ratus, maxima cum fiducia ad colloquium eorum tetendit, apud quos cum de belli fine ageret, & tribunus militum ei dixiſſet, poſſe illi merito euenire, quod Cornelio accidiſſet, vterque Conſul tribuno tacere iuſſo, *Iſto te*, inquit, *metu, Hanno, fides ciuitatis noſtræ liberat.* f In hæc exempla vellem ego, tanquam in ſpeculum intuerentur, principes noſtri, & inſanientium doctrina omni poſthabita, eximiam Reguli fidem meditarentur, qui ſupplicium ſubire maluit, quam hoſti fidem fallere; quod exemplum ad hoc argumentum affertur à Cicerone, viro non tantum Chriſti ignaro, ſed etiam parco ſuorum Deorum cultore. g Dixit prudens autor quidam, Tribus de cauſis pollicita ſeruari non ſolere; vel quia, cum promiſſum eſt, ſuberat animus promiſſa non ſeruandi, & hæc eſt perfidia, vel quia ſecuta eſt pœnitentia, & hæc eſt leuitas; vel quia ſeruare non poteſt; quo caſu dico, inſtar Poſthumii, ſeipſum dedendum eſſe, & ingenuos in hoc debitores imitandos, qui etſi ſoluendo non ſunt, non tamen latitant, ſed potius ſe coram creditoribus ſiſtentes, vel in carcerem detrudi ſe patiuntur. In Hiſpania prouerbium quoddam eſt, quod multorũ ſemen errorum eſſe poſſet, præſertim quia dicteria ſimilia propter amplitudinem imperii in Italiam transferuntur; hoc autem eſt, Verba officii cauſa prolata non obligare. Verum principi cum vaſallo, aut famulo, vel quouis inferiore homine, quid, rogo, officioſi verbi faciendum eſt? Quod ſi officioſa verba inter pares frequentata excuſari poſſunt, quiſnam adulationis, aut vanitatis mos eſt, vt alteri vltro rem offeras, quam largiri minime cogitas? quo pacto quis verborum ſuorum obliuiſcens, aut malignitatis, aut leuitatis, aut impotentiæ, ſaltem vanitatis notam effugiet? Igitur qui præſtare non vult, ne polliceatur. Verum is, cui promittitur, etiam atq; etiam obſeruet, quo pacto ei promittitur. Nam etiamſi nonnulli Leoni X. vitio vertunt, quod Io. Paulo Balionco promiſſam fidem fefellerit, non poteſt reuera ex Guicciardini verbis elici, Leonem omnino promiſiſſe. h Quod ſi Ludouicus XI. nuntiari iuſſit Conuentuali, maxime ſe indigere capitis, quale ipſius erat caput, deinde eum regii iuris factum capite damnauit, rex fidem ne latum quidem vnguem fefelliſſe mihi videtur, quia mente & verbis capitis illius deſiderium ſuum expreſſerat. i Inter hæc ancipitia reſponſa pulchrum eſt, quod Romani dederunt, cum Achæi, & Lacedæmones Romam

e lib. 2.

f Val. Max. l. 9 c. 6.

g Offic. l. pr.

h lib. 13.

i Cominaus.

legatos miſiſſent: & quamquam magnæ autoritatis apud Romanos tum gens Achæorum erat, nouari tamen nihil de Lacedæmoniis placebat. Itaq; *reſponſum legatis perplexum fuit, vt & Achai ſibi de Lacedamone permiſſum acciperent, & Lacedæmonij non omnia conceſſa iis, interpretarentur.* [k] Qui locus profecto digniſſimus eſt, qui à principibus attente conſideretur: nam ſicuti falſa nunquam promittenda ſunt, ſic dum nonnihil occultandum eſt, ita agere decet, vt nemo te falſitatis accuſare poſſit; Et qui ſapit, hæc pericula ſapienter effugit. Tiberius ad Rheuſcoporim Thraciæ regem molliter, ac generatim reſcripſit, *ſi fraus abeſſet, poſſe eum innocentia fidere.* [l] Poſtmodum in Mœſiam Pomponium Flaccum mittit, vt incautum opprimat: quod ſi Plancus illum decepit, Tiberius contra promiſſa nihil agit. Et Demetrius paternum, vt promiſerat, conſilium Mithridati non detegit, ſed ob ſuam erga Mithridatem beneuolentiam haſtæ cuſpide inſcripſit terræ *fuge Mithridates.* [m] Neque tamen hæc ſcribimus, quo anſam fidei frangendæ cuiquam præbitam velimus, ſed vt ſingulos cauere iubeamus ea, quæ dicuntur, quæve promittuntur: etſi hoc peccatum Demetrio parcendum eſſe videtur, cum quia ob amici ſalutem commiſſum eſt, tum etiam quia promiſſum hoc inter patrem & filium interceſſit. Romani, fidei exactores ſeueriſſimi eiuſque obſeruantiſſimi, ciues ſuos, qui iurauerant, ſe ad caſtra Annibalis redituros, mox egreſſi caſtris, & ſtatim quaſi aliud obliti reuerſi, ſe iureiurando ſolutos cauillabantur, Annibali remiſerunt: quinimo maluerunt in fide ſeruanda decipi, quam aut reipſa decipere, aut decepiſſe exiſtimari. Proinde cum ſuperior Africanus onuſtam multis, & illuſtrium Carthaginenſium viris, nauem in ſuam poteſtatem redegiſſet, inuiolatam dimiſit, quia ſe legatos ad eum miſſos eſſe, dicebant; vt Romani Imperatoris potius decepta fides, quam fruſtra implorata iudicaretur. [n] Cæſar ſimiliter etiamſi Ariouiſtum fidem fallentem animaduerteret, noluit tamen permittere, vt ſui milites Germanos læderent, *ne dici poſſet, eos à ſe per fidem in alloquio circumuentos.* [o] Verum quid tam parua reuoluimus, cum maiora dicenda ſuperſint? Sex. Pompeius in ſua naui Octauium & M. Antonium ſuſceperat: Mena libertus eius ad aurem accedens orbis terrarum imperium illi, duobus tantum hoſtibus necari permiſſis, obtulit: noluit Pompeius, ne fidē fefelliſſe diceretur. [p] Quam rem minus admiratus ſum, cum prima Romanorum incunabula obſeruans, comperi, antiquum fuiſſe, inſitum pectoribus illorum à ſumma N. Pompilii prouidentia morem, *vt fides, iuramentum propulſo legum, ac pœnarum metu, ciuitatem regerent.* [q] Aduerſus quæ incidi nonnunq̄ in viros principes quoſdam, qui, cum nonnihil tenuiorib. amicis polliciti eſſent, hi v. fidem exigerent, ſuperbe reſponderunt, Si fidē fregi, cogite me ad eā ſeruandā; probe ſcientes, ob virium imbecillitatē non eſſe illos tanti, vt fidē vi exigere poſſent: Igitur quoties magnatibus præſtatur fides, nō integritatis aut virtutis, ſed ſuſpicionis, aut timoris cauſa ea præſtatur. Addo, quiſquis alteri fidē ꝓmiſſam negat, falſi eum teneri: mendaciū autem ſeruile peccatū eſt: igi-

prince-

[k] Liu. l. 38.
[l] Tac. lib. 2.
[m] Plut. in Demetrio.
[n] Val. Max. l. 6. c. 6.
[o] lib. 1. de bello Gall.
[p] Dion l. 48.
[q] Liu. lib. 1.

princeps fidei ſuæ dubius, in ſeruilem naturam transformatur. Hinc merito Sapiens: *Non decent ſtultum verba compoſita, nec principem labium mentiens.*[l] Qui alteri promittit, vel propter acceptum beneficium promittit, & tunc, quod promiſit, non obſeruans, ingratus eſt, vel promittit, quia præſentia commoda accepit, quæ non reponens iniuſte agit: vel propter futuram, ac ſperatam vtilitatem, eoque caſu deceptor, ac proditor eſt, niſi ſeruandæ fidei mentem habeat. Qui promittit, & fallit; alterum euitare non poteſt; vel quo tempore promiſit, ſuæ mentis impotem fuiſſe; vel fateri, dum non obſeruat, improbum ſe eſſe.[m] Si quis, cui fide obſtrictus es, eo tempore te læſerit, quo fides præſtanda eſt, prius beneficium repende, & fac tuæ fidei ſatis, deinde de vindicanda iniuria, ſarciendoque damno cogita. Fides cana dicitur; caue, ne illam commacules: nihil enim magis elucescit, quam duo iuxta ſe poſita contraria: ſed qui veſtem multis maculis adſperſam gerunt, ii parum laborant (vt improbus ille Pratenſis aiebat) ſi altera ſuper tot ſordibus macula addatur. Ego in tota vita mea tot Deo iniurias intuli, vt ſupremo meę mortis articulo perinde puniendus ſim, etiamſi alteram iniuriam veteribus addidero. Impia vox: Neſciunt hi, quo pacto Poſthumius vnico excellentiſſimæ virtutis actu præteritas culpas obliterauerit. Verum extremis ſuppliciis digni ſunt, qui ſe ipſos criminibus polluere minime contenti, alios etiam inficiunt, humanæque ad vitia procliui naturæ modos, & artificia peccandi ſuppeditant. Id vnum certo, & abſque vllo errore ſcio: multas inter principes rixas, & ſimultates noſtra tempeſtate compoſitum iri, niſi quo pacto fides vtrinque conſtituta ſit, ambigeretur: neque ignoro, alios nonnullos, quod alienam fidem ſecuti ſunt, deceptos fuiſſe.

[l] Prouerb. 17.

De caſtris muniendis.

DISCVRSVS IX.

POtiſſima ratio, cur Annibal Pyrrhum omnium maximum ducem, ſecundum Alexandrum arbitraretur, ea eſt, *quod caſtrametari primus docuerit, & nemo elegantius loca ceperit, præſidia diſpoſuerit,*[a] nempe non ignorabat Annibal, præcipuum militaris artis fundamentum eſſe, opportuna caſtris loca ſeligere: *proprium eſſe militis decus in caſtris, illam patriam, illos penates.*[b] Qua in re Romanorum induſtria eiuſmodi fuit, vt eorum caſtra, & ſtationum ſitus, ordinem, itinerum, ac viarum interualla Philippus admiraretur, negaueritque, barbarorum ea caſtra vlli videri poſſe.[c] Vegetius inquit, antiquorum caſtra vrbem fuiſſe portatilem; cumque ſua tempeſtate iam eorum vſus obſoleuiſſet, teſtatur, milites, quia, quo refugere non haberent, inſtar pecorum cæſos ab hoſtibus fuiſſe, neque prius necibus finem impoſitum, quam hoſtium voluntas inſequendi deſiuiſſet.[d] Liuius in comparatione Alexandri cum Romanis inter potiora conſiderat, Ale-

[a] Liu. lib. 35.
[b] Tac. lib. 19.
[c] Liu. lib. 31.
[d] lib. 1. c. 21.

[e] lib 9.

xandrum caſtris locum capere ſolertius, quam duces illos, nunquam potuiſſe.[e] Verum vt bellatoribus noſtris, quãtum præſenti militiæ deſit, dum in caſtrametationibus hæc antiquorum diligentia omiſſa eſt, innoteſcat; afferamus in medium à P. Æmilio, duce præſtantiſſimo, caſtrorum elogium quoddam: *Maiores*, inquit, *noſtri caſtra munita portum ad omnes caſus exercitus ducebant eſſe, vnde ad pugnam exirẽt, quo iactati tempeſtate, pugnæ receptum haberent.* Caſtra portui aſſimilat: à quo ſicuti nauigantes exeunt, ita in eundem, tanquam in aſylum, ſeſe recipiũt. *Ideo*, pergit, *cum munimentis ea cepiſſent, præſidio quoque valido firmabant: quod qui caſtris exutus, etiamſi pugnando acie viciſſet, pro victo habebatur.* Quanti momenti caſtra forent, hinc apparet: *caſtra ſunt victori receptaculum, victo refugium:* Quiſquis in campo victus eſt, neque refugium habet, is, vt inquit Vegetius, iam debellatus eſt: ſed *quam multi* (reſpondet Æmilius) *exercitus, quibus minus proſpera pugnæ fortuna fuit, intra vallum compulſi tempore ſuo, interdum momento poſt, eruptione facta, victum hoſtem repulerunt.* Et concludit: *Igitur patria altera eſt militaris hæc ſedes, vallumque pro manibus, & tentorium ſuum cuique militi domus, ac penates ſunt.*[f] Ex quo loco Tacitus verba, quæ attulimus, deſumpſiſſe videtur. Age, quia fortaſſe ob has laudes non abnuet aliquis eandem, quæ antiquitus in collocandis caſtris induſtriam renouare, duo mihi præſtanda ſunt. primum quomodo caſtra locarentur, & per hanc occaſionem de ipſorum conditionibus tractabo: alterum deinde, an expediat noſtro ſeculo eam caſtrorum conſuetudinem imitari: & quatenus hæc imitatio extendenda eſſet, oſtendam. Dico igitur, quoties dux exercitum progredi volebat, ſemper aliquos ex centurionibus ſuis præmiſiſſe, qui locum eligerent: centuriones, inquam, propterea quod nondum ad Cæſaris ætatem caſtris quicquã pręficiebatur: inquit enim de ſe Cæſar: *his verbis cognitis exploratores, centurioneſq; præmittit, qui locum caſtris idoneum deligãt.*[g] Imperatorum aũt ſequentium ætate præfecti caſtrorum creabantur, quorum apud Tacitum mentio eſt non minus Aufidii Rufi,[h] quã in Mennio.[i] Conditiones autem locorum, vbi caſtrametari oportebat, erant, aeris ſalubritas, præſertim ſi immorandum eſſet, aquandi, lignandi, pabulandi commoditas, ne locus altior noceret, ne fluminis inundatio timẽda eſſet, ne locus pro numero militum amplior, anguſtiorve, quam neceſſe.[k] Quod autẽ Vegetius obſeruauit, collegitque; Cæſar experimento optime docuit, cum penes Axonam fluuium caſtra poſuit: nam ibi obſeruandum eſt, Cæſarem latus vnum caſtrorum ripis fluminis muniuiſſe, cætera vero cuncta omni ex parte tuta ab hoſtibus reddidiſſe, vtq; commeatus ſine periculo ad ea portari poſſent, effeciſſe: præterquam quod (vt præcipit Vegetius) aquandi ac lignandi nulla difficultas, quia caſtra penes collem ſita erant, neq; locus vllus ſuperior imminebat: hoſtes vero ab altera fluminis parte in colle ſimili caſtra poſuerant.[l] Aduerſus hæc, Galli ex iniquitate loci, vbi Ser. Galba Cæſaris legatus caſtra poſuerat, renouandi belli occaſionem ſumpſerunt: nempe in valle, quæ altiſſimis montibus vndiq; continebatur, ſtatiua habentibus Romanis, inſultabant in eos Galli, telaq; coniiciebant, & decurrentes, ne quidem poſſe im-

[f] Liu. lib. 44.

[g] lib. 2. de bello Gall.

[h] lib. 1.

[i] ibid.

[k] Veget. lib. 1. c. 22.

[l] Caſ. lib. 2. de bello Gall.

petum ſuum ſuſtineri, exiſtimabant. Et parum abfuit, quin Romani caſtris deſertis, & eruptione facta, iiſdem itineribus, quibus eo perueniſſent, ad ſalutem contenderent.[m] De caſtrorum proportione numerum militum excedente legitur error apud Tacitum, dum recitat, vallorum amplitudinem ſpem aggreſſoribus Batauis, Ciuili duce, addidiſſe, quia vallum Romanorum, *duabus legionibus ſitum, vix quinq; millia armatorum tuebantur.*[n] Et C. Fabius legatus Cæſaris ſummam pene calamitatem expertus eſt, quod ſimul cum duabus legionibus in iis caſtris relictus eſſet, vnde Cæſar præter equitatum cum quatuor legionibus diſceſſerat.[o] Antequam anguſtias, & amplitudines caſtrorum deſeramus, operæpretium eſt admonere, aliquos iudicio ſuo deceptos eſſe in computando militum numero, qui ad ea loca defendenda eſſet idoneus, vt Britanni decepti ſunt, cum ex Cæſaris caſtrorum paruitate paucos eſſe Romanos milites, putauerunt: quod Cæſar ideo fecerat, quia ſine vllis impedimentis illuc peruenerat.[p] Similem Galli ceperunt errorem; cum caſtra Cæſaris exigua, & per ſe vix hominum ſeptem millium capacia viderunt, præſertim nullis cum impedimentis, quæ tamen caſtra anguſtiis viarum, quã maxime poterat, Cæſar contraxerat eo conſilio, vt in ſummam contemptionem hoſtibus veniret: ſimul ex omnibus partibus caſtra altiore vallo muniri, portaſq; obſtrui, atque in iis adminiſtrandis rebus, quam maxime concurſari, & cum ſimulatione agi timoris iuſſerat: quibus omnibus rebus hoſtes inuitati, aciem iniquo loco conſtituerunt; vt vallum manus ſcindere, alii foſſas complere inciperent: Cæſar autem omnibus portis eruptione facta, equitatuq; emiſſo, celeriter hoſtes dedit in fugam, magnumque ex his numerum occidit, atque omnes armis exuit.[q] Contrarium egit Appius Claudius Tempe, quo in loco amplitudine caſtrorum Antiochum decepit: *vbi caſtrametatus latius, quam pro copiis, & plures, quam quod ſatis in vſum erant, ignes cum accendiſſet, ſpeciem, quam quæſierat, hoſti fecit, omnem ibi Romanum exercitum cum Rege Philippo eſſe.*[r] Et ſagax Aſdrubal, ex quibuſdam indiciis, hoſtes numero creuiſſe, ſuſpicans, in hoc deceptus eſt, quod caſtris per exploratores diligenter adnotatis, nuſquam vallum ampliatum fuiſſe, cognoſcebatur.[ſ] Igitur exercituum ductoribus cauẽdum eſt, ne hoc errore fallantur: ſed ante omnia ob aeris ſalubritatem obſeruandum, ne eodem loco diu ſtatiua exercitus habeat: quia dubio procul corrumpetur aer ex immunditiis, ac ſordibus, quæ neceſſario vbi manet hominum multitudo, multiplicantur: ideoque Conſul Fabius aiebat; non expedire, vt eodem loco perdiu reſiderent milites, qui locorum mutationibus ſaniores, ac vegetiores redduntur,[t] eoque facilius aer corrumpetur, quo arctioribus exercitus continebitur caſtris, vt teſtatur Cæſar accidiſſe Pompeio, cuius exercitus cum ob caſtrorum anguſtias, & fœtores, tum propter cadauerum multitudinem vehementer ægrotauit.[u] Vnde locum mutare coactus eſt.[x] Et de Cæſare ſcriptum legimus, tantum itineris confeciſſe, quantum valetudini militum tuendæ mutatio loci conferret.[y] De caſtrorum munditie nun-

[m] *ibid. lib. 3.*
[n] *lib. 20.*
[o] *Caſ. lib. 7. de bello Gall.*
[p] *lib. 4. de bello Gall.*
[q] *lib. 5. de bello Gall.*
[r] *Liu. l. 36.*
[ſ] *lib. 27.*
[t] *Liu. lib. 10. & Caſ. l. 8. de bell. Gall.*
[u] *lib. 3. de bello ciuil.*
[x] *ibid.*
[y] *Hirt. lib. 8.*

quam obliuiſcendum, quod ſacræ literæ præcipiunt, *Habebis locum extra caſtra ad quem egrediaris ad requiſita naturæ, gerens paxillum in baltheo, cumq; ſederis, fodies per circuitum, & egeſta humo operies, quo releuatus es: ſint caſtra tua ſancta, & nihil in eis appareat fœditatis.*[z] Modo vlterius diſſerendo, moneo; cum locum inueneris ſpatioſum ſatis, cures, vtplurimum vt forma quadrata ſit: dixi, vt plurimum; quia ratione ſitus perſæpe non iis locis, ad quæ quiſque vult, ſed ad quæ poteſt, ſeſe adaptare neceſſe eſt: etſi me non fugit, Romanos ardua explanando ſemper ſtuduiſſe ea loca arte quadrata facere.[a] In quo Romanorum conditio melior erat, quia ſibi ipſis etiam terrarum ſitus quodammodo morem gerere tenebantur; etenim ſitum diligebant, mox eundem diuerſimode, vt locus, tempuſque ferebat, deſignatum muniebant; interdum foſſis vallum addebatur: ſed quia terra, quæ foſſis eruebatur, ex ſe ipſa locum muniebat: hinc eſt, quod hæc foſſio dupliciter expediebatur: primo (quoties terræ genere concederetur) ceſpites, inſtar magnorum laterum, effodiebant: quibus lateribus in caſtrorum circuitu poſiti quaſi murus erigebatur; deinde duorum ceſpitum exteriores, & interiores ſuperficies terra minuta replebat, perinde vt ædificatores partem muri intrinſecam materie replere ſolent: ſicque agger, intra quem milites continebantur, ex ſtructus intelligebatur. Si vero eiuſmodi terra ceſpiti ſtruendo incommoda eſſet, ad longinquas partes ad illum conquirendum ire cogebantur: vnde quantum laboris Romani in militia tolerauerint, cognoſcitur. Ideo Cæſar in eo periculo, cum Neruii Romanos aggreſſi ſunt, inter cæteras difficultates connumerat, quod milites, *qui paullo longius aggeris petendi cauſa proceſſerant, arcendi erant.*[b] Neque hoc contenti foſſis, & ceſpite exſtructo aggere, addebant vallum, quod ex lignis ſtruebatur; quæ ligna partim cum exercitu ferebantur, partim ex vicinis ſyluis raptim petebantur, eaque celeritate, ac robore compoſitum erat, vt militibus ibi impetus hoſtium extimeſcendus non eſſet. Hinc milites, qui defecerant in Germania, inter labores ſuos, propriis nominibus incuſant vallum, foſſas, pabulum, materiam, lignorum adgeſtus, hoc eſt, materia ad aggeres, ligna ad vall[um] conſtruenda.[c] Verum an prius vallum, an foſſa, exſtrueretur, non minimu[m] mihi in præſentia dubitare contingit: quia cum trabes, & pali terra figi debean[t] veriſimile eſt, vt terræ ſolidæ infigerentur, non ei, quæ nuper commota fuiſſe[t] vnde prius vallum, quam foſſa exſtrui conſueuiſſe videtur. Et per conſequen[s] vallum à foſſa tantum diſtabat, quanto ſpatio opus erat ad terram illam, quæ [e] foſſa eruta erat, recipiendam. Hæc igitur Romanorum erat conſuetudo in c[a]ſtris muniendis, foſſa, agger, ceſpes, vallum. Cuius inſtituti, vt ſe communirent obſeruantes adeo, ac religioſi erant, vt materie aut tempore deficiente, nonnu[m]quam ephippiis, & clitellis iumentorum, cæteriſque legionum ſarcinis concl[u]derentur,[d] etiam vehiculis, ac paluſtris inſtar barbarorum vtebantur. Illud p[ræ] cæteris verum, atq; horribile mihi videtur, Cæſarem in obſidione Mundæ, cu[m] hoſtes circumuallare cogeretur, pro ceſpite cadauera, ſcuta, & pila pro vallo, i[n] ſuper gladios, & mucrones, & capita hominum ordinata, ad oppidum conuer[tiſſe]

z Deut. c.23.

a Ioſep. de bello Iud. lib.3. c.4.

b lib.2. bello Gall.

c Tac. lib.1.

d Liu. lib.25.

vniuerſa, collocauiſſe,[e] adeo vero neceſſarium, atque vtile caſtrorum opus Romanis viſum eſt, vt ſi forte hoſtis illos, dum caſtra extruerent, aggrederetur (quo tempore dimicandum, non vallandum eſſe videbatur) nihilominus hoſte premente, caſtra abſolui curarent, vt Popilius Lænas: quē cum Galli in vallandis caſtris occupatū adorirentur, iuſſit triariis, vt caſtra perficerēt, haſtati vero, & principes in armis eſſent, vtq; conſilium hoc autor decenter exprimeret, *ab Romanis*, inquit, *nec opus intermiſſum.*[f] Quæ res prudentiſſimo conſilio effecta videtur: primo enim victoriæ obtinendæ ſpem à ſe non deſertā præ ſe ferebant, quia caſtrorum curā non depoſuerant; ꝙ vt Romanis audaciam addebat, ſic hoſtibus diminuebat fiduciā. Poterant ſiquidem ex ſe ipſis Romani ita diſſerere: Prælium cum hoſte tamdiu differemus, ac ſuſtinebimus, vt ſi forte profligemur, interim magna ex parte communitis caſtris non deſit victis refugium; quod ſi victores fuerimus, par eſt, ne deſit locus, vbi noſtras vires reparemus, vbi vulnerati milites curentur, vbi cibus, & quies capiatur. Idem fecit Cæſar, cum inter munienda caſtra ab Arioviſto bello prouocatus: *nihilo ſetius Cæſar vt ante conſtituerat, duas acies hoſtem propulſare, tertiam opus perficere iuſſit.*[g] Ad quem locum Liuius fortaſſe reſpexit, cum ſcripſit illud: *ab Romanis nec opus intermiſſum.* Non idē fecit Aſdrubal, qui cum eum Romani aggrederentur, munitionis opus intermiſit, eaq; de cauſa improſpere cum illo actum eſt.[h] Verum vt Romanorū conſuetudo nō tantum in conſpectu hoſtium, ipſiſq; inuitis caſtra communiendi, ſed etiam modus peculiaris copias in caſtra reducendi, clarius appareat; pulcherrimum illud eſt exēplum, quo P. Æmilius Romanos itinere defeſſos animaduertens, mutatione conſilii ſubito prælium differre cōſtituit, primiſq; ordinibus imperauit; vt frontem caſtrorum metarentur, & impedimenta deponerent: poſtquam vero metata caſtra, impedimentaq; collocata erāt, ex poſtrema acie triarios primos ſubduxit, deinde principes, ſtantibus in prima acie haſtatis, ſi quid hoſtis moueret: poſtremo haſtatos ab dextro, primum cornu, ſingulorum paullatim ſignorum milites ſubtrahens; Ita pedites equitibus cum leui armatura ante aciem hoſti oppoſitis, ſine tumultu abducti: nec antequam prima frons valli, ac foſſa perducta eſt, ex ſtatione equites reuocati ſunt.[i] Præter quæ monita in locis vt plurimum editioribus caſtrametabantur: vnde Hirtius, quaſi barbaros irridens, dicebat, morem ipſorum eſſe, altioribus locis relictis ad ripas fluuiorum caſtra habere:[k] Et Camillus de ipſis, quaſi noſtros mores deſcribat, inquit, vbi nocte deprehendebantur, ibi penes aquarum riuos ſubſidere ſolitos eſſe, ſine vallo, ſine cuſtodiis, ſine excubiis.[l] Verum quod ad foſſarum latitudinem, ac profunditatem, itemque ad valli altitudinem ſpectat, ea plus minuſve ſtruebantur, prout vrgebat neceſſitas. Negat Vegetius, foſſam minus, quam pedes nouem latam, ſeptem profundam eſſe debere, ad ſummum vero duodecim pedum latitudinem, nouem profunditatem, cum opus eſt, requirit.[m] Leo Imperator ſequentibus temporibus foſſam deſcribit quinque, vel ſex pedes latam, profundam vero ſeptem, vel octo, monēs, vt verſus vallum humus egeratur.[n] At re-

[e] *de bello Hiſp.*

[f] *Liu. lib. 7.*

[g] *lib. 1. de bello Gall.*

[h] *Liu. lib. 27.*

[i] *lib. 44.*

[k] *lib. 8. de bello Gall.*

[l] *Liu. lib. 5.*

[m] *lib. 1.*

[n] *cap. 11.*

rum ſimilium nullum Cæſare meliorem pædagogum quærimus, qui in munitionibus ſuis abundās magis, quam deficiens, cum contra Belgas, quorum numerus ingés, neq; virtus minima erat, caſtra poſuit, vallum exſtruxit duodecim pedum altitudine, foſſam vero decem, & octo profundam cauauit.[o] Cum autem timoris ſpeciem oſtentare vellet, vt ſupra diximus, vallum ſolito altius erexit.[p] Omnes conſentiunt, caſtrorum portas quatuor fuiſſe, adeo vt in crucis figuram æquali diſtributione diſtributæ viæ ad ſuam portam ſingulæ terminarentur. Vegetius portam hoſtibus aduerſam, quæ vt plurimum orientem reſpiciebat, prætoriam vocat, cui oppoſita ex diametro decumana,[q] adeo vt cum inueniamus apud autores paſſim alias duas portas nominari, portam dextram principalem,[r] & ſiniſtram principalem,[s] nulla dubitatio reliqua eſſe videatur, quin hæ duæ ſint portæ, quæ viarum lineas in crucem deductas perficiunt, altera nempe ad dextram prætoriæ, altera ad ſiniſtram. Non me præterit, apud Liuium de caſtrenſium portarum nominibus, numeroq; aliquam eſſe ambiguitatem, cum Liuius adhuc mentionem faciat[t] de quæſtoria, & extraordinaria porta: ſed vt Grammaticorum quæſtiones omittam, ad autores, qui ante me iſta diſcuſſerunt, curioſiores remitto.[u] Sed, quo ad portarum numerum, cum Imperator Leo poſitis quatuor præcipuis portis etiam alias minores addat,[x] æquum eſt, vt multis de cauſis ei fides habeatur; præſertim quia autores, qui maiores quatuor nominăt, non videntur abnuere, quin & minores nonnullæ eſſe potuerint. Antequam de caſtrorum diſtributione loquamur, poſtquam ea vallo, foſſiſq; obduximus, dicendum eſt; quacunq; caſtra adibantur, penes quamlibet portam arcam interius fuiſſe, quæ vacua, & expedita muros circumdabat, idq; pluribus de cauſis: primo, quia ſi ab hoſtibus ignes miſſiles, aliaq; noxia iacerentur, nihil materiæ, quæ comburi poſſet, adiacebat: hoc enim aſtu Scipio Syphacis, & Aſdrubalis caſtra vna nocte cōbuſſit.[y] Deinde vt præda armētorum, pecorumq; aduecta in caſtra recipi poſſet. Tertio, vt cum ſubitę ex ſingulis portis eruptiones faciendæ eſſent, militum acies ordinarentur, eoq; modo, qui prælio conſerendo à duce præſcribendus eſſet, inſtruerentur. quod fecit Æmilius, qui ſuum exercitum ad quatuor portas inſtructum, ſigno dato, ex omni latere, impetu cōtra hoſtem iuſſit erumpere.[z] Dicendum modo eſt, tentoria, viæque, quo pacto diſponerentur, & quo ſitu legiones, quo auxiliares copiæ, quo pedites, quo equites ſtatiua haberent. Sed quia Polyb. hac de re fuſius diſſeruit, & libellus ſeparatim per manus ſtudioſorū circumfertur è Græco à Philippo Strotio tranſlatus, vulgata non repetam, & ex fonte illo, quæ vult, vnuſquiſq; hauriat: quamquā in tractatione præſentium temporum quædam attingere neceſſe erit. Igitur reliquū eſt, vt oſtendamus, an expediat, vt Romanos in huiuſmodi munitione caſtrorum imitemur; & præter exempla Romanorum teſtimonia Cæſaris ſubiungam, hoſtes Romanorum perſæpe operam dediſſe, vt Romanos imitarentur; vnde Neruii vallo vndecim pedum altitudine, & foſſa quindecim ſua caſtra cinxerunt, quod non modo longo bellorū, quæ cum Cæſare geſſerant, vſu didicerant, ſed etiā à quibuſdā Romanis militibus, quos capti-

[o] lib. 2. de bello Gall.
[p] lib. 5. ibid.
[q]
[r] Liu. lib. 4.
[s] ibid.
[t] ibid. lib. 1. in Tac.
[u] Lipſ. in lib. 1. Tac.
[x] cap. 11.
[y] Liu. l. 30. in fin.
[z] Liu. lib. 40.

uos

nos fecerāt. Verum illud mirandū eſt, vnde hoc exemplū attulimus, ꝙ cum Neruii ferramentorum ad illa opera exequenda copia carerent, coacti fuerunt *gladiis ceſpites circumcidere, manibuſque, ſagulisq; terram exhaurire.*[a] Adeo vt nos, quib. inſtrumenta ad terrā egerendam, atq; ferendā ſunt in vſu, eo magis hæc efficere teneamur. Et nemo abſq; dubio inficiabitur, quin ſaluberrimum ſit, loca tuta eligere, & munire, ne exercitus in periculo conſtituatur, & hoſtium arbitrio dimicare cogatur. Cur igitur Romanos non imitamur? an forſan quod tanta diligentia ſuperuacanea ſit, mutatis munitionum generibus? aut verius, quia ſicuti in cæteris Romanorum veſtigia deſeruimus, ſic ab hoc inſtituto receſſimus? Quod ſi munitionum formæ propter vim atq; impetum bellicorum noſtræ ætatis tormentorum mutatæ ſunt, neceſſario ſequeretur, vt caſtra noſtra magis munienda eſſent, quam à Romanis muniri conſueuerant, nedum tota prætermitterentur. Videtur enim id magis ex noſtra deſidia fieri, quam quod neceſſitas munitionum ceſſauerit: proinde Vegetius ipſe, qui minus ab ætate Romanorum diſtabat, (vixit enim anno circiter trigeſimo ſeptuageſimo) conqueritur, caſtrametādi ſcientiam omnino obliuioni traditam eſſe.[b] Quod ſi ob negligentiam, vt puto, id prætermittitur, equidem non aliunde illa exoritur, quam quod militibus principes nulla præmia largiuntur. Principes vero præmia non proponunt, vel quia ſemper exhauſtis opibus in neceſſitate degunt; (degunt autem in neceſſitate, quia pecuniam, cum minus oportet, large expendentes, non habent deinde, quam mediocriter expendant, cum opus eſt) vel quia illibenter, niſi ſumma vrgeat neceſſitudo, ad quoſdam ſumptus faciendos conuertuntur. Hinc enatum eſt, vt milites ſpecie quadam opinantes non teneri ſe vertere terram, quod agricolarum opus eſſe videtur, ſed tantum in hoſtem pugnare, quod ad militem pertinet, ad munienda caſtra manum admouere dedignentur. Ideoque munus hoc vaſtatoribus derelinquitur: cum autem vaſtatorum copia plerunque non ſuppetat, hinc maximi momenti cura hæc, quæ ad principis beneficium, militumque tutelam pertinet, præteritur. Igitur dum ita ſeſe res habent, fieri nunquam poteſt, vt caſtra bene muniantur: & ratio eſt; quia (vt rei militaris periti dicunt) viginti millia peditum, & ſex, aut octo millia equitum exercitus indiget octo mille vaſtatoribus, hoc eſt quatuor mille pro tormētis (concedēdo tamē, vt cum ad oppida quatiēda, tum ad campeſtrem pugnā opportuna ſexaginta tormenta adſint) quatuor vero mille caſtris ipſis exſtruendis: adeo vt princeps qui ſe, verbi gratia, quinq; expenſurum ſupputabat, quamprimū animaduertat, ſibi ſex expendenda eſſe; cum ſex mille vaſtatores paullo minus, quam ſextam partem ſumptuum adæquent: quæ res quanti faciēda ſit, aliorum eſto iudicium. Præterquam quod vt creſcunt ſumptus, ita commeatuum precia adaugentur, & caſtrorum latitudo maior futura eſt: quæ caſtra cum triginta octo millia hominum præter equos capere debeant, non erunt ad ipſa defendenda amplius quam triginta millia. Quod, vt experientia oſtendit, non minimum attendendum eſt: prgterquam quod cum Cæſar tertiam exercitus partem in communiendis caſtris,[c] & aliquando quartam adhibuerit,[d] ſi in caſtris collocaue-

[a] Cæſ. lib. 5 & 2. de bell. Gall.

[b] lib. 1. c. 21

[c] lib. 2. de bello Gall.

[d] ub. 2. ib. 1.

ris ſex millia equitum (minorem numerum capiamus) & vaſtatores octo mille, quibus tamen locus in caſtris concedendus eſt: iam vides, exercitu diuiſo, vaſtatorum mediam fere partem deſiderari. Quid igitur agendum? ad ea primordia, quæ diximus, redeundum eſt: noua militia inſtituenda, quæ bonis præceptis imbuta ſine aliorum ope ex ſe ipſa ea opera omnia faciat, quæ Romani facere ſolebant. Hoc dixi, quia tametſi princeps ad vaſtatores alendos ſumptũ erogare vellet, neq; in cæteris hoc incommoditaté vllã afferet; nihilominus plurima adhuc vitia in hoc genere comperirentur, vnde ad renouanda antiquæ militiæ inſtituta cogamur, quo tandem aliquando ex tot imminentibus confuſionibus, quæ ex corruptiſſimo milite procedũt, eximamur. Atq; equidem præclare nobiſcum ageretur, ſi eodem diſpendio, quod in detinendis vaſtatoribus facimus, eandem operam, & melioré per octo millia peditum efficeremus, qui vaſtatorum vices de more antiquorũ gererent, & caſtra locare, ac munire nõ ignorarent. Quod clariſſime probabo. Ser. Galba, de quo ſuperius fuit mentio, cum paruo equitatu, & vnica legione (qui vix octo millie computãtur milites) in caſtris ſeſe continebat, quem hoſtiũ maxima multitudo aggreſſa fatigauit adeo, vt de caſtris, & impedimentis deſerendis, deq; eruptione facienda agitatũ fuerit, ſed cum ad extremũ id cõſilii reſeruare, & interim rei euentũ opperiri, & caſtra defendere viſum fuiſſet, fortiſſime ſe tuebatur aduerſus multitudiné, donec propter Romanorũ paucitatem re ad ſummũ diſcrimen vertente, quia diuturnitate pugnæ hoſtibus defeſſis, & prælio excedentibus, alii integris viribus ſuccedebant, cum iam amplius horis ſex continenter pugnaretur, ad priſtinum conſiliũ rediuerunt: Itaq; prælio paulliſper intermiſſo, ac tantummodo tela miſſa excipientes, ſeq; ex labore reficientes, poſt ſigno dato è caſtris eruperunt, omnemque ſpem ſalutis in virtute poſuerunt: vnde commutata fortuna hoſtes vndique circumuenerunt, & ex hominum millibus amplius triginta plus tertia parte interfecerunt. [d] Quod plane illud, aut illi ſimile eſt, quod inquit P. Æmilius, *Quam multi exercitus, quibus minus proſpera pugna fortuna fuit, intra vallum compulſi tempore ſuo, interdum momento poſt, eruptione facta, victum hoſtem repulerunt?* Non eſt hoc exemplum ſingulare; neque deſunt alia: quale illud eſt Sabini, qui, cum in contemptum hoſtium veniſſet, adeo vt ad vallum caſtrorum accedere auderent, ſubito duabus portis eruptionem fieri iubens, eorum maximam partem interfecit. [e] Idem accidit Ciceroni ſeptics in caſtris obſeſſo, at ſumma ſua, ſuorumq; laude ſemper victori, [f] idemq; Cæſari, cũ Ciceroni ſuppetias ferret. [g] Sic Fabius ſe defendit. [h] Ad poſtremum nimius eſſet labor, ſi ſingula exempla eorum, qui caſtrorum ope ad meliorem fortunam deuenerunt, euoluere atq; aggregare vellem. Et ratio in promptu eſt, quia qui caſtra munita habet, ad nutum hoſtium dimicare non cogitur: nam eo modo deteriori conditione dimicatur, & in manifeſtam cladem ruitur, ſed arbitratu ſuo manus conſeritur, hoc eſt, maiore opportunitate; vnde vt plurimum vincitur. Et exploratum, perſpicuumq; eſt, omnia inſigniora prælia, ipſorumque victoriam, quam Cæſar in Hiſpania de Petreio, & Afranio con-

[d] *Caeſ. lib. 3. de bell. Gall.*
[e] *ibid.*
[f] *lib. 5.*
[g] *ibid.*
[h] *lib. 7.*

ſecutus

ſecutus eſt, non aliunde proceſſiſſe, quam quod Cæſar munitiones diligenter curauerit; quarum auxilio ſæpe ſuos hoſtes ſine ſanguine in poteſtatem redegit. i Contra videamus, quid mali temporibus noſtris caſtrorum locandorum inſcitia effecerit; nam Rauennatenſis clades nullam ob cauſam accepta eſt, niſi quia caſtra nondum à fœderatis perfecte munita fuerant: quod enim Romani, quibus noua ſemper caſtra exſtruenda erant, ſingulis diebus veſperi faciebant, illi toto die, & ſequenti nocte facere neglexerunt: ſecundo, cum Romanorum caſtra foſſis, vallis, portis circumdata eſſent, ipſi foſſam ſine vallo vllo in fronte caſtrorum fecerunt: tertio ignorauerunt, ſaltem ope illius terræ, quam ex foſſis eruebant, aggerem attollendo, ita exercitum abſcondere, ne tormenta hoſtium militibus nocerent. Et nihilominus (vnde conſpicitur, quantum ipſa ſola opinio ab hoſtibus caſtra bene munita eſſe, valeat) cum Gallorum exercitus ducentas vlnas prope caſtra fœderatorum appropinquaſſet, ſubſtitit duabus amplius horis, admirans, cur fœderati hoſtes è caſtris non egrederentur: qui demum à tormentis bellicis, quæ dux Ferrariæ commodauerat, ex latere vehementer læſi, quia ſe præmunire neſciuerant, coacti fuerunt ad libitum hoſtis prælium committere. Et primus Fabritius Columna Imperatoris iniuſſu (quot in bello errores) etſi tormentorum ſtrage expulſus, è caſtris exiuit, quem ſecuti alii prælium inceptum eſt: quod quamquam ſtrenue commiſſum, victoria tamen penes Gallos manſit. Quod vero fœderati ſubterfugere prælium deberent (præter mandatum regis Catholici, qui præcipuus inter fœderatos erat; præterquam quod aggreſſores commeatus deficiebat, præter numerum minorem, quo fœderatorum exercitus complebatur, minoremq; ipſorum equitatus virtutem) accedebat propria ducum deliberatio, & conſilium, quo Rauennæ tantum ſuppetias ferre decreuerant, non tunc temporis ad prælium deſcendere: votum autem ſuum obtinuerant: ſiquidem Rauennæ ſatis opis iam tuliſſe, viſi eſſent, ſi hoſtibus inde ſummotis eam induſtriam adhibuiſſent, vt caſtris ſummo ſtudio permunitis, eos diſtinuiſſent, & fame conſumi ſciuiſſent. k Nolo ego hæc exaggerare, illud tamen aſſero, ſi Cæſar, aut quiſpiam alius ex antiquis ducibus reuiuiſceret, & hos in re bellica errores nobis conſuetos nimis cerneret, profecto videntes, quã leuibus de cauſis plerunq; exercitus diſperdantur, mirum in modum obſtupeſcerent, non ſolum quia prælium amittatur (è duobus enim, qui præliantur, aut virtutis, aut fortunæ, aliave de cauſa alterum ſuccumbere, alterum victorem eſſe, neceſſe eſt) ſed multo magis ob cauſas, quibus ipſum prælium amittitur. Verum progrediamur vlterius: Quid aliud Heluetios audentiores fecit, vnde Nouariæ Gallos aggrederentur, quam quod opinabantur, eorum caſtra non bene munita eſſe? & quid Gallos inferiores effecit, niſi quod reuera munitiones neglexerãt? Non erant, inquit Guicciardinus, ob temporis anguſtiam, & quia talis hoſtium conatus non timebatur, munita Gallorum caſtra. l Quid aliud iterum Heluetios ad S. Donatum, vbi ipſe rex erat, impulit, vt eoſdem Gallos inuaderent, quã eadem opinio, quod caſtra neglecta eſſent? Quid vero aliud ipſis Heluetiis vi-

i *lib. 1. de bello ciu.*

k *Guicc. l. 10. anno 1512.*

l *libr. 11. anno 1513.*

ctoriam eripuit, niſi quod nocte præuenti ſunt, quæ Gallis commoditatem ſibi conſulendi attulit: quodq; magis refert, prope lucem ſequentis diei Aluiani auxilia ſuperuenerunt, vnde prælio per multā diei partem conſerto, victoriam Galli obtinuerunt; ſi modo victoria appellanda ea eſt; cum Heluetii receptui cecinerint, & tormentis receptis, ordinibuſq; ſeruatis lento paſſu Mediolanum verſus, nemine hoſtium perſequi audente, pedem retulerint. [m] Sed loquamur de iis, quæ nuperrime acciderunt. Damnum illud, quod dux Parmenſis, qui bis in regnum Galliæ iuit, atq; inde rediuit, ab hoſte paſſus eſt, non aliunde acceptū eſt, niſi quia caſtra, non perinde vt decebat, foſſis & aggeribus muniebantur, neq; temporibus noſtris vllus eſt inexperiens adeo, ſtoliduſq; miles, qui nō cognoſcat, & affirmet, maxima quotidie damna exercitib. ob caſtra negligenter locata, atq; munita prouenire. Neq; Brancatius ſilentio inuoluit incommoda, & pericula, quæ ab ipſis naſcuntur: cum miſeri milites horam quietis capere nequeunt, quin ad arma, & ad propugnacula vocentur, vnde vel ægrotant, vel ad talem reducuntur laſſitudinem, quam vix natura humana tolerare poſſit. Quod ſi hoſtis illos aggrediatur, reſiſtere nequeunt, cum certum ſit, meliorem eſſe conditionem eius, qui noctu aggreditur. Vnde vaſtatorum opera adprime laudantur. [n] Et reuera miſerabile eſt, vt milites, dum pauxillum refugiunt laboris, quo diuturna ſecuritate fruerentur, magis ac magis laborent, cum ſuſpicione ac periculo noctu diuque quieſcentes. Sed nos ita dicamus: Tu princeps, qui antiquorum exemplo, ducūque tuorum confeſſione intelligis, caſtra perutilia eſſe, neq; te poſſe ob militiæ pſentis corruptelam veteres militaris diſciplinæ ordines reſtituere, cognoſcis, cū dediſcere facilius ſit, quam addiſcere: vnā ſaltem adoleſcētum legionem inſtitue, qui non minus haſtis, & ſclopetis, quam ligonibus, & pallis vti ſciant, cureſq;, vt omnibus his inſtrumentis æque inſtructi, inter militaria documenta, exerceantur in dirigendo, ac delineando opere aliquo, quod ad militiā ſpectet, nempe foſſas, valla, propugnacula deſignent; ac meditētur, vbi collocanda tormenta, quomodove in caſtris apte diſtribuendę ſtationes, quibus feſſi milites quiete reparari poſſint. Vtq; tibi præmonſtrem, quid ad normam antiquorum efficere poſſis: cū vallatus es, & caſtrorum frons orientem ſpectat, eaſdem lineas, quas extrorſum duxiſti, perducas pariter introrſum, & primo crucis figuram in mediis caſtris ducens, ex illo amplo quadrato, quatuor quadrata præcipua conficias, q̄ duas vias regias caſtrorum conſtituent, altera ab oriente ad occaſum, à prætoria ad decumanam, altera à ſeptentrione ad meridiem, à porta dextra principali ad portam ſiniſtram principalē: deinde inſtar hortorū, q in alia minora quadrata ſubdiuidūtur, inter hæc quadrata minora alia minuſcula deſigna: quę cæteris eadē menſura reſpondendo, alias minores vias cōficiunt, quæ ab imo ad ſummū omnes militū ſtationes in latitudine & longitudine diuidant. Sed ego de poſitione quadrati alicuius, cuius proportione cætera metiantur, plura verba facerem, niſi tędium legentis declinarem, & niſi Polybius diſertiſſime de his diſſeruiſſet, præterquam q Phormionis corā Annibale exemplum reformido. Igitur non tantū vt ponātur

[m] Li2. anno 1515.

[n] Monito primo lib. 2.

caſtra,

caſtra, curãdũ eſt, ſed etiam, vt quam munitiſſima ponãtur, adeo vt nihil iis addi, nihil detrahi poſſit, quin cunctis & pulcritudinis, & munimenti numeris abſolutiſſima ſint: Et hoc illud eſt, de quo Philippus Macedo admirabatur, cum caſtra Romanorum inſpexiſſet: *& vniuerſam ſpeciem caſtrorum, & deſcripta ſuis quæq; partibus, tum tendentium ordine, tum itinerum interuallis, & negaſſe, barbarorum ea caſtra vlli videri poſſe.* [a] *Liu. lib. 31.*

Raro, aut fere nunquam excuſari poſſe, qui contra principem coniurant.

DISCVRSVS X.

EX illius ore, qui ſolus mentiri non poteſt, veriſſima illa ſententia prodiit, neceſſe eſſe, vt eueniant ſcandala, ſed væ illi, per quem euenient. Sic nobis dicendum: inueniuntur ſcelerati pleriq; principum, qui vita & communi ſpiritu indigni videntur; ſed vę illis, qui in principem violentas manus iniecerint. Simile à Tacito ſignificatum; cum dixit, *Haud dubie intererat Vitellium vinci: Sed excuſare perfidiam non poſſunt, qui Vitellium Veſpaſiano prodidere, cum à Galba deſciuiſſent.* [a] *Tac. l. 19. in fine.* Inter cæteras rationes, quæ ad hanc rem allegari poſſunt, præcipua vna habetur, quia nunquam, vel raro contra principem coniuratum eſt ſolo vindicandæ libertatis amore, vnde iure merito dictum eſt: *Falſo libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui priuatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei, niſi per diſcordias habeant*, [b] & alibi: *Libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur: nec quiſquam alienum ſeruitium, & dominationem ſibi concupiuit, vt non eadem iſta vocabula vſurparet.* [c] Ideoq; etſi peſſimo fine, veriſſime alibi aſſertum eſt, *Vt imperium euertant, libertatem præferunt: ſi peruerterint, ipſam aggrediuntur.* [d] Rex Armenus ab Aſtyage rege Medorum, cui tributarius factus erat, defecerat, etſi pollicitus fuerat, ſe bellorum ſocium ſemper fore, neq; arcem vllam in ſua ditione ædificaturum: Cum vero Cyrus Aſtyagis ex ſorore nepos contra eum arma ſumpſiſſet, neq; modo bello ſuperaſſet, ſed ipſum cepiſſet, de cauſa rebellionis cũ interrogauit. Reſpondit Armenus, Ideo ſe defeciſſe, quia libertatem rẽ omniũ pulcherrimã exiſtimaret, eamq; filiis ſuis relinquere cuperet. Recte ais, inquit Cyrus, pulcherrima atq; honeſtiſſima res eſt bellũ gerere, ne quis ſeru⁹ vnq̃ fiat: at ſi quis bello vict⁹ fuerit, vel alio modo in ſeruitutem venerit, deinde ſe ipſo dominum ſuum priuet, dic mihi, putabis ne, hunc iuſtum, probumque virum eſſe? vel tamquam iniuſtum, ac furem punies? Non potuit Armenius diffiteri, ſe pœnas mereri, quod rem, quam alter poſſidebat, & iure belli quæſiuerat, auferre tentauiſſet. [e] Si id verum eſt, quanto magis peccat ille, qui non modo quempiam ſuo iure ſpoliat, ſed etiam quærit interficere? Dicet aliquis: Qui mihi viuendum eſt? ſi in flagitioſi principis tempora inciderim? Illud ſuggeram, quod Cerialis Treuiris

[b] *lib. 11.*

[c] *lib. 20.*

[d] *lib. 16.*

[e] *Xenop. l. 3. de Cyropædia.*

conſulebat, *Vt imbres, & cætera naturæ mala, ſic luxum & auaritiam dominantium tolerandam eſſe*, [f] quod congruit Senatus Romani ſententiæ, cum M. Liuii iram placare niteretur, *Vt parentū ſæuitiam, ſic patriæ (patiendo, ac ferendo,) leniendam eſſe*, [g] rectèq; Marcellus, *Bonos principes voto expetendos, qualeſcunq; tolerandos eſſe.* Et Claudius legatis Parthorum, *Ferenda regum ingenia, neq; vſui crebras mutationes.* [h] Sed multorum natura ea eſt, vt nullius dominatu contenti ſunt: & vix principem obtinuerunt, cum faſtidiunt, alterumq; exoptant: quod malum ex ipſorū inſtabilitate potius, quam imperantium culpa exoritur. Neq; dicendum eſt, quia ſecundum libertatem dulcius eſt, quam ſub principe viuere, hanc eſſe mutationis cauſam; nam pleriq; Romanæ iuuentutis à regum iugo ad libertatem translati, adeo peruerſo animo extiterunt, vt per ipſos non ſteterit, quin patriam, parentes, templa Deum, & omnia prodiderint, quo ſuperbiſſimum vrbe exulantem regem reuocarent. [i] Neq; Iudæos excuſſo Pharaonis iugo recuperatæ libertatis ſero pœnituit. [k] Neq; vero excuſatione illa defenduntur, quod ſub tyranno ad honores virtuti debitos via non pateat, cum alibi oſtenderimus, etiam ſub malo principe poſſe quempiam honores, atq; autoritatem adipiſci. [l] Imo ingentis animi proprium eſt, cum virtutis iter ad gloriam intercludi nequeat, minus libenter huiuſmodi facinoribus conſentire: & qui ſapiūt, hæc, tanquam infames ſcopulos Acroceraunia fugiunt; in quos pauci illidunt, quin naufragentur. Poſſet mihi obiici, Me nunquam libertatē guſtauiſſe, ideo ſic diſſerere. Cui rei quid reſpondeam, habeo: Si enim libertas, vt rerum omnium precioſiſſima, recto vſui nō habeatur (non poteſt autem quiſquam recte ipſa vti, niſi viri virtute prædi ti, quorum noſtra tempeſtate numerus diminutus eſt) ego quidem vnum malo, quam multos pati tyrannos, ſi tamen vnus ille tyrannidem exerceret. Verum hiſce diſputationibus omiſſis, ſi vlla toto orbe terrarum natio eſt, quę nullam habeat rebellandi occaſionem, ea Chriſtianorum natio eſt. Quæ non ſolum edocta fuit, vt ſuo iuſto ac legitimo domino obſequatur, & obtemperet; ſed etiam quoties ille improbus ac flagitioſus eſt, omnino præcipitur, vt patienter omnis ſeruitutis aſperitatem perferat, [m] quia nempe talem putare debemus eſſe Dei voluntatem, in cuius manu corda ſunt regnantium: Is autem cum, vt huiuſmodi principes regnent, perpetiatur, multo magis pati nos decet.

[f] Tac. l. 20.
[g] Liu. l. 27.
[h] Tac. lib. 12.
[i] Liu. l. 2.
[k] Exod. c. 16.
[l] lib. 4. diſ. 4.
[m] Petr. epiſt. 1. c. 2.

FINIS LIBRI DECIMI NONI.

SCIPIONIS AMIRATI

DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM

IN C. CORN. TACITVM,

LIBER VIGESIMVS.

Vtrum magiſtratus nominatim, an ſorte eligendi ſint.

DISCVRSVS I.

MAgnæ olim in Senatu diſputationes habitæ ſunt inter Heluidium Priſcum, & M.Eprium, an legati mittendi ad Veſpaſianum nominatim à magiſtratibus iuratis, an ſorte & vrna eligi deberent. Heluidius vrnam recuſabat, inquiens, *ſorte & vrna mores non diſcerni:* [a] addebatq; : *ſuffragia reperta, vt vniuſcuiuſq; vita, famaque ponderaretur: pertinere ad vtilitatem reipubl. pertinere ad Veſpaſiani honorem occurrere illi, quos innocentiſſimos Senatus habeat, qui honeſtis ſermonibus aures Imperatoris imbuant.* Marcellus autem allegabat, *vetera exempla ſortem legationibus ſapienter poſuiſſe, ne ambitioni, aut inimicitiis locus foret, & nihil eueniſſe, cur antiquitus inſtituta exoleſcerent*: & hinc etiam multa dicebantur, quæ facile eſt cuiq; in tam ancipiti argumento diſpicere. Modo, ſi huius finem iurgii diſpiciamus, dubium non eſt, quin

[a] lib. 20.

ſortem nos etiam preferre debeamus: at ſi, quis fuerit Heluidius, vniuſq; viri ſapientiam atq; prudentiam toti Senatui merito anteponendam fuiſſe, ſpectemus; eligendos eſſe legatos, cēſebimus. Verum quia propter priuatas ſimultates, quas Heluidius cū Marcello, à quo læſus fuerat, gerebat, aliquis affectus imputari poteſt, q̄ſtio hinc ambigua remanet, quid reip. magis expediat, vt ſorte, an electione magiſtratus creētur. Et meo quidem iudicio, tametſi cū electionis vocabulū profertur, aliquid magni poni videaī; tamen paruā ego differentiā inter electionis ac ſortis cōmoda conſtituerē. Vtq; me clarius explicem, hanc adſumo imaginē. Ex centū millibus hominum, quibus modo populū Florentinum conſtare puto, nō amplius, quam tria millia ciuium ad reip. gubernationē admittebantur; ſed ex his plurimi ægrotantes, abſentes, ac impediti ſi eximantur, vix duo millia erunt: ex quibus quia ſaltem quarta pars minorib. officiis fungebatur, compertum eſt, vix mille quingentos eos fuiſſe, qui ad maiora quædam officia idonei eſſent: at quia ciuitas in quatuor tribus diuiſa eſt, & neceſſe erat, nō vt confuſe, at per vices quælibet tribus magiſtratum haberet: vni tantum tribui conſequenter Cōfallonerii dignitas, nō omnib. ciuitatis partibus debebatur: adeo vt ex mille quingentis ciuibus non plures, q̄ trecenti ſeptuaginta quinq; viri magiſtratus alicuius capaces eſſent. Et quoniā honor ille familiis ſingulis, non viritim debebatur, & familię in ſingulis tribubus ſeptuaginta erant, honor ille ſeptuaginta familiis, nō trecentis ſeptuaginta quinq; viris impertiendus erat; Rurſus quia in ſeptuageſimo numero plerią; nondum ad legitimā ætatē, qua Confalloneriatū conſequerentur, peruenerāt, neq; omnes familiæ, etſi nobiles, tacito quodā conſenſu ad illam dignitatem admittebantur, quinimo aperte vetabantur; hinc manifeſte cernitur, ad quam arctum candidatorum numerum ea dignitas reducebatur. Quę cū ita ſe habeant, ſi recte iudicauerimus, quid refert, an ſorte an electione quis Iuſtitiæ Cōfallonerius fuerit? imo putarem ego, dū tot hominum vitia, & machinas, potentiam, amicitias, fauores, ambitus, ſimileſq; nequitias, quibus humanū genus infectum eſt, reſpicio, minus vrna & ſorte, quam electione peccari. Neq; ſolum Moyſes [b] & Ioſue, [c] poſſeſſiones ſorte partiti ſunt, ſed totum vetus teſtamentum ſortis exemplis abundat. Et ratio eſt, quia cum bona recte diuiſeris, & quoſdam excluſeris, cunctaq; bono conſilio ordinaueris, tunc vtilius, tutiuſque eſt, magiſtratuū creationem ſorti committere. Præterquam quod neq; is, qui eligitur, ideo ſuperbit, neq; prætermiſſus in deſperationem cadit, vel aduerſus quempiam odium concipit, videns ſcilicet, ſortem, non hominum iudicium electionis, ſiue repulſæ cauſam extitiſſe. Quamobrem admirandum non eſt, ſi contra Heluidii ſententiam in Senatu legati ad Veſpaſianum mittendi ſorte deſignati, non nominatim electi ſunt: item ſi olim *ſorte ducti, per quos redderentur bello rapta, quiq; æra legum vetuſtate delapſa noſcerent, figerentq;* [d] item ſi Valerius Naſo in prouinciam ſorte deligitur. [e] Neque S. Thomas hunc articulum diſcutiens, in temporalibus ac ciuilibus dignitatibus ſortes improbauit. [f]

[b] Numer. c. 2 &
[c] Ioſue pr. per tot.
[d] lib. 20.
[e] lib. 4.
[f] in 2. 2 quaeſt ... ar. 8.

De de

De delectu militum.

DISCVRSVS II.

CVm Vitellius ex Germania Romam acceſſiſſet, vt cum Othone de imperio decertaret, inter veteranorum cohortes pleroſq; calones, & lixas, & collectos è vicinis oppidis milites admiſcuit, vnde ipſius exercitus vocatur *nomen magis exercitus, quam robur.* [a] Sequiturq; : *ſegnem numerum armis enecauerat.* Etenim huiuſmodi multitudini arma oneri ſunt magis, quam tutelæ: quod à Liuio antea dictum fuerat : *opprimerentq; quidam onerati magis armis, quam tecti.* [b] Tales vt plurimum ſunt noſtrorum principum exercitus: nam cum, non niſi imminente periculo, conſcribantur, viliſſimis quibuſq; ex ſtabulis, ex culinis, ex tabernis conſcriptis, non exercitus colligitur, ſed vilis hominum, & ignauus numerus armis oneratur: vnde in hoc meo inſtituto animum appuli ad quædam de militum delectu, autore noſtro anſam mihi præbente, conſcribenda: exiſtimo enim delectum militum, veluti primum eſſe inter artis militaris elementa: in hoc autem argumento, ne quid amplius deſideretur, vtar aliorum etiam autorum teſtimoniis. Et quoniam nonnulli delectum magis in vna regione, quam in alia fieri debere, obſeruarunt: dico, cum principes non debeant aliunde, quam ex iis locis, quę ſuo dominatui ſubiecta ſunt, militum delectum agere, relicta de locis vicinioribus Soli, aut remotioribus diſputatione, [c] eo, quo fieri poteſt, modo faciendum eſſe : videmus enim à Romanis milites delectos fuiſſe in Galatia, in Cappadocia, [d] in Gallia Narbonenſi, in Africa, in Aſia, [e] in Germania apud Batauos, [f] in Thracia, [g] deniq; in omnibus, quæ orbi Romano parebant prouinciis. Neque defuit, qui hoc caſu culpam principibus, non ſitui, aut naturæ locorum imputandam eſſe, cenſuit, quod armis, militibusque propriis careant. Et cum conſiderandum ſit : vnde vtilius milites, ex agro, an vrbe petantur, nullum dubium eſt, quin rure delecti aptiores habeantur, vtpote qui laboribus magis, minuſq; æ laſciuiæ aſſuefacti. Ætas vtplurimum decem & ſeptem annorum militiæ idonea putatur: quam rem Vegetius barbæ lanugine innuere videtur. [h] Et Tacitus ante ipſam lanuginem. [i] Marius tyrones voluit altæ ſtaturæ, etſi corporis robur magis, quam ſpecies attendēda eſt. Hęc autem potiſſimum in tyronibus reſpicienda ſunt, oculorum alacritas, erecta ceruix, pectus amplū, humeri muſculorum pleni, digiti fortes, brachia longa, vēter paruus, femora aliquanto macra, crura, pedeſq; neruoſi, neq; carnoſi. [k] Ex artificibus autē, quoties profecti ætate aſſumuntur, nō deligendi ſunt piſcatores, aucupes, coqui, textores, balnearii, comœdi, & ſimiles artifices, rerum maxime ad voluptatem pertinentium: eligantur fabri, lignarii, laniſtæ, ceruorum & ferocium ferarum venatores, & ſimiles. [l] Vnde videtur, ſeditionis Germanicæ præcipuum autorem fuiſſe Percennium quendam ducem olim theatralium operarum,

[a] lib. 20.
[b] lib. 22.
[c] Veget. l. pr. c. 3
[d] Tac. lib. 13.
[e] lib. 16.
[f] lib. 20.
[g] lib. 4.
[h] Veget. ibid. 3. & 4.
[i] lib. 20
[k] Veget. ibid. c.
[l] Veget. ibid.

[m] *lib.pr.* rarum, de quo autor: *procax lingua, & miſcere cœtus hiſtrionali ſtudio doctus.* [m] Quod ſi hæc corporis dotes in tyronibus commendantur, multo magis mores animi attendendi ſunt. Quod Tacitus non omiſit, dum voluntarios à delectis militibus ſecernit, & ore Tiberii delectus neceſſitatem adſtruit iis verbis: *ac ſi ſuppeditet, non eadem virtute, ac modeſtia agere: quia plerumq; inopes, ac vagi ſponte militiam ſumant.* [n] Ex quibus duæ ſunt adnotandæ conditiones, quæ in militibus requiruntur: ne inopes ſint, neu vagi. Præterea ſciendum eſt, delectum nationibus ſuapte natura grauem oneratum fuiſſe à ducibus, eorumque miniſtris, qui Germanorum iuuentutem ad delectum vocabant, ſenes, aut inualidos conquirendo, quos precio dimitterent: rurſus impuberes, ſed forma conſpicui ad ſtuprum trahebantur: [o] Thraces autem delectum recuſabant, ne inter diuerſas gentes ad bellum traherentur. [p] Alii vero delectum, tanquam rem ſibi inſolitam, & intolerandam, fugiebant, vt Corſi. [q] Vnde non raro hi delectus rebellionibus cauſas dederunt, vt alibi diximus. [r] Sæpe ipſis etiam Romanis acerbi fuerunt, ideoq; Manlius dictaturam depoſuit. [s] Quæ ego hactenus retuli, vt moneam, in his delectibus ſumma dexteritate procedendum eſſe, etſi noſtro ſeculo cum imperia nõ adeo ampla ſint, quemadmodum Romanum imperium erat, harum difficultatum plurimæ ceſſarent. Diximus, delectum eſſe primũ ſcientiæ bellicæ elementum. Oportet igitur huius elementi literas combinare, hoc eſt, milites ſimul iungere, & exercere; alioquin, vt initio ſcripſimus, fiet nomẽ magis exercitus, quam robur, totidemq; baiulos armis onerabimus. Inter primora militum exercitamenta vnum eſt ad ſonitum militaris tympani prodire in campum, & quinque horarum ſpatio viginti quinque millia paſſuum conficere: ſed quia Romana horologia ſemper nocturnas duodecim, totidemque diurnas horas, vt hyeme, ſic æſtate numerabant: ita ſupputare oportet, æſtiuas tres Romanorum horas quatuor ex noſtratibus compleuiſſe: vnde quinq; horæ fere ſeptem eſſent: adeo vt ex eo præcepto tria millia paſſuum ſingulis horis conficienda eſſent, totoque ſpatio abſoluenda viginti quatuor paſſuum millia quodq; itineris excederet, curſus eſſet, cui menſura tribui non poteſt: Cum hac ambulatione curſus, & ſaltatio conſideranda eſt; quæ duæ res ad multa neceſſaria ſunt, vt qui de illis ſcripſerunt, teſtantur, [t] item natatio, [u] ſcutum, gladiumque ſolito grauiorem tractare, diſcum iacere, [x] punctim, non cæſim ferire, [y] ſub armis pugnare, [z] iacere ſudes, marcibarbalos, tragulas, [a] ſagittare, [b] torquere fundas, [c] iacere plumbeas glandes. [d] Item in equum inſilire, [e] pondera ferre. [f] In quibus exercitationibus quiſquis ſe exercuerit, incredibile eſt, quanto poſt ſe interuallo rudes cæteri ab eo relinquantur. Igitur mirum ne videatur, Alexandrum Magnum triginta millibus peditum, paruoq; equitum numero ampliſſimum Perſarum regnũ occupauiſſe, & Romanos vnius vrbis virib. orbem terrarum domuiſſe. Quod iidẽ Romani optime cognoſcentes diſciplinã hanc ꝓpagare conabantũ, & premia, agroſq; iis qui eã docerent, diſtribuebant, quemadmodũ ſingularis hac de re locꝰ adnotandus e.

[n] *lib.4.*
[o] *lib.20.*
[p] *lib 4.*
[q] *lib.18.*
[r] *lib.4. diſc.pr.*
[s] *Liu. lib.7.*
[t] *Veget c.10.*
[u] *cap.11.*
[x] *cap.12.*
[y] *cap.13.*
[z] *cap.14.*
[a] *cap.*
[b] *cap 15.*
[c] *cap.16.*
[d] *cap.17.*
[e] *cap.18.*
[f] *cap. 19.*

dus eſt in colonia Camaloduni: *id quo promptius veniret colonia Camalodunum valida veteranorum manu deducitur in agros captiuos; ſubſidium aduerſus rebelles, & imbuendis ſociis ad officia legum.* [g] Multa dici poſſent, quomodo milites vallum extruere debeant, [h] ne lapidibus vineæ, & corbes ad tormentorum defenſam impleantur, vt Nauarrini erratum eſt, [i] vbi locorum caſtra ponenda ſint, [k] quomodo in ſubitis periculis laxentur, ac contrahantur manipuli, [l] quoties in menſe ſe exerceant. [m] At quia hæc ad milites pertinent, & eadem ſigillatim pertractātes artem bellicam docere videremur, oſtendiſſe ſufficiet, quæ in deligendis militibus Romanorum cura, & conſuetudo fuerit: quorum veſtigiis ſi inſiſtere vellemus, affirmo; nobis, qui charitatem Chriſtianam profitemur, faciliorem, atque compendioſiorem, quam Romanis, viam paratam fore. Hæc autem eſt, ad rem militare exercendo pueros illos, qui alibi Innocentes, alibi Orphanelli, alibi Expoſiti nuncupantur: ex quibus, verbi gratia, ſi acciperentur quingenti, & bini ad curſum exercerentur, ſicuti curſores ducentos quinquaginta probatos, & bonos haberemus: ſic iterum hos combinando centum viginti quinque haberemus meliores, iterum ex iis paria faciendo ſexaginta duos optimos haberemus: quemadmodum ſimiliter fieret de luctatoribus, & aliis: quod exempli cauſa tantum dictum ſit. Quis neſcit, niſi ante decimum ſeptimum annum diſciplina incipiatur, fore, vt tyrones vſque ad vigeſimum primum nihil experientiæ acquirant? quod ſi pueri huiuſmodi ab anno decimo vſque ad quintum & decimum ad pulſum militaris tympani incedere, ſaltare, pondera proiicere, natare, & cætera, quæ diximus, edocerentur, incredibiliter proficerent, præſertim ſi cum corpore ſimul animus exerceatur ad patientiam, ad gloriæ cupidinem, ad fidelitatem, ad fortitudinem, & ſobrietatem, cunctaq; præcepta illa, quibus virtutum habitus acquiruntur. Non ignoro; de his cogitationibus noſtris multos multa dicturos: obiicient alii, nimios ſumptus faciendos, alii chimeras eſſe; addentes, non decere principes, vt ipſi fiant puerorum pædagogi; alii periculoſum eſſe, tot bellicoſos homines in ſinu ſuo educare, alii alia, vt ſolent verba effutire, qui ad pauca reſpiciunt, & qui apud Galbæ aures præfecto Laconi ſimiles ſunt; erat enim is *conſilii, quamuis egregii, quod non ipſe afferret, inimicus, & aduerſus peritos peruicax,* [n] neque deſunt, qui cogitata iſta riſuri ſint: quibus poſſem ego multis rationibus reſpondere, oſtendens, expenſam non adeo multam fore, ſecuritatem vero, gloriamque infinitam eſſe, modumque diſciplinæ admodum facilem: ſed cum ſimilibus hominibus ad autoritatem magis, quam ad rationem confugere malo, iiſque Turcarum Imperatorum exercitum proponere, qui non aliis artibus totius Aſiæ, maximarumque Africæ, & Europæ partium dominatum arripuerunt. Et nihilominus omnium virium ſuarum neruus, & ſumma conſiſtit in militum, quos Ianizzaros vocant, eo, quo docuimus modo, aut non multum abſimili educatorum millibus quatuordecim, aut quindecim. Non ea mihi mens erat, vt hoc argumentum fuſe adeo tractarem: at quoniam hic video totum ciuilis gubernationis pondus quieſcere, quia pax ſine belli artibus diutur-

[g] *Tac. lib.12.*
[h] *Veget. c.21.*
[i] *Co. Bicar. lib.2.*
[k] *Veget. c.22.*
[l] *ibid.*
[m] *ibid.*
[n] *Tac. lib.17.*

militibus ſuperiores, arcis dominatum ſibi arrogare poſſint, vt poſt necem I
cis Alexandri accidit Florentię Caſtellano, qui hoc pacto Vitellii opera arce ſ
[d] Hadr. lib. 1. liatus fuit.[d] Non ita ſe geſſit Cæſar Cauanilia Liburnicæ arcis præfectus, cui
ſi M. Dux Franciſcus iuſſiſſet, vt Proregi Neapolitano præternauiganti om
liberalitatis, atque humanitatis officia præſtaret, & arcem, ſi vellet, prompt
ſtenderet, Cæſar, qui ſolertiſſimi ingenii erat, militum Italorum cohortem p
introduxit, neq; ideo omiſit Proregi nuntiare, vt quã minimis ſequacium im
dimentis ad arcem ne grauaretur accedere; neque præterea erubuit, cum ve
ſet ei dicere, ne vllam, de iis, quæ nuntiauerat, admirationem caperet: propte
quod acceperat à maioribus, quoties arx alicui committeretur, moris olim f
ſe, vt præfectis arcium ſimul cum præfectura pellis aſinina, quam indu ere
traderetur: innuens, ad præfectos eiuſmodi non pertinere, vt inanibus offi
operam dent, ſed id vnum cauere debere, ne quid infortunii ſibi contingat.
que ea, quæ dico, in animis vniuſcuiuſque melius figantur, Pyrrhi Epirota
regis conſilium in memoriam reuocandum eſt: qui, vbi Athenienſibus grat
egit, quod ſibi arcem patere voluiſſent, non prætermiſit eos commonefacere,
ſaperẽt, ne poſthac regi cuiquã ipſam aperirent. Modo aliqua ad hoc argume
accumulabo, non vt nouũ quid afferã, ſed vt antiquorũ autoritate illa confirm
quæ in vſu habemus, aut ſaltẽ è re noſtra eſt, vt habeamus. Ac primũ memine
quicunq; cum aliqua natione nõ bene conſentit, eiuſdẽ nationis milites in a
nõ recipere, nam quia naturaliter omnes magis noſtros, quã alienos diligim
facile fieri poteſt, vt aliquis ex iis, qui pro te militat, tibi aliquãdo populares ſ
præferat, dicente Liuio, Leucadis expugnationem diutius ſpem Romanoru
extracturam fuiſſe, *ni exules quidam Italici generis Leucade habitantes ab arce mil*
[e] Liu. l. 38. *accepiſſent.*[e] In arcibus ea cuſtodum multitudo, quæ loci amplitudini conuen
neque minor habenda eſt: nam hoſtis male cuſtodiri arcem, præſentiens, ea
facilius aggredietur, & fortunam, quæ plerunque exitu non caritura eſt, citi
tentabit, quam ſi cuſtodibus plenam eſſe, intelligat; quemadmodum Argiui A
chippo duce Lacedæmonum præſidium expulerunt, *contempta paucitate eoru*
[f] lib. 34. *qui in arce erant.*[f] Et Caruentana arx ab exercitu Romano deſertis, qui in pr
dio erant, recepta eſt, quia *prædatores ex præſidio per negligentiam dilapſi, occaſion*
[g] lib. 4. *aperuere ad inuadendum.*[g] Vigilãtiſſimis oculis Caſtellanus omnes, qui in ſua a
concluduntur, numeret, recenſeatque, neq; humilem, & abiectum licet, que
quam aſpernetur: ab huiuſmodi enim hominibus maius periculum immin
poteſt. Et certum eſt, Romanos nunquam Artenæ Volſcorum oppidi arce
capturos fuiſſe, quia ſatis præſidii habebat, & omne frumentum publicum in
lam conuectum erat, *tædioque receſſum inde foret, niſi ſeruus Romanis arcem p*
[h] lib. 4. in fin. *diſſet.*[h] Arces locum vicinum ſibi noxium non habeant; eſſe enim pueriliis e
ror ipſam ibi collocare, quemadmodum ſic Heraclea ſita erat; vt vicino mo
obnoxia eſſet; *adeo prope geminata cacumina eorum montium ſunt, vt ex vertice al*
[i] lib 36. *ro coniici tela in arcem poſſent.*[i] Qui incautus eſt, facile arcem amittere poteſt

ip

ipſo tempore,cum principis mors,nouumq; principem regnum occupaſſe nuntiatur,idq; ea potiſſimum de cauſa,vt ſucceſſori beneuolentia,& intempeſtiua fides exhibeatur, cum interim periculum ſit, ne erga principem adhuc viuentem fides frangatur.Igitur arcis præfecto deditio maturāda non eſt,quia,cum ſucceſſor viderit, illum more, fideq; militari egiſſe,niſi deſipiat, eum diliget,quod iure egerit. Hinc Eumenes,ab inſidiis latronum ex ictu lapidum creditus mortuus, mox Attalo fratri vxoris petendæ præmaturam feſtinationem obiecit: *nam & cum vxore fratris, & præfecto arci, tanquam iam haud dubius regni hæres eſt locutus.*[k] [k] lib.42.
Quiſquis arcem cuſtodit,milites ſuos frequēter erumpere,ne patiatur;propterea quod decem ex obſidentibus mortui non exæquaturi ſunt damnum vnius obſeſſorum,illi enim quotidie ſupplentur,hi vero hac ſpe fruſtrantur. Annibal cum Tarentinos à Romanis, qui arcem tenebant, tutos reddere vellet, vallo vrbem ab arce interſepire ſtatuit,*non ſine vlla etiam ſpe*(vt Liuius teſtatur)*cum prohibentibus opus Romanis manum poſſe conſeri.* Quæ autem ſequuntur magni ſunt momenti ad præceptum,quod dedimus,conſtabiliendum:*&,ſi ferocius procurriſſent, magna cæde ita attenuari præſidii vires, vt facile per ſe ipſi Tarentini vrbem ab iis tueri poſſent.*[l] [l] lib.24.

De moribus, & natura vulgi.

DISCVRSVS IV.

PLato ingenti beſtiæ vulgum aſſimilat,[a] cuius beſtię mores noſcere neceſſe eſt, vt quotidie cum ea verſantes, quibus modis abſque damno regenda ſit, non ignoretur: quorum morum imaginem prudentiſſimus autor noſter egregiam vbiq; præ ſe fert. Eiuſmodi igitur eſt hæc beſtia,etſi robuſtiſſima,vt ſine duce iners,inconſiderata,horribilis comperiatur,*vt eſt vulgus ſine rectore præceps,pauidum, ſocors.*[b] Cui ſimile, quod alibi dixit: *nihil in vulgo modicum: terrere, ni paueant: vbi pertimuerint,impune contemni.*[c] Quæ vulgi natura iis,qui Druſum comitabantur, ſtipabantque,ſatis explorata;,effecit, vt conſulerent,*fortioribus remediis agendum.* Sane vulgus inconſtans eſt,nihil habet ſoliditatis, vt ſenſit Georgius Scalius, qui tarde nimis intellexit, fidem ſe adiunxiſſe populo, voces, actus omnes, & ſuſpiciones commouenti, atque corrumpenti: & apud autorem noſtrum obſeruare eſt,cum idem vulgus paullo antea ciuitatis Heluetiorū excidium poſceret,Claudii Coſſi ſuadela mitigari; *vt eſt mos vulgo mutabili ſubitis, & tam prono in miſericordiam: quam immodicum ſæuitia fuerat.*[d] Eſt vulgus otioſa beſtia, quæ verum à falſo non diſcernit;ideo cum de Imperatoribus diſſerit,eos forma, & decore corporis comparat; vt Neronem eſſe Galba pulchriorem, [e] quaſi pulchritudo, aut turpitudo ad artem recte imperandi pertineret. Hæc beſtia frenanda eſt,nulla enim rerum nouarum cupidior. Et optime à natura proſpectum habemus,dum vulgus imbecillo finxit ingenio: male enim ageretur cum genere humano, ſi ipſe ſibi ſciret moderari. Vnde exiſtimare poſſumus,naturam perinde in vulgo effe-

[a] lib.6.de rep.
[b] Tac.l.20.
[c] lib.1.
[d] lib.17.
[e] lib.17.

[f] Tac.l.20.
[g] Liu.l.27.
[h] Tac.lib.12.

conſulebat, *Vt imbres, & cætera naturæ mala, ſic luxum & auaritiam dominantium tolerandam eſſe*, f quod congruit Senatus Romani ſententiæ, cum M. Liuii iram placare niteretur, *Vt parentū ſæuitiam, ſic patriæ (patiendo, ac ferendo,) leniendam eſſe*, g rectéq; Marcellus, *Bonos principes voto expetendos, qualeſcunq; tolerandos eſſe*. Et Claudius legatis Parthorum, *Ferenda regum ingenia, neq; vſui crebras mutationes*.[h] Sed multorum natura ea eſt, vt nullius dominatu contenti ſunt: & vix principem obtinuerunt, cum faſtidiunt, alterumq; exoptant: quod malum ex ipſorū inſtabilitate potius, quam imperantium culpa exoritur. Neq; dicendum eſt, quia ſecundum libertatem dulcius eſt, quam ſub principe viuere, hanc eſſe mutationis cauſam; nam pleriq; Romanæ iuuentutis à regum iugo ad libertatem translati, adeo peruerſo animo extiterunt, vt per ipſos non ſteterit, quin patriam, parentes, templa Deum, & omnia prodiderint, quo ſuperbiſſimum vrbe exulantem regem reuocarent.[i] Neq; Iudæos excuſſo Pharaonis iugo recuperatæ libertatis ſero pœnituit.[k] Neq; vero excuſatione illa defenduntur, quod ſub tyranno ad honores virtuti debitos via non pateat, cum alibi oſtenderimus, etiam ſub malo principe poſſe quempiam honores, atq; autoritatem adipiſci.[l] Imo ingentis animi proprium eſt, cum virtutis iter ad gloriam intercludi nequeat, minus libenter huiuſmodi facinoribus conſentire: & qui ſapiūt, hæc, tanquam infames ſcopulos Acroceraunia fugiunt; in quos pauci illidunt, quin naufragentur. Poſſet mihi obiici, Me nunquam libertatē guſtauiſſe, ideo ſic diſſerere. Cui rei quid reſpondeam, habeo: Si enim libertas, vt rerum omnium precioſiſſima, recto vſui nō habeatur (non poteſt autem quiſquam recte ipſa vti, niſi viri virtute pręditi, quorum noſtra tempeſtate numerus diminutus eſt) ego quidem vnum malo, quam multos pati tyrannos, ſi tamen vnus ille tyrannidem exerceret. Verum hiſce diſputationibus omiſſis, ſi vlla toto orbe terrarum natio eſt, quę nullam habeat rebellandi occaſionem, ea Chriſtianorum natio eſt. Quæ non ſolum edocta fuit, vt ſuo iuſto ac legitimo domino obſequatur, & obtemperet; ſed etiam quoties ille improbus ac flagitioſus eſt, omnino præcipitur, vt patienter omnis ſeruitutis aſperitatem perferat,[m] quia nempe talem putare debemus eſſe Dei voluntatem, in cuius manu corda ſunt regnantium: Is autem cum, vt huiuſmodi principes regnent, perpetiatur, multo magis pati nos decet.

[i] Liu.l.2.
[k] Exod.c.16.
[l] lib.4.diſ.4.
[m] Petr.epiſt.1.c.2.

FINIS LIBRI DECIMI NONI.

SCIPIONIS AMIRATI

DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM

IN C. CORN. TACITVM,

LIBER VIGESIMVS.

Vtrum magiſtratus nominatim, an ſorte eligendi ſint.

DISCVRSVS I.

MAgnæ olim in Senatu diſputationes habitæ ſunt inter Heluidium Priſcum, & M. Eprium, an legati mittendi ad Veſpaſianum nominatim à magiſtratibus iuratis, an ſorte & vrna eligi deberent. Heluidius vrnam recuſabat, inquiens, *ſorte & vrna mores non diſcerni:* [a] addebatq; : *ſuffragia reperta, vt vniuſcuiuſq; vita, famaque ponderaretur: pertinere ad vtilitatem reipubl. pertinere ad Veſpaſiani honorem occurrere illi, quos innocentiſſimos Senatus habeat, qui honeſtis ſermonibus aures Imperatoris imbuant.* Marcellus autem allegabat, *vetera exempla ſortem legationibus ſapienter poſuiſſe, ne ambitioni, aut inimicitiis locus foret, & nihil eueniſſe, cur antiquitus inſtituta exoleſcerent:* & hinc etiam multa dicebantur, quæ facile eſt cuiq; in tam ancipiti argumento diſpicere. Modo, ſi huius finem iurgii diſpiciamus, dubium non eſt, quin

[a] *lib. 20.*

ſortem nos etiam preferre debeamus: at ſi, quis fuerit Heluidius, vniuſq; viri ſapientiam atq; prudentiam toti Senatui merito anteponendam fuiſſe, ſpectemus; eligendos eſſe legatos, cēſebimus. Verum quia propter priuatas ſimultates, quas Heluidius cū Marcello, à quo læſus fuerat, gerebat, aliquis affectus imputari poteſt, q̄ſtio hinc ambigua remanet, quid reip. magis expediat, vt ſorte, an electione magiſtratus creētur. Et meo quidem iudicio, tametſi cū electionis vocabulū profertur, aliquid magni poni videaƭ; tamen paruā ego differentiā inter electionis ac ſortis cōmoda conſtituerē. Vtq; me clarius explicem, hanc adſumo imaginē. Ex centū millibus hominum, quibus modo populū Florentinum conſtare puto, nō amplius, quam tria millia ciuium ad reip. gubernationē admittebantur; ſed ex his plurimi ægrotantes, abſentes, ac impediti ſi eximantur, vix duo millia erunt: ex quibus quia ſaltem quarta pars minorib. officiis fungebatur, compertum eſt, vix mille quingentos eos fuiſſe, qui ad maiora quædam officia idonei eſſent: at quia ciuitas in quatuor tribus diuiſa eſt, & neceſſe erat, nō vt confuſe, at per vices quęlibet tribus magiſtratum haberet: vni tantum tribui conſequenter Cōfallonerii dignitas, nō omnib. ciuitatis partibus debebatur: adeo vt ex mille quingentis ciuibus non plures, q̄ trecenti ſeptuaginta quinq; viri magiſtratus alicuius capaces eſſent. Et quoniā honor ille familiis ſingulis, non viritim debebatur, & familię in ſingulis tribubus ſeptuaginta erant, honor ille ſeptuaginta familiis, nō trecentis ſeptuaginta quinq; viris impertiendus erat; Rurſus quia in ſeptuageſimo numero pleriq; nondum ad legitimā ætatē, qua Confalloneriatū conſequerentur, peruenerāt, neq; omnes familiæ, etſi nobiles, tacito quodā conſenſu ad illam dignitatem admittebantur, quinimo aperte vetabantur: hinc manifeſte cernitur, ad quam arctum candidatorum numerum ea dignitas reducebatur. Quę cū ita ſe habeant, ſi recte iudicauerimus, quid refert, an ſorte an electione quis Iuſtitiæ Cōfallonerius fuerit? imo putarem ego, dū tot hominum vitia, & machinas, potentiam, amicitias, fauores, ambitus, ſimileſq; nequitias, quibus humanū genus infectum eſt, reſpicio; minus vrna & ſorte, quam electione peccari. Neq; ſolum Moyſes [b] & Ioſue, [c] poſſeſſiones ſorte partiti ſunt, ſed totum vetus teſtamentum ſortis exemplis abundat. Et ratio eſt, quia cum bona recte diuiſeris, & quoſdam excluſeris, cunctaq; bono conſilio ordinaueris, tunc vtilius, tutiuſque eſt, magiſtratuū creationem ſorti committere. Præterquam quod neq; is, qui eligitur, ideo ſuperbit, neq; prætermiſſus in deſperationem cadit, vel aduerſus quempiam odium concipit, videns ſcilicet, ſortem, non hominum iudicium electionis, ſiue repulſæ cauſam extitiſſe. Quamobrem admirandum non eſt, ſi contra Heluidii ſententiam in Senatu legati ad Veſpaſianum mittendi ſorte deſignati, non nominatim electi ſunt: item ſi olim *ſorte ducti, per quos redderentur bello rapta, quiq; æra legum vetuſtate delapſa noſcerent, figerentq;* [d] item ſi Valerius Naſo in prouinciam ſorte deligitur. [e] Neque S. Thomas hunc articulum diſcutiens, in temporalibus ac ciuilibus dignitatibus ſortes improbauit. [f]

[b] Numer. c. 26.
[c] Ioſue pr. per tot.
[d] lib. 20.
[e] lib. 4.
[f] in 2.2 quæſt. 95. ar. 8.

De delectu militum.

DISCVRSVS II.

CVm Vitellius ex Germania Romam acceſſiſſet, vt cum Othone de imperio decertaret, inter veteranorum cohortes pleroſq; calones, & lixas, & collectos è vicinis oppidis milites admiſcuit, vnde ipſius exercitus vocatur *nomen magis exercitus, quam robur.* [a] Sequiturq; : *ſegnem numerum armis enecauerat.* Etenim huiuſmodi multitudini arma oneri ſunt magis, quam tutelæ: quod à Liuio antea dictum fuerat : *opprimerentq, quidam onerati magis armis, quam tecti.* [b] Tales vt plurimum ſunt noſtrorum principum exercitus : nam cum, non niſi imminente periculo, conſcribantur, viliſſimis quibuſq; ex ſtabulis, ex culinis, ex tabernis conſcriptis, non exercitus colligitur, ſed vilis hominum, & ignauus numerus armis oneratur: vnde in hoc meo inſtituto animum appuli ad quædam de militum delectu, autore noſtro anſam mihi præbente, conſcribenda: exiſtimo enim delectum militum, veluti primum eſſe inter artis militaris elementa: in hoc autem argumento, ne quid amplius deſideretur, vtar aliorum etiam autorum teſtimoniis. Et quoniam nonnulli delectum magis in vna regione, quam in alia fieri debere, obſeruarunt: dico, cum principes non debeant aliunde, quam ex iis locis, quę ſuo dominatui ſubiecta ſunt, militum delectum agere, relicta de locis vicinioribus Soli, aut remotioribus diſputatione, [c] eo, quo fieri poteſt, modo faciendum eſſe : videmus enim à Romanis milites delectos fuiſſe in Galatia, in Cappadocia, [d] in Gallia Narbonenſi, in Africa, in Aſia, [e] in Germania apud Batauos, [f] in Thracia, [g] deniq; in omnibus, quæ orbi Romano parebant prouinciis. Neque defuit, qui hoc caſu culpam principibus, non ſitui, aut naturæ locorum imputandam eſſe, cenſuit, quod armis, militibusque propriis carcant. Et cum conſiderandum ſit : vnde vtilius milites, ex agro, an vrbe petantur, nullum dubium eſt, quin rure delecti aptiores habeantur, vtpote qui laboribus magis, minuſque laſciuiæ aſſuefacti. Ætas vt plurimum decem & ſeptem annorum militiæ idonea putatur: quam rem Vegetius barbæ lanugine innuere videtur. [h] Et Tacitus ante ipſam lanuginem. [i] Marius tyrones voluit altæ ſtaturæ, etſi corporis robur magis, quam ſpecies attendēda eſt. Hęc autem potiſſimum in tyronibus reſpicienda ſunt, oculorum alacritas, erecta ceruix, pectus amplū, humeri muſculorum pleni, digiti fortes, brachia longa, vēter paruus, femora aliquanto macra, crura, pedeſq; neruoſi, neq; carnoſi. [k] Ex artificibus autē, quoties profecti ætate aſſumuntur, nō deligendi ſunt piſcatores, aucupes, coqui, textores, balnearii, comœdi, & ſimiles artifices, rerum maximè ad voluptatem pertinentium : eligantur fabri, lignarii, laniſtæ, cęruorum & ferocium ferarum venatores, & ſimiles. [l] Vnde videtur, ſeditionis Germanicæ præcipuum autorem fuiſſe Percennium quendam ducem olim theatralium opearum,

[a] lib. 20.
[b] lib. 22.
[c] Veget. l. pr. c. 3
[d] Tac. lib. 13.
[e] lib. 16.
[f] lib. 20.
[g] lib. 4.
[h] Veget. ibid. 3. & 4.
[i] lib. 20
[k] veget. ibid. c.
[l] Veget. ibid.

[m] lib.pr. rarum, de quo autor: *procax lingua, & miſcere cœtus hiſtrionali ſtudio doctus.* [m] Quod ſi hæc corporis dotes in tyronibus commendantur, multo magis mores animi attendendi ſunt. Quod Tacitus non omiſit, dum voluntarios à delectis militibus ſecernit, & ore Tiberii delectus neceſſitatem adſtruit iis verbis: *ac ſi ſuppeditet, non eadem virtute, ac modeſtia agere: quia plerumq; inopes, ac vagi ſponte militiam ſumant.* [n] Ex quibus duæ ſunt adnotandæ conditiones, quæ in militibus requiruntur: ne inopes ſint, neu vagi. Præterea ſciendum eſt, delectum nationibus ſuapte natura grauem onneratum fuiſſe à ducibus, eorumque miniſtris, qui Germanorum iuuentutem ad delectum vocabant, ſenes, aut inualidos conquirendo, quos precio dimitterent: rurſus impuberes, ſed forma conſpicui ad ſtuprum trahebantur: [o] Thraces autem delectum recuſabant, ne inter diuerſas gentes ad bellum traherentur. [p] Alii vero delectum, tanquam rem ſibi inſolitam, & intolerandam, fugiebant, vt Corſi. [q] Vnde non raro hi delectus rebellionibus cauſas dederunt, vt alibi diximus. [r] Sæpe ipſis etiam Romanis acerbi fuerunt, ideoq; Manlius dictaturam depoſuit. [ſ] Quæ ego hactenus retuli, vt moneam, in his delectibus ſumma dexteritate procedendum eſſe, etſi noſtro ſeculo cum imperia nõ adeo ampla ſint, quemadmodum Romanum imperium erat, harum difficultatum plurimæ ceſſarent. Diximus, delectum eſſe primũ ſcientiæ bellicæ elementum. Oportet igitur huius elementi literas combinare, hoc eſt, milites ſimul iungere, & exercere; alioquin, vt initio ſcripſimus, fiet nomẽ magis exercitus, quam robur, totidemq; baiulos armis onerabimus. Inter primora militum exercitamenta vnum eſt ad ſonitum militaris tympani prodire in campum, & quinque horarum ſpatio viginti quinque millia paſſuum conficere: ſed quia Romana horologia ſemper nocturnas duodecim, totidemque diurnas horas, vt hyeme, ſic æſtate numerabant: ita ſupputare oportet, æſtiuas tres Romanorum horas quatuor ex noſtratibus compleuiſſe: vnde quinq; horæ fere ſeptem eſſent: adeo vt ex eo præcepto tria millia paſſuum ſingulis horis conficienda eſſent, totoque ſpatio abſoluenda viginti quatuor paſſuum millia: quodq; itineris excederet, curſus eſſet, cui menſura tribui non poteſt: Cum hac ambulatione curſus, & ſaltatio conſideranda eſt; quæ duæ res ad multa neceſſariæ ſunt, vt qui de illis ſcripſerunt, teſtantur, [t] item natatio, [u] ſcutum, gladiumque ſolito grauiorem tractare, diſcum iacere, [x] punctim, non cæſim ferire, [y] ſub armis pugnare, [z] iacere ſudes, marcibarbalos, tragulas, [a] ſagittare, [b] torquere fundas, [c] iacere plumbeas glandes. [d] Item in equum inſilire, [e] pondera ferre. [f] In quibus exercitationibus quiſquis ſe exercuerit, incredibile eſt, quanto poſt ſe interuallo rudes cæteri ab eo relinquantur. Igitur mirum ne videatur, Alexandrum Magnum triginta millibus peditum, paruoq; equitum numero ampliſſimum Perſarum regnũ occupauiſſe, & Romanos vnius vrbis virib. orbem terrarum domuiſſe. Quod iidẽ Romani optime cognoſcentes diſciplinã hanc ꝓpagare conabant̃, & pręmia, agroſq; iis, qui eã docerent, diſtribuebant, quemadmodũ ſingularis hac de re loc⁹ adnotandus eſt.

[n] lib. 4.
[o] lib. 20.
[p] lib. 4.
[q] lib. 18.
[r] lib. 4. diſc. pr.
[ſ] Liu. lib. 7.
[t] Veget. c. 10.
[u] cap. 11.
[x] c. 12.
[y] cap. 3.
[z] cap. ...
[a] cap.
[b] cap. 15.
[c] cap. 16.
[d] cap. 17.
[e] cap. 18.
[f] cap. 19.

dus eſt.

dus eſt in colonia Camaloduni: *id quo promptius veniret colonia Camalodunum valida veteranorum manu deducitur in agros captiuos; ſubſidium aduerſus rebelles, & imbuendis ſociis ad officia legum.* [g] Multa dici poſſent, quomodo milites vallum extruere debeant, [h] ne lapidibus vineæ, & corbes ad tormentorum defenſam impleantur, vt Nauarrini erratum eſt, [i] vbi locorum caſtra ponenda ſint, [k] quomodo in ſubitis periculis laxentur, ac contrahantur manipuli, [l] quoties in menſe ſe exerceant. [m] At quia hæc ad milites pertinent, & eadem ſigillatim pertractãtes artem bellicam docere videremur, oſtendiſſe ſufficiet, quæ in deligendis militibus Romanorum cura, & conſuetudo fuerit: quorum veſtigiis ſi inſiſtere vellemus, affirmo; nobis, qui charitatem Chriſtianam profitemur, faciliorem, atque compendioſiorem, quam Romanis, viam paratam fore. Hæc autem eſt, ad rem militarẽ exercendo pueros illos, qui alibi Innocentes, alibi Orphanelli, alibi Expoſiti nuncupantur: ex quibus, verbi gratia, ſi acciperentur quingenti, & bini ad curſum exercerentur, ſicuti curſores ducentos quinquaginta probatos, & bonos haberemus: ſic iterum hos combinando centum viginti quinque haberemus meliores, iterum ex iis paria faciendo ſexaginta duos optimos haberemus: quemadmodum ſimiliter fieret de luctatoribus, & aliis: quod exempli cauſa tantum dictum ſit. Quis neſcit, niſi ante decimum ſeptimum annum diſciplina incipiatur, fore, vt tyrones vſque ad vigeſimum primum nihil experientiæ acquirant? quod ſi pueri huiuſmodi ab anno decimo vſque ad quintum & decimum ad pulſum militaris tympani incedere, ſaltare, pondera proiicere, natare, & cætera, quæ diximus, edocerentur, incredibiliter proficerent, præſertim ſi cum corpore ſimul animus exerceatur ad patientiam, ad gloriæ cupidinem, ad fidelitatem, ad fortitudinem, & ſobrietatem, cunctaq; præcepta illa, quibus virtutum habitus acquiruntur. Non ignoro, de his cogitationibus noſtris multos multa dicturos: obiicient alii, nimios ſumptus faciendos, alii chimeras eſſe; addentes, non decere principes, vt ipſi fiant puerorum pædagogi; alii periculoſum eſſe, tot bellicoſos homines in ſinu ſuo educare, alii alia, vt ſolent verba effutire, qui ad pauca reſpiciunt, & qui apud Galbæ aures præfecto Laconi ſimiles ſunt; erat enim is *conſilii, quamuis egregii, quod non ipſe afferret, inimicus, & aduerſus peritos peruicax,* [n] neque deſunt, qui cogitata iſta riſuri ſint: quibus poſſem ego multis rationibus reſpondere, oſtendens, expenſam non adeo multam fore, ſecuritatem vero, gloriamque infinitam eſſe, modumque diſciplinæ admodum facilem: ſed cum ſimilibus hominibus ad autoritatem magis, quam ad rationem confugere malo, iiſque Turcarum Imperatorum exercitum proponere, qui non aliis artibus totius Aſiæ, maximarumque Africæ, & Europæ partium dominatum arripuerunt. Et nihilominus omnium virium ſuarum neruus, & ſumma conſiſtit in militum, quos Ianizzaros vocant, eo, quo docuimus modo, aut non multum abſimili educatorum millibus quatuordecim, aut quindecim. Non ea mihi mens erat, vt hoc argumentum fuſe adeo tractarem: at quoniam hic video totum ciuilis gubernationis pondus quieſcere, quia pax ſine belli artibus diutur-

[g] *Tac. lib. 12.*
[h] *Veget. c. 21.*
[i] *Co. Bicar. lib. 2.*
[k] *Veget. c. 22.*
[l] *ibid.*
[m] *ibid.*
[n] *Tac. lib. 17.*

na eſſe non poteſt, neque belli artes apteacquiruntur, niſi à teneris vngui lis, vt in cæteris artibus accidit, apprehendantur; non pigebit, in eodem gumento parumper adhuc immorari. Dico igitur, (ne putet quiſpiam, m Turcica diſciplina hoc documentum elicuiſſe) ab antiquiſſimis principi hunc eundem morem non ſine amplificatione ipſorum famæ, gloriæque v patum fuiſſe: quare Seſoſtri regi Ægyptiorum facile fuit præclariſſimas res g re, quia pater ipſius omnes Ægyptios pueros illius temporis educandos aſſu pſit,[o] primumque Philippum Macedonem pueris in ſuo regno nobilibus v fuiſſe; neq; id effeciſſe, proditū eſt aut ob ſuperbiam, aut quod ipſos contem ret, ſed quia ad res militares inſtruendos curabat, & otioſos, atque inertes ve menti odio proſequebatur: proinde verberibus excuti Aphtonetum iuſſit, qu propter ſitim agmen reliquiſſet, & ad vicinum hoſpitem potatum iuiſſet; Arc damum autem necari, quod ſub armis eſſe iuſſus, ea depoſuiſſet: At ne hic o ſpernatur; adnotandum eſt adoleſcentum cohortem illam à Philippo inſtitut vſque ad Perſei vltimi Philippi filii tempora conſeruatam, eiuſq; ſemper virt fuiſſe, vt victo Perſeo, Macedonia ſubacta, cunctiſq; collapſis, ſolus ille ordo, cohors permanſerit, regemque nunquam deſeruerit: *Pueri regii apud Macedo vocabantur principum liberi, ad miniſterium electi regis: ea cohors perſecuta regem gientem ne tum quidem abſcedebat, donec,* & quæ ſequuntur.[p] Veriſſimum eſt ag colarum præceptum, ſiue regula, meliorem eſſe agellum bene cultum, quam tiſſimum neglectum: quod idem prouerbium etiam pateſacit, expenſam n adeo multam, & [illegible]imeſcendam fore. Quis crederet, Mamaluchos non plu fuiſſe quam quinque mille? & in Parthico exercitu, qui M. Antonium fugauit, quo quinquaginta millia equitum erant, non fuiſſe plures, quam octingentos beros ſub optima diſciplina educatos, cæteris omnib. ſeruis exiſtẽtibus? & Spa tani adeo pauci fuerunt, vt interrogatus Agis, quot ipſi eſſent, ille ſubticens n merum, reſponderit, Tot eſſe, quot improbis expellendis ſufficerent. Et qu niam de hoc ſæpe vexabantur, Ariſto eidem interrogationi reſpondit, Tot eſ quot hoſtibus vincendis ſufficerent.[q] Item alius, Permulti videbuntur, ſi cu illis pugnaueris. Alexander dum orbis imperium affectaret, inſtar patris Seſoſt ad exercitationes, quas recenſuimus, triginta mille pueros educandos curau Igitur tu princeps, quo imperium tuum conſerues, iube, vt ſaltem decem mi educentur. Vellem, & poſſem pleraq; ad hanc rem afferre, ſed vt profutura ſi vereor, quia, dum neceſſitas non vrget, conſilia iſtiuſmodi nihili ſiunt; vrgen autem, ſerum auxilium afferunt. Quod ſi quis ſibi perſuadeat, quia collectiti milites habet, exercitum ſe poſſidere, longe is fallitur; & in eo errore verſatur, quo olim Vitellius; dum ſtudiis militum, & clamoribus populi arma poſcen refouebatur, dumque *vulgus ignauum, & nihil vltra verba auſurum falſa ſpecie exe citus, & legiones appellabat,*[r] conſultabat I. Tutor Romanorum perduellio b lum celerandum eſſe; contatione creſcere rem Romanam, affirmabat, cocu tibus vndique exercitibus, addebatque inter cæteras rationes, *nec ſubitum mil*

[o] *Diod. Sic. l. 2*

[p] *Liu. lib. 45.*

[q] *Plut. inter apoph.*

[r] *Tac. l. 19.*

ten

tem, ſed veterem, expertumq; belli.[f] Maxime omnium ſciebat, vtpote militiæ gnarus, quid veteres, & experti milites à ſubitis differrent. [f] lib. 20.

Imbellem turbam in arces recipiendam non eſſe: & nonnulla ad ipſarum cuſtodiam pertinentia monita.

DISCVRSVS III.

MEmini, me, cum puer eſſem, audiuiſſe, cuſtodem arcis Lupiarum, patriæ meæ, valde improbari, quod, inualeſcente quadam de Turcarum aduentu ſuſpicione, in arce pueros, ac mulieres, ſeneſque ſuſcepiſſet, impiaque mihi tunc res videbatur, vt inde ille vituperaretur, vnde laudes eum expectare, decebat. Et nihilominus animaduerti deinde, hanc vituperationem ab hominibus militaribus merito profectam fuiſſe: quia recepta imbellium multitudine, niſi alius ſequeretur error, illa alimenta, quæ pro arcis defenſoribus reſeruanda erant, ab inutilibus hominibus conſumuntur; quod tanto magis deteſtandum eſt, quo minor adeſt copia commeatuum. Quæ res fuit in cauſa, cur Ciuilis ſimul cum cæteris, qui defecerant, animos aſſumeret ad obſidenda, & capienda caſtra Romanorum, *haud ignari paucorum dierum ineſſe alimenta, & multum imbellis turbæ.*[a] Et clarius hoc apparuit, cum Romani Heracleam ceperunt: nam cum Ætoli ad arcem confugiſſent, vbi aliquantiſper ſuſtentare ſe poterant, tamen deficientibus alimentis propter multitudinem puerorum, ac mulierum, imbelliſque turbæ, quā admiſerant, deditionis conſilium ceperunt: *vtpote congregatis fœminis, & imbelli alia turba in arcem, quæ vix capere, nedum tueri multitudinē tantam poſſet.*[b] Quid igitur, dicet aliquis, agendum eſt? Niſi volueris in arcem recipere ſenes, pueros, fœminas, prædæne hoſtium exponendi tibi videntur? Si tibi Romanorum exēplo reſpondero, huius me ſententiæ eſſe, minus ægre feres. Vrbs à Gallis occupata erat, militeſq; illi, qui ſupererant, rebus conquiſitis, quaſcunq; poterant, ad arcem confugerant; ſenes vero ſua ſponte in vrbe remanſerant, *ne iis corporibus, quibus non arma ferre, non tueri patriam poſſent, onerarent inopiam armatorū.*[c] Verum eſt, quaſdam mulieres ſuos ſecutas fuiſſe viros, ſed notandum quoque, quod inquit autor, *nec prohibente vllo, nec vocante.* Ex quo loco illud intelligimus; tot venerādos ſenes, qui Coſs. fuerant, & triumphos duxerant, mori non recuſauiſſe, pro charitate patriæ, quā iuuenū viribus ſeruari poſſe, ſperabant, ſicuti ſeruata eſt. Quod ſi id Romæ actū fuit, vbi arx nulli cuſtodi, aut præfecto ſuberat, & libertas vigebat, ſinguliq; tantundē poterāt, videat, quid ſibi hodie præſtandū ſit, cui à ſuo principe arcis alicuius ſimpliciter, nullius alterius rei habito reſpectu, cura, & cuſtodia cōmiſſa eſt. Verūtamē ſi error eſt, imbellē turbā ſuſcipere, forte nō min⁹, imo grauius, ac periculoſi⁹ peccatū fuerit admittere milites, q̄ numero, ac virtute tuis mi-

[a] Tac. lib. 20.

[b] Liu. l. 36.

[c] lib. 38.

militibus ſuperiores, arcis dominatum ſibi arrogare poſſint, vt poſt necem D
cis Alexandri accidit Florentię Caſtellano, qui hoc pacto Vitellii opera arce ſp
[d] Hadr. lib. 1. liatus fuit.[d] Non ita ſe geſſit Cæſar Cauanilia Liburnicæ arcis præfectus, cui c
ſi M. Dux Franciſcus iuſſiſſet, vt Proregi Neapolitano præternauiganti omn
liberalitatis, atque humanitatis officia præſtaret, & arcem, ſi vellet, prompte
ſtenderet, Cæſar, qui ſolertiſſimi ingenii erat, militum Italorum cohortem pri
introduxit, neq; ideo omiſit Proregi nuntiare, vt quã minimis ſequacium imp
dimentis ad arcem ne grauaretur accedere; neque præterea erubuit, cum ven
ſet ei dicere, ne vllam, de iis, quæ nuntiauerat, admirationem caperet: propter
quod acceperat à maioribus, quoties arx alicui committeretur, moris olim fu
ſe, vt præfectis arcium ſimul cum præfectura pellis aſinina, quam induerent
traderetur: innuens, ad præfectos eiuſmodi non pertinere, vt inanibus offici
operam dent, ſed id vnum cauere debere, ne quid infortunii ſibi contingat. V
que ea, quæ dico, in animis vniuſcuiuſque melius figantur, Pyrrhi Epirotaru
regis conſilium in memoriam reuocandum eſt: qui, vbi Athenienſibus grati
egit, quod ſibi arcem patere voluiſſent, non prætermiſit eos commonefacere,
ſaperẽt, ne poſthac regi cuiquã ipſam aperirent. Modo aliqua ad hoc argument
accumulabo, non vt nouũ quid afferã, ſed vt antiquorũ autoritate illa confirm
quæ in vſu habemus, aut ſaltẽ è re noſtra eſt, vt habeamus. Ac primũ meminer
quicunq; cum aliqua natione nõ bene conſentit, eiuſdẽ nationis milites in arc
nõ recipere, nam quia naturaliter omnes magis noſtros, quã alienos diligimus
facile fieri poteſt, vt aliquis ex iis, qui pro te militat, tibi aliquãdo populares ſuo
præferat, dicente Liuio, Leucadis expugnationem diutius ſpem Romanorun
extracturam fuiſſe, *ni exules quidam Italici generis Leucade habitantes ab arce milite*
[e] Liu. l. 38. *accepiſſent.*[e] In arcibus ea cuſtodum multitudo, quæ loci amplitudini conuenit
neque minor habenda eſt: nam hoſtis male cuſtodiri arcem, præſentiens, eam
facilius aggredietur, & fortunam, quæ plerunque exitu non caritura eſt, citiu
tentabit, quam ſi cuſtodibus plenam eſſe, intelligat; quemadmodum Argiui Ar
chippo duce Lacedæmonum præſidium expulerunt, *contempta paucitate eorum*
[f] lib. 34. *qui in arce erant.*[f] Et Caruentana arx ab exercitu Romano deſertis, qui in præſi
dio erant, recepta eſt, quia *prædatores ex præſidio per negligentiam dilapſi, occaſionen*
[g] lib. 4. *aperuere ad inuadendum.*[g] Vigilãtiſſimis oculis Caſtellanus omnes, qui in ſua arc
concluduntur, numeret, recenſeatque, neq; humilem, & abiectum licet, quem-
quam aſpernetur: ab huiuſmodi enim hominibus maius periculum imminer
poteſt. Et certum eſt, Romanos nunquam Artenæ Volſcorum oppidi arcem
capturos fuiſſe, quia ſatis præſidii habebat, & omne frumentum publicum in il-
lam conuectum erat, *tædioque receſſum inde foret, niſi ſeruus Romanis arcem pro-*
[h] lib. 4. in fin. *didiſſet.*[h] Arces locum vicinum ſibi noxium non habeant; eſſe enim puerilis er-
ror ipſam ibi collocare, quemadmodum ſic Heraclea ſita erat; vt vicino mont
obnoxia eſſet; *adeo prope geminata cacumina eorum montium ſunt, vt ex vertice alte-*
[i] lib 36. *ro coniici tela in arcem poſſent.*[i] Qui incautus eſt, facile arcem amittere poteſt e

ipſ

ipſo tempore, cum principis mors, nouumq; principem regnum occupaſſe nunciatur, idq; ea potiſſimum de cauſa, vt ſucceſſori beneuolentia, & intempeſtiua fides exhibeatur, cum interim periculum ſit, ne erga principem adhuc viuentem fides frangatur. Igitur arcis præfecto deditio maturãda non eſt, quia, cum ſucceſſor viderit, illum more, fideq; militari egiſſe, niſi deſipiat, eum diliget, quod iure egerit. Hinc Eumenes, ab inſidiis latronum ex ictu lapidum creditus mortuus, mox Attalo fratri vxoris petendæ præmaturam feſtinationem obiecit: *nam & cum vxore fratris, & præfecto arci, tanquam iam haud dubius regni hæres eſt locutus.*[k] k lib.42.

Quiſquis arcem cuſtodit, milites ſuos frequẽter erumpere, ne patiatur; propterea quod decem ex obſidentibus mortui non exæquaturi ſunt damnum vnius obſeſſorum, illi enim quotidie ſupplentur, hi vero hac ſpe fruſtrantur. Annibal cum Tarentinos à Romanis, qui arcem tenebant, tutos reddere vellet, vallo vrbem ab arce interſepire ſtatuit, *non ſine vlla etiam ſpe* (vt Liuius teſtatur) *cum prohibentibus opus Romanis manum poſſe conſeri.* Quæ autem ſequuntur magni ſunt momenti ad præceptum, quod dedimus, conſtabiliendum: *&, ſi ferocius procurriſſent, magna cæde ita attenuari præſidii vires, vt facile per ſe ipſi Tarentini vrbem ab iis tueri poſſent.*[l] l lib.24.

De moribus, & natura vulgi.

DISCVRSVS IV.

PLato ingenti beſtiæ vulgum aſſimilat,[a] cuius beſtię mores noſcere neceſſe eſt, vt quotidie cum ea verſantes, quibus modis abſque damno regenda ſit, non ignoretur: quorum morum imaginem prudentiſſimus autor noſter egregiam vbiq; præ ſe fert. Eiuſmodi igitur eſt hæc beſtia, etſi robuſtiſſima, vt ſine duce iners, inconſiderata, horribilis comperiatur, *vt eſt vulgus ſine rectore præceps, pauidum, ſocors.*[b] Cui ſimile, quod alibi dixit: *nihil in vulgo modicum: terrere, ni paueant: vbi pertimuerint, impune contemni.*[c] Quæ vulgi natura iis, qui Druſum comitabantur, ſtipabantque, ſatis explorata;, effecit, vt conſulerent, *fortioribus remediis agendum.* Sane vulgus inconſtans eſt, nihil habet ſoliditatis, vt ſenſit Georgius Scalius, qui tarde nimis intellexit, fidem ſe adiunxiſſe populo, voces, actus omnes, & ſuſpiciones commouenti, atque corrumpenti: & apud autorem noſtrum obſeruare eſt, cum idem vulgus paullo antea ciuitatis Heluetiorũ excidium poſceret, Claudii Coſſi ſuadela mitigari; *vt eſt mos vulgo mutabili ſubitis, & tam prono in miſericordiam: quam immodicum ſæuitia fuerat.*[d] Eſt vulgus otioſa beſtia, quæ verum à falſo non diſcernit; ideo cum de Imperatoribus diſſerit, eos forma, & decore corporis comparat; vt Neronem eſſe Galba pulchriorem,[e] quaſi pulchritudo, aut turpitudo ad artem recte imperandi pertineret. Hæc beſtia frenanda eſt, nulla enim rerum nouarum cupidior. Et optime à natura proſpectum habemus, dum vulgus imbecillo finxit ingenio: male enim ageretur cum genere humano, ſi ipſe ſibi ſciret moderari. Vnde exiſtimare poſſumus, naturam perinde in vulgo effe-

a lib.6. de rep.
b Tac. l.20.
c lib.1.
d lib.17.
e lib.17.

ciſſe, vt in animantibus, quæ hominum generi noxia ſunt, hæc enim infœcundiora, quemadmodum innoxia fœcundiſſima eſſe voluit. Vulgo omnia facile perſuadentur: *vulgus credulum.*[f] Habet etiam hoc peculiare vitium, eſtq; hic *mos vulgi, ſuum quiſque flagitium aliis obiectantes.*[g] Quod ſi nonnihil calamitatis in ciuitate acciderit, extemplo in gubernantes culpam coniicit, *qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes,*[h] ad ſummam peioribus intentum eſt, & *ad deteriora promptum,*[i] *cupiens voluptatum, & ſi eodem princeps trahat, lætum.*[k] *Non eſt,* inquit Cicero, *conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia.*[l] Sed ante omnes notabilis eſt Liuii ſententia: *hæc,* inquit, *natura multitudinis eſt, aut ſeruit humiliter, aut ſuperbe dominatur; libertatem, quæ media eſt, nec ſpernere modice, nec habere ſciunt.*[m] Et alibi Scipionis ore inquit, *Multitudo omnis, ſicut natura maris, per ſe immobilis eſt, vt venti & auræ cient, aut tranquilli, aut procelloſi.*[n] Contra quam ſententiam eſt, qui nititur probare multitudinem ſapientiorem, & conſtantiorem eſſe, quam princeps ſit: de qua ſententia (ni fallor) confuſe diſputat: nam ſi recte diſtinxerat, dicens Liuium intelligere de multitudine concitata; quid neceſſe erat, profiteri, ſuſcipi à ſe duram humeris ſuis prouinciam? quod ſi diſtinctione illa omnem ſolutam eſſe dubitationem putabat, cui bono in fine diſcurſus repetiit, Nolle ſe, vt Liuiana ſibi ſententia apponatur. Veruntamen ſi hoc ita ſe habet, regiam dominationem inter genera reip. præſtantiorem eſſe, vtpote quæ minoribus vitiis vrgeatur: erit igitur falſum, ſapientiorem principe, atque conſtantiorem eſſe multitudinem: quia ſi ambo in bonitate æquali ponantur, princeps opem & auxilium multitudinis habet, hoc eſt, conſiliarios, à quibus conſilium mutuatur; neque vero à trepidatione, atq; contatione multitudinis impeditur, quippe qui deliberandi poteſtatem habet; Multitudo autem, dum vnius dominatum, & decreta refugit, maiorem in deliberationibus ſuis difficultatem experitur. Quod ſi ille diceret, res geſtas populi Romani quam principis cuiuſcunque maiores, ac prudentiores fuiſſe: id ſi modo ita eſſet; magis eueniſſe credendum eſt, quia Romani in reges, & tempora æqualium virtutum, quibus ipſi præſtabant, non inciderunt, quam quod populi in vniuerſum ſapientiores ſint rege. Sed ad rem noſtram redeuntes, concludamus, vulgus monſtrum eſſe horrendum ingens, cui lumen ademptum, leue, ignauum, timidum, præceps, rerum nouarum cupidum, ingratum, & in ſumma, abſque vllo virtutum commercio vitiorum mixturam.

[f] lib. 18.
[g] ibid.
[h] lib. 4.
[i] lib. 15.
[k] lib. 14.
[l] In orat. pro Planc.
[m] lib. 24.
[n] lib. 28.

De nonnullis grauiſſimis decretis Populi Romani.

DISCVRSVS V.

IVre merito Romani maximas in re bellica ſibi laudes quæſiuerunt: cunctis etenim ea in re nationibus, quæ ipſos anteceſſerunt, præcelluere; & poſtquam

eorum imperium intercidit, nulla gens, nulluſque populus ad geſta ipſorum, ne longo quidem interuallo accedere potuit. Proinde iuuat me quædam admirabili grauitate conſpicua ſenatuſconſulta repetere, non modo vt pateat quantum in repub. valuerint, ſed vt iis, qui in præſentia rerum gubernationem adminiſtrant, præmonſtrem, quo pacto eorum veſtigiis inhærendo, pleriſq; in occaſionibus ſeſe gerere valeant. Senenſes Romanum quendam Senatorem illac tranſeuntem turpiter illuſerant: quippe cum multitudo pugnis, vt modo etiam morem eundem retinet, excuſſerat: nec finem hic poſuerat iniuriæ: querebatur Senator, *planctum, & lamenta, & ſupremorum imaginem præſenti ſibi circumdata:* Vocati, qui arguebantur: & agnita cauſa, in conuictos vindicatum: *additumque ſenatuſconſultum, quo Senenſium plebs modeſtia admoneretur:* hæc autem cognitio appellatur ab autore, *ſecundum veterem morem*, [a] quia canam illam, ac reuerendam antiquitatem redolebat. Sed rideret forte aliquis, ſi principum decretum, aut reſcriptum huiuſmodi audiret. Apud antiquos moris erat, cum inuicem iraſcerentur, & amicitias diſſoluturi eſſent, non ferro, inſultibuſve rixas, & iurgia componere, ſed iubere, ne domum ſuam accederent; & hic finis gratiæ ponebatur. Quod Tiberius ad Senatum miſſis literis diſſeruit, ſe repetiſſe in Labeone, qui ſponte ſe occiderat, vt culpam qua male adminiſtratæ prouinciæ vrgebatur, inuidia velaret: *morem fuiſſe maioribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo*, [b] eundemque morem antea ſeruauerat Auguſtus erga Decium Syllanum amicum ſuum, in quem filiæ adulterum *non vltra ſæuitum, quam vt amicitia Cæſaris* prohiberetur.[c] Hæc autem bina Auguſti, & Tiberii decreta notare libuit, quia ſecundum veterem Romanorum morem edita, tot annis ſtabilita, & quamuis non ſcriptis, tamen tacito Populi Romani conſenſu approbata fuerunt. At ſi vllum mirabile vnquam decretum fuit, illud profecto Valeriæ legis longe videtur admiratione digniſſimum: nam cum ea lex olim, ciuem Romanum, qui alterum iniuria prouocaſſet, virgis cædi, ſecurique necari, vetuiſſet; ſi quis aduerſus ea feciſſet, *nihil vltra quam improbe factum, adiecit.*[d] Idcirco iure Liuius admirabundus ſubiungit, *Id (qui tum pudor hominum erat) viſum credo vinculum ſatis validum legis.* Quæ lex promulgata anno vrbis 453. perſimilis eſt huic admonitioni, quæ Senenſi coloniæ facta eſt ſub imperio Veſpaſiani, iam tranſactis annis vrbis 820. ne quis ſibi perſuadeat, antiquos mores, atque conſuetudines, corruptis ſeculis, aliquando repetendas non eſſe. Si me bene explicauero, fortaſſe non fruſtra hæc collegiſſe videbor. Separatim agam de iniuriarum obliuiſcendarum decreto, quod imitatus Athenienſes Cicero in rep. Romana propoſuit.[e] Alibi de oſtraciſmo diſputatum eſt.[f] Modo de quodam decreto non decreto, hoc eſt, quod ſilentio inuolutum fuit, vimq; ſuam obtinet in ſilentio, dicendum ſupereſt; quod non minoris, quam quę retulimus, æſtimandũ videtur. Romani vrgente Annibali bello, auxilia à triginta coloniis, quæ Romæ ſuos legatos habebãt, petierant: ex quib. coloniæ duodecim *negauerunt Conſulibus, eſſe, vnde milites, pecuniamq; darent:* cæterę communi patriæ ſe ſup-

[a] lib. 20.
[b] lib. 5.
[c] lib. 3.
[d] Liu. l. 10.
[e] lib. 20. diſ. 8.
[f] lib. 13. diſc. 3.

petias laturas, & *ad id ſibi neq; opes deeſſe, animum etiam ſupereſſe*, reſponderant: quibus Senatus, quam poterat honoratiſſimo decreto, gratias egit. Duodecim aliarum coloniarum, quæ detrectauerant imperium, mentionem fieri, patres vetuerunt, neq; illarum legatoſ dimitti, neq; retineri, neque appellari a Conſulibus, *ea tacita caſtigatio maxime ex dignitate Populi Romani viſa eſt.*[g] Ex quibus, quoties opus fuerit, tanquam ſingularibus, neq; vulgatis exemplis, poterit vnuſquiſq; mirifica prudentiæ decreta in rebus gerendis elicere. Verbi gratia, Romanus Pontifex, vt hoſtium iniurias vindicet, duo tenet arma, ſpiritualia, ac tēporalia: & certum eſt, perinde vt ſeſe occaſio obtulerit, alterutris vſurum eſſe: ſed cum accidere poſſit, vt vtriſque abſtinendum eſſe, putet, poterit forſan exemplum Auguſti, ac Tiberii imitari, & reis amicitia dirempta, interdicere domo iis fere verbis, Quoniam hi, vel illi populi pollicitis Romano Pontifici præſtitis non ſteterunt, vel quia ſceleſtorum hominum amicitiā eius amicitiæ prapoſuerunt, in hoc Iudæorum genus ſequentes, qui Barabam, quam Chriſtum ſaluum eſſe, maluerunt: vel alias cauſas allegando: idem Pontifex acrioribus cæteris pœnis, quæ ſuppeterēt, omiſſis, in præſentia eorum amicitia abſtinere contentus eſt, ideoque iis domo ſua, ciuitatibus, portubus ſuis interdicit, &c. Quod ſi id non eſſe ſatis, putaretur, alterum illud adiungi poſſet, *Improbe factum.* Quod ſi hoc nimium videatur, addatur monitum, vt olim Senenſibus: Si autem peccata miſeratione digna fuerint, obliuioni tradantur, neque inueſtigentur, vt diſputatum eſt alibi.[h] Hæc enim omnia decreta, ſiue conſilia rebus agendis adaptantur. Silentio autem vtendum non eſt, niſi cum vindicandi tempus expectatur, vt Romani egerunt, dum, bello peracto, contumaces duodecim colonias, duplicato delectu, ac ſummo rigore mulctarunt.[i]

[g] lib. 27.
[h] lib. 2. diſ. 8.
[i] Liu. l. 29.

Diſcordias domeſticas principibus valde perículoſas eſſe.

DISCVRSVS VI.

VErba quidem Tito digniſſima illa ſunt, quæ, Veſpaſianum, patrem, tunc Domitiano iratum; quod terminos ætatis, & conceſſa filio egrederetur, alloquens, dixit: *Non legiones, non claſſes perinde firma imperii munimenta, quam numerus liberorum: nam amicos tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus imminui, transferri, deſinere: ſuum cuique ſanguinem indiſcretum: ſed maxime principibus, quorum proſperis & alii fruantur; aduerſa ad iunctiſſimos pertineant: ne fratribus quidem manſuram concordiam, ni pater exemplum prabuiſſet.*[a] Beati principes, ſi verba hæc ab optimo viro, qui humani generis deliciæ appellatus eſt, prolata, memoriæ mandarent. Salluſtius de Iugurthino bello haud diſſimilia verba in ore Micipſæ Numidiæ regis collocauit: *Non exercitus, neque theſauri præſidia regni*

[a] lib. 20.

ſunt.

ſunt, verum amici, quos neq; armis cogere, neq; auro parare queas: officio, & fide pariuntur: quis autem amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum inuenies, ſi tuis hoſtis fueris? Hanc orationem adhuc longiorem Seuerus Imperator, vt Ælius Spartianus teſtatur, grauiſſimo oppreſſus morbo, maiori ſuo filio miſit, vt cum fratre concordiam, ac beneuolentiam retineret: adeo apud poſteritatem valent maximorum virorum exempla ab excellentiſſimis ſcriptoribus immortalitati conſecrata. Quamobrem ſi Micipſa, & Seuerus filiis, ſi Titus patri hæc præcepta ſuggeſſerunt; ſi Tacitus & Salluſtius hiſtoriis ea conſignauerunt, ſi ego tui beneficii cauſa eadem collegi; ne te, qui legis, pigeat ea multifacere, & in vſu habere: Sic enim tuo regno ac domui munimenta, ac propugnacula exſtruxeris validiſſima, maxime ſi animaduerteris, maiorem illorum partem, quia præcepta ea non obſeruauerunt, in maximas calamitates incidiſſe. Quod ſi præceptis poetarum auſcultandum eſt, haud iniuria Polinicem ad matrem dixiſſe, animaduerteremus, Quam miſerum eſt, inter ſanguine coniunctos, odium, & quam ægre redeunt in gratiam. [b] Nobile Syriorum regnum non aliam ob cauſam excidium perpeſſum eſt, quam propter mutua fratrum odia, vt narrat Iuſtinus, ſicq; pedetentim ob diſcordias coniunctorum regum Oriens in poteſtatem Romanorum deuenit.[c] Contra, cum Demetrius ex venatione rediens Antigonum patrem coram legatis quibuſdam oſculatus fuiſſet, in fine tractationis illius pater ad legatos cōuerſus, Redite, inquit, veſtriſq; dominis amorem, qui mihi cum Demetrio intercedit, nuntiate: quaſi, ſubdit Plutarchus, oſtendere vellet, mutuam illam beneuolentiam regni præſidium, ſuæq; magnitudinis teſtimonium eſſe. [d] Philippus huius Demetrii pronepos cum Demetrium, & Perſeum filios ſuos minime concordes cerneret, hæc illis inter cætera multa dixit, *Iam hos Eumenem, Attalumque fratres à quam exiguis rebus, prope vt puderet regij nominis, mihi, Antiocho, & cuilibet regum huius ætatis nulla re magis, quam fraterna vnanimitate, regnum æquaſſe.* [e] Auguſtus vero cum careret filiis, & conſanguineis, eos adoptauit, & defunctos lachrymis proſecutus eſt, neq; vnquam eorum ſanguine ſibi manus cruentauit. Contra, Tiberius conſanguineis à natura munitus, maximam eorum partem è medio ſuſtulit, neq; per illum ſtetit, quin imperium Romanum, quod non diu in eius familia permanſit, ſucceſſoribus careret, cum ipſe & mater in Germanici mortem conſenſiſſe putentur. [f] Ipſe idem Tiberius propter imperandi negligentiam Seiano permiſit, vt Druſum veneno, poſtquam vxorem eius adulterio polluiſſet, extingueret, [g] ipſe Neronem in Pontia inſula, & Druſum in palatio fame mori iuſſit, [h] ambos Germanici filios. Igitur principes cauere, ac circumſpicere omnia debent, quoties filii, fratresve accuſantur: nam vt animi hominū multas latebras, multoſq; receſſus habent, ſic maximam oportet adhibere diligentiam in effugiendis improborum inſidiis. Quod præter illa, quæ ſupra attulimus, recenti exemplo fiet magis conſpicuum. Mehemetus Perſarum rex cum ab armis Amurathi Turcorum Imperatoris vehementer affligeretur, dumq; iterū hoſtem quaſi præ foribus haberet, aduerſus alterum ex filiis ſuis nomine Abaſ-

[b] *Eurip. in Fœniſſ.*
[c] *lib. 4.*
[d] *in vita Demetrii.*
[e] *Liu. l. 40.*
[f] *lib. 2.*
[g] *lib. 4.*
[h] *lib. 5.*

ſum arma capere coactus fuit, perſuaſus adhæc à ſuo Viſirio Salmaſſo, qui principis Emirhamze alterius filii ſocer erat: cauſa autem inteſtini belli, vt circumferebatur, ea erat, quia filius ad regnum adſpirans, titulum regis Perſarum iam vſurparet. Igitur parens viginti cum peditum, tum equitum millia ſecum ducens verſus Eri oppidum contendit, vbi Abaſſus morabatur, & ex itinere Satuar expugnauit, arcis illius duce capitis damnato, multiſque ducibus, & amicis Abaſſi necatis, Eri obſidione cinxit; filius vero cauſam, cur parens oppugnatum veniſſet, exquirens, & tandem reſciens; impetrato ſpatio, purgauit ſe eo crimine, & filio, ac parente innocentiſſimis vtroque repertis, fraus, ac mendacium Salmaſſi, qui regnum ſuo libitu adminiſtrare ambiebat, patefactum eſt: vnde periculoſiſſimo bello, dum Ferath Baſſa Turcorum dux aduentaret, tranſacto, Salmaſſo pœna, quam merebatur, decreta eſt. [i] Quam hiſtoriam fuſius ſolito recitare conſtitui, vt innoteſcat, nimis vera eſſe, quæ Tacitus, Salluſtius, Spartianus, Iuſtinus, Plutarchus & Liuius de domeſticis diſſidiis teſtata reliquerunt. Et omiſſis autorum teſtimoniis, ratio periculi, quod domeſticæ diſcordiæ ſecum ferunt, hæc eſt, quia plerique, qui præſertim reip. ſtatum faſtidientes, nunquam ex ſe ipſis, neque priuati cuiuſquam ope hoſtilem animum ſuum aduerſus principem indicare, ac patefacere auſuri eſſent, fratrem, nepotem, filiumve principis nacti, quem ſequantur, odio ſuo facile ſatisfaciunt: quo pacto defectionis notam ſubire ſibi non videntur, dum imperii conſortem, ſiue legitimum aſſertorem fouent. Hinc eſt, quod Turcæ nunquam contra domum Othomanam, niſi eiuſdem domus aliquo duce, arma capiunt. Idcirco ſapiens princeps, qui cum fratre diſcordias gerit, ſi remedium calamitatibus domeſticis opportunum adhibendum eſſe, putauerit, conſilium regis Perſarum contra Salmaſſum amplectatur, oſtendatque, ex miniſtrorum iniquitate, non ſuæ voluntatis inſtinctu, ſimultatem illam obortam eſſe.

[i] *Minadous de bello Perſico l. pr.*

Neceſſariam eſſe nouum condentibus imperium famam clementiæ.

DISCVRSVS VII.

VIrtutem ſolo ipſius amore colere oporteret, etiamſi nullum inde emolumentum in præſens, ſiue in poſterum emanaret. Verum iis, qui hac eſca difficile capiuntur, oſtendendum eſt, expedire, vt virtus colatur; ſi non ſui cauſa, at ſaltem damni vitandi, aut commodi alicuius conſequendi gratia: quæ ſi quis contemnat, inter bruta animantia, non inter homines connumerandus videtur. Hiſtorici, quorum partes, & præcipuum munus eſt principum virorum actiones examinare, nullam ob cauſam in ipſorum ſcriptis probant, improbant, monent, & alienos caſus enarrando alios docent, niſi vt *ne virtutes ſileantur*,

vtque paucis dictis, factisq; ex poſteritate, & infamiæ metus ſit. [a] Et quamquam clementia, vt principum virtus excellentiſſima, abſque iuſtitiæ detrimento ſemper exercenda eſſet: nihilominus iis præſertim, qui noui imperii limen ingrediuntur, eiuſdem clementiæ famam, & opinionem plurimi faciendã eſſe, docemur Claſſici, & Ciuilis exemplo: qui etſi ſæuitia ingenita, & cupidine prædæ ad excidiũ Coloniæ Agrippinenſis trahebãtur; tamen diripiendam non permiſerunt, quia *obſtabat ratio belli, & nouum regnum inchoantibus vtilis clementiæ fama.* [b] Cum vero Cappadoces in formam prouinciæ redacti fuiſſent, narrat Tacitus, quædam ex regiis tributis diminuta fuiſſe, *quo mitius Romanum imperium ſperaretur.* [c] Contrarium oſtendit in Mithradate, cui, vbi Claudius Armeniorum regnum, vnde expulſus fuerat, conceſſiſſet, crudelius aduerſum ſubditos egit, vnde autor vocat eum *atrociorem, quam nouo regno conduceret.* [d] Cuius malæ artis effectus, qui expectandus erat, cito conſecutus eſt: nam proditus à genero, & paullo poſt occiſus eſt, eique *vulgus duro imperio habitum, probra, & verbera intentabat.* [e] Multos ante annos in eundem Mithradatis errorem cecidit Roboam rex Iudæorum, qui in nouo principatu, quia erga ſubditos benignus, & clemens eſſe neglexit, regnum ſuum ex ampliſſimo minimum effecit, alioquin clementiæ artibus eius amplitudinem retenturus: hoc enim ſapientes illi ſenes, quos ad conſilium rex vocauerat, manſuetudinem admonentes, innuebant, *Si locutus fueris*, aiebant, *verba lenia erunt tibi ſerui cunctis diebus.* [f] Igitur in nouo imperio ſemper clementię fama vtiliſſima fuit, eamque ipſe Annibal quæſiuit apud Liuium, *vt fama clementiæ in principio rerum colligeretur.* [g] Item à Scipionibus, cum primum in Hiſpaniam peruenißent, [h] nec non ab Antiocho in oppido Scotuſſa, *quod eam rem magni momenti futuram rex ad conciliandos Lariſſæorum animos credebat.* [i] Et à Philippo cum Athamanis, vt eos alliceret ad ſe, & ab Antiocho diuelleret. [k] Verum mali principes, qui neq; virtutis amore, neq; electione, ſed neceſſitate hoc efficiunt, ad priſtinos mores cito redeunt, vt Vangio & Sido, expulſo patruo Vannio Sueuorum rege, *dum adipiſcerentur dominationis multa charitate, & maiore odio, poſtquã adepti ſunt.* [l] Et certe mirandum, quo modo homines viam illam, quam cum vtilitate ac laude ingreſſi erant, relinquentes, ancipitem alteram, ac periculoſam ingrediantur. Quod ſi quis diceret. Igitur aliquando aduerſus populum rigore, ac ſeueritate vtendum non eſt? reſpondeo, clementiam non fore clementiam, ſi iuſtitiæ detrahat. Nam quemadmodum liberalis viri eſt ei, qui meretur, non autẽ e, qui nihil meritus eſt, donare: ſic putandum eſt, cum iis tantũmodo, qui digni ſunt, clementer agendum eſſe. Tu princeps iure belli nouam prouinciã adeptus es: populi illi, vel quia libertate vtebantur, vel quia domini mutationem ægre ferebant, res ſuas acerrime defenderũt, dumq; repugnarent, tui exercitus partẽ interfecerũt: fuerunt in cauſa, vt theſauros erogaueris, tempora, & pleraq; alia, quæ accidit in bello, perdideris: tandẽ vi adacti, tibi ſeſe dedũt; debeſne, quia ſe acerrime tutati ſunt, ab iis ſeueriores pœnas exigere? Ecce quomodo his caſib. cognoſcitur, clementię locũ dandũ eſſe, vt virtus colatur: at ſi hoc virtutis cauſa negligis,

[a] Tac. lib. 3.
[b] lib. 20.
[c] lib. 2.
[d] lib. 11.
[e] lib. 12.
[f] 3. reg. c. 12.
[g] lib. 21.
[h] lib. 21.
[i] lib. 36.
[k] lib. 36.
[l] Tac. lib. 11.

vtilita-

vtilitatis gratia omnino efficiendum eſt, cum illud certo certius ſit, *id firmiſsimum imperium eſſe, quo obedientes gaudent*, [m] vtq; Priuernas ille dixit, *Si bonam dederitis pacem, & fidam, & perpetuam: ſi malam, haud diuturnam.* [n] Quoties morbi grauitas impellit, vt vratur, ſeceturve; nemo conſulet, vt ſæua clementia admoueatur: ſic in bello, eſt, vbi clementia exitium affert. Si quis toto orbe clementiæ laudem meritus eſt; equidem Cæſar clementiſſimus extitit, & nihilominus vt exemplum cæteris præberet, ad iuſtitiæ rigorem aliquando deflexit, præſertim cum Gutornatum verberibus exanimatum ſecuri feriri iuſſit. [o] Et cum hominibus Vxelloduni ob eorum pertinaciam, & ad reliquos exemplo ſupplicii deterrendos, manus præcidit. [p] Verum ab inſtituto noſtro paullum digreſſi ſumus, dum hoc diſcurſu de vtilitate clementiæ in nouis imperiis tractare polliciti, ad alia ſermonem fleximus: nihilominus dum ampliauimus magis argumentum, quam ab eo diuertimus, non inutilem forte operam nauauimus.

[m] Liu. lib. 8.
[n] Liu. lib. 8.
[o] lib. 8. de bello Gall.
[p] ibid.

De pulcherrimo temperamento, quo Græci ad iniurias ciuium obliuione delendas vtebantur.

DISCVRSVS VIII.

EGregia profecto herba fuit illa apud Homerum, nomine Nepenthes, quæ Helenæ ab vxore regis Ægyptii dono data, rerum omnium moleſtarum obliuionem inducebat. [a] Sed, vt ego ſentio, eius herbæ virtus longiſſimo interuallo diſtat ab eius conſilii ſalubritate, quod ad placandas ciuiles turbas, pacemque in ciuitate reducendam Athenienſes excogitauerunt: quem quidem populum ad hæc vſque noſtra tempora nullus vnquam populus, aut natio domeſticis, paciſque artibus, (vel prudentiam, vel humanitatem, vel morum ſuauitatem reſpicias) exſuperauit: Etenim conſiderantes, quibuſdam priuatis diſſidiis ob triginta virorum, qui in rempublic. inuaſerant, tyrannidem aliud nullum præ iniuriarum omnium obliuione adhiberi poſſe remedium; amneſtiæ legem retulerunt. [b] Sic Sanctus ille vir rogare Deum ſolitus erat, ne eius, aut parentum delicta reminiſceretur. [c] Nam cum Deus peccatoribus iraſcitur, minatur illis opprobrium ſempiternum, & ignominiam æternam, quæ nunquam obliuione delebitur. [d] Cicero, vir non modo ſumma doctrina exornatus, ſed etiam prudentiæ artibus inſignis, & pœnarum præterea, præmiorumque, eorumque omnium, quæ in republic. regenda opportuna ſunt, experientiſſimus, cum violenta Cæſaris mors in vrbe contigiſſet, & poſt ſeditiones, ac ciuiles aliquos tumultus pleraq; à Conſule Antonio de pace agitata fuiſſent, longa & improuiſa oratione Senatui perſuaſit, vt Athenienſium exemplo Cæſari, ac Cæſaris amicis illatæ iniuriæ obliuioni mandarentur, & prouinciæ Bruto, Caſ-

[a] Plin. l. 21. c. 21 l. 25. c. 2.
[b] Plutar. Polit.
[c] Tob. 3.
[d] Ierem. c. 23. in fine.

ſioque, eorumque ſociis decernerentur. [e] In bellis ciuilibus inter Vitellium & Veſpaſianum, cum primores Galli quidam defeciſſent, & nonnullas diuerſa ſpecie legiones in ſuam cauſam traxiſſent, Cerialis ſibi onus iras placandi ſumpſit, qui vel ſua fortuna, vel bono reipublic. Romanæ fato tumultuantes milites correxit, & ad leges militares audiendas induxit. Itaque legionum miſerabilis ob pœnitudinem cernebatur adſpectus. Stabant conſcientia flagitii mœſtæ, fixis in terram oculis: nulla inter coeuntes exercitus conſalutatio: neque ſolantibus, hortantibuſve reſponſa dabant, abditi per tentoria, & lucem ipſam vitantes: nec perinde periculum, aut metus, quam pudor, ac dedecus obſtupefecerat: attonitis etiam victoribus, qui vocem, precéſque adhibere non auſi, lachrymis, ac ſilentio veniam poſcebant. Cerialis autem ſagaciſſimus dux demulſit animos, *fato acta dictitans*, quæ militum, ducumve diſcordia, vel fraude hoſtium eueniſſent: Primum illum ſtipendiorum, & ſacramenti diem haberent: & per manipulos edictum eſt, *ne quis in certamine, iurgiove ſeditionem, aut cladem commilitoni obiectaret*: antea vero profeſſus fuerat: *priorum facinorum neque Imperatorem, neque ſe meminiſſe.* [f] Hæc ipſa in agendo dexteritas Scipioni mirum in modum placuit: nam contra deficientes milites teſtatus eſt, ſe, quæ feciſſent, vltra ne quidem exprobraturum eſſe, *atque vtinam*, inquit, *tam facile vos obliuiſcamini, quam ego obliuiſcar*, [g] & prius dixerat: *Auferat iſta obliuio, ſi poteſt: ſi non, vtcunque ſilentium tegat.* Sic Marcellus Ætolos hortatus eſt, vt bellum cauerent, *& obliuione præteritorum diſcordias finirent.* [h] Igitur maxima inter eos, qui peccant, differentia conſtituenda eſt, neq; mediocre peccati lenimen, & moderatio habetur pœnitentia; Cum autem principes clementiam erga noxios aliquos colunt, exercentque, id tantummodo animaduertant, vt illam non minus cum ſua dignitate, quam cũ ſecuritate noxiorum exerceant, taliq; remedio vtãtur, vt ſontes non modo ſe peccauiſſe, obliuiſcantur, ſed ſimul omnium in poſterum patrandorum facinorum (hic enim diſputationis noſtræ ſcopus eſt) memoriam abiiciant.

[e] Plut. in Cicer.

[f] lib. 20.

[g] Liu. lib. 28.

[h] lib. 42.

Quæ veræ ſint artes imperio populos regendi.

DISCVRSVS IX.

CÆcina dum cogitationes defectionis euolueret, exercitum nimia fortunæ indulgentia iam in luxuriam diſſolutum, & recenti torpore ſegnem ducebat: cuius rei cauſam inquirens autor, *Seu*, inquit, *perfidiam medianti infringere exercitus virtutem inter artes erat.* [a] Animaduerto ego, hanc eandem artem in vſu haberi noſtra tempeſtate, qua principum nonnulli inter cætera

[a] lib. 18.

tatis memorem, eiuſque recuperandæ cupidiſſimam reddidit. Neque minus errantii principes, qui Academiarum cœtus, ac ſocietates vetant, quas imo ſi ſaperent, aperire deberent, vt homines honeſtis illis delectationibus allecti honorum imagine amiſſam libertatem libentius tolerent. Plura dicturum me non putabam: Verum quia, quæ ſequentur, quonam ſub capite collocanda eſſent, vix ſcirem, addo; inter optimas regnandi artes illam egregiam eſſe, cum diuiſi populi ſimul conciliantur affinitatibus, perinde vt cernimus ſylueſtres plantas ramuſculis hortenſium plantarum inſertis propemodum cicurari. Quod Auguſtus ſolitus erat efficere; Is enim, vt ſcripſit Suetonius, reges ſocios etiam inter ſemetipſos neceſſitudinibus mutuis iunxit: promptiſſimus affinitatis cuiuſque, atque amicitiæ conciliator, ac fautor; nec aliter vniuerſos, quam membra, parteſque Imperii, curæ habuit. [m] Quod ipſum antiquæ pariter reipublic. ſtudium fuit, teſtante Liuio, Romanos multas cum Capuanis affinitates iniuiſſe. [n] Cum vero populum aliquem rebellionis reum caſtigare vellent, quod cum Latinis fecerunt, ipſis, ne cum ciuibus R. affinitates cõtraherent, interdicebant. [o] Et noſter autor coloniam Tarentum deductam improbat, quia *neque coniugiis ſuſcipiendis, neque alendis liberis ſueti orbas ſine poſteris domos relinquerent*. Ad hanc rem neque dici, neque excogitari quidquam poteſt elegantius, quam quod de Alexandro ſcripſit Plutarchus: nam Alexander inter Perſas Roxanam nobilem virginem vxorem cum duxiſſet, exemplum dedit, vt centum aliæ Perſæ mulieres totidem viris Græcis, & Macedonibus nuberent: & ſequitur, I modo, inſaniſſime Xerxes, Helleſpontum tot coniunge laboribus: ſic ſapientes reges Europam cum Aſia melius connectunt. [p] Ad quæ quoties mentem reflecto, maximam Philippo Hiſpaniarum regi noſtris temporibus deberi laudem, cenſeo, quod valde ſollicitus de Hiſpania cum Italia coniungenda, atque conſocianda, in eam curam præcipue incumbere videatur, vt nobiliores vtriuſq; prouinciæ familias mutuis affinitatibus copulet, commiſceatque.

[m] *cap. 48.*
[n] *lib. 8.*
[o]
[p] *Plut. de fort. & vir. Alex.*

Summa cura proſpiciendum eſſe, ne cuiuſquam principis potentia eo perueniat magnitudinis, vt cæteros poſſit opprimere.

DISCVRSVS X.

O*Ctingentorum annorum fortuna, diſciplinaque compages hæc coaluit; quæ conuelli ſine exitio conuellentium non poteſt.* [a] Binas ex hiſce verbis diſceptatiunculas inſtituemus; Prima erit, ne quis princeps adeo viribus augeri ſinatur, vt cæteros facilius opprimere queat: nam poſteaquam ſupra cæteros euectus fuerit, deprimi ſine deprimentium exitio non poteſt; Altera, Quicunque cum

[a] *lib. 20.*

poten

potentiore luctari pergit, cum nihil aliud agere, quam vt ſuam ſibi calamitatem acceleret: nam etiamſi vt hoſtem euertat, ei ſucceſſerit ex voto, tamen ipſe quoque hoſtilibus ruinis obtegatur, conteraturque, & pereat, neceſſe eſt. Et quod ad primam ſpectat, pulchrum eſt exemplum illud, quod de Ætolis Liuius refert; ad Antiochum legatos ab iis miſſos fuiſſe, qui milites, & pecuniam rogarent, addentes, ad regiam fidem, maieſtatemque pertinere, ſocios tueri, in quo eius regni ſalus agebatur, ne Romani Ætolis extinctis, omni cura ſoluti, in Aſiam totis viribus irruere valeant: ſubdit autor, *Vera erant, quæ dicebantur, eo magis regem mouerunt:* [b] Demetrius Illyriorum rex cum Philippo rege Macedonum eodem argumento vſus eſt iis verbis: *cuiuus quanto propius, nobiliuſque ſit regnum, tantum ſit Romanos acriores hoſtes habiturus.* [c] Perſeus Philippi filius vt regni, ſic odii aduerſus Romanos hæres, bellum imprudenter aggreſſus, poſtea pœnitentia ductus, Rhodiis ſe per legatos commendauit, vt ad curandam pacem cum Romanis autoritatem ſuam interponerent: quod ſi hoc non impetrarent; ſaltem *id agendum, ne omnium rerum ius, ac poteſtas ad vnum populum perueniat.* [d] Summus eſt orator neceſſitas, neque melius quiſquam locos ad perſuadendum appoſitos inuenire ſolet, quam ipſa eadem neceſſitas: Quoniam vero ad perſuadendum alicui, vt te defendat, locus peropportunus eſt, de ipſius periculo agi, oſtendere: ideo non minus, quam Ætoli cum Antiocho, Demetrius cum Philippo, Perſeus cum Rhodiis; etiam rex Ponti Mithridates Arſaci regi Parthorum conatur perſuadere, *Nunc quæſo,* inquiens, *conſidera, nobis oppreſſis, vtrum firmiorem te ad reſiſtendum, an finem belli futurum putes.* [e] Temporibus minus remotis hæc ars minime inexplorata fuit; principibus enim ſua pericula præteritarum rerum euenta demonſtrant: proinde Conſtantinopolitani Imperatores omnem nauarunt operam, quo Siciliæ regnum à regno Neapolitano diſiungeretur, & Gallis ereptum traderetur Aragonenſibus. Etenim probe nouerat Michael Paleologus, quantum ſua ipſius pericula, viribus Caroli regis nimium augeſcentibus, creſcerent. [f] Cum Vicecomitum Mediolani Ducum progenies defeciſſet, Coſmus Medices, qui tunc reipublicæ Florentinæ principem agebat, nihil intentius conatus eſt, quam vt imperium illud ad Venetos ne perueniret: quippe animaduertebat eos, ſine Ducatus illius poſſeſſione contineri vix potuiſſe, quin ad totius Italię dominatũ adſpirarent, quid ſi ad vires ſuas nobiliſſimus principatus acceſſiſſet? quem deinde cum Franciſcus Sfortia non minus conſilio, quam opibus Florentinorum adiutus obtinuiſſet, & Coſmus, & ſucceſſores ipſius hæreditariam hanc curam habuerũt, vt imperiũ illud apud Franciſci ſucceſſores conſeruaretur. Et ipſa experientia docet, quantum eorum intereret, qui tunc in Italia imperitabant, proſpicere, ne alter alterum viribus excederet, aut cuiuſcunque ope potentiam adaugeret: mortuo enim Laurentio Medice Coſmi nepote, qui omnium inter Aragones, & Sforcianos diſſidiorum perpetuus fuerat moderator, Ludouicus Sfortia Gallos in Italiam exitiabili ambitione accerſiuit. Qui Galli vbi ſuis viribus, & Ludouici auxiliis non minus Florentinis, quam Neapolitanis ingentia

[b] *Liu. lib. 36.*

[c] *Iuſtin. lib. 29.*

[d] *Liu. l. 42.*

[e] *Sall. in epiſt. Mith. ad Arſ.*

[f] *Io Villanius lib. 7. c. 57.*

damna intuliſſent, demum ipſius Ludouici excidio maturato, domoq; eius paucis poſt annis ſubuerſa, totam Italiam miſerandum in modum vexauerunt. Qua de re ob Mediolani Ducatum aſperis bellis exortis Leo Pontifex Laurentii filius, & Clemens Laurentii ex fratre nepos eo cogitationes, conatuſq; ſuos ambo intenderunt, vt Mediolani Ducatus vel in filiis Ludouici ſeruaretur, vel cuicunque alteri priuato concederetur, modo ne in manus Gallorum, aut Hiſpanorum deueniret, quorum ſingulorum potentia cum per ſeipſam magna, & Italis longe minoribus principibus extimeſcenda eſſet, his aucta viribus, intolerabilis euaſura putabatur. Quod ſi Ducatu Mediolanenſi in ditionem Hiſpanorum redacto, ac præterea Neapolitano, ac Siculo regno ſub eodem rege coniunctis, Italia eam oppreſſionem, quam verebatur, non ſenſit, imo plurimis ab hinc annis incredibili, & nunquam antea cognita felicitate potitur; hoc magis diuina bonitate, regumque illorum moderatione factum eſt, quam quod monitum, aut regula, Non eſſe permittendum, vt quilibet princeps adeo viribus cæteros emineat, vt in eius manu ſit ipſos opprimere, veritati parum conſentiat. Illud quoque verum eſt, cum Othomanorum domus imperium incredibiliter dilatauerit, expedire Chriſtianis, vt ex noſtra parte æqualis potentiæ Monarchia, quæ Turcis reſiſtere valeat, exſurgat. Quod ſi Hiſpani Romanam prudentiam æmulari maluerint (Romani enim autoritate, atque orbis patrocinio contenti, multis regibus ſua regna cum pace fruenda permiſerunt) imperium ſuum, ni fallor, tutum, ac validiſſimum non modo, ſed etiam amabile, ac reuerendum cunctis gentibus efficient.

Qui colliditur cum potentiore, ruinam ſibi accelerare.

DISCVRSVS XI.

SI vtile, ac ſalutare conſilium eſt, obſiſtere atque obniti, ne principis alicuius vires adeo excreſcant, vt, ſi libuerit, cæteros poſſit opprimere; nam hoc caſu tu quoque minore negotio peſſum ire potes: vtiliſſimum quidem erit, atque tutiſſimum, cum iam opibus ſupra cæteros fuerit auctus, ne cum illo lucteris, alioqui certo ruiturus, & mala illa celeraturus, quibus, dum tempori non inſeruis, à quo plurima beneficia emanare ſolent, immunis eſſe poſſes: nam inter cætera principes ad culmen euecti, libentius alios regnare permittunt; neque ignoras, Auguſtum teſtamento monuiſſe, vt intra terminos coerceretur imperium.[a] Potentiores autem nihil æque perturbat, & iniuria afficit, quam cum ab infirmioribus offenduntur. Qua de re conſultius nihil eſt, vt id criminis, & periculi effugias, quam ſi ob oculos tibi ponas, qualis opum magnitudo, atque autoritas eius viri ſit, quo cum decertare conſtituiſti. Quod ſi forte compagem al-

[a] lib. 1.

quam

quam inueneris, quæ octingentorum annorum ſpatio coaluerit, ſubduc inde te ipſum, alioqui fieri non poteſt, quin illius ruinæ te cooperiant. Nihilominus tamen dum lego, parantibus ſe Romanis, & Samnitibus ad prælium, aduenisſe legatos Tarentinos, denuntiantes vtriſque, vt *bellum omitterent, per vtros ſtetiſſet, quo minus diſcederetur ab armis, aduerſus eos ſe pro alteris pugnaturos.*[b] Idemque Rhodios cum Perſeo, & cum ipſis Romanis effeciſſe: & Hieronymum Cannenſem cladem illuſiſſe,[c] itidem Ætolos,[d] & Perſeum ipſum; item Treuiros,[e] non bene cognouiſſe, quibus cum negotium haberent: maxime verendum eſt, ne hac, vel quacunque alia tempeſtate in ſimiles errores ii principes incidant, qui ſuarum virium modulum neſcientes, potentioribus obſiſtunt, eorumque opes male metiuntur. Et quamquam conſideraret aliquis, non ſemper Romanos in ſumma illa octingentorum annorum fortuna fuiſſe: nam quo tempore Tarentini legatos, quos memorauimus, miſerunt, quadringentos & triginta circiter imperii annos abſoluerant, neque dum Italiam totam poſſidebant; dico, non eſſe luctandum cum potentiore, hoc etiã intelligi, quoties alterius diſciplina tuam antecellit, dicente Ceriali, *octingentorum annorum fortuna, diſciplinaque.* Qua in re, hoc eſt, in exæquanda alterius cum altero principe potentia, niſi ad particularia conſideranda deueniatur, quod viri prudentis officium eſt, vix fieri poteſt, quin errores capiantur. Igitur non tantum neceſſe eſt, tuos reditus cum illius reditibus comparare, ſed etiam atque etiam examinandum eſt, quantum inter ſuos, atq; illius populos interſit: vtri domino ſuo melius velint: vtri magis armorum genere polleant: quos amicos, ac fœderatos alteruter contendentium ſecum trahat: quomodo regio valida, munitaque ſit natura, aut arte: quæ tormentorum vis: cuiuſmodi commeatuum copia, vel inopia, & pleraque alia, quæ principem potentiorem, aut debiliorem reddunt. Ecquis non videt, quam exilis, tenuiſque ſit, ſi ad Turcas referatur, Melitenſis Religio? & nihilominus cum Turca inſulam illam aggreſſus fuiſſet, ſe ipſum quidem ipſe non peſſumdedit, quia vires eius propemodum immenſæ exiſtunt, ſed florentiſſimum ſuum exercitum maxima ex parte internecioni expoſuit. Et quamquam exemplum hoc minime probat, quæ probata eſſe, cupimus, non eſſe ſcilicet cum ſuperiore eluctandum, ne ipſi nobis excidium maturemus: attamen aperit ſaltem, declaratque lucidius, quo pacto principum, quibus bellum intentandum eſt, potentia, & opes metiendæ ſint, ne ſemper nimio amore ſui, & larga nimis menſura examinentur. Hinc infertur, ſummo ſtudio attendendum eſſe, qua parte hoſtis, qui adoriendus eſt, validior, aut imbecillior ſit, terra, marive, domique, an foris cum eo bellum gerere expediat; conſuluit ſiquidem Annibal Antiocho, in ipſam Italiam bellum contra Romanos transferendum eſſe: Item è re tua eſt, vt diſpicias, quo genere politiæ regio, regnumve illud, quod aggredi meditaris, vtatur. Etenim cæteris inter duo imperia paribus, ſi alterum optimatibus, alterum monarchiæ obtemperet, ita ego ſtatuerem, ſemper fore, vt durius, atque infelicius cum rep. quam cum principatu contendatur: idemq; dicendum, ſi in Italia

[b] Liu. lib. 9.
[c] lib. 24.
[d] lib. 35.
[e] Tac. l. 20.

cum Eccleſiaſtico dominatu, aliove principe bellum geras: nam etiamſi Eccle-
ſiam opibus, viribuſq; ſuperes, nihil agis, cum innumera experimenta probent
neminem vnquam Chriſtianorum principum non infeliciter contra Eccleſian
quidlibet molitum eſſe; ſiue id factum fuerit Dei, qui ipſam protegit, occulto iu
dicio, ſiue ob exiſtimationem, atque autoritatem, quam ſibi comparauit, ſiue ol
vituperationem, cui ſuccumbit, quiſquis ei aduerſatur, vel quia etiamſi Pontifi
cem extinguas, Pontificatum nunquam extinguens; vnde ſanum conſilium eſt
cum ipſo controuerſias omnes declinare. Si igitur ob reſpectus diuerſos cun
huiuſmodi principibus certandum non eſt, multo minus infeſtandi erunt, qu
& regnorum numero, & populorum, atq; opum vi tibi præferendi ſunt. Quo
ſi obieceris, Alexandrum potuiſſe paruo Macedoniæ regno Perſas debellare, &
Romanos vna ciuitate orbem terrarum ſubiugauiſſe: Reſpondeo quo ad Ro
manos, id eos temporis diuturnitate, felicitate, ac diſciplina præſtitiſſe: Alexan
drum vero pari felicitate, & diſciplina, forte Romanorum diſciplinæ haud im
pari, diuturni vero temporis loco, hoſtium imbecillitate adiutum viciſſe. Si hæ
capita recte examinaueris, dubio procul errores effugies. Quod ſi forte fortun
contigerit, vt præuideas omnino te ab hoſte potentiore extrema paſſurum, no
ideo probandum eſt, quia ſinguli ſciunt, ſe morituros, vt ob hanc cauſam mor
tem ſibi feſtinent. Neque potentior ſibi minus cauere debebit, cum variis e
cauſis poſſit ipſe quoque incommoda plurima, & excidium à principe minu
potente pati: neque enim, niſi ea virtute præfulgeat, vt inuidiam, quam nimi
cius potentia concitat, retundere poſſit, minoribus ipſe periculis ſubiacet, quan
imbecillior princeps ſubiiciatur. Quod fortaſſe Auguſtum mouit, vt conſiliur
adderet, coercendi intra terminos imperii, & in præſentiarum Turcis ſuader
videtur, ne impetu, ſed mora imperium extendant.

Intereſſe plurimum, ſcire, ordines laxare, cum acies premitur.

DISCVRSVS XII.

SI quis forte Florentiæ ſpectauit luſum, quem vulgus à pilæ maioris conſer
curſu appellat, *il giuoco del calcio*, intelligere potuit; confertum agmen vſui
ſe, vbi periculum eſt, vt ne pila proiiciatur extra limites: multitudo enim illa co
ferta facultatem eripit ludentibus, quo minus ſe flectere, & pilam accipere p
ſit. Sed in acie, cum ea conferta nimis eſt, ita vt poteſtatem militi adimat, quo
nus armis vti poſſit, nihil omnium eſt, quod maiorem in prælio perniciem a
rat. Quæ ſententia ab autore noſtro egregie exprimitur, vbi refert, Roman
exercitum oppugnatum in caſtris, & impeditum tentoriis, ſarcinisque hoſte
dique circumfuſo aciem explicare nequiuiſſe: *nec enim poterat pateſcere acies*

paullo poſt. *Cuncta pro hoſtibus erant, donec legio vigeſima prima patentiore, quam cætera, ſpatio conglobata, ſuſtinuit ruentes, mox impulit.* [a] Tradit Plutarchus, Epaminondam, dum milites in anguſtum coactos laxari curauit, ſalubrem prælio exitum attuliſſe. [b] Verum Liuius incommodum, quod aciei denſitas parit, cum ſe inuicem milites premunt, præpediuntque, & dimicandi facultatem ſibi auferunt, ſatis aperte more ſuo declarat in militibus Aſdrubalis in Hiſpania, de quibus hæc: *In artum compulſi, cum vix armis ſatis ſpatii eſſet, corona hoſtium cincti, ad multam diei cæduntur.* [c] In quodam prælio, quod inter Celtiberos, & Romanos geſtum eſt, dum Romani è caſtris egrederentur, narrat idem autor, primo par vtrinque prælium fuiſſe, quia propter anguſtias non omnes in faucibus pugnare poterant Romani: at poſtquam vrgentes alii alios ſecuti euaſerunt extra vallum, vt pandere aciem, & exæquari cornibus hoſtibus, quibus circumibantur, poſſent: ita repente eruperunt, vt ſuſtinere impetum eorum Celtiberi nequirent. [d] Cæſar in quodam terribili cum Neruiis conflictu, vt alibi diximus, [e] vbi ſuos vrgeri, & res eſſe in anguſto vidiſſet, neque vllum eſſe ſubſidium, quod ſubmitti poſſet, ſcuto ab nouiſſimis vni militi detracto (quod ipſe eo ſine ſcuto venerat) in primam aciem proceſſit, centurionibuſque nominatim appellatis, reliquos cohortatus milites, ſigna inferre, & *manipulos laxare iuſſit, quo facilius gladiis vti poſſent:* Cæſaris autem aduentu ſpe illata militibus, ac redintegrato animo, etiam vulnerati milites præ laſſitudine ſcutis paullum innixi, fortiter dimicabant, tum ipſi calones, perterritos hoſtes conſpicati, etiam inermes armatis occurrebant. [f] Igitur autoritate Taciti, Plutarchi, Liuii, Cæſaris optimum, tutiſſimumque præceptum eſt, ne in tales anguſtias gliſcente prælio exercitus redigatur, vt ſuis armis vti difficile queat. Quod ſi aliquis apud Liuium verba illa notauerit; *quod in arcto pugna Romano aptior, quam Hiſpano militi:* [g] inde cognoſcet, Romanorum pugnam, vt ipſe alibi teſtatur, ſtatariam fuiſſe, [h] hoc eſt, firmam, conglobatam, confertam, neque enim iis laxare ſeſe, aut ordines deſerere, niſi neceſſitate cogente, placebat, neque tamen in artum adeo ſe concludi patiebantur, vt damnum inde, aut nihil vtilitatis colligerent. Hoc autem comprobatur ex eo, quod alibi Liuius refert, aſperitatem locorum Celtiberis velocitatem inutilē feciſſe, ſed haud iniquam fuiſſe Romanis, *ſtabili pugna aſſuetis.* [i] In quibus verbis ratio ineſt, cur ipſis aſperitas illa nullum damnum afferret: imo genus illud in artum dimicandi iis proderat; *quæ cum Romani conferti, vt ſolent, denſatis excepiſſent ſcutis: tum pes* (hæc obſeruentur) *cum pede collatus, & gladiis geri res cœpta eſt.* [k] Sed hac conſideratione remota: caueat dux, ne in artum compellatur, nam ibi maximum ex ſe ipſo, nedum ab hoſte detrimentum caperet: *caduntur in portis ſuomet ipſi agmine in arto hærentes.* [l] Hinc eſt, quod aliquando hiſtorici recenſent, prælium corporum impulſu, vt hoſtis commodius feriretur, irritum fuiſſe: *corporibus, & vmbonibus, omiſſo pilorum iactu.* [m] Quod prius à Liuio dictum eſt, *vmbonibus, incuſſaque ala ſternuntur hoſtes.* [n] In qua neceſſitate cominus, & in anguſtiis præliandi,

[b] lib. 5. cap. 6. Symp.

[c] lib. 33.

[d] lib. 41.

[e] lib. 2. Diſcur. 5.

[f] Cæſ. de bello Gall. lib. 2.

[g] lib. 28.

[h] lib. 9. in fine.

[i] lib. 28. in fin.

[k] ibidem, & lib. 42.

[l] lib. 34.

[m] Tacit. lib. 18.

[n] lib. 9.

liandi, quantum interſit, habeas, necne, ſcutum, tuum, & aliorum eſto iudicium. Verum quemadmodum vtile eſt, ſcire ſe ex anguſtiis explicare, aciemque pandere; quod fieri nequit, niſi qui exteriore parte exercitus militant, ſentientes, anguſtiis interiores premi, paulliſper ſeſe laxét, quo in artum compulſi dilatari queant (quæ ſententia elicitur ex Liuianis illis verbis, *vt ſemel motam aciem ſenſere.* [o]) Sic, ſi hoſtis aciem explicet, impetuique e tuo cedat, animaduertendum eſt, quid agere velit: nam aut inſtar forficis te vrget, opprimitque, aut ſpacium tranſeundi cōcedens, à tuis te diuidit, tuncq; vel victus es, vel ſubſidio tuis eſſe nō potes. Cuius rei nobile eſt exemplum Volſcorum Imperatoris, qui, cum reſiſtere Sexto Tempanio non poſſet, à quo ſimul cum equitibus ſuis in pedes receptis acerrime affligebatur, ſubito conſilio ſuis imperauit, vt hoſtibus locum darent, donec impetu illati ab ſuis excluderētur: quod vbi factum eſt, interclusi ſunt Romani equites: nec perrumpere eadem, qua tranſierant, poterant, ibi maxime confertis hoſtibus, qua viam fecerant. [p] Huc ſpectant omnia, quæ alibi dicta ſunt de interuallis ordinum, quæ inſtituta fuerunt cum ad hoſtium impetum excipiendum, tum ad commilitones, qui ſeſe recipiunt, abſque detrimento ſuſcipiendos: Hoc autem diſcrepant, quod interualla hæc præmeditato facta ſunt, illæ vero laxationes, quas diximus, improuiſæ: neq; omittēdum, extitiſſe nonnullos, qui negauerunt, noſtros recipiendos inter ordines eſſe, cum terrore nimio perculſi ſunt: *ne pauidi fuga vulneribuſque milites incertam, & integram aciem miſcerent*: vnde nonnulli iis præſcripſerunt, vt extra aciem inter cornua recipiantur, ne turbentur cæteri. [q] Sed hoc ideo præcipitur, ne milites nouitate rei percellantur, neve, dum gliſcente certamine expedite ſe explicare neſciunt, certis, atq; indubitatis periculis ſeſe obiiciant.

[o] *lib. 30.*

[p] *lib. 30.*

[q] *ibidem.*

FINIS LIBRI VICESIMI.

SCIPIONIS AMIRATI

DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM

IN C. CORN. TACITVM,

LIBER XXI.

Vnde rerum oriatur obliuio.

DISCVRSVS I.

QVod Iohanni Villanio, & aliis nonnullis eius temporis ſcriptoribus in Romanorum rebus commemorandis vſu veniſſe, videmus; idem Tacito accidiſſe in Iudæorum rebus deſcribendis, manifeſtũ eſt. Sicuti enim Villanius veluti per nebulam iter faciens, inter multa errorum vana, & falſa, nonnunquam in veritatem incidit; ita Tacitus, quaſi per ſomnium inter multas vmbras vaniſſimarum imaginum, ægerrime quandoque omnia tentando, veritatem attingit. Quare poſtquam de origine Iudæorum multas aliorum recenſuit opiniones, dum interim eos ex Creta inſula perfugas facit, mox ſuperfluentem Ægypti multitudinem, nunc Æthiopum ſobolem, alias Aſſyriorum gentem appellat: denique de ipſorum demigratione ex Ægypto, deque eorum duce Moyſe quædam ducit lineaméta, per vmbrã veluti expreſſa: & paullo poſt incidés denuo in vaniſſimas coniecturas, fabulã interſerit de aſinorũ grege: neq; de ſacrificio bouis, nec de cauſa abſtinentiæ à porcina ad verum accedit. Nam ſi omnes mentis quadam vi vnum Deum, eumq; ſummum, æternum, omnis mutationis expertem

dominationis arcana hoc ſibi vtiliſſimum putant, vt ſubiectos populos à virtutis amore, atq; commercio quam longiſſime abſtrahant, arceantque, ne, ſi bellicas artes addiſcant, aut domi dignitates, præſertim Eccleſiaſticas adipiſcantur eoſque in ſummos duces, aut in ſummos Pontifices euadere contigerit, tu principatus atque autoritatis amittendæ periculum ſubeas. Qua in re iidem principes (niſi mea me fallit opinio) pluries, & maxime peccant: cum quia incommodum, quod à ſubditis verentur, & remouere conantur, ſibi accelerant, atque appropinquant ab inimicis, qui te milite deſtitutum, & inermem facilius opprimeut: tum etiam quia nemo adeo exarmari poteſt, quin ei, quemadmodum optime de hoc autor quidam diſſeruit, pugio, quo te interficiat, reliquus ſit, præterquam quod rationi congruit, vt magis ab eo populo, qui iniuriis, quam ab eo, qui beneficiis affectus ſit, extimeas. Id etiam exploratiſſimum eſt, quoties præcipui viri ſuæ ſatis ambitioni facere aliunde poſſunt, perraro ſe in coniurationibus immiſcere. Proinde experientia oſtendit, neque Corbulonem, contra Neronem coniurauiſſe, neque Valerium Aſiaticum contra Caium, neque Neruam Cocceium contra Domitianum. Noſter autor eximius fuit in tradendis veris dominandi monitis, cum quæ imperantibus, tum quæ ſub imperio degentibus vtiliſſima, omniumque tutiſſima ſunt, quemadmodum qui animum aduerterit, diffitebitur nemo. Vtque primo loco de iis, quæ plurimum interſunt, ſermo inſtituatur, &, qui diuerſam viam ſequuntur, quantum aberrent, cognoſcant, illud mihi monitum videtur omnium præſtantiſſimum, vt ſcilicet ſubditi bellicam artem non ignorent: hæc enim ars cum diſciplina quædam ſit, cuius diſciplinæ ante omnia præceptum ipſa obedientia eſt, nunquam rebellabunt ii, qui recte obtemperare didicerint. Quidam autor tres modos recenſens, quibus

b lib 2 c 41 reſpublicæ imperium ſuum propagauerunt, [b] modum, rationemque, quam ſeruauerunt Romani, cæteris longe præſtantiorem eſſe, affirmat; ſocios nempe appellando, & militiæ iure donando eos, quos viciſſent: quam conſuetudinem non tantum cum Italis, ſed etiam cum omnibus ſubiugatis nationibus retinuerunt. Quamobrem Cerialis Gallos alloquens, qui deſciuerant (neque iſtud quenquam turbet, nam & filii à parentibus, & fratres à fratribus nonnunquam defecere) *Ipſi*, inquit, *plerunque legionibus noſtris præſidetis, ipſi has,*

lib. 20. *aliaſque prouincias regitis*, & concludit: *Proinde pacem, & vrbem, quam vicit, victoreſque eodem iure obtinemus, amate, colite.* [c] Et quiſquis Cæſaris commentarios diligenter obſeruauerit, eum Gallos auxiliis Gallorum plurimum afflixiſſe, comperiet, neque in Romanis hiſtoriis quidquam hoc certius habetur. Qua de re alibi Galgacus Britannos adhortans, vt contra Romanos arma capiant, non tantum Romanos exercitus diuerſis nationibus permixtos

in Agric. eſſe, aſſerebat: *Sed pudet dictu*, inquit, *Britannorum pleroſque dominationi alienæ ſanguinem accommodantes.* [d] Ad ſummam hæc adeo vera ſunt, vt mirer;

quid-

quid ſit, cur Vegetius ſcripſerit, ſocios milites ſemper minores numero fuiſſe, quam Romanarum legionum. [e] Cum tamen apud Liuium hæc verba legantur: *duæque partes ſociorum, tertia ciuium ſuit*, [f] & alibi, in exercitu Romano fuiſſe legiones duas, & ex ſociis Latinis quindecim mille, [g] alibi vero peditum numerus par, legionum equites treceni, ſociorum octingenti. [h] Neque propter aliud in Hiſpania memorabiles amborum Scipionum clades acceptæ ſunt, quam quod in exercitu maiorem ſociorum, quam Romanorum numerum habuerunt. Vnde perpetua recolendum memoria Liuii conſilium prodiit, *Ne ita Romani externis credant auxiliis; vt non plus ſui roboris, ſuarumque proprie virium, in caſtris habeant.* [i] Quod ſi hæc ita ſe habent, vt profecto aliter ſe non habent, quid ergo ſocordiæ illud eſt, quod principes nonnulli committunt, dum non longinquos, & in limitibus imperii ſitos populos ab armorum exercitatione depellunt, ſed ipſos vicinos, & vel regiam vrbem incolentes ignauiæ deditos malunt? & magis exteris, quam ſuis militibus fidunt? idque conſequuntur, vt ciuitas, quæ octuaginta millia hominum contineat, exercitum duodecim millium expaueſcat? Igitur nequaquam bonæ ſunt artes illæ, quæ populos vitioſe, atque ignauiter enutriendos eſſe, præcipiunt: imo quo iidem populi facilius frenentur, atque compeſcantur, ars omnium exquiſitiſſima eſt, vt eos virtutibus quam exornatiſſimos reddas, neque iſto tutius vllum dominandi arcanum reperiri poteſt, quicquid in contrarium obloquantur, & allatrent homines, quos an malignos, an rerum penitus ignorantes appellem, neſcio. Ad quæ comprobanda ſatis efficacia (vt puto) Taciti verba erunt in vita Agricolæ: hæc autem ea ſunt: *Sequens hyems ſaluberrimis conſiliis abſumpta: namque vt homines diſperſi, ac rudes, eoque bello faciles, quieti, & otio per voluptates aſſueſcerent: hortari priuatim, adiuuare publice, vt templa, fora, domus exſtruerent, laudando promptos, & caſtigando ſegnes: ita honoris æmulatio pro neceſſitate erat. Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum ſtudiis Gallorum anteferre, vt qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiſcerent: inde etiam habitus noſtri honor, & frequens toga: paullatimque diſceſſum ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea, & conuiuiorum elegantiam*:& ſtupenda ſunt, quæ ſequuntur: *Idq; apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars ſeruitutis eſſet.* [k] Veruntamen hæc quemadmodum humanitatis vocabulo nuncupabâtur, ſic reapſe humaniſſima officia fuiſſe, cenſendum eſt ideo, quia magis conducit, ſeruos & manſuetos, vereq; homines haberi, quam liberos & barbaros, ſtolideque feroces. Nã veluti Themiſtocles, precioſis à rege Perſarum munerib. ditatus, ad amicos quoſdã cõuerſus, *Perieramus*, inquit, *niſi periiſſemus*, ita populos ab omni ciuilitatis more abhorrentes hoc vſurpare decet; videlicet, Barbariei, atq; ignorantiæ eſſemus mancipia, niſi in Romanorum poteſtatem deueniſſemus. [l] Imprudenter meo quidem iudicio dux Athenarũ inſignia imperii Florentinæ plebi conceſſit, vnde ipſum priſtinæ liber-

[e] *lib. 2.*
[f] *lib 3.*
[g] *lib. 28.*
[h] *ibid.*
[i] *Liu. l. 25.*
[k] *in Agric.*
[l] *Plut. de fort. & vir. Alex*

tatis memorem, eiuſque recuperandæ cupidiſſimam reddidit. Neque minus errant ii principes, qui Academiarum cœtus, ac ſocietates vetant, quas imo, ſi ſaperent, aperire deberent, vt homines honeſtis illis delectationibus allecti, honorum imagine amiſſam libertatem libentius tolerent. Plura dicturum me non putabam: Verum quia, quæ ſequentur, quonam ſub capite collocanda eſſent, vix ſcirem, addo; inter optimas regnandi artes illam egregiam eſſe, cum diuiſi populi ſimul conciliantur affinitatibus, perinde vt cernimus ſyluestres plantas ramuſculis hortenſium plantarum inſertis propemodum cicurari. Quod Auguſtus ſolitus erat efficere; Is enim, vt ſcripſit Suetonius, reges ſocios etiam inter ſemetipſos neceſſitudinibus mutuis iunxit: promptiſſimus affinitatis cuiuſque, atque amicitiæ conciliator, ac fautor: nec aliter vniuerſos, quam membra, parteſque Imperii, curæ habuit. [m] Quod ipſum antiquæ pariter reipublic. ſtudium fuit, teſtante Liuio, Romanos multas cum Capuanis affinitates iniuiſſe. [n] Cum vero populum aliquem rebellionis reum caſtigare vellent, quod cum Latinis fecerunt, ipſis, ne cum ciuibus R. affinitates cõtraherent, interdicebant. [o] Et noſter autor coloniam Tarentum deductam improbat, quia *neque coniugiis ſuſcipiendis, neque alendis liberis ſueti orbas ſine poſteris domos relinquerent*. Ad hanc rem neque dici, neque excogitari quidquam poteſt elegantius, quam quod de Alexandro ſcripſit Plutarchus: nam Alexander inter Perſas Roranam nobilem virginem vxorem cum duxiſſet, exemplum dedit, vt centum aliæ Perſæ mulieres totidem viris Græcis, & Macedonibus nuberent: & ſequitur, I modo, inſaniſſime Xerxes, Helleſpontum tot coniunge laboribus: ſic ſapientes reges Europam cum Aſia melius connectunt. [p] Ad quæ quoties mentem reflecto, maximam Philippo Hiſpaniarum regi noſtris temporibus deberi laudem, cenſeo, quod valde ſollicitus de Hiſpania cum Italia coniungenda, atque conſocianda, in eam curam præcipue incumbere videatur, vt nobiliores vtriuſq; prouinciæ familias mutuis affinitatibus copulet, commiſceatque.

[m] *cap. 48.*
[n] *lib. 8.*
[o]
[p] *Plut. de fort. & vir. Alex.*

Summa cura proſpiciendum eſſe, ne cuiuſquam principis potentia eo perueniat magnitudinis, vt cæteros poſſit opprimere.

DISCVRSVS X.

OCtingentorum annorum fortuna, diſciplinaque compages hæc coaluit; quæ conuelli ſine exitio conuellentium non poteſt. [a] Binas ex hiſce verbis diſceptatiunculas inſtituemus; Prima erit, ne quis princeps adeo viribus augeri ſinatur, vt cæteros facilius opprimere queat: nam poſteaquam ſupra cæteros euectus fuerit, deprimi ſine deprimentium exitio non poteſt; Altera, Quicunque cum

[a] *lib. 20.*

poten-

potentiore luctari pergit, cum nihil aliud agere, quam vt ſuam ſibi calamitatem acceleret: nam etiamſi vt hoſtem euertat, ei ſucceſſerit ex voto, tamen ipſe quoque hoſtilibus ruinis obtegatur, conteraturque, & pereat, neceſſe eſt. Et quod ad primam ſpectat, pulchrum eſt exemplum illud, quod de Ætolis Liuius refert; ad Antiochum legatos ab iis miſſos fuiſſe, qui milites, & pecuniam rogarent, addentes, ad regiam fidem, maieſtatemque pertinere, ſocios tueri, in quo eius regni ſalus agebatur, ne Romani Ætolis extinctis, omni cura ſoluti, in Aſiam totis viribus irruere valeant: ſubdit autor, *Vera erant, quæ dicebantur, eo magis regem mouerunt:* [b] Demetrius Illyriorum rex cum Philippo rege Macedonum eodem argumento vſus eſt iis verbis: *cuiuus quanto propius, nobiliuſque ſit regnum, tantum ſit Romanos acriores hoſtes habiturus.* [c] Perſeus Philippi filius vt regni, ſic odii aduerſus Romanos hæres, bellum imprudenter aggreſſus, poſtea pœnitentia ductus, Rhodiis ſe per legatos commendauit, vt ad curandam pacem cum Romanis autoritatem ſuam interponerent: quod ſi hoc non impetrarent; ſaltem *id agendum, ne omnium rerum ius, ac poteſtas ad vnum populum perueniat.* [d] Summus eſt orator neceſſitas, neque melius quiſquam locos ad perſuadendum appoſitos inuenire ſolet, quam ipſa eadem neceſſitas: Quoniam vero ad perſuadendum alicui, vt te defendat, locus peropportunus eſt, de ipſius periculo agi, oſtendere: ideo non minus, quam Ætoli cum Antiocho, Demetrius cum Philippo, Perſeus cum Rhodiis; etiam rex Ponti Mithridates Arſaci regi Parthorum conatur perſuadere, *Nunc quæſo*, inquiens, *conſidera, nobis oppreſſis, vtrum firmiorem te ad reſiſtendum, an finem belli futurum putes.* [e] Temporibus minus remotis hæc ars minime inexplorata fuit; principibus enim ſua pericula præteritarum rerum euenta demonſtrant: proinde Conſtantinopolitani Imperatores omnem nauarunt operam, quo Siciliæ regnum à regno Neapolitano diſiungeretur, & Gallis ereptum traderetur Aragonenſibus. Etenim probe nouerat Michael Paleologus, quantum ſua ipſius pericula, viribus Caroli regis nimium augeſcentibus, creſcerent. [f] Cum Vicecomitum Mediolani Ducum progenies defeciſſet, Coſmus Medices, qui tunc reipublicæ Florentinæ principem agebat, nihil intentius conatus eſt, quam vt imperium illud ad Venetos ne perueniret: quippe animaduertebat eos, ſine Ducatus illius poſſeſſione contineri vix potuiſſe, quin ad totius Italię dominatū adſpirarent, quid ſi ad vires ſuas nobiliſſimus principatus acceſſiſſet? quem deinde cum Franciſcus Sfortia non minus conſilio, quam opibus Florentinorum adiutus obtinuiſſet, & Coſmus, & ſucceſſores ipſius hæreditariam hanc curam habuerūt, vt imperiū illud apud Franciſci ſucceſſores conſeruaretur. Et ipſa experientia docet, quantum eorum intererat, qui tunc in Italia inperitabant, proſpicere, ne alter alterum viribus excederet, aut cuiuſcunque ope potentiam adaugeret: mortuo enim Laurentio Medice Coſmi nepote, qui omnium inter Aragones, & Sforcianos diſſidiorum perpetuus fuerat moderator, Ludouicus Sfortia Gallos in Italiam exitiabili ambitione accerſiuit. Qui Galli vbi ſuis viribus, & Ludouici auxiliis non minus Florentinis, quam Neapolitanis ingentia

[b] *Liu. lib. 36.*
[c] *Iuſtin. lib. 29.*
[d] *Liu. l. 42.*
[e] *Sall. in epiſt. Mith. ad Arſ.*
[f] *Io Villanius lib. 7. c. 57.*

damna intuliſſent, demum ipſius Ludouici excidio maturato, domoq; eius paucis poſt annis ſubuerſa, totam Italiam miſerandum in modum vexauerunt. Qua de re ob Mediolani Ducatum aſperis bellis exortis Leo Pontifex Laurentii filius, & Clemens Laurentii ex fratre nepos eo cogitationes, conatuſq; ſuos ambo intenderunt, vt Mediolani Ducatus vel in filiis Ludouici ſeruaretur, vel cuicunque alteri priuato concederetur, modo ne in manus Gallorum, aut Hiſpanorum deueniret, quorum ſingulorum potentia cum per ſeipſam magna, & Italis longe minoribus principibus extimeſcenda eſſet, his aucta viribus, intolerabilis euaſura putabatur. Quod ſi Ducatu Mediolanenſi in ditionem Hiſpanorum redacto, ac prætereа Neapolitano, ac Siculo regno ſub eodem rege coniunctis, Italia eam oppreſſionem, quam verebatur, non ſenſit, imo plurimis ab hinc annis incredibili, & nunquam antea cognita felicitate potitur; hoc magis diuina bonitate, regumque illorum moderatione factum eſt, quam quod monitum, aut regula, Non eſſe permittendum, vt quilibet princeps adeo viribus cæteros emineat, vt in eius manu ſit ipſos opprimere, veritati parum conſentiat. Illud quoque verum eſt, cum Othomanorum domus imperium incredibiliter dilatauerit, expedire Chriſtianis, vt ex noſtra parte æqualis potentiæ Monarchia, quæ Turcis reſiſtere valeat, exſurgat. Quod ſi Hiſpani Romanam prudentiam æmulari maluerint (Romani enim autoritate, atque orbis patrocinio contenti, multis regibus ſua regna cum pace fruenda permiſerunt) imperium ſuum, ni fallor, tutum, ac validiſſimum non modo, ſed etiam amabile, ac reuerendum cunctis gentibus efficient.

Qui colliditur cum potentiore, ruinam ſibi accelerare.

DISCVRSVS XI.

SI vtile, ac ſalutare conſilium eſt, obſiſtere atque obniti, ne principis alicuius vires adeo excreſcant, vt, ſi libuerit, cæteros poſſit opprimere; nam hoc caſu tu quoque minore negotio peſſum ire potes: vtiliſſimum quidem erit, atque tutiſſimum, cum iam opibus ſupra cæteros fuerit auctus, ne cum illo lucteris, alioqui certo ruiturus, & mala illa celeraturus, quibus, dum tempori non inſeruis, à quo plurima beneficia emanare ſolent, immunis eſſe poſſes: nam inter cætera principes ad culmen euecti, libentius alios regnare permittunt; neque ignoras, Auguſtum teſtamento monuiſſe, vt intra terminos coerceretur imperium.[a] Potentiores autem nihil æque perturbat, & iniuria afficit, quam cum ab infirmioribus offenduntur. Qua de re conſultius nihil eſt, vt id criminis, & periculi effugias, quam ſi ob oculos tibi ponas, qualis opum magnitudo, atque autoritas eius viri ſit, quo cum decertare conſtituiſti. Quod ſi forte compagem al-

[a] lib.1.

quam inueneris, quæ octingentorum annorum ſpatio coaluerit, ſubduc inde te ipſum, alioqui fieri non poteſt, quin illius ruinæ te cooperiant. Nihilominus tamen dum lego, parantibus ſe Romanis, & Samnitibus ad prælium, aduenisse legatos Tarentinos, denuntiantes vtriſque, vt *bellum omitterent, per vtros ſtetiſſet, quo minus diſcederetur ab armis, aduerſus eos ſe pro alteris pugnaturos.*[b] Idemque Rhodios cum Perſeo, & cum ipſis Romanis effeciſſe: & Hieronymum Cannenſem cladem illuſiſſe,[c] itidem Ætolos,[d] & Perſeum ipſum; item Treuiros,[e] non bene cognouiſſe, quibus cum negotium haberent: maxime verendum eſt, ne hac, vel quacunque alia tempeſtate in ſimiles errores ii principes incidant, qui ſuarum virium modulum neſcientes, potentioribus obſiſtunt, eorumque opes male metiuntur. Et quamquam conſideraret aliquis, non ſemper Romanos in ſumma illa octingentorum annorum fortuna fuiſſe: nam quo tempore Tarentini legatos, quos memorauimus, miſerunt, quadringentos & triginta circiter imperii annos abſoluerant, neque dum Italiam totam poſſidebant; dico, non eſſe luctandum cum potentiore, hoc etiã intelligi, quoties alterius diſciplina tuam antecellit, dicente Ceriali, *octingentorum annorum fortuna, diſciplinaque.* Qua in re, hoc eſt, in exæquanda alterius cum altero principe potentia, niſi ad particularia conſideranda deueniatur, quod viri prudentis officium eſt, vix fieri poteſt, quin errores capiantur. Igitur non tantum neceſſe eſt, tuos reditus cum illius reditibus comparare, ſed etiam atque etiam examinandum eſt, quantum inter ſuos, atq; illius populos interſit: vtri domino ſuo melius velint: vtri magis armorum genere polleant: quos amicos, ac fœderatos alteruter contendentium ſecum trahat: quomodo regio valida, munitaque ſit natura, aut arte: quæ tormentorum vis: cuiuſmodi commeatuum copia, vel inopia, & pleraque alia, quæ principem potentiorem, aut debiliorem reddunt. Ecquis non videt, quam exilis, tenuiſque ſit, ſi ad Turcas referatur, Melitenſis Religio? & nihilominus cum Turca inſulam illam aggreſſus fuiſſet, ſe ipſum quidem ipſe non peſſumdedit, quia vires eius propemodum immenſæ exiſtunt, ſed florentiſſimum ſuum exercitum maxima ex parte internecioni expoſuit. Et quamquam exemplum hoc minime probat, quæ probata eſſe, cupimus, non eſſe ſcilicet cum ſuperiore eluctandum, ne ipſi nobis excidium maturemus: attamen aperit ſaltem, declaratque lucidius, quo pacto principum, quibus bellum intentandum eſt, potentia, & opes metiendæ ſint, ne ſemper nimio amore ſui, & larga nimis menſura examinentur. Hinc infertur, ſummo ſtudio attendendum eſſe, qua parte hoſtis, qui adoriendus eſt, validior, aut imbecillior ſit, terra, marive, domique, an foris cum eo bellum gerere expediat; conſuluit ſiquidem Annibal Antiocho, in ipſam Italiam bellum contra Romanos transferendum eſſe: Item è re tua eſt, vt diſpicias, quo genere politiæ regio, regnumve illud, quod aggredi meditaris, vtatur. Etenim cæteris inter duo imperia paribus, ſi alterum optimatibus, alterum monarchiæ obtemperet, ita ego ſtatuerem, ſemper fore, vt durius, atque infelicius cum rep. quam cum principatu contendatur: idemq; dicendum, ſi in Italia

cum

[b] Liu. lib. 9.
[c] lib. 24.
[d] lib. 35.
[e] Tac. l. 20.

cum Eccleſiaſtico dominatu, aliove principe bellum geras: nam etiamſi Eccleſiam opibus, viribuſq; ſuperes, nihil agis, cum innumera experimenta probent, neminem vnquam Chriſtianorum principum non infeliciter contra Eccleſiam quidlibet molitum eſſe; ſiue id factum fuerit Dei, qui ipſam protegit, occulto iudicio, ſiue ob exiſtimationem, atque autoritatem, quam ſibi comparauit, ſiue ob vituperationem, cui ſuccumbit, quiſquis ei aduerſatur, vel quia etiamſi Pontificem extinguas, Pontificatum nunquam extinguens; vnde ſanum conſilium eſt, cum ipſo controuerſias omnes declinare. Si igitur ob reſpectus diuerſos cum huiuſmodi principibus certandum non eſt, multo minus infeſtandi erunt, qui & regnorum numero, & populorum, atq; opum vi tibi præferendi ſunt. Quod ſi obieceris, Alexandrum potuiſſe paruo Macedoniæ regno Perſas debellare, & Romanos vna ciuitate orbem terrarum ſubiugauiſſe: Reſpondeo quo ad Romanos, id eos temporis diuturnitate, felicitate, ac diſciplina præſtitiſſe: Alexandrum vero pari felicitate, & diſciplina, forte Romanorum diſciplinæ haud impari, diuturni vero temporis loco, hoſtium imbecillitate adiutum viciſſe. Si hæc capita recte examinaueris, dubio procul errores effugies. Quod ſi forte fortuna contigerit, vt præuideas omnino te ab hoſte potentiore extrema paſſurum, non ideo probandum eſt, quia ſinguli ſciunt, ſe morituros, vt ob hanc cauſam mortem ſibi feſtinent. Neque potentior ſibi minus cauere debebit, cum variis ex cauſis poſſit ipſe quoque incommoda plurima, & excidium à principe minus potente pati: neque enim, niſi ea virtute præfulgeat, vt inuidiam, quam nimia eius potentia concitat, retundere poſſit, minoribus ipſe periculis ſubiacet, quam imbecillior princeps ſubiiciatur. Quod fortaſſe Auguſtum mouit, vt conſilium adderet, coercendi intra terminos imperii, & in præſentiarum Turcis ſuadere videtur, ne impetu, ſed mora imperium extendant.

Intereſſe plurimum, ſcire, ordines laxare, cum acies premitur.

DISCVRSVS XII.

SI quis forte Florentiæ ſpectauit luſum, quem vulgus à pilæ maioris conſerto curſu appellat, *il giuoco del calcio*, intelligere potuit; confertum agmen vſui eſſe, vbi periculum eſt, vt ne pila proiiciatur extra limites: multitudo enim illa conferta facultatem eripit ludentibus, quo minus ſe flectere, & pilam accipere poſſit. Sed in acie, cum ea conferta nimis eſt, ita vt poteſtatem militi adimat, quo minus armis vti poſſit, nihil omnium eſt, quod maiorem in prælio perniciem afferat. Quæ ſententia ab autore noſtro egregie exprimitur, vbi refert, Romanum exercitum oppugnatum in caſtris, & impeditum tentoriis, ſarcinisque hoſte vndique circumfuſo aciem explicare nequiuiſſe: *nec enim poterat pateſcere acies*: E

paull

paullo poſt. *Cuncta pro hoſtibus erant, donec legio vigeſima prima patentiore, quam cætera, ſpatio conglobata, ſuſtinuit ruentes, mox impulit.* [a] Tradit Plutarchus, Epaminondam, dum milites in anguſtum coactos laxari curauit, ſalubrem prælio exitum attuliſſe. [b] Verum Liuius incommodum, quod aciei denſitas parit, cum ſe inuicem milites premunt, præpediuntque, & dimicandi facultatem ſibi auferunt, ſatis aperte more ſuo declarat in militibus Aſdrubalis in Hiſpania, de quibus hæc: *In artum compulſi, cum vix armis ſatis ſpatii eſſet, corona hoſtium cincti, ad multam diei caduntur.* [c] In quodam prælio, quod inter Celtiberos, & Romanos geſtum eſt, dum Romani è caſtris egrederentur, narrat idem autor, primo par vtrinque prælium fuiſſe, quia propter anguſtias non omnes in faucibus pugnare poterant Romani: at poſtquam vrgentes alii alios ſecuti euaſerunt extra vallum, vt pandere aciem, & exæquari cornibus hoſtibus, quibus circumibantur, poſſent: ita repente eruperunt, vt ſuſtinere impetum eorum Celtiberi nequirent. [d] Cæſar in quodam terribili cum Neruiis conflictu, vt alibi diximus, [e] vbi ſuos vrgeri, & res eſſe in anguſto vidiſſet, neque vllum eſſe ſubſidium, quod ſubmitti poſſet, ſcuto ab nouiſſimis vni militi detracto (quod ipſe eo ſine ſcuto venerat) in primam aciem proceſſit, centurionibuſque nominatim appellatis, reliquos cohortatus milites, ſigna inferre, & *manipulos laxare iuſſit, quo facilius gladiis vti poſſent:* Cæſaris autem aduentu ſpe illata militibus, ac redintegrato animo, etiam vulnerati milites præ laſſitudine ſcutis paullum innixi, fortiter dimicabant, tum ipſi calones, perterritos hoſtes conſpicati, etiam inermes armatis occurrebant. [f] Igitur autoritate Taciti, Plutarchi, Liuii, Cæſaris optimum, tutiſſimumque præceptum eſt, ne in tales anguſtias gliſcente prælio exercitus redigatur, vt ſuis armis vti difficile queat. Quod ſi aliquis apud Liuium verba illa notauerit; *quod in arcto pugna Romano aptior, quam Hiſpano militi:* [g] inde cognoſcet, Romanorum pugnam, vt ipſe alibi teſtatur, ſtatariam fuiſſe, [h] hoc eſt, firmam, conglobatam, confertam, neque enim iis laxare ſeſe, aut ordines deſerere, niſi neceſſitate cogente, placebat, neque tamen in artum adeo ſe concludi patiebantur, vt damnum inde, aut nihil vtilitatis colligerent. Hoc autem comprobatur ex eo, quod alibi Liuius refert, aſperitatem locorum Celtiberis velocitatem inutilē feciſſe, ſed haud iniquam fuiſſe Romanis, *ſtabili pugna aſſuetis.* [i] In quibus verbis ratio ineſt, cur ipſis aſperitas illa nullum damnum afferret: imo genus illud in artum dimicandi iis proderat; *qua cum Romani conferti, vt ſolent, denſatis excepiſſent ſcutis: tum pes* (hæc obſeruentur) *cum pede collatus, & gladiis geri res cœpta eſt.* [k] Sed hac conſideratione remota: caueat dux, ne in artum compellatur, nam ibi maximum ex ſe ipſo, nedum ab hoſte detrimentum caperet: *caduntur in portis ſuomet ipſi agmine in arto hærentes.* [l] Hinc eſt, quod aliquando hiſtorici recenſent, prælium corporum impulſu, vt hoſtis commodius feriretur, irritum fuiſſe: *corporibus, & vmbonibus, omiſſo pilorum iactu.* [m] Quod prius à Liuio dictum eſt, *vmbonibus, incuſſaque ala ſternuntur hoſtes.* [n] In qua neceſſitate cominus, & in anguſtiis præ-

[b] lib. 5. cap. 6. Symp.
[c] lib. 33.
[d] lib. 41.
[e] lib. 2. Diſcur. 5.
[f] Cæſ. de bello Gall. lib. 2.
[g] lib. 28.
[h] lib. 9. in fine.
[i] lib. 18. in fin.
[k] ibidem, & lib. 42.
[l] lib. 34.
[m] Tacit. lib. 18.
[n] lib. 9.

liandi, quantum interſit, habeas, necne, ſcutum, tuum, & aliorum eſto iudicium. Verum quemadmodum vtile eſt, ſcire ſe ex anguſtiis explicare, aciemque pandere; quod fieri nequit, niſi qui exteriore parte exercitus militant, ſentientes, anguſtiis interiores premi, paullíſper ſeſe laxēt, quo in artum compulſi dilatari queant (quæ ſententia elicitur ex Liuianis illis verbis, *vt ſemel motam aciem ſenſere.* [o]) Sic, ſi hoſtis aciem explicet, impetuique e tuo cedat, animaduertendum eſt, quid agere velit: nam aut inſtar forficis te vrget, opprimitque, aut ſpacium tranſeundi cōcedens, à tuis te diuidit, tuncq; vel victus es, vel ſubſidio tuis eſſe nō potes. Cuius rei nobile eſt exemplum Volſcorum Imperatoris, qui; cum reſiſtere Sexto Tempanio non poſſet, à quo ſimul cum equitibus ſuis in pedes receptis acerrime affligebatur, ſubito conſilio ſuis imperauit, vt hoſtibus locum darent, donec impetu illati ab ſuis excluderētur: quod vbi factum eſt, intercluſi ſunt Romani equites: nec perrumpere eadem, qua tranſierant, poterant, ibi maxime confertis hoſtibus, qua viam fecerant. [p] Huc ſpectant omnia, quæ alibi dicta ſunt de interuallis ordinum, quæ inſtituta fuerunt cum ad hoſtium impetum excipiendum, tum ad commilitones, qui ſeſe recipiunt, abſque detrimento ſuſcipiendos: Hoc autem diſcrepant, quod interualla hæc præmeditato facta ſunt, illæ vero laxationes, quas diximus, improuiſæ: neq; omittēdum, extitiſſe nonnullos, qui negauerunt, noſtros recipiendos inter ordines eſſe, cum terrore nimio perculſi ſunt: *ne pauida fuga vulneribuſque milites incertam, & integram aciem miſcerent*: vnde nonnulli iis præſcripſerunt, vt extra aciem inter cornua recipiantur, ne turbentur cæteri. [q] Sed hoc ideo præcipitur, ne milites nouitate rei percellantur, neve, dum gliſcente certamine expedite ſe explicare neſciunt, certis, atq; indubitatis periculis ſeſe obiiciant.

[o] *lib. 30.*

[p] *lib. 30.*

[q] *ibidem.*

FINIS LIBRI VICESIMI.

SCIPIONIS AMIRATI

DISSERTATIONVM POLITICARVM,

SIVE

DISCVRSVVM

IN C. CORN. TACITVM,

LIBER XXI.

Vnde rerum oriatur obliuio.

DISCVRSVS I.

QVod Iohanni Villanio, & aliis nonnullis eius temporis ſcriptoribus in Romanorum rebus commemorandis vſu veniſſe, videmus; idem Tacito accidiſſe in Iudæorum rebus deſcribendis, manifeſtũ eſt. Sicuti enim Villanius veluti per nebulam iter faciens, inter multa errorum vana, & falſa, nonnunquam in veritatem incidit; ita Tacitus, quaſi per ſomnium inter multas vmbras vaniſſimarum imaginum, ægerrime quandoque omnia tentando, veritatem attingit. Quare poſtquam de origine Iudæorum multas aliorum recenſuit opiniones, dum interim eos ex Creta inſula perfugas facit, mox ſuperfluentem Ægypti multitudinem, nunc Æthiopum ſobolem, alias Aſſyriorum gentem appellat: denique de ipſorum demigratione ex Ægypto, deque eorum duce Moyſe quædam ducit lineaméta, per vmbrã veluti expreſſa: & paullo poſt incidẽs denuo in vaniſſimas coniecturas, fabulã interſerit de aſinorũ grege: neq; de ſacrificio bouis, nec de cauſa abſtinentiæ à porcina ad verum accedit. Nam ſi omnes mentis quadam vi vnum Deum, eumq; ſummum, æternum, omnis mutationis expertem

intelligimus, quam abſurdum dictu eſt, & ab omni fide alienum, Iudæos Saturni, vel ſtellæ eius honoris cauſa ſeptimum diem quieti dediſſe, atque conſecraſſe? Aut (quod deterius eſt) inertiæ adſcribere illam ab humanis curis remiſſionem, quæ ad diuinorum beneficiorum memoriam liberius recolendā inſtituta fuerat? [a] Eandem ergo cauſam erroris habent Villanius, & Tacitus, ignorantiam ſcilicet autorum, qui de illis rebus ex inſtituto agunt. Neque enim Villanius ſi Liuium, Salluſtium, Cæſarem legiſſet, ea commemoraſſet de Romanis, quæ fabuloſa ſunt, nec Tacitus, ſi Moyſem, vel qui eum ſequuntur, rei ū ſcriptores ei videre contigiſſet, de Iudæis tam impia, & abſurda prodidiſſet memoriæ: Neq; ſane alius fons eſt obliuionis rerum, quam ſcriptorum defectus. Eſt, qui, dum probare conatur, varietate ſectarum, & linguarum multitudine, item caſibus diluuiorum, nec non peſtilentiis memoriam rerum labefactari ſolere, eiuſcemodi partitionem inſtituit. Memoria rerum extinguitur partim iniuria hominum, partim iniuria cœli. Ad hominum iniuriam pertinent multitudo ſectarum, & linguarum, ad cœli vim ſpectant peſtilentiæ, fames, diluuia. Quibus in rebus quia facile quis impingere, & in errorem poteſt incidere, conſtitui eidem autori iuxta ſententiam Taciti paucis reſpondere. Tametſi autem rem ex alto poſſem repetere; tamen omiſſis ſuperuacaneis, paullatim veniam ad omnia capita, quibus ſententiam ſuam nititur adſtruere. Et vt maiori ordine reſpondeam ad ea, quæ paullo poſt de Chriſtianis diſſerit, initium ſumam à fine diſputationis, vbi de Romanis verba facit huiuſcemodi. Fuit igitur, vt ſupra demonſtrauimus, olim res Hetruſca pollens, potenſque, religione veneranda, virtute excellens: ſuis moribus, & ſua lingua patria vtebatur: quæ omnia Romana potentia oppreſſit. Quam verum narret, Romanos religionem Hetruſcam, item linguam ſuſtuliſſe, conſulatur Liuius, qui autor eſt, Romanos filios ſuos in Hetruriam miſiſſe ea de gratia, vt ſermonem Thuſcum addiſcerent, idque religionis cauſa. [b] Et Tacitus noſter, vbi Claudii Imperatoris verba commemorat, quibus teſtatur, doctrinam, ſiue diſciplinam haruſpicum negligendam non eſſe, ait: primores Hetruriæ ſua ſponte, aut *patrum Romanorum impulſu*, hoc eſt, autoritate Senatus illud diſciplinæ genus diligenter coluiſſe, & in familias propagaſſe, & eam ob cauſam id muneris tunc temporis Pontificibus datum eſſe, *ne ritus ſacrorum inter ambigua culti per proſpera obliterarentur.* [c] Quare Romani religionem Hetruſcam, quæ ab ipſorum patria religione diuiſa non erat, nullo modo ſuſtulerunt, neq; etiam ſermonem Thuſcum, quem volebant, vt pueri addiſcerēt religionis cauſa. Nunc videamus, quæ de Chriſtianis diſſerit. Cum, inquit, noua ſecta, ſiue religio oritur, primum, atque præcipuum ſtudium eius legiſlatoris in eo eſt poſitum, vt dignitatis, atque amplitudinis quærendæ cauſa veterem Dei cultum tollat radicitus: Quod facile fit, cum nouæ ſectæ conditores lingua vtuntur peregrina. Exemplo eſt religio Chriſtiana, quæ gentilium ſectam, omneſque eorum leges, & cærimonias cum memoria Theologiæ antiquæ è medio

[a] *lib.21.*
[b] *lib.9.*
[c] *lib.11.*

ſuſtu-

ſuſtulit. Hic quidem homo de religione Chriſtiana non alio loquitur modo, quam de arte quadam imperandi, quæ quo iure, qua ve iniuria dominationis cupiditatem proferre ſatagit: neque penſi habet, religionem Chriſtianam (vt alienam à via, & ratione humani imperii) aliis modis, quam quos humanum obſeruat genus, fuiſſe progreſſam. Dignitas enim, & maieſtas Chriſtianæ religionis omnis ſita fuit in paupertate, modeſtia, caſtitate, contemptu rerum humanarum, in animi lenitate, in iniuriarum memoria deponenda, in ſuppliciis, & martyriis præſenti, & prompto animo ſubeundis, idque æternæ vitæ, & gloriæ parandæ cauſa. Quod ſi leges, ac cærimoniæ religionis veteris abolitæ fuerunt, temporis progreſſu id factum eſſe, cenſendum eſt; & poſteaquam homines perſpexerunt errorem, in quo verſabãtur, libenti illam animo omiſerunt. Neque hoc cuiquam mirum debet videri: nam iam tum cum religio Ethnicorum vigeret, neceſſaria erant monita, & decreta principum, vt haruſpicum diſciplina cõſeruaretur, nec ſepeliretur obliuione. Quod etiam atq; etiam animaduertendum; nam huius rei veritate perſpecta, quam verum ſit, quod ab aliis dictum eſt, omnibus patefiet. Temporibus enim Ciceronis, qui multos annos ante Claudium Imperatorem vixit, & nonnullis quoque *Chriſtum* præceſſit, ſatis conſtat, multa religionis Ethnicorum capita ſua ſponte oboluiſſe; vnde forte cenſura nata eſt Claudii imperatoris. Verba Ciceronis de haruſpicibus, ne forte quis putet, me mala agere fide, hæc ſunt. [d] *Quam multi anni ſunt, cum bella propratoribus, & proconſulibus adminiſtrantur, qui auſpicia non habent?* Paullo poſt loquitur de ſortibus, quæ religionis haud vltima pars erat, atque ait, *Quis enim magiſtratus, aut quis vir illuſtrior vtitur ſortibus?* De quibus ſortibus (quamuis Præneſte templum eſſet ea ætate pulcherrimum, atque antiquum) quæ apud plebem reliquæ erant, oſtendit, nec magiſtratum, nec quemuis illuſtriorem virum eas magnopere curaſſe. Sed (quod plus eſt) nonne dictu mirum id, quod perhibet de oraculis, veluti baſi, ac fundamẽto omnis eius religionis. *Cur iſto modo iam oracula Delphis non eduntur, non modo noſtra ætate, ſed iamdiu, iam vt nihil poſſit eſſe contemptius.* Hæc verba ſunt Ethnici ſcriptoris, ante Chriſtum natum prolata, & ſententiæ, vt patet, ſatis manifeſtæ. Strabo, qui paucis annis poſt Ciceronem vixit, autor eſt, Apollinis Delphici oraculum ſua ætate turpiſſimum fuiſſe mendicabulum. [e] Et paullo ante demonſtrauerat; eum tantæ olim dignitatis, & maieſtatis Deum in ſummum omnium veniſſe contemptum: & Plutarchus, vt de re comperta, & diuulgata, librum compoſuit, in quo diſſeruit de cauſis, cur oraculum linguæ olim tam promptæ ſteterit, atque obmutuerit. Sed operæ precium eſt, vt quę ſequuntur, autoris citati verba expendamus. (Quamuis non potuerint memoriam rerum à magnis viris ea imbutis religione geſtarum omnino extinguere: quod accidit, quia noua religio linguam latinam ſeruauit; quod factum eſt noſtris hominibus inuitis, quia neceſſe habebant Chriſtianæ religionis leges, atque inſtituta latinis literis perſcribere: nam ſi alio, nouoque ſermonis genere eam conſignare potuiſſent, vt

[d] *Cic. de Diuin.*

[e] *Strabo lib. 9.*

in cæteris rebus gentiles acerrime perſecuti fuerunt, ſic nulla prorſus memoria rerum præteritarum amplius extaret.) Quid quæſo ſibi vult hic tantæ autoritatis homo, in quem omnes, tanquam in virum ſagaciſſimum, & prudentiſſimum omnium mortalium intuentur? Religio Chriſtiana initium ſumpſit in Iudæa inter Iudæos, & eodem momento inter Græcos, & Latinos fuit diffuſa. Oportebat ergo, vt Græcas iuxta, atq; Latinas literas è medio tollerēt, neq; enim Græca minus, quam Latina lingua plena eſt rerū ab Ethnicis geſtarum. Sed quæ, vos obſecro, inuidia, q̄ malignitas Chriſtianorū fuiſſet hoc tam ſæuū inſtitutū? Non ſibi reuocat in memoriam, Sanctum Paulum profanorū ſcriptorum nonnunquam vti autoritate?[f] Idem faciunt alii ſacratū rerum autores. Quorū nonnulli, quamuis vanitatem ſuperſtitionis gentiū refutent, tamen non ita antiquæ religionis cærimonias delere ſtuduerunt, quin potius multa eius veſtigia reliquerint. Dummodo enim intelligatur, eam vanam, falſam, & hominib. exitioſam eſſe, nihil intereſt, an memoria eius vigeat, an extincta ſit, quia perinde vt fabulas, aut quę carminib. decantari cōſueuerunt, heroū facta nihil curamus, vtpote quibus fides habetur nulla. Quam multus enim Tertullianus eſt in commemoranda illa ſuperſtitione, & quot paginas de eadē fecit Auguſtinus in libris de ciuitate Dei? Euſebius quoq; dum temporum ſubducit rationem, quam multa repetit ex gentiū ſuperſtitioſa illa antiquitate? Et S. Hieronymus eundem autorem in latinum ſermonem vertēdo, plurima adiecit in eandem ſententiam: & quibus precibus non deprecatur, vt ne liber ille corrumpatur? ſed fideli, & diligenti ſtudio deſcribatur, ac corrigatur? Quin potius, ſi verum ęſtimamus, nullus ex antiquis ſcriptoribus incorruptus nobis permanſiſſet ſine opera Chriſtianæ religionis. Poſteaquam enim Italia, & vniuerſus fere Chriſtianus orbis barbarorum inundatione repleta fuit, artibus, & diſciplinis nobilioribus extinctis, clauſis literarum ludis, hominibus cæteris timore, & paupertate afflictis, atque depreſſis, ſoli ſacerdotes linguam latinam aſſeruerunt, & vna cum ſermone Romano autores, quos potuerunt, cōſeruarunt incolumes: qua in re, diuinam potentiam plus, quam humanam opem valuiſſe cenſendū. Scribit Theodoretus Epiſcopus Cyrrhenenſis [g] (cuius teſtimonium ſatis eſt ad demonſtrandū, quantopere erret homo ille, dum Chriſtianis eiuſmodi calumniam imponit) Iulianum Imperatorem, qui vixit circiter annum Chriſtianum trecentiſſimum ſexageſimum, illum, qui, poſteaquam à Chriſtiana religione defecerat, apoſtata nuncupatus eſt, inter alias leges, quibus ſtuduit Chriſtianos coercere, hoc quoque ſanxiſſe, ne poeticæ, rhetoricæ, & philoſophiæ operam darent, & ſæpius inter ſuos vulgatum illud verbum aduerſus Chriſtianos dictitare ſolitum, Noſtris calamis affligimur, hi ſiquidem noſtrorum autorum præceptis adiuti arma in nos ſumunt. Hinc licet intelligere, an Chriſtianis Ethnicorum libros prohibere conſilium fuerit, cum ipſi Ethnici Chriſtianis interdicerent libris ſuis, nimirum intelligentes, quem fructum inde Chriſtiani caperent: ſed reliqua autoris per-

f *in actib. Apoſt.*

g *lib. 5. cap. 7*

ſequamur. (Qui enim legit, atq; intuetur, qua via, & ratione S. Gregorius, & cæteri Chriſtiani nominis Principes vſi fuerint in propaganda ſua religione, manifeſto cognoſcet, quam obſtinate perſecuti fuerint omnem antiquitatis memoriam, combuſtis poetarum, & hiſtoricorum operibus, deiectis imaginibus, atq; ſtatuis, deniq; quauis alia re corrupta, quæ priſci moris aliquam oſtenderet ſignificationem. Nec vllum dubium eſt, ſi huic ſeueritati linguam addidiſſent nouam, quin breuiſſimo temporis ſpatio omnis rerum præteritarum memoria perpetuis tenebris ſepulta iacuiſſet.) Si hic autor ſatis habuiſſet ſcribere, Gregorium antiquorum Deorum ſtatuas deieciſſe, tolerabilis fortè poſſit videri audacia hominis; etſi quid hac de re ſentiendum ſit, ſupra demonſtratum eſt. [h] Sed S. Gregorium curaſſe comburi poetarum, & hiſtoricorum ſcripta, nullus eius rei, quamuis ille affirmet, autor eſt: Et qui vitam, & mores S. Gregorii legendo cognouerit, licet eſſet, qui eadẽ ſcriberet, neſcio, quantam ei fidem haberet. De quo doctiſſimo, & ſanctiſſimo Pontifice Gregorius Turonenſis Epiſcopus, vir ſanctus, eius æqualis, & familiaris, teſtatur, ipſum adeo grammaticorum, dialecticorum, & rhetorum præceptis inſtructum, atque excultum fuiſſe, vt omnes quamuis præſtantis eruditionis viros, quorum ea tempeſtate Romæ abunde erat, longo ſpacio poſt ſe reliquerit. [i] Scripſit enim non modo ſoluta oratione tot libros, quos manu terimus, ſed hymnos etiam in laudem maieſtatis diuinæ compoſuit multos, vt ex nonnullis, quibus quotidie vtimur, videre eſt. Quare veriſimile non eſt, virum (veluti Annonius ait) tanta eloquentia, tanta doctrina, tantaque, quod primum omnium eſt, vitæ ſanctitate præſtantem, vt vix ſperandum ſit, quemquam ex ſucceſſoribus ei parem futurum, [k] aliis illud prohibuiſſe, quo ipſe ſummam gloriam, & dignitatem erat adeptus: Idem Gregorius Romæ muſicorum condidit ludum, vtque Iohannes Diaconus in vita eius ſcriptum reliquit, ea tempeſtate, qua Gregorius rebus Eccleſiæ præfuit, Romæ floruiſſe teſtatur ſapientiam, ſeptem artium liberalium comitatu. [l] Sed interim deficientibus teſtibus in vtramque partem neceſſe eſt, vt coniecturis vtamur: Quæ igitur, quæſo, prudentia fuiſſet, ſi Gregorius cum cæteris virtutibus excultus, tum prudentia rerum agendarum præcipuus, Romæ poetas, & hiſtoricos comburi iuſſiſſet? Ideone eodem abſumpſiſſet igne autores Græcos, maxime contendente cum eodem de principatus prærogatiua Conſtantinopolitano Patriarcha? Quid putamus, Mauritium Imperatorem, qui ius eo tempore tenebat confirmandi Pontificis, inimico alias in Gregorium animo, quique ex induſtria occaſiones captabat, eum calumniandi, & reprehendendi, tolerare potuiſſe, vt memoria imperiorum, & Romanarum præſertim rerum ſcriptores comburerentur? Vellem, quam ſicco poſſem pede hanc rem præterire: ſed animaduerto, ad ſoluendum hunc nodum, mihi recurrendum eſſe ad argumentum quoddam, quod minime prætereundum videtur.

[h] *lib.3.diſc.12.*

[i] *lib. 10. in princ. hiſt.*

[k] *lib.3.cap.74. de hiſt.Gall.*

[l] *lib.2. cap.13.*

Omnem

Omnem igitur hominem, qui in ſe ſuſcepit rei alicuius defenſionem, ſummopere ſtudere decet, ne iis argumentorum generibus ſe priuet, quæ ad id, quod agit, firmandum, atque ſtabiliendum, in primis pertinent. Quoniam igitur ad ſtabiliendam, & ad fundandam religionem Chriſtianam in animis gentium plus valet, atque proficit, ipſarum gentium, quam alienorum, autoritas: ideo veriſimile non eſt, Gregorium, combuſtis poetis, & hiſtoricis id egiſſe, vt ſe nudaret, atque ſpoliaret illis rationibus, atque argumentis, quæ ei vſui eſſe poterant ad firmandam fidem in Chriſtum apud gentes. Quam rem ante à S. Paulo, qui apud Athenienſes autoritate Arati, & Ignoti Dei vtebatur, admonitum eum præteriſſe, dictu abſurdum eſt. Præterea multos gentium ſcriptores de Chriſto honorifice teſtari, & nonnullos innocentiam Chriſtianorum laudare, neq; deeſſe, qui doceant, vel verius confirment de multis, quæ à Chriſtianis autoribus memoriæ prodita ſunt, pleriſque cum exemplis, tum rebus locupletiſſime poſſet probari. Sed ne longius à propoſito recedamus, pauca argumenta, & teſtimonia mihi erunt inſtar omnium: quibus non minus, quam oraculorum propheticorum fide confirmatur Dei, & Domini noſtri, atque adeo conſeruatoris generis humani natiuitas. Quorum ex numero eſt, quod Virgilius quarta Ecloga ex carminibus Sibyllæ Cumanæ repetit; quæ carmina diligentius conſiderata Secundiano Decii Imperatoris præfecto, & Veriano pictori, item Marcellino oratori ad amplectendam fidem Chriſtianam anſam præſtiterunt: Verũ quid diſertius, clarumq; , atque apertum magis dici poteſt, quã quod Erithræa Sibylla in ſuis Acrodiſtichis ſcriptum reliquit, in quibus non ſolum de natali origine D.N.I. Chriſti teſtatur, verum etiam expreſſe, & nominatim appellatur *I. Chriſtus Dei filius, ſeruator, crux*: Quorum carminum non ſolum Imperator Conſtantinus mentionem facit in oratione, quam habuit pro concione in præſentia multorum virorum ſanctitate excellentium in die Paſchatis,[n] verum (quod propius accedit ad hoc, quod agimus) ne Cicero quidem, qui tot annos ante Chriſtum vixit, tantam rem præterit ſilentio: is enim verba faciens de eo, quod in ſenatu fuerat iactatum, remp. Romanam alia ratione ſaluam permanere non poſſe, niſi concederet in vnum regem, cuius fidei totam ſe traderet, ac deuoueret; non mediocri moleſtia ſe affici, oſtendit propterea quod nec tempus, nec certus homo definiebatur; Item ſollicitabatur, quia apparebat, Acrodiſtichon nõ eſſe repertum aliquod animi furiis exagitati, vt ſunt Sibyllarum oracula, ſed ingenii quieti, atque intenti: deniq; abreptus humanæ rei ſtudio negat, regem Romæ appellari, nedum rebus præeſſe debere; quem regem (ſed fefellit Ciceronem ſua ſententia, & diuinatio *poſthac Romæ nec Dii, nec homines eſſe patientur.*[o] Quis credet, S. Gregorium literarum omnium ſcientiſſimum æquo animo permiſiſſe, vt eiuſmodi libri tollerentur è medio! Et quamuis autoritas, quæ ſequitur, aliquot annis poſt nat[…] fuit, quid excogitari, nedum dici poteſt, clarius, & ſignificantius, quam fam[…] & opinio omnis antiquitatis conſenſu celebrata, videlicet, In Iudæa regem o[…]

[n] cap.18.

[o] lib. 2, de diuin.

bis te

bis terrarum naſci oportere, quæ his verbis à Suetonio refertur: *percrebuerat oriente toto vetus conſtans opinio, eſſe in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirent.* [p] Nonne ex terræmotu à Plinio perſcripto, [q] qui accidit ſub imperio Tiberii, quo duodecim vrbes Aſiæ hauſtæ fuerunt, & terræ ſubſiderunt hiatu; nonnulli obſeruarunt, hunc ipſum motum eſſe, quo terra concuſſa fuit, in reſurrectione Domini eo momento, quo Angelus ſepulchri lapidem reuoluit?[r] Et quamuis in annorum ratione ducenda, errarint autores, tamen vox illa, quæ ſub eodem principe in inſulis mediterranei maris aures incolarum verberauit, de qua Plutarchus, [ſ] de imperio Chriſti pariter teſtatur, Magnus Deus Pan hodie mortuus eſt; non fuit in aliam ſententiam accepta, quam de morte Chriſti: aut (vt alii ſentiunt) de perpetuo generis humani hoſte à Chriſto proſligato, atque extincto. Verum profecto quæ dementia fuiſſet Romanorum, cum funus corui cuiuſdam mira celebritate extulerunt, humeris duorum Æthiopum, cornicine præcinente, tot coronis omnis generis ornatum, ſepultum denique in via Appia ſecundum dextram, ſecundo lapide ab vrbe, in campo, cui Ridiculi nomen erat, Conſulibus M. Seruilio, & C. Sextio, [t] annum ante paſſionem Domini noſtri (qui honor multis principibus Romanis non fuerat habitus) niſi per has exequias ſpiritus ſancti inſtinctu oſtēſum fuiſſet, hoc eſſe funus diaboli, quod paullo poſt Romæ duci debebat, in qua vrbe tantum eius potentia, & imperium tot temporū ſpacio valuerat? Ita enim non minus pie, quam docte monſtroſi huius funeris pompam doctiſſimus Genebrardus interpretatur. [u] Nemini ſane, qui cor habeat in pectore, in mentem vnquam venerit, Gregorii, Muſarum, & literarum illius alumni, conſilium vnquam fuiſſe, vt ſua ſponte ſe exueret illis armis, quibus multi impiorum deuictis immortalis Dei hoſtibus imperium Chriſti adepti ſunt: neque certe iure, imo per ſummam autoris imprudentiam, & propter obſcuram eius in hiſtoricis caliginem innocentiſſimus vir id calumniæ patitur. Qui autor à nobis ſatis, ſuperq; (vt credimus) confutatus, etſi vix extremas huius veritatis lineas innuimus, nedum adumbrauimus, iam tempus adeſt, quo noſtram exſeramus ſententiam, vnde tam facile rerum obrepat obliuio: quæ ſicuti non ex religione mutata exoritur, nam neque Romani Hebræam ſuſtulerunt (de Thuſca enim id cenſere abſurdum eſt, cum eadem fuerit religio) neq; Chriſtiani Romanam, quæ tota, ſi quis eam perſcrutaretur, erueretur ex libris, qui adhuc ſuperſtites ſunt: ita neque dici poteſt, rerum obliuionem ex diluuiis oriri; cum diluuia reuera plura non fuerint, quam vnum: neque notitiam rerum ob peſtilentiam, famemque amitti, putandum eſt, quoniam libri peſte non intereunt, neque fame abſumuntur, neq; ſi diſtrahantur, deſunt emptores, qui chariores illos habent, quam qui vendiderant: poſſunt quidem incendia, quibus vrbes vaſtantur, & fluminum inundationes nonnihil detrimenti afferre: at quia non omnes vrbes ſimul incenduntur; quod ſi aliquæ inundantur, aliæ propter eminētiorem ſitum huiuſmodi calamitate immunes exi-

[p] in Veſpaſiano c. 4.
[q] lib. 2. c. 84. Tac lib. 2
[r] c. 28. Matt.
[ſ] in opuſc. cur defecerint oracula.
[t] lib. x. c. 44.
[u] lib. 5.

ſtunt; reliquum eſt, vt cum Liuio (cuius autoritatem ſequi, cum præſertim in eum ſcripſerit autor ille, ſatius erat) credamus, rerum memoriam obliterari; *tum quod per rara per eadem tempora literæ fuere, vna cuſtodia fidelis memoriæ rerum geſtarum: & quod, etiam ſi quæ in commentariis Pontificum, aliiſq; publicis, priuatiſque erant monimentis, incenſa vrbe, pleraq; interire.* Crederem, inter obliuionis inducendæ cauſas rectè numerari poſſe continua bella, quæ in vna prouincia perdurant, itidemq; hominum incuriam cum temporis antiquitate coniunctam: neq; inficiari poſſumus, niſi res geſtæ literis commendentur, quin ad ſummũ duarum, triumve ætatum ſpacio ex ſui natura obliuionis, & ignorantiæ tenebris obuoluantur. Proinde belli Turcici, quod in Hydruntino agro geſtum eſt anno 1480. & 81. memoria penitus obolita fuerat, niſi Albini hiſtoria nuper inuenta eiuſdem belli notitiam reſuſcitauiſſet. Diuturna bella, quæ Italia, & Græcia poſt inclinationem Romani imperii perpeſſæ ſunt, innumeram librorũ ſupellectilem conſumpſerunt, atq; adeo rerum geſtarum recordationẽ in nihilum redegerunt. Veruntamen aliquando temporis vetuſtas per ſe ipſam tantũ valet, vt rerum monumenta pleraq; pereant, quia membranæ illæ, in quibus aſſeruabantur, ſiue à tineis, & vermibus, ſiue ab annis & tempore ipſo corroſæ, ſiue in alios vſus conuerſæ, ſiue ob indiligentiam hominum diuerſis modis, & cauſis corruptæ perduntur; quemadmodum Florentiæ in pleriſq; & priuatis, & publicis monumentis, vnde in plurimarum rerum ignoratione verſamur, vſuueniſſe compertum eſt; itemque Venetiis, & Neapoli, aliiſque Italiæ ciuitatibus, vbi ante trecentos annos cuncta denſiſſimis tenebris, & obſcuritate impenetrabili inuoluuntur, vt de aſylis dictum eſt: *cæteros obſcuris ob vetuſtatem initiis niti:*[x] vetuſtas enim omnium rerum inducit obliuionem.

[x] Tacit. lib. 3.

De via, ac ratione bene inſtruendæ aciei.

DISCVRSVS II.

IN diſputatione, vtrum, ſi aduerſus Romanos arma conuertiſſet Alexander, feliciter, necne, pugnaſſet, quinque præcipuæ rationes, cur nullo pacto ſuperior Romanis exitiſſet, proponuntur: *caſtris locum capere, commeatus expedire, ab inſidiis præcauere, tempus pugnæ eligere, aciem inſtruere, & firmare ſubſidiis.*[a] Quarum rerum poſtremam præſenti tractatione diſcutiam: etenim cum omnes exercitus equitibus, & peditibus conſtent, hinc primum ortum eſt inſtructionis genus, quo ab vna parte pedites, ab altera equites collocati fuere. Verum quia ab vna omnibus peditibus, ab altera parte equitibus militantibus, ſuboriebatur, alteram peditum partem, cuius latera ab equitibus non defendebantur, altera debiliorem eſſe, quæ equitibus muniebatur: hinc conſultum eſt, ne cuncti equites ab vna parte haberentur, ſed iidem diſpertiti in medio ipſos pedites, quaſi intra vallum quoddam ob firmitudinem eorum

[a] Liu. lib. 9.

poſi-

poſitos amplecterentur: quæ duę partes peculiari, ac diſtincto à cæteris artibus vocabulo cornua dextrum, ac ſiniſtrum appellatæ ſunt: at quia cornibus poſitis aliqua frons eſſe intelligitur, vtque cornua ad præliorum impetus ſiue faciendos, ſiue patiendos mouerentur, corpore medio indigebant, quod amborum laterum extremitati proportione reſponderet, ſimulque partem illam hoſti apertam, penetrabilemque nō derelinqueret; hinc factum eſt, vt exercitus non in duas tantum partes, dextram, ac ſiniſtram, ſed in tres diuideretur, hoc eſt, in frontem, & cornua: neq; vnquam ſiue mari, ſiue terra gerantur bella, receptum eſt, vt claſſes, & exercitus alio, quam quem memorauimus, ordine partiantur. Sed quoniam Romani, qui & imperii ſui diuturnitate, & quia plura, quam cæteræ gentes bella confecerunt, ſemper animaduerterunt, aciem huiuſmodi diſſipari facile poſſe, actumq; de iis fore, niſi ſubſidiis firmaretur: non vnam ſolummodo aciem paraſſe, atq; inſtruxiſſe cōtenti, triplicem inſtituebāt, quo primæ diſiectæ altera, huic vero tertia ſuccederet; Neq; Cerialis aliter copias ſuas diſpoſuit, cum aduerſus Ciuilem decertaturus eſſet. *Poſtera luce Cerialis equite, & auxiliariis cohortibus frontem explet*,[b] vbi per frontem nō intelligitur ipſius aciei corpus ſine cornibus, in quo hodie prima, & poſtrema acies collocatur, ſed hoc loco frons dicitur prima ea acies, in quā impetus faciendus erat: *In ſecunda acie legiones locatæ*: Poſt primam hanc aciem altera ſequebatur, in qua legiones locabantur; & quoniam nunquā legimus illas equitib. deſtitutas, intelligas, huic aciei ſuum equitatum minime defuiſſe; *dux ſibi delectos detinuerat ad improuiſa*; Ecce tertiam aciem, in qua delecti, egregiique milites improuiſis periculis reſeruabantur. Ne vero dubitetur, quin iſto ordine hæ acies, ſiue agmina diſponerentur; paullo poſt (inquit autor[c]) *pellebatur ſociarum cohortium acies, cum legiones pugnam excipiunt, ſuppreſſaque hoſtium ferocia prælium exæquatur*. Quod vero temporum illorum ducum mos eſſet, vt fortuitis rerum alteram ſibi aciem reſeruarent, hunc ipſum ab Agricola retentum fuiſſe, cernimus, qui in Britannia profligatus fuiſſet, *ni id ipſum veritus Agricola quatuor equitum alas ad ſubita belli retentas venientibus oppoſuiſſet*.[d] Neq; felicius cum Cęſare actum fuiſſet, niſi valde laborāti exercitui ſuo T. Labienus decimā legionem in ſubſidium adduxiſſet.[e] Aſpero illo bello, quod inter Romanos, & Thuſcos geſtum eſt, dubio vtrinq; euentu, nunquā ſuperiori fortuna Conſul Æmilius Barbula dimicauit, niſi cum ſecunda acies ſuppetias tulit, integreq; aduerſus feſſos ſubuenere, neq; Thuſci inferiores fuerunt, niſi *quia nullus recentibus ſubſidiis fulta prima acies fuit*.[f] Et alibi, *non ſubſidiis firma acie*.[g] Igitur neceſſarium conſilium eſt ita exercitum inſtruere, vt fatigati, ac depulſi milites habeant, quo ſe in tutum recipiant, quod ſi quis penitus edoceri cupit, quid in hoc argumento ſentiendum ſit, is legat egregium inter Romanos & Latinos certamen, in quo ob extremum rei Romanæ periculum Decius ſeſe Diis manibus, Tellurique deuouit. In hoc certamine Romani, itidemque Latini leguntur triplicem conſtituiſſe aciem, ſed Romanorum victoriam

[b] *Tacit. lib. 21.*

[c] *ibidem.*

[d] *in eius vita.*

[e] *lib. 2. de bell. Gall.*

[f] *Liu. lib 9.*

[g] *lib. 4.*

inte ortam fuiſſe, quod haſtatis, & principibus, hoc eſt, prima, & ſecunda aci[e] vtrinq; dimicante, Latini credentes, tertiam Romanorum aciem iam excitat[am] eſſe, triarios ſuos mature in Romanos immiſerunt, adeo vt paulliſper addubi tauerit Conſul Manlius, an conſurgendi iam triariis tempus eſſet? Sed *meliu[s] ratus integros eos ad vltimum diſcrimen ſeruari*, tanta cæde perrupere hoſtium cu neos, vt de iis glorioſam reportauerint victoriam. [h] De his auxiliis ſcriben[s] Brancatius, vehemẽter admiratur, cur noſtra tempeſtate negligantur. [i] Et Ve getius quo pacto binæ inſtruantur acies, egregie docet. [k] Igitur primum i[n] acie inſtruenda monitum ſit, vt ſubſidia parentur: quo ſeruato, rex Carolu[s] Primus conſilio Alardi Volleri infelicem Corradinum profligauit, [l] mod[o] ne obliuiſcamur; non defuiſſe duces, quorum inſtitutum fuit, quadruplicem aciem inſtruere, vt Scipio contra Cæſarem conſueuerat: *quadruplici acie inſtru cta ex inſtituto ſuo.* [m] Et ipſe Cæſar in prælio Phraſalico, quo Pompeium fuga uit, timens, ne dextrum cornu ab hoſtium equitatu circumueniretur, *ex ter na acie ſingulas cohortes detraxit, atque ex his quartam inſtituit*, vnde victoriam re portauit. [n] Nulla ars minus habet ſtabilia præcepta, quam militaris ars, adeo ſubita in bellis ingruunt pericula, & fortunæ varietas dominatur. Et veriſſi mum quidem eſt præceptum, quod attulimus in medium, de ſubſidiis in prom ptu habendis: Sed nihilominus aliquando factum eſt, vt in ipſo principio prælii ſubſidiariæ copiæ in pugnam immiſſæ fuerint. Quod conſilium pro ſpere ſucceſſit Petilio Conſuli, qui aduerſus Samnites dimicans, & in dextro cornu ſe continens *ſubſidiarias cohortes, quæ integræ ad longioris pugnæ caſus reſer uabantur, in primam aciem extemplo emiſit, vniuerſiſque hoſtem primo impetu viribus impulit.* [o] Auxiliorum opportunitate diſcuſſa; reliquum eſt conſiderare, cum prima acies perfringi, ac profligari queat, ideoq; plures inſtruebantur, quis de beat ordo ſeruari, ne dum milites ſeſe recipiunt, & ſalutem quærunt, cæteris exitium ferant: neque dubium eſt, quin ſecunda acies iuſta interualla habue rit, non modo vt facilius impetum ſuſtinere poſſit, verum etiam vt per eadem interualla receptis haſtatis artaretur, ac redderetur validior: proinde non vi deo, cur Palladius huiuſmodi interualla in ambiguum reuocet; cũ Liuius hæc manifeſte habeat: *ſi haſtati profligare hoſtem non poſſent, pede preſſo eos retrocedentes in interualla ordinum principes recipiebant*, [p] & alibi: *Conſul receptis inter ordines velitibus, & alia turba auxiliorum aciem promouit.* [q] Quod monitum Græcis non fuit inexploratum, cum de Philopœmene legamus, adeo ab illo cetratos inſtructos, *vt facile per interualla ordinum fugientes ſuos acciperent.* [r] Cum exer citus aut legionariis, aut auxiliariis conſtet militibus, ſequitur quarto loco, vt videamus, quæ ratio ſit aciem ordinandi, qui in fronte, qui in ſubſidiis collo candi, ſeparatim, an coniunctim diſponendi; ex his enim vtile aliquod monitũ iis, qui ad pugnam ſe parant, elicere poterimus. Et comperta res eſt, vt pluri mum auxiliarios præmiſſos fuiſſe, vt ſupra de Ceriale memoratũ eſt, eum fron tem equite, & auxiliariis cohortibus expleſſe: & Germanicus hac cadẽ acie in-

[h] *lib.8.*
[i] *In Cæſarem lib. pr. diſc. pr. & l.2. diſc.2.*
[k] *lib.2.c.15.*
[l] *Villan. l. 9 c. 27.*
[m] *Hirt. de bello Afric.*
[n] *lib.3. de bell. ciu.*
[o] *Liuius l. 9*
[p] *lib.8.*
[q] *lib.38.*
[r] *lib.35.*

ceſſit

ceſſit, *auxiliares Galli, Germaniq; in fronte, poſt quos pedites ſagittarii, dein quatuor legiones:* [s] Et Fabius Vibulanus ciues, & ſocios neutiquam miſcuit, ſed ex tribus populis tres acies ſeorſim conſtituit, ipſe vero in medio cum Romanis militib. conſtitit, iuſſitq; ſociis, vt prçliũ inciperent, cumq; ſignum dediſſet, pedem referrent. [t] Et laudatur Annibal, q̧ prima fronte exteras nationes locaſſet, hoſtilem ſaltem gladium, ſi nihil aliud proficerent, hebetaturas, [u] vt aliquando Turcas facere ſolitos legimus. Verum Imperatoris prudentia eſt ordines hos variare, prout opportunitatẽ efflagitare, cognouerit. Quocirca digniſſimum Scipione exemplũ reticendum non eſt. Aſdrubal, & Scipio in aciem copias vterq; educebant, ſtabatq; vtraq; acies pro vallo inſtructa, & reducebatur in caſtra quotidie; cumq; à neutris procurſum, telumve miſſum eſſet, hoc in vtriſque caſtris ſermonis erat, ita, vti inſtructi ſtetiſſent, pugnaturos; medias acies Romanum, Pœnumque, quos inter belli cauſa eſſet, pari robore animorum, armorumque, & cornibus auxiliariis concurſuras. Quod vbi Scipio obſtinate credi, animaduertit, teſſeram veſperi per caſtra dedit, vt ante lucem viri, equique cum pranſi eſſent, armatus eques frenatos, ſtratoſque teneret equos, & *omnia de induſtria in eum diem, quo pugnaturus erat, mutauit:* [x] nam ſociis præter opinionem hoſtium, ſuorumque in mediam aciem acceptis, cornua Romanis equitibus firmauit, quæ res victoriam effecit: hanc præterea artem adiunxit, quod immittens equitatum omnem, cum leui armatura in ſtationes Punicas, ipſe confeſtim cum graui agmine legionem procederet; ſuis vero in ancipiti verſantibus opem ferre neglexit, ne inordinatos ſuſciperet; ſed fatigatis Carthaginenſium auxiliis, ſignoque receptui dato patefactis ordinibus, impetuque in hoſtem facto, pugna conſerta eſt, donec procedente iam die vires etiam deficere Aſdrubalis exercitum inciperent, oppreſſos matutino tumultu, coactoſque, priuſquam cibo corpora firmarent; raptim in aciem exire: ex quo victoria conſecuta eſt, cepiſſetque caſtra Romanus, niſi ex vehementi ſole, qualis inter graues imbre nubes effulget, magna vis aquæ deiecta prælium diremiſſet. Neceſſarium alterum ſequitur monitum, quod, cum plerique, ne circumueniantur ab hoſte, exercitum ſuum in longum agmen extendere, ac dilatare voluerint, dum alterum diſcrimen effugerunt, in alterum venere: nam hoſtis nullam in media acie firmitudinem reperiens, minimo labore aduerſarium ſuum pellere, ac fugare potuit, vt Fuluio accidit, qui hoc, quem diximus, modo milites ſuos diſpergens, neque Tribunis, *nihil introrſum roboris, ac virium eſſe*, clamantibus audiens, rem ita peregit, vt ex duodeviginti millibus hominum vix duo millia pugnæ ſuperfuerint. [y] Qui hoc diſcrimen effugere tentauerunt, & ex multitudine hoſtium nouum quid excogitare coacti ſunt, ii tergis inuicem obiectis in orbem conſiſtentes, herinacei inſtar, ſpicula vndique in hoſtes coniecere: quæ res multis in ſummo periculo ſaluti fuit, & C. Sempronium ducem non minus, quam fuerit Fuluius, temerarium, teſtatur Liuius, hoc remedium nequaquam neglexiſſe: *in*

[s] *Tacit. lib. 2.*

[t] *Plin. lib. 10. cap. 43.*

[u] *in chron. Turc.*

[x] *lib. 28.*

[y] *Liu. lib. 25.*

inte ortam fuiſſe, quod haſtatis, & principibus, hoc eſt, prima, & ſecunda acie vtrinq; dimicante, Latini credentes, tertiam Romanorum aciem iam excitatā eſſe, triarios ſuos mature in Romanos immiſerunt, adeo vt paulliſper addubitauerit Conſul Manlius, an conſurgendi iam triariis tempus eſſet? Sed *melius ratus integros eos ad vltimum diſcrimen ſeruari*, tanta cæde perrupere hoſtium cuneos, vt de iis glorioſam reportauerint victoriam. [h] De his auxiliis ſcribens Brancatius, vehemēter admiratur, cur noſtra tempeſtate negligantur. [i] Et Vegetius quo pacto binæ inſtruantur acies, egregie docet. [k] Igitur primum in acie inſtruenda monitum ſit, vt ſubſidia parentur: quo ſeruato, rex Carolus Primus conſilio Alardi Volleri infelicem Corradinum profligauit, [l] modo ne obliuiſcamur; non defuiſſe duces, quorum inſtitutum fuit, quadruplicem aciem inſtruere, vt Scipio contra Cæſarem conſueuerat: *quadruplici acie inſtructa ex inſtituto ſuo.* [m] Et ipſe Cæſar in prælio Phraſalico, quo Pompeium fugauit, timens, ne dextrum cornu ab hoſtium equitatu circumueniretur, *ex terna acie ſingulas cohortes detraxit, atque ex his quartam inſtituit*, vnde victoriam reportauit. [n] Nulla ars minus habet ſtabilia præcepta, quam militaris ars, adeo ſubita in bellis ingruunt pericula, & fortunæ varietas dominatur. Et veriſſimum quidem eſt præceptum, quod attulimus in medium, de ſubſidiis in promptu habendis: Sed nihilominus aliquando factum eſt, vt in ipſo principio prælii ſubſidiariæ copiæ in pugnam immiſſæ fuerint. Quod conſilium proſpere ſucceſſit Petilio Conſuli, qui aduerſus Samnites dimicans, & in dextro cornu ſe continens *ſubſidiarias cohortes, quæ integræ ad longioris pugnæ caſus reſeruabantur, in primam aciem extemplo emiſit, vniuerſiſque hoſtem primo impetu viribus impulit.* [o] Auxiliorum opportunitate diſcuſſa; reliquum eſt conſiderare, cum prima acies perfringi, ac profligari queat, ideoq; plures inſtruebantur, quis debeat ordo ſeruari, ne dum milites ſeſe recipiunt, & ſalutem quærunt, cæteris exitium ferant: neque dubium eſt, quin ſecunda acies iuſta interualla habuerit, non modo vt facilius impetum ſuſtinere poſſit, verum etiam vt per eadem interualla receptis haſtatis artaretur, ac redderetur validior: proinde non video, cur Palladius huiuſmodi interualla in ambiguum reuocet; cū Liuius hæc manifeſte habeat: *ſi haſtati profligare hoſtem non poſſent, pede preſſo eos retrocedentes in interualla ordinum principes recipiebant,* [p] & alibi: *Conſul receptis inter ordines velitibus, & alia turba auxiliorum aciem promouit.* [q] Quod monitum Græcis non fuit inexploratum, cum de Philopœmene legamus, adeo ab illo cetratos inſtructos, *vt facile per interualla ordinum fugientes ſuos acciperent.* [r] Cum exercitus aut legionariis, aut auxiliariis conſtet militibus, ſequitur quarto loco, vt videamus, quæ ratio ſit aciem ordinandi, qui in fronte, qui in ſubſidiis collocandi, ſeparatim, an coniunctim diſponendi; ex his enim vtile aliquod monitū iis, qui ad pugnam ſe parant, elicere poterimus. Et comperta res eſt, vt plurimum auxiliarios præmiſſos fuiſſe, vt ſupra de Ceriale memoratū eſt, eum frontem equite, & auxiliariis cohortibus expleſſe: & Germanicus hac eadē acie in-

[h] *lib. 8.*
[i] *In Cæſarem lib. pr. diſc. pr. & l. 2. diſc. 2.*
[k] *lib. 2. c. 15.*
[l] *Villan. l. 9 c. 27.*
[m] *Hirt. de bello Afric.*
[n] *lib. 3. de bell. ciu.*
[o] *Liuius l. 9*
[p] *lib. 8.*
[q] *lib. 38.*
[r] *lib. 35.*

ceſſit, *auxiliares Galli, Germaniq; in fronte, poſt quos pedites ſagittarii, dein quatuor legiones:* [r] Et Fabius Vibulanus ciues, & ſocios neutiquam miſcuit, ſed ex tribus populis tres acies ſeorſim conſtituit, ipſe vero in medio cum Romanis militib. conſtitit, iuſſitq; ſociis, vt prælium inciperent, cumq; ſignum dediſſet, pedem referrent.[s] Et laudatur Annibal, quod prima fronte exteras nationes locaſſet, hoſtilem ſaltem gladium, ſi nihil aliud proficerent, hebetaturas, [u] vt aliquando Turcas facere ſolitos legimus. Verum Imperatoris prudentia eſt ordines hos variare, prout opportunitatem efflagitare, cognouerit. Quocirca digniſſimum Scipione exemplum reticendum non eſt. Aſdrubal, & Scipio in aciem copias vterq; educebant, ſtabatq; vtraq; acies pro vallo inſtructa, & reducebatur in caſtra quotidie; cumq; à neutris procurſum, telumve miſſum eſſet, hoc in vtriſque caſtris ſermonis erat, ita, vti inſtructi ſtetiſſent, pugnaturos; medias acies Romanum, Pœnumque, quos inter belli cauſa eſſet, pari robore animorum, armorumque, & cornibus auxiliariis concurſuras. Quod vbi Scipio obſtinate credi, animaduertit, teſſeram veſperi per caſtra dedit, vt ante lucem viri, equique cum pranſi eſſent, armatus eques frenatos, ſtratoſque teneret equos, & *omnia de induſtria in eum diem, quo pugnaturus erat, mutauit:* [x] nam ſociis præter opinionem hoſtium, ſuorumque in mediam aciem acceptis, cornua Romanis equitibus firmauit, quæ res victoriam effecit: hanc præterea artem adiunxit, quod immittens equitatum omnem, cum leui armatura in ſtationes Punicas, ipſe confeſtim cum graui agmine legionem procederet; ſuis vero in ancipiti verſantibus opem ferre neglexit, ne inordinatos ſuſciperet; ſed fatigatis Carthaginenſium auxiliis, ſignoque receptui dato patefactis ordinibus, impetuque in hoſtem facto, pugna conſerta eſt, donec procedente iam die vires etiam deficere Aſdrubalis exercitum inciperent, oppreſſos matutino tumultu, coactoſque, priuſquam cibo corpora firmarent, raptim in aciem exire: ex quo victoria conſecuta eſt, cepiſſetque caſtra Romanus, niſi ex vehementi ſole, qualis inter graues imbre nubes effulget, magna vis aquæ deiecta prælium diremiſſet. Neceſſarium alterum ſequitur monitum, quod, cum plerique, ne circumueniantur ab hoſte, exercitum ſuum in longum agmen extendere, ac dilatare voluerint, dum alterum diſcrimen effugerunt, in alterum venere: nam hoſtis nullam in media acie firmitudinem reperiens, minimo labore aduerſarium ſuum pellere, ac fugare potuit, vt Fuluio accidit, qui hoc, quem diximus, modo milites ſuos diſpergens, neque Tribunis, *nihil introrſum roboris, ac virium eſſe*, clamantibus audiens, rem ita peregit, vt ex duodeuiginti millibus hominum vix duo millia pugnæ ſuperfuerint. [y] Qui hoc diſcrimen effugere tentauerunt, & ex multitudine hoſtium nouum quid excogitare coacti ſunt, ii tergis inuicem obiectis in orbem conſiſtentes, herinacei inſtar, ſpicula vndique in hoſtes coniecere: quæ res multis in ſummo periculo ſaluti fuit, & C. Sempronium ducem non minus, quam fuerit Fuluius, temerarium, teſtatur Liuius, hoc remedium nequaquam neglexiſſe: *in*

[r] *Tacit. lib. 2.*
[s] *Plin. lib. 10. cap. 43.*
[u] *in chron. Turc.*
[x] *lib. 28.*
[y] *Liu. lib. 25.*

[z] lib. 4.

[a] lib. 42. ad finem.

[b] lib. 5. monit. 2.

[c] lib. 4. de bell. Gall.

[d] de bell. Afr.

[e] lib. 5. de bell. Gall.

orbem ſe tutabantur nequaquam inulti. [z] Ad idem L. Pomponius tribunus militũ ex tempore laceſſitus à Perſeo confugit, reperitque in eo ſalutem; nam tumu lo occupato, ſeq; ibi acriter defendens, diſtulit rem, quouſque auxilia ſuperue nerunt: tunc autem apparuit, in orbem collectam aciem minus vtilem fuiſſe, cum ad laceſſendos Perſei milites audacius Romani procurſarent: *nam neque conferti pugnare propter eos, qui aſcendere in tumulum conabantur, poterant, & vbi ordines procurſando ſoluiſſent, patebant iaculis, ſagittiſque.* [a] Brancatius in orbes pu gnari vehementer improbat, oſtendés, non poſſe ob rotunditatem aciei ha ſtarum cuſpides ita condenſari, & inter ſe componi, quia equus vnus, & non nunquam alter perrumpat, vnde inutilem hanc aciei formam putat, cumque Romanis intuta fuerit, noſtratibus etiam perniciosam fore, non dubitat; ideo vt confugium hoc explodat, nulloque loco haberi iubeat. [b] Quæ opini fortaſſe cautius excipienda eſt; etenim Romani hunc pugnandi morem a anno vrbis trecenteſimo trigeſimo ſecundo, ne antiquiora ſcrutemur, qu tempore ad id conſilii Sempronii milites confugerunt, vſque ad annum ſe ptingenteſimum ſeptimum in vſu habuerunt, cum à Cæſaris militibus idem i Africa factum eſt; & ſæpius inde Romani ſalutem ſibi quæſiuerunt; quipp & Sempronii milites contra Volſcos non inulti ſe tutabantur, & L. Pompeiu hoc impedimento hoſtibus obiecto auxilia expectare potuit, & milites Ca ſaris ex Britannia reuerſi bis hoc genere certandi vſi ſunt, cum ſcilicet coru collectorum in orbem pugnantes trecenti impetum ſuſtinuerunt, atque am plius horis fortiſſime quatuor pugnauerunt, donec equitatu in conſpectu ſupergreſſo, hoſtes, abiectis armis, terga verterunt, magnuſque eorum num rus eſt interfectus, [c] & iterum in Africa. [d] Neque cum Ambiorige ide conſilii male ſucceſſiſſet, ſi duces in eadem ſententia permanſiſſent, nam pr ma luce ad horam octauam ab ipſis pugnatum, nihilque, quod ſe ipſis ind gnum eſſet, commiſſum fuit. At ſi Titurius fallaciis, doliſque Ambiorig falli ſeſe permiſit, & fortiſſimum Cottam deſerere maluit, quid agendum? Obſeruandum tamen, conſilium illud, quod legati ceperunt, etſi infelici uentu, Cæſari non improbatum fuiſſe: Vnde attento animo perpendendu eſt, rotundas acies non per ſe ipſas, ſed quatenus vſus ſolummodo, & neceſ tudo poſtulauerit, laudandas eſſe; ad eas quippe ob extremum periculum curritur; ideo ſubnectit Cæſar: *quod conſilium etſi in eiuſmodi caſu reprehende dum non eſt*; Quemadmodum igitur Medicus non videtur improband qui æſtuante febre, cæteriſque fruſtra tentatis remediis, ægroto frigidam p rigit, quod præcipuum valde febricitantibus pharmacum eſſe putatur; ſic a guendus non videtur ille dux, qui ab hoſtium multitudine maiore laceſſit copias in orbem colligit. Præterquam quod non putarem ego, rem adeo fa lem eſſe, vt inter hoſtes primi militum in orbem collectorum circuii equ penetret, ſi hęc ars adhibeatur, vt milites ſecundi ordinis extremam haſtæ p tem dextro pedi innitantur (res quamquam Brancatio minus approbata, p

riſque tamen accepta) vnde vacuum illud, quod primi ordinis haſtæ conſiciunt, expleretur, aut alio vterentur conſilio, quod ab hominibus rei militaris minime ignaris capere arduum non eſſet. Nihilominus Cæſar, qui bellandi artifex erat, neque ſubita remedia pro opportunitate omittebat, animo hoſtium perſpecto, orbes in duas acies ancipites, ſiue diuerſas illico direxit, atque explicuit, ita vt pugnantiũ tergis ſibi inuicem verſis, in hoſtem vndiq; circũfuſum impetũ fecerit, eumq; propulſauerit, viceritq;. Quamobrẽ perſpicitur, quemadmodum bonus equus habendus nõ eſt, niſi vt in dextrã, ita in ſiniſtram partem eadem dexteritate, & velocitate flecti, neq; minus in medio, quã extremo curſu ſiſti poſſit, & auerti, atq; in gyrum agitari, & calcitrare, altius, humiliuſve, modo tolutim, modo pleno curſu eundo: ita boni militis nomẽ; aut decus mereri non poſſe cũ, q ad nutum ſui ducis neſciat modo huc ſe vertere, modo illuc, prout iubetur, & neceſſitudo requirit: ad rem n. Liuius, ſolum prodidit veteranũ ducẽ in exercitu veterano poſſe aciem timore hoſtium perturbatam reſtituere, ſicuti Annibal dubio procul effeciſſet, niſi ei⁹ milites clamore à tergo exaudito perterriti, veriti eſſent, ne facultas ipſis eriperetur ſe recipiẽdi in caſtra.[f] Ideo monet Vegeti⁹, cõmiſſo prælio ordines ſine victoriæ amittẽdæ periculo mutari non poſſe.[g] Artẽ vero vertendi ignorare illud eſt, ſi milites, q maximi huius corporis, quod exercitus eſt, veluti mẽbra ſunt, ita ſe non vertũt, vt acies conſtet in eas partes, in quas duces eo: ũ ipſos vocant; perinde vt eques ita ſe equo adaptare debet, vt dum motib. eiuſdem equi & manib. & pedibus, cruribus, totoq; corpore obſequitur, ac moderatur, homo, & equus vnũ animal eſſe videatur. Quod ideo dico, quia diuerſa ſunt acierũ genera, vel acutæ, & in cuneũ deſinentes, vel forfices, vel ali⁹ generis, vt harum rerũ ſcriptores tradidere. Propterea q ſicuti ad rotundã deueniebatur aciẽ, quoties minor à maiore numero laceſſebat, neq; receptui locũ videns, neceſſ. habebat illo modo certare, vt ſederet minus: ita eo caſu faciend⁹ erat cuneus, quoties minor numerus à maiore cõpreſſus, regreſſu impedito, medios hoſtes perrũpebat. Et eiuſmodi fuit ille cune⁹, quẽ poſt Cannenſem cladẽ L. Sempronius Tuditanus tribun⁹ militũ effecit: q ſimul cum ſexcentis ex ſuis militibus euaſus, ſaluti multorũ prouidit.[h] In quo cuneo id artis adhibuit, vt Numidarũ ſagittis dextrũ latus ferientib. ſingulis militib. iuſſerit, vt à ſiniſtro ad dextrũ brachiũ ſcuta transferrẽt. Verũ ſicuti ad cuneũ confugere ille conſueuit, quicunq; virib. inferior eſt, ita forfex vt plurimũ ab iis inſtruitur, q numero ſuperiores ſunt; & copiis abundãtes nõ valent pertinacẽ hoſtilis exercit⁹ frontẽ fronte fundere; proinde patefactis, atq; explicatis ordinib. cornibuſq; hoſtiũ concluſis, eos circũueniunt, atq; interficiũt: q à Scipione in Hiſpania factũ eſt, *patefacta acie* (ſingula verba hic trutinanda) *q vt facere poſſent, multitudo armatorũ facile ſuppeditabat, in orbẽ pugnãtes ad vnũ omnes occidit.*[i] Dicet aliquis, nimis generaliter hęc à me pronuntiari, dũq; de acieb. loquor, me nõ tradere, quo pacto Rom. milites in aciẽ redigerentur. Verũ quia, ſi centuriã inſtruere ſciuero, q̃ paruus quidã exercitus eſt, totam aciem

instru-

[f] *lib. 17.*
[g] *lib. 3. in fin.*
[h] *Liu. lib. 22.*
[i] *lib. 28.*

inſtruxero, vt de caſtris innuimus, circa hæc aliquantiſper immorabor, atq; vbi Romanorum militaria inſtituta tradidero, dein, quid in noſtratibus deſiderem, proferam. Qua in re multæ ſeſe nobis offerũt difficultates: nam cum Romani tres præcipuas habuerint acies, haſtatos, principes, triarios, Liuius primo loco ponit haſtatos, dein principes, tertio loco triarios.[k] At Vegetius, qui tamen Liuium perlegerat, primum dat locum principibus, ſecundum haſtatis, & poſteaquam tres alios recenſuit ordines, vltimo triariorum mentionem facit.[l] Quæ res etſi, quod ſpectat ad principes præmittendos, mihi paullo obſcurior eſt: nam quo pacto Liuius Vegetium, eodẽ Polybius Liuium ætate antecesit, vterq; vero primum haſtatis locum tribuunt: tamen ſex Vegetii ordines haud me valde perturbant: etenim retinet ille tres priores acies, hoc eſt principum, haſtatorum, triariorum, quæ ſexta aciei pars ab illo nuncupatur, additq;, quincuplicem aciem haud ſemper fieri ſolitam, vt mox fuſius tractabimus: præterquam quod etiam Liuius triariis binos adnectit ordines, accenſos, atque rorarios.[m] Neque me latet, pleriſque locum hunc mendoſum videri,[n] affirmantibus inuerſum fuiſſe: & quoniam Vegetio aduerſatur, intutum eſſe ex eodem loco diſputationem ſuſtinere. Et nihilominus etiamſi aduerſantur rerum autores, tamen aliquid ſemper vtilitatis ex eorum controuerſiis elicitur: neque enim & in cæteris omnibus Liuius, ac Vegetius conſentiunt: Igitur Polybii, qui de hoc argumento ſpeciatim perſcripſit, & Liuii autoritatem, addo etiam Vegetium interpretans; videor mihi aſſerere poſſe, Romanam aciem hoc pacto inſtructam fuiſſe, haſtatis, principibus, triariis; ſed velites, qui leuis armaturæ milites erant, ex quibuſnam educebantur ordinibus? Si legio, vt Polybius tradit, ex quatuor mille ducentis militibus conſtabat, ita partiebatur, vt haſtati, principes, & velites, pedites eſſẽt quolibet ordine mille ducenti; triarii vero ſexcenti, omnium optimi; velites autem ad incipiendum prælium idonei minoris virtutis milites habebãtur; ſi vero legio amplius quam quatuor mille & ducentos milites continebat, hi pro ipſorum dignitate, atq; fortitudine in tres ordines, quos diximus, redigebantur, neq; ideo triariorum numerus diminuebatur. Quibus vero armis vterentur, ad auctores, qui hac de re tractauerunt, confugiatur, ad nos enim id modo parum pertinere volumus. Verumenimuero ex iis, quæ tradidimus, neutiquam demonſtratum eſſe videtur, quo pacto hæ copiæ diſpertirentur, vnde inueſtigare neceſſe eſt, an diſtinctior ipſarum cognitio comparari queat; Id autem declarari videtur quodammodo à Liuio, qui dum oſtendit, Romanam aciem ex phalange ſimili Macedonicis manipulatim ſtructam fuiſſe, plura docet: primo manipulum ex tribus, & ſexaginta militibus conſtare, inter quos centuriones duo, ſignifer vnus continebatur. Inter iſtos autem ſexaginta tres aliquando ego, mecumque alii nonnulli putauerunt, viginti velites pariter comprehenſos fuiſſe; ſed quoniam quiſquis calculum iniret, quinque millium numerum, quo legio iuxta Liuium componebatur, non inueniret, exiſtimaui primæ

frontis

[k] lib. 8. bis, & lib. 30. & lib. 37.

[l]

[m] lib. 8.

[n] Glareanus ibid.

frontis manipulum non caruiſſe leuibus vicenis militibus, præter ſcutatos ſexaginta tres: qui ſcuta gerentes ſub grauibus armis belligerabant. Quindecim in fronte locat manipulos inter ſe iuſto interuallo diſtantes: quos manipulos quindecim perſpicuum eſt iuxta initam rationem eſſe mille ducentos quadraginta quinque, ex quibus prima frons in acie flore iuuenum pubeſcentium ad militiam conſtituebatur. Robuſtiorem deinde ætatem iuxta collocat totidem manipulos, hoc eſt, quindecim; ſed, vt putandum eſt, ſine velitibus, vnde conficitur numerus nongentorum quadraginta quinq; militum, quos antepilanos vocat: quia ſub ſignis quindecim alii ordines locabantur, ex quibus ordo vnuſquiſque tres partes, & quælibet centum octuaginta ſex milites habebat: nam ſi dixiſſet centum octuaginta nouem, manipulum triplicauiſſet, qui ſexaginta tribus componebatur. Verum hoc ſi ita ſeſe habere concesserimus, in primum ordinem militibus mille ducentis quadraginta quinque redactis; idem in ſecundum ordinem nongentis quadraginta quinque, deinde in tres, quas diximus, poſtremæ aciei partes in ſingulis manipulis centum octuaginta ſex; qui ſimul ſumpti mille ſeptingenti nonaginta ſunt; omnes numerum conſtituunt quatuor millium nongentorum & octuaginta: cui numero etſi viginti deſint milites, tamen nihil video, quod minus ab autore diſſentiat; ſi vero leues viceni milites ſingulis ſexaginta tribus manipularibus adderentur, ſumma minus quadraret; pedites enim non eſſent amplius, quam quatuor mille ſexcenti nonaginta, quo in numero pedites trecenti viginti deſiderarentur. Hæc acies in tres partes diuiſa, ſingulas peditum centum & octuaginta ſex, à Liuio primipilus dicitur; primamque ipſorum partem ſtatuit eſſe triariorum, qui veterani milites erant, & ſpectatæ virtutis; ſecundam rorariorum, qui minus roboris ætate, factiſque præſeferebant; tertiam accenſorum, quæ minimæ fiduciæ manus erat; eo & in poſtremam aciem reiiciebâtur. Adeo vt ex vna Romana legione quinque delectus fierent: alii boni milites erant haſtati, meliores alii principes, optimi erant triarii; ex deterioribus item rorarii, deterrimi autem omnium accenſi. At ſi verum eſt, quod Polybius tradit, triarios ſemper fuiſſe ſexcentos, hoc caſu non fuiſſet abs re, vt rorarii, & accenſi iuxta Liuianam ſupputationem eſſent mille octingenti, hoc eſt, ab vtraque parte nongenti. In iis, quę hucuſque examinauimus, etſi ad quædam peculiaria magis deſcenderimus, nondum tamen oſtenſum eſt, quo pacto conſtituerentur manipuli. Ego vero ita coniicio, coniecturam meam ſaniori iudicio ſubiiciens, vnumquemque manipulum in fronte ſeptem milites habuiſſe, quæ aciei latitudo, ſiue amplitudo eſt; nouem in longitudine, qui numerum ſexagintatrium conficiunt: Cum vero quindecim fuerint manipuli, frontem milites centum & quinque habuiſſe, veriſimile eſt: & per conſequens cum longitudo aciei quinque ordines militum, cuiuslibet autem ordinis linea milites nouem contineret, hoc pacto quadraginta quinque militum lineæ conficerentur. Reliquum modo eſt, vt loci ſpacium conſideremus, quod ſingulis militibus an-

eſt qui poteris, niſi milites in contubernia diuidas. Igitur capiamus cẽturiam, quæ quinque militum habens latitudinem, in viginti militum lineas per longitudinem diuidatur: contubernium decem conſtet militibus, quibus vnum ſit tabernaculum; Ex quibus militibus quoniam vnus cõmeatum, alter militiam curet, neceſſe eſt, alterum decurionem, alterum magiſtrum contubernii vocare libet, qui ambo à latere dextro primi in ordinibus eſſe debent; quem ordinem ſi ſeruaueris, ſingulos milites cognoſces, & nominatim ſcies vocare, inuicemque ipſi ſe cognoſcent: nam ſi primum cognoueris à parte dextera primæ lineæ eſſe decurionem, primum autem ſecundæ lineæ eſſe magiſtrum contubernii, conſequenter non ignorabis, quis primæ lineæ ſecundus ſit, tertius, quartus, quintus miles, cæterique deinceps: proinde ſi quis eorum inſigne aliquid geſſerit, ille cognoſcetur, quotieſcunque dictum fuerit, tertium ſeptimę lineæ militem hoc, aut illud egiſſe; vel quia ſeptima linea prima linea eſt quartæ decuriæ, idem intelligetur, ſi dixeris, tertium quartæ decuriæ militem aliquam rem feciſſe. Eodem pacto, ſi ordines transmutandi ſint, adeo vt partem dextram in ſiniſtram tranſire oporteat, poſtquam decurio ad alterum latus tranſiuerit, tota linea tranſmutabitur abſque vlla nominum mutatione; ille enim, qui à dextra parte ſecundus erat, item ſecundus erit à ſiniſtra, idemque cæteri: quod ſi decet, vt vnuſquiſque ne ignoret eum, quem ipſe ſequitur, eumve, qui ſubſequitur, neceſſario certiſſimam inter omnes notitiam hoc modo induces; Secunda linea primam cognoſcet, quia pręcedit, & quia ex ſuo contubernio eſt, & primam lineam ſecundi contubernii cognoſcet, quæ ſubſequitur. Tertia vero linea quartam cognoſcet, quoniam item ex ſuo contubernio eſt, & quia ſubſequitur; & ſecundam primi contubernii cognoſcet, quia præcedit, ſicque deinceps. Sed, quod ad inſtruendam aciem pertinet, ſimulatq; ſtatueris, quanta frontis amplitudo eſſe debeat, conſtat, nihil tibi faciendum aliud eſſe, niſi vt tot manipulos collocet, quot frontis illius amplitudinem expleant. Quod ſi decem millia peditum habueris, triplicemque aciem inſtruere tibi ſatis fuerit, eumque locum, quem requiret frons, malueris occupare; nequaquam dubitandum, quin ſi triginta tres centuriæ in ſingulis aciebus collocentur (eam centuriam, quæ ex centum aliis centuriis ſuperfuerit, vbiuis collocando) frons ex peditibus centum ſexaginta quinque efficiatur; qui pedum quadringentorum nonaginta quinque ſpacium occupabunt: cumque ipſius aciei longitudo viginti ſit linearum (cui pedites ſex inuicem pedibus diſtare ſolent) pedes centum viginti omnes occuparent: adeo vt triplex hæc acies, demptis inter ipſas ſpaciis, & interuallis, pedes trecentos ſexaginta extenderetur: quo pacto omnes fere milites quadrato agmine continerentur. Quibus rebus exequendis, ſi meam ſententiam perſpicue ſatis exerui, nullus campiductori in acie inſtruenda labor videbitur, dummodo quamlibet centuriam opportunis documentis, ac diſciplina imbuerit, vt ante diximus. Obiiciebat mihi rerum bellicarum vir ſcientiſſimus: omnia recte ſe habere, cæterum fieri

non

non poſſe, vt iſta contubernia militiam non deſertura ſint. Cui reſpondebam ego; vel ea recte inſtituta, & integra ſunt, vel non ſunt. Si ſunt conſtituta, ex neceſſitate ſtipendia facient: alias non ea recte prima militiæ docuiſti rudimenta, & perinde eſt, ac ſi diceres, milites nolle dimicare, & dicto parere: Ego vero ita cenſeo, ſi bonam à te diſciplinam ſuſceperint, eos pluſquam libenti animo imperata executuros: naturaliter enim omnes libentius ea exequimur, quæ cum ordine coniuncta, quam quæ inordinata ſunt: Si vero eadem integra nō fuerint, hoc poſt conflictum eueniſſe neceſſe eſt, quia plurimi in ipſo mortui ſint; quo caſu quis neſcit, ad te pertinere, vt contubernia reſarcias, ita ſtatuendo, vt ſecundum contubernium primi locum redintegret, tertium ſecundi; hoc ſiquidem eſt ad primos ordines tranſire; quorum primi maioris ſunt, quam poſteriores exiſtimationis; neque conſentaneum eſt ęquitati, vt tyrones primas, aut ſecundas lineas expleant, vt vigeſima, verbi gratia, linea ſemper in ordine remaneat vigeſimo. Verum triginta militibus alicuius centuriæ interfectis, ita diſpones, vt decimaſeptima numeretur tanquam vigeſima, tres vero tyronum decurias renoues; quod quidem honeſtum eſt. Prætermittimus autem poſtremæ aciei dignitatem conſiderare, quia malumus, eam vt ex te ipſo cognoſcas; illud tantum addentes, tyronum manipulos, ac centurias loco minus honeſto ſemper ponendas eſſe, ibique collocandas, vbi exercitui fuerint opportuniores; nam quia id potiſſimum reſpiciendum eſt, vt primas lineas renoues, viciniores iis ſubrogando, vltimas vero item vicinioribus reſarcias; tyrones collocare poteris, ſi non in medio (qui locus ipſe quoque dignus eſt ob vexilli cuſtodiam) at certe in locis illis, qui longius à maiore dignitate diſtant, vt nemini militum ſua interrumpatur prærogatiua, neque vnquam qui minora ſtipēdia meruerint, ad digniora loca veteranis ſuperſtitibus euehantur. Quæ res ſi haberentur in vſu, vel meliores, quam eæ ſunt, quas diximus, militares leges inſtituerentur, vel mali mores corrigerentur, denique eiuſmodi induceretur conſuetudo, vt iure ordinata militia, non caſu inſtituta exiſtimari poſſet: præfectiſque militum ſicuti minueretur labor, & moleſtia, ita militibus plurimum adderetur fortitudinis; cum quia inter ſe noſcentes audacius dimicarent, tum etiam quia conditionem ſuam meliorem fore, ſperantes, periculis quibuſque ſeſe promptiore animo exponerent.

De militari faſtu antiquorum.

DISCVRSVS III.

SVperbia ducum noſtræ tempeſtatis ea eſt, vt milites ſuos alloqui dedignentur, de nomine illos minime noſcant, eorum opera perinde atque mancipiorum, non commilitonum vtantur. Non iſtiuſmodi erant antiquorum du-

inte ortam fuiſſe, quod haſtatis, & principibus, hoc eſt, prima, & ſecunda acie vtrinq; dimicante, Latini credentes, tertiam Romanorum aciem iam excitatā eſſe, triarios ſuos mature in Romanos immiſerunt, adeo vt paulliſper addubitauerit Conſul Manlius, an conſurgendi iam triariis tempus eſſet? Sed *melius ratus integros eos ad vltimum diſcrimen ſeruari*, tanta cæde perrupere hoſtium cuneos, vt de iis glorioſam reportauerint victoriam. [h] De his auxiliis ſcribens Brancatius, vehemēter admiratur, cur noſtra tempeſtate negligantur. [i] Et Vegetius quo pacto binæ inſtruantur acies, egregie docet. [k] Igitur primum in acie inſtruenda monitum ſit, vt ſubſidia parentur: quo ſeruato, rex Carolus Primus conſilio Alardi Volleri infelicem Corradinum profligauit, [l] modo ne obliuiſcamur; non defuiſſe duces, quorum inſtitutum fuit, quadruplicem aciem inſtruere, vt Scipio contra Cæſarem conſueuerat: *quadruplici acie inſtructa ex inſtituto ſuo.* [m] Et ipſe Cæſar in prælio Phraſalico, quo Pompeium fugauit, timens, ne dextrum cornu ab hoſtium equitatu circumueniretur, *ex terna acie ſingulas cohortes detraxit, atque ex his quartam inſtituit*, vnde victoriam reportauit. [n] Nulla ars minus habet ſtabilia præcepta, quam militaris ars, adeo ſubita in bellis ingruunt pericula, & fortunæ varietas dominatur. Et veriſſimum quidem eſt præceptum, quod attulimus in medium, de ſubſidiis in promptu habendis: Sed nihilominus aliquando factum eſt, vt in ipſo principio prælii ſubſidiariæ copiæ in pugnam immiſſæ fuerint. Quod conſilium proſpere ſucceſſit Petilio Conſuli, qui aduerſus Samnites dimicans, & in dextro cornu ſe continens *ſubſidiarias cohortes, quæ integræ ad longioris pugnæ caſus reſeruabantur, in primam aciem extemplo emiſit, vniuerſiſque hoſtem primo impetu viribus impulit.* [o] Auxiliorum opportunitate diſcuſſa; reliquum eſt conſiderare, cum prima acies perfringi, ac profligari queat, ideoq; plures inſtruebantur, quis debeat ordo ſeruari, ne dum milites ſeſe recipiunt, & ſalutem quærunt, cæteris exitium ferant: neque dubium eſt, quin ſecunda acies iuſta interualla habuerit, non modo vt facilius impetum ſuſtinere poſſit, verum etiam vt per eadem interualla receptis haſtatis artaretur, ac redderetur validior: proinde non video, cur Palladius huiuſmodi interualla in ambiguum reuocet; cū Liuius hæc manifeſte habeat: *ſi haſtati profligare hoſtem non poſſent, pede preſſo eos retrocedentes in interualla ordinum principes recipiebant*, [p] & alibi: *Conſul receptis inter ordines velitibus, & alia turba auxiliorum aciem promouit.* [q] Quod monitum Græcis non fuit inexploratum, cum de Philopœmene legamus, adeo ab illo cetratos inſtructos, *vt facile per interualla ordinum fugientes ſuos acciperent.* [r] Cum exercitus aut legionariis, aut auxiliariis conſtet militibus, ſequitur quarto loco, vt videamus, quæ ratio ſit aciem ordinandi, qui in fronte, qui in ſubſidiis collocandi, ſeparatim, an coniunctim diſponendi; ex his enim vtile aliquod monitū iis, qui ad pugnam ſe parant, elicere poterimus. Et comperta res eſt, vt plurimum auxiliarios præmiſſos fuiſſe, vt ſupra de Ceriale memoratū eſt, eum frontem equite, & auxiliariis cohortibus expleſſe: & Germanicus hac eadē acie in-

[h] *lib.8.*
[i] *In Cæſarem lib. pr. diſc. pr. & l.2. diſc.2.*
[k] *lib.2.c.15.*
[l] *Villan. l. 9. c.27.*
[m] *Hirt. de bello Afric.*
[n] *lib.3. de bell.ciu.*
[o] *Liuius l. 9*
[p] *lib.8.*
[q] *lib. 38.*
[r] *lib.35.*

cem,*auxiliares Galli, Germaniq; in fronte, poſt quos pedites ſagittarii, dein quatuor legiones:* [f] Et Fabius Vibulanus ciues, & ſocios neutiquam miſcuit, ſed ex tribus populis tres acies ſeorſim conſtituit, ipſe vero in medio cum Romanis militib. conſtitit, iuſſitq; ſociis, vt prælıũ inciperent, cumq; ſignum dediſſet, pedem referrent.[t] Et laudatur Annibal, ꝙ prima fronte exteras nationes locaſſet, hoſtilem ſaltem gladium, ſi nihil aliud proficerent, hebetaturas,[u] vt aliquando Turcas facere ſolitos legimus. Verum Imperatoris prudentia eſt ordines hos variare, prout opportunitatẽ efflagitare, cognouerit. Quocirca digniſſimum Scipione exemplũ reticendum non eſt. Aſdrubal, & Scipio in aciem copias vterq; educebant, ſtabatq; vtraq; acies pro vallo inſtructa, & reducebatur in caſtra quotidie; cumq; à neutris procurſum, telumve miſſum eſſet, hoc in vtriſque caſtris ſermonis erat, ita, vti inſtructi ſtetiſſent, pugnaturos; medias acies Romanum, Pœnumque, quos inter belli cauſa eſſet, pari robore animorum, armorumque, & cornibus auxiliariis concurſuras. Quod vbi Scipio obſtinate credi, animaduertit, teſſeram veſperi per caſtra dedit, vt ante lucem viri, equique cum pranſi eſſent, armatus eques frenatos, ſtratoſque teneret equos, & *omnia de induſtria in eum diem, quo pugnaturus erat, mutauit:* [x] nam ſociis præter opinionem hoſtium, ſuorumque in mediam aciem acceptis, cornua Romanis equitibus firmauit, quæ res victoriam effecit: hanc præterea artem adiunxit, quod immittens equitatum omnem, cum leui armatura in ſtationes Punicas, ipſe confeſtim cum graui agmine legionem procederet; ſuis vero in ancipiti verſantibus opem ferre neglexit, ne inordinatos ſuſciperet; ſed fatigatis Carthaginenſium auxiliis, ſignoque receptui dato patefactis ordinibus, impetuque in hoſtem facto, pugna conſerta eſt, donec procedente iam die vires etiam deficere Aſdrubalis exercitum inciperent, oppreſſos matutino tumultu, coactoſque, priuſquam cibo corpora firmarent; raptim in aciem exire: ex quo victoria conſecuta eſt, cepiſſetque caſtra Romanus, niſi ex vehementi ſole, qualis inter graues imbre nubes effulget, magna vis aquæ deiecta prælium diremiſſet. Neceſſarium alterum ſequitur monitum, quod, cum plerique, ne circumueniantur ab hoſte, exercitum ſuum in longum agmen extendere, ac dilatare voluerint, dum alterum diſcrimen effugerunt, in alterum venere: nam hoſtis nullam in media acie firmitudinem reperiens, minimo labore aduerſarium ſuum pellere, ac fugare potuit, vt Fuluio accidit, qui hoc, quem diximus, modo milites ſuos diſpergens, neque Tribunis, *nihil introrſum roboris, ac virium eſſe*, clamantibus audiens, rem ita peregit, vt ex duodeviginti millibus hominum vix duo millia pugnæ ſuperfuerint.[y] Qui hoc diſcrimen effugere tentauerunt, & ex multitudine hoſtium nouum quid excogitare coacti ſunt, ii tergis inuicem obiectis in orbem conſiſtentes, herinacei inſtar, ſpicula vndique in hoſtes coniecere: quæ res multis in ſummo periculo ſaluti fuit, & C. Sempronium ducem non minus, quam fuerit Fuluius, temerarium, teſtatur Liuius, hoc remedium nequaquam neglexiſſe: *in*

[f] *Tacit. lib. 2.*
[t] *Plin. lib. 10. cap. 43.*
[u] *in chron. Turc.*
[x] *lib. 28.*
[y] *Liu. lib. 25.*

[z] *lib. 4.*

[a] *lib. 42. ad finem.*

[b] *lib. 5. monit. 2.*

[c] *lib. 4. de bell. Gall.*

[d] *de bell. Afr.*

[e] *lib. 5. de bell. Gall.*

orbem ſe tutabantur nequaquam inulti. [z] Ad idem L. Pomponius tribunus militū ex tempore laceſſitus à Perſeo confugit, reperitque in eo ſalutem; nam tumulo occupato, ſeq; ibi acriter defendens, diſtulit rem, quouſque auxilia ſuperuenerunt: tunc autem apparuit, in orbem collectam aciem minus vtilem fuiſſe, cum ad laceſſendos Perſei milites audacius Romani procurſarent: *nam neque conferti pugnare propter eos, qui aſcendere in tumulum conabantur, poterant, & vbi ordines procurſando ſoluiſſent, patebant iaculis, ſagittiſque.* [a] Brancatius in orbes pugnari vehementer improbat, oſtendēs, non poſſe ob rotunditatem aciei haſtarum cuſpides ita condenſari, & inter ſe componi, quia equus vnus, & nonnunquam alter perrumpat, vnde inutilem hanc aciei formam putat, cumque Romanis intuta fuerit, noſtratibus etiam pernicioſam fore, non dubitat; ideo vt confugium hoc explodat, nulloque loco haberi iubeat. [b] Quæ opinio fortaſſe cautius excipienda eſt; etenim Romani hunc pugnandi morem ab anno vrbis treceteſimo trigeſimo ſecundo, ne antiquiora ſcrutemur, quo tempore ad id conſilii Sempronii milites confugerunt, vſque ad annum ſeptingenteſimum ſeptimum in vſu habuerunt, cum à Cæſaris militibus idem in Africa factum eſt; & ſæpius inde Romani ſalutem ſibi quæſiuerunt; quippe & Sempronii milites contra Volſcos non inulti ſe tutabantur, & L. Pompeius hoc impedimento hoſtibus obiecto auxilia expectare potuit, & milites Cæſaris ex Britannia reuerſi bis hoc genere certandi vſi ſunt, cum ſcilicet eorum collectorum in orbem pugnantes trecenti impetum ſuſtinuerunt, atque amplius horis fortiſſime quatuor pugnauerunt, donec equitatu in conſpectum ſupergreſſo, hoſtes, abiectis armis, terga verterunt, magnuſque eorum numerus eſt interfectus, [c] & iterum in Africa. [d] Neque cum Ambiorige idem conſilii male ſucceſſiſſet, ſi duces in eadem ſententia permanſiſſent, nam prima luce ad horam octauam ab ipſis pugnatum, nihilque, quod ſe ipſis indignum eſſet, commiſſum fuit. At ſi Titurius fallaciis, doliſque Ambiorigis falli ſeſe permiſit, & fortiſſimum Cottam deſerere maluit, quid agendum? [e] Obſeruandum tamen, conſilium illud, quod legati ceperunt, etſi infelici euentu, Cæſari non improbatum fuiſſe: Vnde attento animo perpendendum eſt, rotundas acies non per ſe ipſas, ſed quatenus vſus ſolummodo, & neceſſitudo poſtulauerit, laudandas eſſe; ad eas quippe ob extremum periculum recurritur; ideo ſubnectit Cæſar: *quod conſilium etſi in eiuſmodi caſu reprehendendum non eſt*; Quemadmodum igitur Medicus non videtur improbandus, qui æſtuante febre, cæteriſque fruſtra tentatis remediis, ægroto frigidam porrigit, quod præcipuum valde febricitantibus pharmacum eſſe putatur; ſic arguendus non videtur ille dux, qui ab hoſtium multitudine maiore laceſſitus, copias in orbem colligit. Præterquam quod non putarem ego, rem adeo facilem eſſe, vt inter hoſtes primi militum in orbem collectorum circuii equus penetret, ſi hęc ars adhibeatur, vt milites ſecundi ordinis extremam haſtæ partem dextro pedi innitantur (res quamquam Brancatio minus approbata, ple-

riſque

riſque tamen accepta) vnde vacuum illud, quod primi ordinis haſtæ conſiciunt, expleretur, aut alio vterentur conſilio, quod ab hominibus rei militaris minime ignaris capere arduum non eſſet. Nihilominus Cæſar, qui bellandi artiſex erat, neque ſubita remedia pro opportunitate omittebat, animo hoſtium perſpecto, orbes in duas acies ancipites, ſiue diuerſas illico direxit, atque explicuit, ita vt pugnantiũ tergis ſibi inuicem verſis, in hoſtem vndiq; circũfuſum impetũ fecerit, eumq; propulſauerit, viceritq;. Quamobrẽ perſpicitur, quemadmodum bonus equus habendus nõ eſt, niſi vt in dextrã, ita in ſiniſtram partem eadem dexteritate, & velocitate flecti, neq; minus in medio, quã extremo curſu ſiſti poſſit, & auerti, atq; in gyrum agitari, & calcitrare, altius, humiliuſve, modo tolutim, modo pleno curſu eundo: ita boni militis nomẽ; aut decus mereri non poſſe cũ, q ad nutum ſui ducis neſciat modo huc ſe vertere, modo illuc, prout iubetur, & neceſſitudo requirit: ad rem n. Liuius, ſolum prodidit veteranũ ducẽ in exercitu veterano poſſe aciem timore hoſtium perturbatam reſtituere, ſicuti Annibal dubio procul effeciſſet, niſi ei⁹ milites clamore à tergo exaudito perterriti, veriti eſſent, ne facultas ipſis eriperetur ſe recipiẽdi in caſtra.[f] Ideo monet Veget⁹, cõmiſſo prælio ordines ſine victoriæ amittẽdæ periculo mutari non poſſe.[g] Artẽ vero vertendi ignorare illud eſt, ſi milites, q maximi huius corporis, quod exercitus eſt, veluti mẽbra ſunt, ita ſe non vertũt, vt acies conſtet in eas partes, in quas duces eorũ ipſos vocant; perinde vt eques ita ſe equo adaptare debet, vt dum motib. eiuſdem equi & manib. & pedibus, cruribus, totoq; corpore obſequitur, ac moderatur, homo, & equus vnũ animal eſſe videatur. Quod ideo dico, quia diuerſa ſunt acierũ genera, vel acutæ, & in cuneũ deſinentes, vel forfices, vel ali⁹ generis, vt harum rerũ ſcriptores tradidere. Propterea q ſicuti ad rotundã deueniebatur aciẽ, quoties minor à maiore numero laceſſebatẽ neq; receptui locũ videns, neceſſe habebat illo modo certare, vt lęderetẽ minus: ita eo caſu faciend⁹ erat cuneus, quoties minor numerus à maiore cõpreſſus, regreſſu impedito, medios hoſtes perrũpebat. Et eiuſmodi fuit ille cune⁹, quẽ poſt Cannenſem cladẽ L. Sempronius Tuditanus tribun⁹ militũ effecit: q ſimul cum ſexcentis ex ſuis militibus euaſus, ſaluti multorũ prouidit.[h] In quo cuneo id artis adhibuit, vt Numidarũ ſagittis dextrũ latus ferientib. ſingulis militib. iuſſerit, vt à ſiniſtro ad dextrũ brachiũ ſcuta transferrẽt. Verũ ſicuti ad cuneũ confugere ille conſueuit, quicunq; virib. inferior eſt, ita forfex vt plurimũ ab iis inſtruitur, q numero ſuperiores ſunt, & copiis abundãtes nõ valent pertinacẽ hoſtilis exercit⁹ frontẽ fronte fundere; proinde patefactis, atq; explicatis ordinib. cornibuſq; hoſtiũ concluſis, eos circũueniunt, atq; interficiũt: q à Scipione in Hiſpania factũ eſt, *patefacta acie* (ſingula verba hic trutinanda) *q vt facere poſſent, multitudo armatorũ facile ſuppeditabat, in orbẽ pugnãtes ad vnũ omnes occidit.*[i] Dicet aliquis, nimis generaliter hęc à me pronuntiari, dũq; de acieb. loquor, me nõ tradere, quo pacto Rom. milites in aciẽ redigerentur. Verũ quia, ſi centuriã inſtruere ſciuero, q̃ paruus quidã exercitus eſt, totam aciem

instru-

[f] lib. 17.
[g] lib. 3. in ſin.
[h] Liu. lib. 22.
[i] lib. 28.

inſtruxero, vt de caſtris innuimus, circa hæc aliquantiſper immorabor, atq; vbi Romanorum militaria inſtituta tradidero, dein, quid in noſtratibus deſiderem, proferam. Qua in re multæ ſeſe nobis offerũt difficultates: nam cum Romani tres pręcipuas habuerint acies, haſtatos, principes, triarios, Liuius primo loco ponit haſtatos, dein principes, tertio loco triarios.[k] At Vegetius, qui tamen Liuium perlegerat, primum dat locum principibus, ſecundum haſtatis, & poſteaquam tres alios recenſuit ordines, vltimo triariorum mentionem facit.[l] Quæ res etſi, quod ſpectat ad principes præmittendos, mihi paullo obſcurior eſt: nam quo pacto Liuius Vegetium, eodẽ Polybius Liuium ætate anteiuit, vterq; vero primum haſtatis locum tribuunt: tamen ſex Vegetii ordines haud me valde perturbant: etenim retinet ille tres priores acies, hoc eſt principum, haſtatorum, triariorum, quæ ſexta aciei pars ab illo nuncupatur, additq;, quincuplicem aciem haud ſemper fieri ſolitam, vt mox fuſius tractabimus: præterquam quod etiam Liuius triariis binos adnectit ordines, accenſos, atque rorarios.[m] Neque me latet, pleriſque locum hunc mendoſum videri,[n] affirmantibus inuerſum fuiſſe: & quoniam Vegetio aduerſatur, intutum eſſe ex eodem loco diſputationem ſuſtinere. Et nihilominus etiamſi aduerſantur rerum autores, tamen aliquid ſemper vtilitatis ex eorum controuerſiis elicitur: neque enim & in cæteris omnibus Liuius, ac Vegetius conſentiunt: Igitur Polybii, qui de hoc argumento ſpeciatim perſcripſit, & Liuii autoritatem, addo etiam Vegetium interpretans; videor mihi aſſerere poſſe, Romanam aciem hoc pacto inſtructam fuiſſe, haſtatis, principibus, triariis; ſed velites, qui leuis armaturæ milites erant, ex quibuſnam educebantur ordinibus? Si legio, vt Polybius tradit, ex quatuor mille ducentis militibus conſtabat, ita partiebatur, vt haſtati, principes, & velites, pedites eſſẽt quolibet ordine mille ducenti; triarii vero ſexcenti, omnium optimi; velites autem ad incipiendum prælium idonei minoris virtutis milites habebãtur; ſi vero legio amplius quam quatuor mille & ducentos milites continebat, hi pro ipſorum dignitate, atq; fortitudine in tres ordines, quos diximus, redigebantur, neq; ideo triariorum numerus diminuebatur. Quibus vero armis vterentur, ad auctores, qui hac de re tractauerunt, confugiatur, ad nos enim id modo parum pertinere volumus. Verumenimuero ex iis, quæ tradidimus, neutiquam demonſtratum eſſe videtur, quo pacto hæ copiæ diſpertirentur, vnde inueſtigare neceſſe eſt, an diſtinctior ipſarum cognitio comparari queat; Id autem declarari videtur quodammodo à Liuio, qui dum oſtendit, Romanam aciem ex phalange ſimili Macedonicis manipulatim ſtructam fuiſſe, plura docet: primo manipulum ex tribus, & ſexaginta militibus conſtare, inter quos centuriones duo, ſignifer vnus continebatur. Inter iſtos autem ſexaginta tres aliquando ego, mecumque alii nonnulli putauerunt, viginti velites pariter comprehenſos fuiſſe; ſed quoniam quiſquis calculum iniret, quinque millium numerum, quo legio iuxta Liuium componebatur, non inueniret, exiſtimaui primæ

k lib. 8. bis, & lib. 30. & lib. 37.

l

m lib. 8.

n Glareanus ibid.

frontis

frontis manipulum non caruiſſe leuibus vicenis militibus, præter ſcutatos ſexaginta tres: qui ſcuta gerentes ſub grauibus armis belligerabant. Quindecim in fronte locat manipulos inter ſe iuſto interuallo diſtantes: quos manipulos quindecim perſpicuum eſt iuxta initam rationem eſſe mille ducentos quadraginta quinque, ex quibus prima frons in acie flore iuuenum pubeſcentium ad militiam conſtituebatur. Robuſtiorem deinde ætatem iuxta collocat totidem manipulos, hoc eſt, quindecim; ſed, vt putandum eſt, ſine velitibus, vnde conficitur numerus nongentorum quadraginta quinq; militum, quos antepilanos vocat: quia ſub ſignis quindecim alii ordines locabantur, ex quibus ordo vnuſquiſque tres partes, & quælibet centum octuaginta ſex milites habebat: nam ſi dixiſſet centum octuaginta nouem, manipulum triplicauiſſet, qui ſexaginta tribus componebatur. Verum hoc ſi ita ſeſe habere conceſſerimus, in primum ordinem militibus mille ducentis quadraginta quinque redactis; idem in ſecundum ordinem nongentis quadraginta quinque, deinde in tres, quas diximus, poſtremæ aciei partes in ſingulis manipulis centum octuaginta ſex; qui ſimul ſumpti mille ſeptingenti nonaginta ſunt; omnes numerum conſtituunt quatuor millium nongentorum & octuaginta: cui numero etſi viginti deſint milites, tamen nihil video, quod minus ab autore diſſentiat; ſi vero leues viceni milites ſingulis ſexaginta tribus manipularibus adderentur, ſumma minus quadraret; pedites enim non eſſent amplius, quam quatuor mille ſexcenti nonaginta, quo in numero pedites trecenti viginti deſiderarentur. Hæc acies in tres partes diuiſa, ſingulas peditum centum & octuaginta ſex, à Liuio primipilus dicitur; primamque ipſorum partem ſtatuit eſſe triariorum, qui veterani milites erant, & ſpectatæ virtutis; ſecundam rorariorum, qui minus roboris ætate, factiſque præſeferebant; tertiam accenſorum, quæ minimæ fiduciæ manus erat; eo & in poſtremam aciem reiiciebātur. Adeo vt ex vna Romana legione quinque delectus fierent: alii boni milites erant haſtati, meliores alii principes, optimi erant triarii; ex deterioribus item rorarii, deterrimi autem omnium accenſi. At ſi verum eſt, quod Polybius tradit, triarios ſemper fuiſſe ſexcentos, hoc caſu non fuiſſet abs re, vt rorarii, & accenſi iuxta Liuianam ſupputationem eſſent mille octingenti, hoc eſt, ab vtraque parte nongenti. In iis, quę hucuſque examinauimus, etſi ad quædam peculiaria magis deſcenderimus, nondum tamen oſtenſum eſt, quo pacto conſtituerentur manipuli. Ego vero ita coniicio, coniecturam meam ſaniori iudicio ſubiiciens, vnumquemque manipulum in fronte ſeptem milites habuiſſe, quæ aciei latitudo, ſiue amplitudo eſt; nouem in longitudine, qui numerum ſexaginta trium conficiunt: Cum vero quindecim fuerint manipuli, frontem milites centum & quinque habuiſſe, veriſimile eſt: & per conſequens cum longitudo aciei quinque ordines militum, cuiuslibet autem ordinis linea milites nouem contineret, hoc pacto quadraginta quinque militum lineæ conficerentur. Reliquum modo eſt, vt loci ſpacium conſideremus, quod ſingulis militibus an-

tiqui tribuebant: hoc autem cum trium pedum ſit, ſequitur; vt latitudo centũ & quinq; militum trecentorum, & quindecim pedum ſpaciũ occupet: nunc ex te ipſo deliberes, quale inter manipulos ſtatuas interuallũ, quo ſcilicet eo maiorem efficies latitudinem. Quod ſi inter quemuis ordinem longitudinis ſex pedes concedamus, vnde quilibet ordo pedes quinquaginta quatuor in longũ extenderetur, ſi quinq; ordines quinquies multiplicentur, pedes erũt ducenti ſeptuaginta. Verũ quia inter manipulos interuallũ relinquebatur, pariter videndum eſt, quantum ſpacii inter eoſdem manipulos concedas. Quibus poſitis, ſi concedatur, ſpaciũ pedum triginta in quadrato loco quinquaginta militib. ſatis eſſe, facile cognoſces, quando, & quantis interuallis ſuas antiqui acies collocarẽt. Verum quia inter manipulos aliquid, vt diximus, ſpacii interponebatur, & in ſecunda tertiaq; acie aderant interualla, quibus milites prælio pulſi reciperentur; idirco adnotandum eſt, ſi longitudo ſecundæ, tertiæ ve aciei maior ſit, quam nouem linearum, vt interualli ſpacium in amplitudine aciei relinqui poſſit. Hoc loco noua difficultas exoritur, quia inter Liuium, & Vegetium non minima ſit differentia, non modo quia hic ſex ordines, ille quinq; pouit (hoc n. minimum intereſt, dicente Vegetio, quintum ordinem aliquando conſtitutum fuiſſe, poſtea ſextum nominat, quo pacto quinq; tantũ ordines vt plurimum in vſu fuiſſe viderentur) verũ etiam quia Vegetius putat, hos incipiendo prælio immitti, deinde ſeſe recepiſſe ſolitos fuiſſe: Liuius autem cũ dixiſſet, in quolibet manipulo viginti velites fuiſſe, videtur innuere, ab ipſis pręliũ incipi conſueuiſſe. Ad hæc, alia ſuboritur difficultas, ꝙ ſi velis ab his inferioribus ordinib. prælium incipi, oporteret, primos etiam haſtatorũ ordines interualla in quæ illos reciperent, habere: ſed Liuius interualla non collocat, niſi in ſecunda, ac tertia acie. Inter quas, tantaſq; difficultates ne ab autoritate Liuii longius abſcedamus, tota res hoc modo ꝓcedere videtur: vt prima & ſecunda acies, hoc eſt, quindecim manipuli primæ aciei, & quindecim ſecundæ habuerint ſinguli ſua ſigna ante manipulũ quemq;; Poſtrema vero triariorũ, ſimulq; accenſorum acies, cuius quadraginta quinq; ſigna fuiſſent, ſimiliter habuerint ante ſe ſigna, hoc eſt, ſtatim poſt principes; ideoq; antepilani vocati fuerint omnes ii, q præcedebant, hoc eſt, haſtati, principeſq;. Quæ res in prælio illo inter Romanos, & Latinos, quo Decius ſe ſaluti reip. deuouit, melius, quam alibi declaratur, vbi *ab læuo cornu haſtati Romani non ferentes impreſſionẽ Latinorum, ſe ad principes recepere*, [P] hoc eſt, inter ipſorũ interualla ex haſtatis, & principibus vnica facta eſt acies. Adnotentur autem autoris illa; *nam & rorarii procurrebant inter antepilanos, addiderantq; vires haſtatis ac principibus*: hoc eſt, inter duas acies ante ſigna conſtitutas; idq; forſitan non quia ipſi ſignis carerent, ſed quia poſt ipſos nullum præter illa ſignũ fuerat. Triarios vero adhuc immobiles, ſiniſtro crure porrecto, ſtantes Conſul excitaturus erat, ſed integros eos ad vltimũ diſcrimen reſeruans, *accenſos ab nouiſſima acie ante ſigna procedere iubet*: Latini credentes à Romanis triarios immiſſos fuiſſe, triarios ſuos excitauerunt; qui ali-

[P] *Liu. lib. 8.*

quandiu pugna atroci fatigati debellatum iam putabant, cum Romanus Conſul triarios, qui integri, ac recentes nutum expectabant, iuſſit conſurgere. In quo tria notentur: primo *inter triarios recipi in interualla ordinum antepilanos*, vbi neceſſario dicendum eſt, antepilanos eoſdem cum haſtatis, & principib. eſſe, & inde eius nominis originem deriuari: ſecundo, clamore ſublato, prælium eos redintegraſſe: tertio, haſtis ora hoſtium petiiſſe: *vbi triarii conſurrexerunt integri refulgentib. armis, noua ex improuiſo exorta acies, receptis in interualla ordinum antepilanis, clamore ſublato principia Latinorũ perturbant: haſtiſq; ora fodientes, primo robore virorũ cæſo per alios manipulos velut inermes prope intacti euaſere.* In hoc autẽ poſtremo adhuc tria cõſideranda ſeſe offerunt: Triarios, vt coniecturis aſſequor, haſtas ſuas nõ proieciſſe, ſed manu iis retentis hoſtem noſtro more pepuliſſe; Quod ſi ita ſe habet, poſſet aliquis interrogare, quomodo quis poteſt haſta, ſimul & ſcuto vti? quæ ſecunda eſt conſideratio. Sed hæc dubietas à Plutarcho remouetur,[q] dicente, triarios ſcuta in humeros reieciſſe, vt olim efficiebant Macedones, dum phalange Romanas acies perturbabant; vtq; hodie Galli equites minora ſclopeta poſtquam exploſerunt, humeris appendentes gladios diſtringunt: tertium eſt, quod cum Romani triarii Latinos principes adorti eſſent (ex quo perſpicitur, etſi iam cõſerto prælio, Latinos in ordinibus ſuis permanſiſſe) primum robur virorum proſtrauere, multaq; cæde per alios manipulos prope intacti euaſere, cum prius dixiſſet. *Latinos triarios fatigatos, & haſtas aut præfregiſſe, aut hebetaſſe.* Modo, quod pertinet ad ſigna, diuiſim ea poſita fuiſſe, apparet iis verbis; *cum iam portis prima ſigna & pars agminis eſſet egreſſa*; quod autem ſigna præcedere debeant; *vadunt in bellum vrgentes ſigniferos,*[r] & alibi; *vrgent itaque alii alios, hortanturq; ſigniferos, vt ocyus eant.*[ſ] Quod vero vnaquæq; acies ſua ſigna præferret, inter Scipionem, & Annibalem commiſſo prælio manifeſtum eſt; *principum quoq; ſigna fluctuare cœperunt, vagam ante ſe cernentes aciẽ.*[t] adeo vt ſigna, hoc eſt, qui ea ferebant, primi animaduerterint, haſtatos fluctuare, quod non fecerunt principes, qui ſigna ſequebantur. Quapropter cum ſe ita res habeat, vt ſeſe habere opinor, quærendum eſt, cur dicantur ſigna in medio collocari, ideoque anteſignanum, & ſigna ſequentem pro ſigno dimicare debuiſſe? *pro ſignis anteſignanus, poſt ſigna alia pugnaret acies.* Ego quidem dicerem, hæc ſigna non alicuius centuriæ, aut manipuli, ſed legionis vniuerſæ fuiſſe; qua de re, quia diſcurſus hic excreuit nimis, alibi Deo dante fuſius differemus. Satis enim mihi nunc erit, præſtare, quod ſuperius fueram pollicitus, hoc eſt, in medium afferre, quæ in noſtris exercitibus, vt cito & bene ordinentur, ipſe exoptem. Et exploratum, perſpicuumque eſt, quemadmodum expedite, ac prompte legere nemo poteſt, niſi prius elementa literarum nouerit, & combinare didicerit; ſic neceſſarium eſſe, vt ſe milites viciſſim cognoſcant, & ſæpius coniuncti, & in ordinem reducti fuerint, neque ignorent, qui commilitonum præcedant, quive ſequantur, & rem hanc optime calleant, & pariter exequantur. Quod nunquam

[q] in P. Æmil.
[r] Liu. lib. 9.
[ſ] lib. 10.
[t] lib. 30.

..ll q:ıı poteris, niſi milites in contubernia diuidas. Igitur capiamus cẽturiam, quæ quinque militum habens latitudinem, in viginti militum lineas per longitudinem diuidatur: contubernium decem conſtet militibus, quibus vnum ſit tabernaculum; Ex quibus militibus quoniam vnus cõmeatum, alter militiam curet, neceſſe eſt, alterum decurionem, alterum magiſtrum contubernii vocare libet, qui ambo à latere dextro primi in ordinibus eſſe debent; quem ordinem ſi ſeruaueris, ſingulos milites cognoſces, & nominatim ſcies vocare, inuicemque ipſi ſe cognoſcent: nam ſi primum cognoueris à parte dextera primæ lineæ eſſe decurionem, primum autem ſecundæ lineæ eſſe magiſtrum contubernii, conſequenter non ignorabis, quis primæ lineæ ſecundus ſit, tertius, quartus, quintus miles, cæterique deinceps: proinde ſi quis eorum inſigne aliquid geſſerit, ille cognoſcetur, quotieſcunque dictum fuerit, tertium ſeptimę lineæ militem hoc, aut illud egiſſe; vel quia ſeptima linea prima linea eſt quartæ decuriæ, idem intelligetur, ſi dixeris, tertium quartæ decuriæ militem aliquam rem feciſſe. Eodem pacto, ſi ordines tranſmutandi ſint, adeo vt partem dextram in ſiniſtram tranſire oporteat, poſtquam decurio ad alterum latus tranſiuerit, tota linea tranſmutabitur abſque vlla nominum mutatione; ille enim, qui à dextra parte ſecundus erat, item ſecundus erit à ſiniſtra, idemque cæteri: quod ſi decet, vt vnuſquiſque ne ignoret eum, quem ipſe ſequitur, eumve, qui ſubſequitur, neceſſario certiſſimam inter omnes notitiam hoc modo induces; Secunda linea primam cognoſcet, quia pręcedit, & quia ex ſuo contubernio eſt, & primam lineam ſecundi contubernii cognoſcet, quæ ſubſequitur. Tertia vero linea quartam cognoſcet, quoniam item ex ſuo contubernio eſt, & quia ſubſequitur; & ſecundam primi contubernii cognoſcet, quia præcedit, ſicque deinceps. Sed, quod ad inſtruendam aciem pertinet, ſimulatq; ſtatueris, quanta frontis amplitudo eſſe debeat, conſtat, nihil tibi faciendum aliud eſſe, niſi vt tot manipulos colloces, quot frontis illius amplitudinem expleant. Quod ſi decem millia peditum habueris, triplicemque aciem inſtruere tibi ſatis fuerit, eumque locum, quem requiret frons, malueris occupare; nequaquam dubitandum, quin ſi triginta tres centuriæ in ſingulis aciebus collocentur (eam centuriam, quæ ex centum aliis centuriis ſuperfuerit, vbiuis collocando) frons ex peditibus centum ſexaginta quinque efficiatur; qui pedum quadringentorum nonaginta quinque ſpacium occupabunt: cumque ipſius aciei longitudo viginti ſit linearum (cui pedites ſex inuicem pedibus diſtare ſolent) pedes centum viginti omnes occuparent: adeo vt triplex hæc acies, demptis inter ipſas ſpaciis, & interuallis, pedes trecentos ſexaginta extenderetur: quo pacto omnes fere milites quadrato agmine continerentur. Quibus rebus exequendis, ſi meam ſententiam perſpicue ſatis exerui, nullus campiductori in acie inſtruenda labor videbitur, dummodo quamlibet centuriam opportunis documentis, ac diſciplina imbuerit, vt ante diximus. Obiiciebat mihi rerum bellicarum vir ſcientiſſimus: omnia recte ſe habere, cæterum fieri

non

non poſſe, vt iſta contubernia militiam non deſertura ſint. Cui reſpondebam ego; vel ea recte inſtituta, & integra ſunt, vel non ſunt. Si ſunt conſtituta, ex neceſſitate ſtipendia facient: alias non ea recte prima militiæ docuiſti rudimenta, & perinde eſt, ac ſi diceres, milites nolle dimicare, & dicto parere: Ego vero ita cenſeo, ſi bonam à te diſciplinam ſuſceperint, eos pluſquam libenti animo imperata executuros: naturaliter enim omnes libentius ea exequimur, quæ cum ordine coniuncta, quam quæ inordinata ſunt: Si vero eadem integra nõ fuerint, hoc poſt conflictum eueniſſe neceſſe eſt, quia plurimi in ipſo mortui ſint; quo caſu quis neſcit, ad te pertinere, vt contubernia reſarcias, ita ſtatuendo, vt ſecundum contubernium primi locum redintegret, tertium ſecundi; hoc ſiquidem eſt ad primos ordines tranſire; quorum primi maioris ſunt, quam poſteriores exiſtimationis; neque conſentaneum eſt æquitati, vt tyrones primas, aut ſecundas lineas expleant, vt vigeſima, verbi gratia, linea ſemper in ordine remaneat vigeſimo. Verum triginta militibus alicuius centuriæ interfectis, ita diſpones, vt decimaſeptima numeretur tanquam vigeſima, tres vero tyronum decurias renoues; quod quidem honeſtum eſt. Prætermittimus autem poſtremæ aciei dignitatem conſiderare, quia malumus, eam vt ex te ipſo cognoſcas; illud tantum addentes, tyronum manipulos, ac centurias loco minus honeſto ſemper ponendas eſſe, ibique collocandas, vbi exercitui fuerint opportuniores; nam quia id potiſſimum reſpiciendum eſt, vt primas lineas renoues, viciniores iis ſubrogando, vltimas vero item vicinioribus reſarcias; tyrones collocare poteris, ſi non in medio (qui locus ipſe quoque dignus eſt ob vexilli cuſtodiam) at certe in locis illis, qui longius à maiore dignitate diſtant, vt nemini militum ſua interrumpatur prærogatiua, neque vnquam qui minora ſtipẽdia meruerint, ad digniora loca veteranis ſuperſtitibus euehantur. Quæ res ſi haberentur in vſu, vel meliores, quam eæ ſunt, quas diximus, militares leges inſtituerentur, vel mali mores corrigerentur, denique eiuſmodi induceretur conſuetudo, vt iure ordinata militia, non caſu inſtituta exiſtimari poſſet: præfectiſque militum ſicuti minueretur labor, & moleſtia, ita militibus plurimum adderetur fortitudinis; cum quia inter ſe noſcentes audacius dimicarent, tum etiam quia conditionem ſuam meliorem fore, ſperantes, periculis quibuſque ſeſe promptiore animo exponerent.

De militari faſtu antiquorum.

DISCVRSVS III.

SVperbia ducum noſtræ tempeſtatis ea eſt, vt milites ſuos alloqui dedignentur, de nomine illos minime noſcant, eorum opera perinde atque mancipiorum, non commilitonum vtantur. Non iſtiuſmodi erant antiquorum du-

cum mores, qui in hoſtes ſuperbi, in ſuos manſueti, placidique ſemper fu-
runt, niſi aliud neceſſitudo perſuaſiſſet. Vtque noſtrates diſpiciant, antiquo-
rum faſtus, qua in re exerceretur, paucis ediſſeram. Primo autem Popu-
Romani maieſtati incongruum videbatur, ſi exercitus fluuium, non ſuper
iniecto ponte, tranſiſſet. Quod perſpicue patefecit Ciuilis Gallorum dux, q
oppidis relictis, in inſulam conceſſit, *gnarus, deeſſe naues efficiendo ponti, neq; exer-*
citum Romanum aliter tranſmiſſurum. [a] Sic de Germanico: *Cæſar niſi pontibus, pr-*
ſidiiſq; impoſitis, dare in diſcrimen legiones haud imperatorium ratus. [b] Ex I. Cæſa-
verbis clariſſime hæc eadem elatio demonſtratur, nam cum Rhenum tranſi-
decreuiſſet, nauibus traiicere neque ſatis tutum arbitrabatur, neq; ſuæ, neq;
Populi R. dignitatis eſſe, ſtatuebat. Itaq; etſi, inquit, ſumma difficultas faciu-
di pontis proponebatur propter latitudinē, rapiditatem, altitudinemq; flum-
nis; tamen id ſibi contendendum, aut aliter non transducendum exercitum
exiſtimabat. [c] Itidem virtuti, atque conſtantiæ Populi R. conuenire, non ex-
iſtimabant, ſi annos integros in vrbium obſidione perſtitiſſent, neque arm-
illas debellarent. Proinde pertinaciam Iudæorum, qui ſe Hieroſolymis acerr-
me tutabantur, perſpicientes, ad pugnandum verſi ſunt; *neque enim,* inquit au-
tor *dignum videbatur famem hoſtium operiri.* [d] Etiamſi verum, tutiſſimumq; fo-
ret, nunquam tamen Romani conſilium ab hoſtibus ſub amicitiæ colore da-
um, exequi dignabantur; *quid enim leuius, aut turpius* (inquit Cæſar) *quam au-*
tore hoſte de ſummis rebus capere conſilium? [e] Item profitebantur, *non eſſe conſue-*
tudinem Populi Rom. vllam accipere ab homine armato conditionem. [f] Quod ſi pro-
uocarentur, nunquam ibant, quo hoſtes cuperent, quia ſi viribus polleas, m
vi ad prælium cogere debes, ſin minus, vbi mihi magis expedit, eo iturus ſum,
non quo hoſtis vocaſſet, ſed quo Imperatores ſui duxiſſent, ituros eſſe. [g] In mouendis ca-
ſtris ſummam adhibebant diligentiam, ne fuga videretur, [h] & adnotanda eſt
Cæſaris prudentia in mouendis caſtris, poſtquam à Pompeio maximam acce-
piſſet cladem; nam quãuis ſui milites perterriti eſſent, nihilominus vehemen-
ter curauit, vt exiſtimationem ſeruaret; ideo prima nocte ſaucios, & ægro
ex caſtris præmiſit, ac conquieſcere ante iter confectum vetuit, quibus vnam
legionem præſidio miſit: quarta vigilia, duabus legionibus retentis, reliquas
compluribus portis eductas, eodem itinere præmiſit; paruoque ſpacio in-
termiſſo, vt & militare inſtitutum ſeruaretur, & ne citiſſima eius profectio
cognoſceretur, *conclamari iuſſit.* [i] Vnde intelligitur, etſi maximum immi-
neret periculum, voluiſſe Cæſarem in caſtris mouendis ſuperbiam, animi-
que elationem illam ſeruare, quæ magnum, qualis ipſe erat, imperatorem de-
cebat. Nemini inſuper concedebant, vt caſtra eques ingrederetur: proinde
Tigrani, qui Pompeio ſeſe dediturus, ad cũ accedebat, per lictores iuſſum fuit
vt in pedes ſe reciperet, aſſerentes, in caſtra Romanorum, equo ingredientem
viſum vnquam fuiſſe neminem. [k] Romani duces nulli regum quãtumuis ma-
ximo, etſi amice tractaretur, cedebant: vnde in colloquio Corbulonis, & Tiri-

datis

[a] lib. 11.
[b] lib. 2. & lib. 15.
[c] lib. 4. de bell. Gall.
[d] lib. 21.
[e] lib. 5. de bell. Gall.
[f] ibid. & Plut. in Pyrrho
[g] Liu. lib. 8.
[h] ibid.
[i] lib. 3. de bell. ciu.
[k] Plut. in Pomp.

datis Armenorũ regis, qui præterea Vologeſis Parthorum regis frater erat, primus Tiridates ex equo deſcendit.[l] Et in colloquio Martii, & Perſei Macedonũ regis primus Perſeus fluuiũ tranſmeauit.[m] Si forte fortuna in campo ſe obuios habuiſſent rex quiſpiã, & Rom. dux, & veſtis, & rerum cæterarum prærogatiua Romano duci debebatur: quocirca Hirtius, ſiue Oppius miratur, & arguere videtur Scipionẽ, quod Iubæ regi ſagulũ purpureum ceſſiſſet, & ad album ſeſe veſtitum tranſtuliſſet.[n] Rom. impp. quoties ad exteras regiones proficiſcerẽtur, numquã faſces, ſuæq; dignitatis inſignia deponebant: neq; belli Alexandrini principium aliunde fuit, quam cum Ægyptii è naui egredientem Cæſarẽ vidiſſent, faſces anteferentem: in hoc enim omnis multitudo maieſtatem regiã minui querebatur: ſed quod magis intereſt, controuerſias regũ ad Populum R. & ad ſe, quod eſſet Conſul, pertinere exiſtimans, oſtendit, ſibi placere, regem Ptolomæum, & Cleopatram eius ſororem iure apud ſe potius, quam inter ſe armis diſceptare.[o] Dedignabantur ab hoſte munera accipere, nedum hoſti ea mitterent: ideo cum Pharnaces auream coronam Cæſari miſiſſet, Cæſar reſpondit: faceret prius, quæ imperata eſſent; ſi feciſſet, iam tunc ſibi mitteret munera, ac dona, quæ bene rebus geſtis, imperatores ab amicis accipere conſueſſent.[p] Non erat Romanorum ducum mos, vt militum cadauera inſepulta feris, auibuſque cibum desererent; hanc enim indignitatem animi eorum magnitudo non ferebat: idcirco arguitur Cethegus Labeo, *quod non vltum iſſet, aut corpora humaſſet.*[q] Et merito laudatur Germanicus, quod ſuorum, etſi defeciſſent, corpora cremari curauerit,[r] quod etiam fecit Annibal,[s] præterquam quod artis militaris præceptum eſt, vt id multis de cauſis ne omittatur.[t] Ægro animo, quæ temporibus noſtris notam inurere poſſunt, attrecto. Romanas hiſtorias euoluentibus facile reperire eſt, antiquos duces ſi ab hoſtibus caperentur, inhoneſtam rem putauiſſe, quod viuos in hoſtium poteſtatem peruenire, ab ipſorum magnitudine alienum fuerit; *eum vero, qui viuus ab hoſtibus captus fuerit; etiam gratis reddere volentibus relinquendum, vt præda, quomodocunque libet, vtantur.*[u] O celſitudinem Populi Romani, ô ciuitatem vere ad mundi imperium exortam. Ad quid mirum, te ſpiraſſe tam ingentes ſpiritus, tam magnanima conſulta, ac geſta tua fuiſſe, poſteaquam his moribus cum lacte, & vſque ab exortu, & infantia reip. hauſtis, cum iiſdem educata, atque adeo prouecta es, vt omni tempore, omnique fortuna tui te ſimillimam eſſe, decuerit; Tu Cannenſem cladem perpeſſa, qua ſociorum, ciuiumque tuorum quinquaginta millia luxiſti, qua maior Italiæ pars victoris fortunam ſecuta eſt, dum ingruentem hoſtem intra viſcera imperii tui ſuſtentares, & è mœnibus pene proſpiceres, nunquam eo abiectionis te demiſiſti, vt fœdus, pacemve hoſti proponeres.[x] Eodem anno ab hoſte Gallo interfectis viginti quinque ciuium, & ſociorum millibus, tam iniquæ fortunæ vel modicum te non inflexiſti, nedum

ſuccu-

[l] Tac lib. 15.
[m] Liu. lib. 42.
[n] de bell. Afr.
[o] Cæſ. lib. 3. de bell. ciu.
[p] de bell. Afr.
[q] Tac. lib. 4.
[r] lib. pr.
[s] lib. 22.
[t] Leo Imp. cap. 16.
[u] Plato de rep. lib. 5.
[x] l. 22. in fine.

[z] *lib. 21.*

ſuccubuiſti.[z] Haud multis poſt annis ab hoſte victore, ideoq; magis exhorreſcendo, muros tuos laceſſita, non ſolum neque paues, neque terreris; verum neque exercitum, qui Capuam tunc temporis obſidebat, ſubſidio tuo reuocas, & gemino magnanimi tui faſtus argumento, altero ſublimi illo quidem, altero in parua re non mediocre, hoſti omnem tui oppugnandi ſpem eripis: nō mediocre fuit, cū ex quodam captiuo cognouit Annibal, eum forte agrum, in quo per eos dies ad mœnia vrbis armatus ſedens, caſtra habebat, venïſſe, nihil ob id diminuto precio: ſublime; cum per eoſdem dies, milites ſub vexillis in ſupplementum Hiſpaniæ profectos, audiuit.[a] Hunc faſtum, hoc ſuperbiæ genus, animique magnitudinem optarem ego, noſtros imitari milites, duceſque: ſecus quam Pallas, qui, vt alibi dixi, ne vocem cum ſeruis ſociaret, nutu imperabat.[b] Hoc ſcilicet ſuperbiæ proles rabioſa eſt: virtus vero ex honore magnitudinem animi parit, ex legitimo veluti matrimonio. Quare ſapienter dixit poeta ille prudentiſſimus, Probari ſibi in amica ſua magnitudinem quidem animi, non autem ſuperbiam. In virtute, non animi mollitie, vt autori noſtro viſum eſt, magnitudo fortunæ ſita eſt: arma, militeſque colendi, ac magnifaciendi ſunt.

[a] *lib. 26.*

[b] *Tacit. lib. 13.*

De commento, quo duces conſueuerunt hoſtem ducem in ſuſpicionem adducere.

DISCVRSVS IV.

CErialis etſi inſulam Batauorum depopulatus, agros, villaſque Ciuilis intactas ſinebat, *nota arte ducum*,[a] vt ſcilicet aduerſarios duces in ſuſpicionem adducant; quod fecit Annibal, qui totius Italiæ agros ferro, atque igni vaſtando, vnius Fabii Maximi fundum immunem ab hoc iniuriæ genere reliquit, vt aliqua eum ſuſpicione trahendi belli reſpergeret.[b] Neque dubium eſt, quin hæc ars ad ſuſpicionem gignendam peridonea ſit: vnde ei neceſſe eſt antidoto obſiſtere; quali vſus eſt idem Q. Fabius, qui reip. inuidiam fraude, ac dolo Annibalis partam animaduertens, & cernens, pactum ab ſe initum cum hoſte de redimendis captiuis, vt quæ pars plus reciperet, quam daret, argento ſuppleret, ſæpe iactata in Senatu re, in longum differri, inuiolatum ab hoſte agrum vendidit, fidemque publicam impendio priuato exſoluit.[c] In primordiis reip. eadem ars, vt credebatur, Coriolano aduerſus patriam bellum mouenti minime incognita: quippe qui prope vrbem caſtris poſitis, populabatur agrum Romanum, cuſtodibus inter populatores miſſis, qui patriciorum agros intactos ſeruarent, ſiue infenſus plebi magis, ſiue vt diſcordia inter patres, plebemque oriretur. Quæ profecto, inquit Liuius, orta eſſet (adeo tribuni iam

[a] *lib. 21.*

[b] *Valer. M. lib. 7. c. 3.*

[c] *Liu. lib. 22.*

feroccm per ſe plebem criminando in primores ciuitatis inſtigabant) niſi externus timor, quamuis ſuſpectos, infenſoſque inter ſe iunxiſſet animos.[d] A bellicis rebus parumper declinemus. Zeno Philoſophus, arte non diſſimili, in animum Phalaridis Agrigentinorum tyranni, cum tanquam coniurationis ſuæ participes proximum quemque eiuſdem, ac fidiſſimum nominauiſſet, eiuſmodi ſuſpicionem impreſſit, vt ad ſæuiendum contra illos impulſus, ab iiſdem interfectus fuerit.[e] Nihil fere eſt, in quo principes cautiores eſſe debeant, quam in diiudicandis iis rebus, quæ de ducib. amiciſve ſuis deferuntur: etenim ſæpenumero quædam magis, vt principibus, quam vt ducibus, vel clientibus ipſis incommodum fiat, denuntiari conſueuerunt. Sic Franciſcus Sfortia cupiens, ab Alphhonſo rege Troilum, & Petrum Brunorum, præclari nominis duces, auellere, epiſtolam ad ipſos datam confinxit, in cuius extrema parte monebat ipſos, vt nulla interiecta mora, quod pepigiſſent, ſtrenue præſtarent; quibus literis ex compoſito in manus regis, qui forſan aliunde ſuſpicionem de ipſis animo conceperat, delatis; in cuſtodiam ambo rapti ſunt, miſſique in Cataloniam, vnde clariſſimorum militum opera deſtituto rege, conſilium hoſtis ex voto ſucceſſit.

[d] lib. 2.

[e] Val. Max. l. 3. c. 3. Cic. 2. de off.

FINIS.

INDEX
RERVM AC VERBORVM
IN HOC OPERE NOTABILIVM DITISSIMVS.

A.

ACceptum quiſq; principi ſuo, ſi qua bene geſſit ferre debet. 4.99
Accuſatores & delatores qui. 4.117
Accuſatoris officium. 4.119
Achab rex Iſrael à Propheta reprehenditur. 13.203
Acheloo cornua detracta. 13.209
Achillis promiſſa. 19.327
Acquire exiſtimationem, dein ſede: prouerbium, quid denotet. 13.182
Actionum humanarum finis eſt, vt mala euitentur. 4.108
Adoleſcentes principes quibus rebus aſſueſieri debeant. 13.184
Adrianus Cæſar adoptans Antoninũ, ipſi præcepit, vt non vnum, ſed binos familiæ aggregaret hæredes. 1.6
Adrianus Imp. immenſus fuit Venator. 2.31
Adrianus Pompeii ſepulchrũ reſtaurauit. 3.91
Adſpirantes ad cuncta nullius ſunt participes. 5.135
Aduerſa pleraq; quomodo euitari poſſint. 17.257
Adulari an liceat principib. adoleſcẽtib. 13.184
Adulatio exquiſitiſſima quæ ſit. 11.142
Ægyptus Ioſephi prouidẽtia ſuſtentata. 12.17
Ælius Gracilis Belgicæ Legatus. 15.209
Ælius Lamia Tiberii temporib. propter egregias animi virtutes magnus ſenator fuit habitus. 4.107
Ærarium eſſe neruos belli. 18.297
Ætatis ratio in deferendis muneribus imprimis habenda. 11.150
Ætoli Flaui conſilium. 3.94
Afros eſſe aſtutos & malitioſos. 4.110
Agathoclis conſilium. 18.279
Ager Hydruntinus. 4.106
Aggreſſio improuiſa in p̃lio q̃d efficiat. 14.226
Agrippa omnium laborum ſuorum gloriam principi detulit. 4.100
Alcibiades. 15.244
Alexander quomodo cum Romanis comparandus. 18.299
Alexander Magnus non magno exercitu Perſarum regnum vicit. 20.348
Alexander Magnus maximam in terris gloriam adeptus, 1.6. totũ orientem ſubegit, ibid. Perſas debellauit, ibid. Macedoniam ſuam trophæis ornauit. ibid.
Alexander Seuerus plurima collapſa ædificia Romæ reſtaurauit. 3.91. Traiani pontes collapſos reædificauit. ibid.
Alexander Magnus ex Poro deuicto Rege nullam ſenſit moleſtiam. 12.167
Alexander Magnus quibus militibus regnum

Perſa-

Perſarum occupauerit. 14.228
Alexander Seuerus venaticam prædam diuidere ſolitus. 17.269
Alexandri magni dictum: Et ego id agerem, ſi eſſem Parmenio: quid denotet. 5.141
Alexandri Seueri laudes. 17.264
Alexandri monitum ad Camillam. 15.233
Allucii laudes. 17.275
Alphonſus Aragoniæ Rex. 1.6
Alphonſus rex Neapolitan. aſtutus aulicaſq; technas mire calluit. 11.143
Alphonſus Picolhomineus. 4.105
Alphonſus primogenitus ducis Ferrariæ. 5.134
Altare vnum cooperiri, alterum vero denudari iniquum eſſe. 14.230
Alternis cantare quid ſit proprie. 15.243
Alphenus Varus. 18.285
Amico & inimico animus non patefaciendus. 13.190
Ambroſius digniſſimus Antiſtes. 17.259
Anglia regina Belgiorũ defectionẽ fouet. 1.18
Animum cuiuſq; applicandum eſſe ad quaſq; fortunæ aduerſitates perferendas. 11.155
Animorũ recreatio in bellũ neceſſaria. 18.305
Annibal Romanos vicit, 18.299. Cum quib. & quot acie conflixerit. ibid. & ſeq.
Annibal Romanos opprimi non poſſe, niſi in Italia, aſſerebat. 18.280
Annibal hoſtem ſibi parem Q. Fabium inuenit. 4.116
Annibalis factum. 13.195
Annibalis coram Antiocho factum. 16.255
Annonæ charitas eiuſq; remedia. 12.169
Annonæ qui præficiendi. 12.170
Anon Legatos Dauidis ſumma iniuria affecit. 15.240
Anteceſſores principib. magnifaciendi. 17.271
Antigonus rex Macedoniæ. 18.299. Cleomenem vincit. ibid.
Antigonus Pyrrhi ingeniũ obſeruauit. 13.206
Antiochus non ſine cauſa furioſus dictus. 1.14
Antiochi Legati Romam miſſi. 13.189
Antiquitas in rebus etiam parui momenti præmia collocaſſe dicitur. 2.36
Antiquorum in reconcilianda amicitia mos. 20.355
Antiquorum tormenta bellica, etſi noſtris diſſimilia, conſimilem tamen ſtragem edidiſſe. 19.311
Antiquorum inſtituta de pœnis militaribus. 13.186
Antiquorum militiam fuiſſe ſeueriſſimã. 1.19
Antonius Burlamachius Piſas & Florentiam furari meditatur. 2.34
Antonius primus rerum militarium experientiſſimus. 19.312
Apollinis oraculum cæcos appellauit Chalcedonios. 12.180. & quare. ibid.
Apollinatum Legati læduntur. 15.241
Appius Claudius. 19.334
Aquam non grandinem poſco, prouerbium quid denotet. 1.29
Archelaus Cappadociæ Rex. 1.10
Archimedis ſtulta meditatio. 14.217
Archimedis machina & inſtrumenta bellica. 2.48
Areopagus in orationibus affectus reprehendit. 18.302
Ariſtenus Achæorum prætor. 18.296
Ariſtidis factum. 2.55
Ariſtidis ſapiens dictum aduerſus Tyrannum Dionyſium. 3.81
Ariſtomachus Archiuorum Tyrannus. 15.250
Arma ſine ſtipendiis nec ſtipendia ſine tributis haberi queunt. 1.26
Arma tutelaria cõparanda eſſe vt defendant quidem ſed non aggrauent. 2.44
Arma quouſq; proſint. 19.314
Armorum genus diuerſum, cum diuerſo dimicandi genere implicatur. 2.45
Armorum aptitudo in prælio quantum conferat. 2.43

Armenius rex ab Aſtyage Medorum rege defecis. 19 343
Arnuni cum fratre colloquium. 2.36
Arminius Germanorum fortiſſimus, Romanorum hoſtis acerrimus. 2.36
Ars expugnationum & munimẽtorum Græcis fuit inuſitata. 19.318
Ars militiæ non libris aut internunciis addiſci poteſt. 2.57
Artabanus Parthorum Rex non modo venator fuit, ſed ex venatione vniuerſam vtilitatem præcepit. 2.31
Artapanis exemplum ab Ariſtotele introducitur. 17.266
Artaxerxes montoſa & aſpera loca perambulaſſe fertur. 2.58
Artifex omnium experientiſſimus dicitur qui non modo vnius ſed plurium rerum faciendarum experientiam didicit. 2.55
Arcem hoſtilem à tergo non eſſe relinquendam. 18.291
Arces munitas & munitiones eſſe valde vtiles. 19.316
Aſdrubal ſagax dicitur. 19.335
Aſdrubalis inuentum ad compeſcendum ſæuientes Elephantes. 2.48
Aſiam reipub. Romanæ detrimento deuictam eſſe. 1.18
Aſinarii cuiuſdam erga Alexandrum factum egregium. 15.251
Aſſentatorem ſub malo principe periclitari. 4.98
Aſyla Græcis erant tẽpla quæ tutelam ſalutemque fugientibus præbebant. 3.88
Aſyla per Legatos Romanos propter abuſum remouentur. 3 88
Athenienſes reprehenduntur. 5 138
Athenienſium natura. 4.108
Attalus. 20.353
Atteii Capitonis libertas. 13.185
Atteii Capitonis dictum. 11.142
Aucupari verbum male vbiq; ſonare. 2. 35
Aucupari verbum apud Neotericos Etruſcos eſt perinde ac ludificare & irridere. 2.35
Aucupari qui cæteros intendit ipſe in aucupium cadit. 2.35
Aufidius Ruſſus. 19.334
Augurium Germanici olim contra Germanos apud Viſurgim bellum gerentis, pulcherrimum. 2. 39. *eiuſque ſomnium.* ibid.
Auguria à Romanis olim accurate ſunt obſeruata. 2.39
Auguria olim in militaribus animis viguiſſe. 2.39
Auguſtus feras multas populo exhibuit. 2.32
Auguſtus tribus de cauſis Alexandriæ pepercit. 13.205
Auguſtus Cæſar 12. anno ætatis ſuæ orationẽ in obitum Iuliæ auiæ ſuæ habuit. 12.177
Auguſtus Cæſar aduerſus cælibatum pœnas edixit. 2.63
Auguſtus Cæſar aduerſus orbitatem ſuam corrigendam, certumq; ſibi heredem ſtabiliendum curauit. 1.6
Auguſtus Tiberium ſibi heredem optauit. 1.6.
Auguſtus Cæſar manu ſua ciuium nomina in compendium redegit. 1.13
Auguſtus Phraatem Parthorum regem ſibi conciliat. 2.49
Auguſti hæc laus digniſſima fuit, quod noua munera excogitarit, quo plures gubernationis participes forent. 1.30
Auguſti ad Liuiam vxorem verba. 11 152
Aula Romana in melius mutatio. 1.22
Aulico homini nihil felicius cõtingere poteſt, quam cum à principe beneficium in ipſum vertitur, 3.73
Aurum ſolidũ menſis inferri olim vetitũ. 3.85
Autoritas principis quantum in rebus peragendis poſſit. 13.182
Axona fluuius. 19 334

Barba-

B.

Barbaros impetu ſemper egiſſe. 5.138
Barbarorum impetus acri conatu langueſcere. 5.138
Baſilica Pauli à Tiberio renouatur. 3.90
Bellum inter Spartanos & Thebanos. 2.50
Bellum gerere pulcherrimam ac honeſtiſſimam rem eſſe Cyrus voluit. 19.343
Belli commercia apud Tacitum quid. 12.158
Bellorum finem eſſe victoriam. 5.81
Bellicam diſciplinam in duobus conſiſtere. 19.316
in Bellicis rebus ſæpe fraus permiſſa. 15.244
Bellicis artibus mortem hoſtis non veneno aliis quærendam eſſe. 2.64
Beneuolentia principum erga ſuos non hereditaria. 3.73
Bentiuoli è dominatu Bononiæ eiecti. 19.321
Bibaculi & Catulli carmina referta contumeliis leguntur. 4.112
Boii in expugnandis ciuitatibus rudes à Liuio appellantur. 19.319
Bona eccleſiæ bello non eſſe dilapidanda. 15.245
Bononienſes magniloquentes. 4.110
Brixia ciuitatis exemplum. 19.313
Butridius niger adulis. 4.119.
Byrſa Britanniæ arx. 19.319

C.

Caius Caſſius. 15.239
Caius Sulpitius à militibus ſuis reprehenditur. 18.290
Caligula Syracuſanorum muros & Deorum templa reſtaurauit. 3.91
Caligula binos libros ſibi confecit quorum alter gladius, alter pugio dicebatur, in quibus omnes conſignabantur quicunque iis armis necandi deſtinabantur. 1.16
Caligula à Chærea interficitur. 17.264
Caligula aſtutia in velando ſcelere. 5.133
Caligulæ nomen vnde prodierit. 17.263
Calixtus III. quid ante pontificatum fuerit. 11.156
Caluiſii Sabini vxoris factum. 17.263
Cambyſes an maior fuerit patre Cyro. 2.62
Cambyſes ſororis amore captus magos interrogat an cōcubitus cum eadem ſit licitus. 5.132. Nequitiam ſuam religionis inuolucro texit. ibid.
Cambyſis iudices inhoneſte mendacium protulerunt. 5.132
Camillus & Poſthumius Cenſores quatuor vixerunt ætates poſt Platonem. 2.62
Camillus coniurationis reus necatur. 17.260
Camilli ad Romanos monita. 17.267
Capitolina Arx. 19.319
Captiuum redimere an armis repetere verū ſatius ſit. 19.330
Capuana perfidia. 13.202
Capuana plebs aliquando nobilium gubernationis pertæſa. 18.284
Capuani à Romanis ſeueriſſime puniti. 13.203
Capuani Romanorum ſocietatem ſpernunt. 12.162
Caractus 18. Britannorum rex. 12.167
Caraffæ Cardinalis mors. 17.260
Cardinalis Borromai factum. 17.259
Carolus Magnus Rhenum cum Danubio coniungere tentauit. 13.209
Caroli Magni aquæductus inſignis. 13.209
Carolus Cæſar Gallorum regem Franciſcum captiuum tenet. 5.135. eiuſq; prudens conſilium de eo liberando & dimittendo. ibid.
Carolus V. Imperator in occidente multas innumeraſq; moleſtias perpeſſus. 1.18

Carolus V. viribus & virtute priſcis Imperatoribus haud inferior, vitam priuatam amplexatus eſt. 3.75
Carolus VIII. in Italiam ad Regnum Neapolis occupandum deſcendit. 18.292
Caroli VIII. Gallorũ regis conſilium de inuadendo regno Neapolitano, 13.211. & quomodo ſit auerſum. ibid.
Carolo V. quid placuerit in duce Mediolani. 5.123
Carthaginenſium contra Maſiniſſam duellum & controuerſia. 2.50
Carthaginenſium petitio contra Maſiniſſam ad Romanos triplex. 2.50
Caruentana arx. 20.352
Caſſius Seuerus ſordidæ originis. 4.113
Caſtiliæ reginæ laudes. 16.254
Caſtra eſſe munienda. 19.333
Caſtra munienda eſſe antequam ad prælium deueniatur. 18.305
in Caſtris mouendis quatuor eſſe conſideranda. 13.194
Caſtrametationem militaris artis fundamentum eſſe. 19.333
Caſtrametationis inſcitia. 19.315
Caſus fati ineuitabiles. 11.155
Cato Cenſorius. 4.119
Catonis vita & mores laudantur. 17.257
Catonis maioris elegans ſententia. 4.107
Catonis maioris præceptum adoleſcentibus Romanis datum. 12.176
Caute principi eſſe agendum in rebus quæ ipſi proponuntur agenda. 16.253
Cenſores olim qui. 11.143
Cenſorium munus quo tempore Romæ cœperit. 11.144
Cerialis ſagaciſſimus dux. 20.361
Chriſtianos vſque ad Conſtantini tempora in humillima conditione fuiſſe poſitos. 3.92
Cicero prudentia artibus inſignis. 20.360
Cicero non ſolum ſenator, ſed etiam magna Reip. Rom pars extitit. 1.13
Cicero cœlibes ex ciuitate abiicere ſolitus. 2.63
Cinon Miltiadis filius. 19.31
Ciuem bonum decere amore patriæ priuatarum inimicitiarum obliuiſci. 18.
Ciues qui maiores honores ſunt conſecuti non debent deſpicere inferiores. 2.60
Cimilia filiorum ingenia diſplicere regnantibus. 5.12
Ciuilis gubernationis finis. 17.26
Ciuitas quæ Ariſtoteli placeat. 12.18
Ciuitas nulla excindenda etſi excidium ſi merita. 13.20.
Ciuitas quo loco commodius ædificetur. 12.179
Ciuitatem longo à mari ædificandam Plat cenſuit. 12.18
Ciuitatum & arcium in qualibet region habendus eſt reſpectus. 19.32
Ciuitatis maritimæ ob commerciorum frequentiam corruptionibus ſubiacent. 1 181
Clamorem in præliis olim factum fuiſſe ab que articulatis vocibus. 14.22
Claudius propter leges ciuiles neptem ſi in vxorem iungere non poterat. 159
Claudius Imperator non parua propoſi præmia iis, qui annonam nauibus add cebant. 12.1
Claudius Cæſar ad crudelitatem propenſi 2.55 eiuſque factum. ib
Claudii Neronis mirabile facinus. 195
Claudio imperante alimenta vrbi Romæ fuere. 12.

Clazomenius. 15.232
Clementia famam iis qui noua regna ſubeunt neceſſariam eſſe. 20.358
Clementis VII. illuſtre factum. 15.236
Cleomeni quid acciderit. 18.301
Cæcinna. 20.361
Cæcinna legionum Germanicarum Legatus. 1.23.
Cœlibes dici quaſi Cœleſtes. 2.63
Cæſar lege præſcripſit ne prætor annum neque conſul biennium in adminiſtratione excederet. 1.30
Cæſar tres virtutis legiones habuit. 14. 225
Cæſar à Pompeio duplici clade affectus. 13. 195
Cæſar continuos quinque dies populum ferarum ſpectaculis detinuit. 2.32
Cæſar Pompeium puſillanimum eſſe pronunciat. 1.9
Cæſar de ſuggeſtu quid ſenſerit eiuſque verba. 13.188
Cæſar quomodo agmen ſuum duxerit. 13.198
Cæſar, dum ſuum decus extollit, addidit gloriam victo. 12.167
Cæſaris encomia & laudes. 19.326
Cæſaris de Bruto & Caſſio opinio. 13. 206
Cæſaris cum Numidis pugna. 2.47
Cæſaris in Pompeium cauillatio. 15. 246
Cæſaris de Pompeianis iudicium. 4.117
Cæſaris in Hiſpania contra Petreium & Afranium bellum. 13.163
Cæſaris aduerſus Pompeium egregium ſtratagema. 13.183
Cæſaris in terribili quodam cum Neruiis cõflictu egregium factum. 14.369
Cæſaris contra Pompeium inſignis victoria. 13.380
Cæſarianorum erga Pompeianos reſponſum. 12 173
Commeatus in primis habenda cura. 13.91
Commodum priuatum publicæ cauſæ & negotio anteferendum non eſſe. 2. 51
Confalonerii dignitas. 20.346
Coniurantes contra Principem raro, imo nunquam poſſe excuſari. 19 343
Conſilium tertium eſſe nullum. 18.295
Conſilii neceſſitas & difficultas. 15. 236
Conſilii rationes habere, melius eſſe quam bona conſilia dare. 3.81
Conſilia media in arduis eſſe inutilia. 18. 294
Conſtantini tempore, cuilibet liberum fuiſſe pro arbitratu ſuo religionem fouere. 3. 92
Conſulare nomen olim maximæ authoritatis. 5.137
Conſulum Romanorum in arguendis cœlibibus verba. 2.63
Contationi locus non eſt in eo conſilio quod non poteſt laudari niſi ſit peractum. 15. 239
Contemptu famæ contemni virtutem. 13. 185
Corbuli elegans exemplum. 15. 231. eiuſque prudentia laudatur. numero ſequenti.
Corbulo Dux Neronis in quæ tempora inciderit. 17.257
Coriolanus artem duces aduerſarios in ſuſpicionem adducendi, probe calluit. 34. 392
C. Cornelius Cinna. 15.249
Cornel. Coſſus. 19.309
Cornelii Coſſi & Iulii Medulini Coſſ. laudes. 2.55
Corona ciuica olim vnde dicta. 2. 36
Corona triumphalis olim erat laurea. 2. 37

Corona Oualis quæ. ibid.
Coſmus magnus Florentiæ dux. 1.7
Cotta Meſſalinus. 5.126
Cremona propugnaculum Italiæ. 19.316
Cremonæ oppugnatio quare non noctu tentanda fuerit. 4.115
Craſus ante Romæ libertatem vixit. 2.62
Cretenſes ſemper mendaces, malas beſtias, ventres pigros. 4.109
Crudelitas ad continendos homines firmum non eſt vinculum. 15.251
M. Curius & M. Furius tribuni plebis. 3.71
Cyrus Aſtyagis ex ſorore nepos. 19.343
Cyrus Euphratis alueum mutauit. 13.210
Cyrus Armenium regem vt ſe ei dederet coegit. 3.79

D.

Darius quare Alexandrum cum exercitu ſuo propius ſibi accedere permiſerit. 18.282
Darius quam ob cauſam ab Alexandro victus. 18.298
Datamis Perſarum ducis prudentia. 1.11
Dauidis exemplum, in nuntiatione mortis Saulis laudatur. 17.272
Decius Syllanus. 20.355
Decorum non quoduis omnibus eſſe. 5.140
Delatoris & accuſatoris differentia. 4.117
Delatores ne audirentur leges Romanæ voluerunt. 4.120
Delatorum natura. 4.118
Demetrius Illyriorum Rex. 20.365
Demetrius admirandis machinis vſus. 19.312
Demetrii paterna beneuolentia erga Mithridatem. 19.332
Denarius quot aſſes olim explerit. 1.20
Deus abundantiam frugum Samaritanis loco famis larguus eſt. 12.170
de Dei potentia & bonitate inter Ethnicos etiam non fuit dubitatum. 5.130
ad Deum confugere optimum remedium etiam Ethnici voluere. 12.170
Diaboli mira inuentio. 5.131
Dianæ Epheſinæ templi theſaurorum expilatio. 15.246
Dicendis rebus abundare ſatius eſt, quam monitis defuiſſe. 12.172
Differentia inter iſtos qui arma gladiumve, & inter illos qui linguam & ingenium exercent, qualis. 1.2[illegible]
Dignitas apud Romanos non minus quam vtilitas in precio fuit habita. 15.24[illegible]
Dignitas regalis in omni fortuna principibus retinenda. 12.16[illegible]
Dimicandi genera vbi ſunt noua, ibi noua ſubſidia & munimenta eſſe oportet. [illegible]48
Dimiſſi olim qui dicti. 1.1[illegible]
Diocletianus quo tempore imperium ſuſceperit. 3.9[illegible]
Dionyſius Syracuſanorum Tyrannus. 15.24[illegible]
eius dictum. ibi[illegible]
Dionyſius à Platone inſtitutus. 13.18[illegible]
Diſciplina & obedientia victoriæ præire debet. 3.[illegible]
Diſcipulos magiſtrorum ſimiles efficere v[illegible] ſapientis habetur. [illegible]
Diſcordias ſerere & nutrire non idem eſſe. [illegible] 190
Diſcordias domeſticas principibus eſſe va[illegible] periculoſas. 20.3[illegible]
Diuerſarum rerum ſæpe certa eſſe remed[illegible] 12.158.
Diues auaro Principi donare debet, & q[illegible]re. 17.[illegible]
Diuitias nimias & inopiam nimiam [illegible] eſſe periculoſas. 17.[illegible]
Documentum principis qui potentior[illegible]

met

metuit. 13.211
Dolor inſignis ingenti animo comprimitur. 1.8
Domitius Corbulo. 13.182
Dotium immenſitas Reip. valde exitialis eſt. 3.85
Dotium immenſitate familiæ pauperantur. 3.85
Druſus veneno extinctus. 20.357
Dux belli debet etiam corpore eſſe validus & robuſtus. 2.57
Dux ad componendum agmen ineptus vituperatur. 13.199
Ducis optimi partes eſſe, deliberare bellum ne maturandum ſit an differendum. 18.287
Ducis maxima virtus eſt, non ſolum multa acquirere, ſed acquiſitis poſteros etiam frui, proſpicere. 1 7
Ducem omnibus numeris abſolutum neminem dici poſſe. 2 47

E.

ECcleſiaſtica bona non debent eſſe hereditaria. 15.235
Electio ſummi pontificis quomodo fiat. 3.65
Eloquentiæ vires quantum in ſeditione Germanicarum legionum valuerint. 12.177
Eloquentia ars afflictos ſolatur. 12.178
Epaminundas interficitur. 2.50
Equitum ordines qui. 2.38
Equos condocefacientes quid inprimis obſeruare debeant. 18.284
Equitatui an peditatus præferendus. 19.306
Error multitudinis quomodo caſtigandus. 18.284
Eſuriei non addendus labor. 18.293
Euenta rerum expectare vt inde doceamur valde periculoſum. 18.284
Eumenes. 20 353
Euripides affabilitatem lucrum minimo impendio quaſitum nuncupauit. 1.5
Exemplum ſine documento eſt velut lex ſine proœmio. 19.318
Exempla lecta auditave abſque diſcretione non eſſe imitanda. 16.256
Exempla ſacra minime cum profanis eſſe comparanda. 2.65
Exemplo melius quam pœna principem apud ſubditos proficere. 3 86
Exemplorum vſum eſſe ancipitem. 4.115
Exercitus quomodo commode diſpertiendus ne totus hoſti obiiciatur. 18 283
Exercitus Dux eloquens eſſe debet. 12.176
Exercitus bona inſtitutio an etiam hodie ſit ſperanda. 11.147
Exercitui quale iter ſit conficiendum. 13.194
Exercitium corporis reipſa eſſe bonum. 14.216.
Exercitia, quæ ad militarem gloriam bellive ſimmulacbrum non diriguntur, potius ludicra ſunt. 2.59
Exploratores regionis gnaros nonnullos curare. 13.196
Exules magis incommoditatibus belli eſſe aſſuetos. 4.104

F.

FAbius Manlium Valentem veteratorie decepit. 11.143
Fabius maximus imperium ſuum per vanitatem minui maluit quam fama ſecunda rem male gerere. 1.9
Fabius L. Papirio priuatim infeſtus. 1.8
Labius maximus contra Annibalem prælium recuſauit. 18. 288
Fabii maximi ad hoſtes pulcherrima verba. 18.284

Fabii maximi factum. 17.258
Fabii Valentis factum. 18.295
Fabritius columna. 19.341
Fabritii erga Pyrrhum hoſtem ſuum beneficium. 2.64
Facinoroſi & banniti qui. 4.101
Facinoroſorum hominum interfectores præmio afficiendos. 4.103
Facta omnia præſentibus congruere debent temporibus. 16.255
Fama in nouis rebus ſuſcipiendis validiſſima eſt. 13.182
Fama non minus vitio quam virtute colligitur. 5.77
Fama bona melior diuitiis multis. 1.10
Famæ populari aures præbere intutum. 5.125
Fames belli ſoror. 12.170
Fames magna Romæ extitit tempore Veſpaſiani. 12.169
Fames totum terrarum orbem occupans. 12.169
Famem, peſtem, & bellum, tria eſſe flagella generis humani. 12.169
C. Fannius Strabo ad cœnas nil niſi gallinam afferri mandauit. 3.84
Federicus Rex à duce Mediolani reprehenditur. 5.134
Federici Ducis Saxoniæ ad Carolum V. elegantia verba, 12.168. eiuſque magnanimitatis laudes, ibid. eiuſdem monita ad Ducem Brunſuicenſem, ibid. damnatus ad mortem, ibid. eiuſq; reſponſum ad Imperatorem. 12.168
Felix Paleſtinæ præſes intempeſtiuis remediis delicta correxit. 3.68
Fenius Ruffus conſcium coniurationis & inquiſitorem tolerari non potuit. 4.121
Fides cana dicitur. 19.333
Filios principum bello aſſueſieri neceſſe eſſe. 2.58
Flaminius præclarus dux. 18.296
Flauii Sabini Veſpaſiani fratris ad Vitellium nuntium. 19.329
Florentinos eſſe tardos & iracundos. 4.11[illegible]
Flumina quomodo apte per foſſas ſint corriuanda. 13.208. & ſeqq.
Fœmina mala dum è medio tollitur omne domeſticum dedecus abradi. 3.8[illegible]
Fœminæ quo magis comuntur ac poliuntur eo conſpicuam magis turpitudinem ſuam facere videntur. 3.8[illegible]
Fœminarum honores eſſe moderandos. 2.51
Fortuna animos occæcat. 19.32[illegible]
Fortuna inuidiaque quid poſſit in aulis principum. 3.7[illegible]
Fortunam Parcarum eſſe potentiſſimam. 19.326
Franciſci Sfortiæ notatu digniſſimum documentum. 13.18[illegible]
Fraudare nihil aliud eſſe, quam rebus perſonam quandam imponere. 5.12[illegible]
Fraudem militarem legitimam eſſe & longe ab aliis fraudum generibus differre. [illegible]78
Frontinus quomodo milites pugnam flagitantes frænarit. 18.2[illegible]
Fuluii Flacci oratio. 19.3[illegible]
C. Furius Creſinus veneficii accuſatus, [illegible]41. eiuſque reſponſum coram iudicibus ibid.
Fuxius Gallorum Dux. 19.3[illegible]

G.

Galba Imperator Rom. vituperatur. [illegible]259. eiuſque error. ibid.
Galba nomine negligentia accuſatur. [illegible]58
Galba Tiberio fuit probior. [illegible]

Galba Imperium adeptus ſtatim facinoroſorum hominum ſanguine manus cruentauit.1.21.eius interitus. ibid.

Galba Imperatoris dictum. 17.258

Galgacus. 20.362

Galgacus Britannus. 19.319

Galli religionis parum dediti. 4.109

Galli omnes Italia expelluntur. 19.323

Gallorum error. 18 293

Gallorum olim de Romanis militibus opinio. 2.42

Gaudium falſum in languorem verti. 18.302

Genuenſes eſſe peruerſos homines. 4.110

Genus dimicandi cum Elephantis nouum adinuenit Scipio. 2.47

Georgius Scalius. 20.353

Germani variis morbis obnoxii. 4.109

Germani & Heluetii milites præ Italis clari habentur. 14.228

Germanorum exemplum nocturni prælii introducitur. 4.117

Germanis militib. bellandi locus qui ſit congruus. 2.42

Germanici olim qui Germanos debellauit trophæum erectum. 4.99

Gloria fructum ei qui meritus eſt denegandum non eſſe. 2.50

Græci Delphicum oraculum de fame conſulentes quid reſponſi tulerint. 12.169

Græci rerum politicarum ſcientia inſignes. 2.36

Græci omnium ciuiliũ inſtitutorum inuentores. 14.219

Græci ex Perſia duce Xenophonte redeunt. 13.199

Græcorum factum aduerſus Xerxem. 18.276

Græcorum pulcherrimum temperamentum quo vtebantur ad iniurias delendas. 20.360

in Gubernandis ditionibus difficultates eſſe amouendas. 14 229

Gubernationes humanas à diuinis non omnino eſſe abſimiles. 5.125

Guicciardinus arrogantiæ accuſatur. 4.112

Guido Vbaldus Vrbinatium regulus. 19.320

Guiſia & Alba ducis colloquium. 18.281

H.

HAnnibalis cum Philippo rege Macedonum colluſio. 13.169

Haſſiæ Landgrauius captiuus tenetur. 5.136

Hebræi contra Moyſen murmurant. 1.22

Heluetios quid audentiores fecerit. 19.341

Heluidius Priſcus. 20.345

Henricus III. Galliæ Rex tutum ſe fecit, à Duce Guiſio. 12.165

Heraclea vrbs à Romanis capta. 20.351

Hercules non contra duos. 13.188

Herodes bipedum omnium nequiſſimus. 12.174

Hieron Syracuſanorum rex. 18.282

Hieronymus Cannenſis. 20.367

Hiſpani trecenti exercitum ſex & octo millium Indorum in fugam vertunt, & profligant. 2.42

Hiſpaniarum Regis immenſa poteſtas. 17.259

Hiſpaniarum Rex Belgium tanquam ſuum patrimonium recuperare cupit. 1.18

Hiſtoria rerum, tum magnarum tum paruarum enarratio. 4.113

Hiſtoriarum veraces ſcriptores punire ſcelus eſſe. 4.112

Hominis vnius induſtria ſæpe toti exercitui conſulitur. 1.23

Homini aliud munus aliud familiæ conuenire. 4.115
Hominem improbum non accuſare quam præuaricari melius eſſe Plato cenſuit. 3. 69
Homines magis ea, quæ videntur, quam quæ ſunt, conſiderant. 1.5
Homines Deo in nihilo magis æquare quam in iuſtitia adminiſtranda. 2.50
Homines priorem ſententiam facilime deſerunt. 4.115
Homines non minus quam feræ venari dicuntur. 2.33
Homines minimæ famæ ſæpe bona conſilia præbent. 5.124
Homines quo ignorantiores eo fidentiores eſſe. 18.284
Homines militares non ex veſtibus eſſe iudicandos. 13.207
Hominum inter ciues duo ſunt genera, plebs & nobilitas. 4.111
Honores denegati magnis viris gloriam ipſorum adaugent. 4.107
Honores ſummos adipiſci, vt non noſtræ eſt facultatis, ſic non noſtra eſt culpa, ſi præteritam vitam honeſte actam non bonus exitus comitatur. 11.155
Hordeonius Flaccus contemnitur. 17.261
Hoſtis ſi in anguſtiis vexari poteſt, in aperto non expectandus. 18.276
Hoſtem ante prælium eſſe tentandum. 18. 304
Hoſtem ad neceſſitatem pugnandi redigere conſilium bonum non eſt. 19.329
Hoſtem quemlibet inutiliter contemni. 18. 301
Hoſtes in prælia ad deſperationem non eſſe redigendos. 19.328
Humani ingenii eſt, contemptum difficilius pati quam cuiuslibet rei detrimentum. 1.3
Hyperbolus ſceleratiſſimus homo. 14.219

I.

Ieremiæ de nobilitate populi Iſraelitici deploratio. 2.53
Ignauia militum plus negotii quam perfidia hoſtium afferre ſolet. 11.148
Illecebrarum genera eſſe diuerſa. 13.185
Illyricum Romani imperii limes olim erat. 2.57
Imbellem turbam in arces non eſſe recipiendam: & nonnulla ad ipſarum cuſtodiam pertinentia monita. 20.351. & ſeqq.
Imperatores Romani à Perſarum, Lacedæmonum & Romanorum ſeueritate maxime degenerarunt. 2.51
Imperatores Conſtantinopolitani omnem operam nauarunt, vt Siciliæ regnum à Neapolitano ſepararetur. 20.365
Imperium non ambitionis ſed publici boni cauſa ſuſcipiendum. 4.108
Imperium an intra terminos coercendum. 1.17
Imperio non eſſe vtendum vbi legibus agi poteſt. 17.260
Imperia facilius clementia quam crudelitate ſeruari. 15.248
Imperia & dominationes viribus ſuis conſtare. 5.136
Imperia quæ ſine cruentis bellis obtinentur laudibus cumulatiora eſſe. 2.48
Impii in ſacris literis aucupibus aſſimilantur. 2.35
Impios ſæpe piis præferri. 13.205
Incommoda ſingulorum non valde eſſe curanda. 14.229
Indorum lex nobiliſſima de conſeruandis agricolis. 12.173
Inſidiarum remedium eſſe, eas non intelligi. 1.10

Ioannes Patriarcha Conſtantinopolitanus ſe vniuerſalem Epiſcopum inſcribere auſus fuit. 1.5
Iſida Febidæ filii Spartani adoleſcentis egregium factum. 2.51
Italiæ celebriores vrbes enumerantur. 12.180
Iudæi quare Chriſtum cruci affixerint. 12.161
Iudæi cum Romanis fœdus inire moliuntur. 5.139
Iudæorum ſacra lex aſylum iis tantum qui inuoluntariam cædem commiſerant, permiſit. 4.106
Iulianus multarum diuitiarum auxilio imperium eſt mercatus. 17.268
Iugurtha à Mario deuaſtata. 13.204
Iulia Neronis vxor. 5.135
Iulius Cæſar Senatoribus aſſurgere grauatus. 1.3
Iulius Papa. 19.321
T. Iunius primus Tribunus plebis fuit. 11.152
Ius naturale à ciuili, ciuile à militari, militare à iure gentium quomodo differãt. 12.158
Iuſtitiam & gratiam ſimul confundere, non eſt boni principis. 2.49
Iuuenes vrbano luxu non ſunt corrumpendi. 2.57

K.

KAlendis olim cuiuſque menſis preces pro principibus fundebantur. 4.98

L.

LAbienus Cæſaris exercitum in Africa adoriri conatur. 13.201
Labieni de veteribus militibus opinio. 14.226
Lacedamonii libros Archilochi è ciuitate ſua portari iuſſerunt. 4.112
Lacedæmonum natio perarguta olim extitit. 15.245
Laconis præfecti prætorio natura. 16.254
Lacus Regillus. 19.309
Lauini Conſulis P. C. ſuaſio. 3.87
Largiri qui poteſt libenter largiatur. 5.136
Laſciuias Ægyptiacas in Etruriam cum Italiæ totius excidio fuiſſe collatas. 12.179
Latinam linguam omnibus debere eſſe notam. 12.177
Legati Athenienſium regi Philippo contradicunt. 12.160
Legatorum prærogatiua inuiolabilis apud veteres fuit. 15.240
Legio quæque olim decem cohortibus continebatur. 3.71
Legiones à tergo non eſſe nutandas. 18.291
L. Lentuli ad milites exhortatio. 1.9
Leo X. fidem violauit. 19.331
Leo imperator quid inprimis in collocandis hoſtis impedimentis obſeruarit. 13.200
Leo Imperator duas artes ad ſuſtentandam remp. excogitauit. 12.173
Lex nulla ſatis commoda omnibus eſt. 14.230
Lex dum promulgata eſt ſtatim fraus fuit adinuenta. 15.235
Lex bono communi ſemper debet congruere. 14.230
Lex vincit aut vincitur. 14.229
Lex pragmatica Hiſpaniæ de abolendo titulorum abuſu. 2.61
Lex duodecim tabularum de Diis Romanorum colendis. 11.146
Legem in ludibrium vertere quid ſit. 15.235
Leges eſſe oracula Dei. 13.204
Leges non fraudibus obfuſcari debent. 15.235
Legumlatores prudentiſſimi ſummam rei veſtiariæ rationem habuerunt. 3.84

Legum ope quod perfici poteſt non per vim gerendum. 17.264
Licentia immoderata in arctam difficulter vertitur. 1.22
Licinius Conſul. 18 277
C.Licinius Stolo legem tulit, vt nemini vltra 50. iugera poßidere liceret. 15. 236
M.Licinii Craſsi autoritas. 18.290
Liuia quibus artibus viri animum erga ſe adeo propenſum reddiderit. 1.11
Liuiæ conſilium Auguſto datum. 15.249
Liuius Phalangem cuneum Macedonicum appellat. 2.46
Liuius Romanarum rerum ſcriptor prudentiſsimus. 13.189
Liuii elegans documentum. 19.328
Locorum facies vt hominum vultus mutantur. 5.128
Lucanos mutabilem cum fortuna fidem gerere. 4.109
Lucius Martius Proprætorem ſe appellauit. 14
Ludere & facetias exercere cum principibus valde intutum. 5.122
Ludos quoſcunque ſicut vinum ad detegendum animum hominis eſſe potentißimos. 13.207
L. Antiſtius Conſul. 13.184
Ludouicus Sfortia. 20 365
Ludouicus XI. Galliæ rex tonſore ſuo in legationibus vtitur. 15.242
Ludouicus dux Mediolani. 13.211
Lucretii perſpicacitas. 1.11
Luſitani olim ad bellum Africanum proficiſcentes potius thoracibus ſericis quam loricis induti, reprehenduntur. 2.59
Luxurioſus à Romanis olim non impune euaſit. 11.144
Lycurgi ſalutare decretum. 17.267

M.

MAcedonum atque Perſarum Reges ante Parthos venatores fuiſſe. 2.31
Machinamenta Barbaris ignota. 19.319
Magiſtratus nominatim ne an ſorte ſit eligendus. 20.345
Magiſtratus ſummi Dei imago & vmbra quædam eſt. 2.58
Magnifacere aliquid, cum aliud pluris faciendum ſit, ſtultitiam eſſe. 5.126
Mahumetani etiam Chriſtum ſanctißimum, ſapientißimum & mirandarum rerum effectorem eſſe credunt. 5.131
Maiores noſtri quam rem magnifecerint. 16.254
Mamaluchi olim qui. 20.350
Mamercus Scaurus. 4 119
Mamercus accuſationum ſuarum punitus. 4 120
Mamercus Dictator magnam reipubl. cuſtodiam eſſe credidit, ſi diuturna non eſſent imperia. 1.30
M. Manlius Capitolinus quæ præmia conſecutus fuerit. 2.58
Manlius de Saxo Tarpeio deiectus fuit. 2.50. *& quare.* ibid.
Manlius ab impetu Gallorum Capitolium conſeruat. 2.50
Manlii Conſulis prudentia. 17.273
Maramaldus. 18.302
Marcellus Ætolos hortatur vt bello abſtinerent. 20 361
Marchio Peſcara reprehenditur. 4.121
Marcus Manlius nullum à populo Romano auxilium ſenſit. 5.126
M. Antonius Barbarus Selimum Tur-

carum regem mire domuit. 2.34
M. Antonii exercitus quam longe vna nocte ambularit. 13.197
Marci Valerii Poplicolæ præmia. 2.38
Marius Sfortia. 14.218
Marii in Rhodano conatus. 13.210
Marobodui Germanorum Principis ad Tiberium verba. 12.167
Martinus Lutherus reprehenditur, ſed male. 11.149
Martius Philippus reprehenditur. 13.196
Martius Rutilius in Capuana coniuratione maximum diſcrimen euaſit. 1.12
L. Martius contra duo Carthaginenſium caſtra noctu feliciter pugnat. 4.116
Martii Conſulis factum. 13.202
Maſſilienſes magis pro nomine & vetuſtate quam pro ciuitate pugnarunt. 13.204.
Matrimonii violatio ab Ariſtotele cauſa mutationis regni dicitur. 5.134
Matrimonio coniuncti in orbitate viuentes olim miſerrimi habebantur. 2.62
Matrimonia indigna principes non decere. 5.132
Matrimonia apud Romanos in ſumma æſtimatione habita. 2.61
Mauritii Saxoniæ Ducis ſtratagema contra Carolum Imperatorem. 5.136
Mehemetus Perſarum Rex ab Amurathe grauiter afflictus. 20.357
Meditatio quid ſit. 14.217
Meditationes militares quæ bonæ. 14.216
Meditando omnia vinci. 14.217
Medicina in quem finem adinuenta. 19.313
Medici egregii virtus quæ. 3.67
Mediocribus acquieſcere melius quam extrema inſectari. 5.134
Melitenſis Religio. 20.367
Mendacia cuiuſdam ad Leonem pontificem inſignia. 15.234
Mendacia cur frequentius ad principes deferantur quam ad alios. 19.327
Mercatura aliud, aliud furto diteſcere. 3.77
L. Merula Conſul ſæpe caſtra mouit. 13.190
Meſſalina dum occidenda eſſet primo fortunam ſuam inſpexit. 11.155
Metus continuus populis non iniiciendus. 17.266
Michael Paleologus. 20.365
Michææ prophetia. 19.328
Micipſa Numidiæ rex. 20.356
Militiæ antiquæ inſtituta olim quæ fuerint. 1.20
Militi non ſufficere militarem artem tantum animo comprehendere. 2.57
Milites niſi prompte ad prælium deſcendunt, indecorum eſſe putant. 18.29
Milites in prælium non ieiunos eſſe ducendos. 18.292
Milites antiquorum non per ſaltum ſed per gradus eſſe promotos. 3.70
Milites olim fuiſſe modeſtiores. 13.192
Milites boni intellectum & mali curam habere debent. 11.148
Milites quales eſſe debeant in periculo & diſcrimine. 11.148
Militum meditatio pulcherrima. 14.218
Militum promotio magis opus diuinum quã humanum olim habitum fuit. 3.71
Militum delectus quinam habendus. 20.347
Militaris artis experientia. 14.225
Militarem rem potius parendo quam feſtinando ſeruari. 18.290
Minoris eſſe maioribus cedere. 15.243
L. Minutius famis tempore ieiunium indixit mancipiis. 12.173

Mithridatis Boſphori regis exemplum. 12.167

Mithridatis ad Sunonem regem Adorſorum verba. 12.167

Modeſte erga potentiores ſe gerere tutiſſimum eſt conſilium. 3.95

Momentis breuibus ſæpe ſumma verti poſſe 5.124

Monita quædam ad Legatorum munus pertinentia. 15.240

Mores hominum cognoſcere vera eſt principis ars. 13.205

Moram bello vtilem eſſe. 18.291

Moribus quod plus nocet quam ingenio prodeſt non curandum. 4.113

Motinus Dux Heluetiorum. 19.316

Moyſes cur aſyla introduxerit. 12.160

Moyſen & Ioſuam regiones ſorte partitos eſſe. 20.346

Mulieri cedere eſſe indecorum. 18.280

Multiplicandos hoſtes non eſſe. 13.188

Multitudo omnis variabilis. 20.354

Muri Hieroſolymitani qui fuerint. 19.318

Mutiani principis ſymbolum. 1.22

Mutationem in omnibus rebus periculoſiſſimam eſſe. 1.21

N.

NAbor vineam ſuam regi denegans lapidibus obruitur. 5.23

Nathan erga Dauidem aſtutia. 18.286

Nationes omnes & vrbes aut populus aut primores aut ſinguli regunt. 4.108

Nationes pleraque equitatu pollent. 19.306

Neapolis Regia ciuitas. 12.181

Neapolitani eximia liberalitate Legatos Romam mittunt. 1.25

Neceſſitas eſt ſummus orator. 20.365

Neminem ſucceſſorem ſuum occidere poſſe. 15.252

Nero cur deuaſtarit Italiam. 15.245. & ſeq.

Nero Chriſtianis infenſus. 11.146

Nero patritios Romanos ad conuiuium vocauit vt ipſis pecuniam emungeret. 3.88

Nero bipedum peſſimus. 5.133

Nero Oſtorii Scapulæ virtutem reformidauit. 2.36

Nero malam ſuam naturam conuerſatione bonorum non correxit. 1.24

Nero corruptum triticum in Tyberim proiiciendum curauit, quo ſecuritatem annonæ ſuſtentaret. 1.12

Neronis conſilium. 15.230

Nerone nullum fuit crudelius monſtrum. 14.220

Nicolai Rentii animus. 3.90

Nobilitas ſola in deferendis muneribus non reſpicienda. 17.261

Nobilitatem ſuam coram principe iactare periculoſum. 5.123

Nobilium paupertati in matrimoniis ſuccurrendum. 17.269

Nobilium Romanarum dotes olim fuiſſe parciſſimas. 3.85

Nocturna prælia vitanda eſſe. 4.115

Nomina licet aliquando obumbrentur, tamen nunquam obſcura fiunt. 5.137

Noxiis ad tempus eſſe parcendum quo culpas ſues emendent. 17.272

Numa diuina mandata in benigniorem partem eſt interpretatus. 15.251

Numæ Pompilii factum. 15.251

Numidas præ omnibus gentibus in Venerem propenſos. 4.109

O.

OBſides in quē finem olim dati fuerint. 15.244

Octauianus Fregoſius munitiſſimam patriæ ſuæ arcem eſt demolitus, 1.9. *& quare. ibid.*

Octauius Imperator Romanus Principatus titulum adoptauit. 1.4

Octauius cuncta ciuilibus diſcordiis feſſa nomine principis imperio ſubegit. ibid.

Oddo Antonius Vrbinatium dux interficitur. 17.265

Oneſimus Macedo vir nobilis. 1.14

Orbem terrarum nunquam pace frui. 14.228

Ordines laxare in præliis plurimum emolumenti ferre. 20.365

Ornamenta olim fuere apud Romanos triplicia: conſularia, triumphalia, prætoria. 2.39

Orphanelli qui olim dicti. 20 349

Oſterius Scapula intertimitur. 5.123

Oſtraciſmus vnde dictus. 14.219

Oſtraciſmi altera ſpecies. 14.221

Oſtracus lapis quid. 14.219

Otho largitionibus milites corrumpere ſolitus. 2.58

Othonis exemplum in ambitione Imperii. 3.88

Othonis in militari ſeditione factum. 2.54

Otthonis oratio ad turbantes milites. 18.290

Ouinius Camillus antiquæ nobilitatis Senator. 15.233

P.

PAnuinii ſententia. 18.285

Pantheon Agrippæ templum à Bonifacio Papa beatæ M. Virgini dicatur. 3.93

Papirius Curſor cum Samnitibus prælium commiſit. 2.40

Papirius Maſſo primo corona oualli eſt vſus. 2.37

L. Papirius ob eximiam ſuam virtutem Dictator creatur. 1.7

Parthorum Legati ad Neronem. 15.240

Parthos in Armeniam erupiſſe. 17.262

Paſſaportum militum. 4.107

Patriæ charitatem omni conſanguinitatis vinculo anteferre debemus. 3.81

Patriæ opitulari quemlibet decet. 15.231

Patriam quibuslibet commodis nobis debere eſſe chariorem. 3.81

Pauli quarti Pontificis aulæ Romanæ moderatio. 1.22

Pauli dictum: Per infamiam, & bonam famam: quomodo intelligendum. 3.80

Pecuniarum conquiſitionem belli ciuilis neruos eſſe. 18.297

Pecus pingue paſtori prodeſſe. 3.85

Pedanius Secundus Romæ præfectus interficitur. 14.229

Peditem nunquam poſſe equitem agere. 19.311

Peregrinos in vrbes eſſe alliciendos quo melius amplificentur. 11.152

Perſarum luxuria atque delitiæ. 18.298

Perſarum Regis in ſuos commonefactio. 2.36

Perſarum reges omnibus legibus eſſe ſolutos, 5.132. ſed quatenus. ibid

Perſeus melior pecuniæ quam regni cuſtos. 13.212

Peruerſos conſcientiæ flagello ſatis puniri. 5.127.

Petrus Saluiatus. 4.115

Petrus Caſtiliæ rex ab Henrico fratre vita & regno ſpoliatur. 17.265

Petrus Capponus Florentiæ ciuis. 1.8

Petri Medicis fraus. 15.245

Phalangem Macedonicam immobilem fuiſſe. 2.45

Pharnaces Mithridatis filius. 13.212 eiuſdem aſtutia. ibid.

Pharſalicum prælium. 13 198

Philautiam excutere aulicis optimum remedium. 3.74

Philippus Macedoniæ Rex reprehenditur. 18.302.

Philippus Macedoniæ Rex quotidie bis ſibi ſuas cum Romanis pactiones prælegi iuſſit. 1.14
Philippus Macedo admiratus cum caſtra Romanorum inſpexiſſet. 19.343
Philippus Macedo ad matrimonium ciues ſuos coegit. 2 63
Philippi Regis Macedonum exẽplum. 18. 288
Philippo Macedoniæ regi quid acciderit. 18 301
Philippus Maria Vicecomes Mediolani dux. 1.6
Philippi Strocciii cautio. 4.120
Pindari opinio. 19.326
Piratarum celeritas in mari. 4.103
Piſonis in Germanicum ſimultas. 1.14
Pythii factum. 2.51
Plato vulgũ ingenti beſtiæ aſſimilat. 20. 353
Plato ſi Dionyſium ſanauerit totam Siciliam ad ſanitatem redegiſſe fertur. 13.184
Plato pœnam propoſuit iis, qui poſt 35. annum vxorem non duxerint. 2.62
Plato aucupium inter ſeruilia miniſteria connumerat. 2.35. neque piſcationem artem nobilem putat. ibid
Plato dum ſe à Dionyſio amari ſenſit triſtatur. 1.9
Plebs de mutanda repub. non facile cogitare debet. 18.285
Plebs Romana olim fame adacta præcipitem ſe in Tyberim dedit. 12.169
Plebi Romanæ quid à militibus Vitellii acciderit. 18.302
Plutarchus ſũmus Philoſophus dicitur. 4.108
Pœna ſingulis non eſt irrogãda, vbi multitudo deliquit. 2.54
Pœnæ genus apud Græcos honeſtum oſtraciſmum vocabant. 14.219
Poeta principum charitatẽ cum vxoria charitate comparauit. 5.133
Pompeius ſuæ dignitatis faſces Poſsidonio Philoſopho ſubmiſit. 13.183
Pompeius quomodo victus fuerit à Cæſare. 18 288
Pompeius magnus reprehenditur. 3. 68
Cn. Pompeius & Octauius quo tempore ætatis ſuæ ciuilia bella ſuſtinuerint. 17.262
Pompeii pulcherrima verba erga vxorem ſuam Corneliam. 3.73
Pompeii error. 14.223
Pompeii equitatus à Cæſare frenatur. 18 277
Popæus Sabinus contra Thraces mittitur cum exercitu. 4.115
M. Popilius Lenas. 1.15
M. Popilius Lenas Conſul. 15.236
M. Popilius Lenas exercitum pugna defatigatum nouo labori ſubiicere non voluit. 18 293
M. Popilii Lenatis ſententia. 1.29
Populus Romanus olim non veneno ſed aperto Marte hoſtes ſuos vlciſci conatus eſt. 2. 64
Populus Romanus ſpectaculis & ludis in vrbe recreabatur. 2.32
Populus Romanus à manſueto ac modeſto principe regi voluit 1.21
Populi Romani vetus conſuetudo fuit ægerrime ferre, ſi quis in exercitibus ſibi titulos aſſumeret, nec ab vrbe expectaret. 1.4
Populi Romani nonnulla grauiſsima decreta. 20.354
Populum Romanum contra exteros nunquã bellum indignè geſſiſſe. 3.79
Populi omnes, meretrices ex vrbe abigendas eſſe minime voluerunt. 3 68
Populorũ ac principum naturam diligenter eſſe inueſtigandam. 4.108
Populos pleroſq; eodem die hoſtes dein ciues fuiſſe habitos. 13.202
Populos regendi imperio quæ vera ſint artes. 20.361
Populos nõ ignauiter eſſe enutriendos. 20.362

Pori regis doucti ad Alexandrum victorem egregia verba. 12. 168. quidq; Alexander ipſi p. aſtiterit. ibid.
Poſſidonius Philoſophus à Pompeio magni habitus. 13.184
Potentia Dei inuiſibilis per viſibilia comprehenditur. 13.206
Prateuſis impia verba. 19.333
Præmia vbi ſunt magna, ibi etiam pœnæ ſunt magnæ. 13.186
Princeps bonum à malo conſilium decernere debet. 15.238
Princeps quã ſapientia pollere dicatur. 15.235
Princeps Chriſtianus togatus & ſagatus eſſe debet. 1.16
Princeps ſupplicia in facinoroſos differre non debet. 13.203
Princeps in terris Dei vices gerit. 13.206
Princeps ne belli quidem tempore ſuis ordinariis redditibus carere debet. 1.27
Principis potentiam eo perueníre non eſſe bonum vt cæteros poſſit opprimere. 20.364
Principis cuſtodia in manu Dei eſt. 17.260
Principis illius qui nomen ſuum immortalitati conſecrare nititur officium. 16.255
Principis exiſtimatio quanti in omnibus rebus emolumenti ferat. 5.136
Principis erga nobiles & inſignes ſui principatus familias officium. 2.53
Principi qui nouiſſime prouinciã occupauit quid imprimis faciendum. 13.203
Principi limen ordinarii excedere quando liceat. 12.165
Principi obloqui vtile non eſſe. 5.122
Principi in aula ſua neminem eſſe anteferendum. 4.98
Principẽ, pmiſſorũ debere eſſe memorẽ. 19.329
Principem labium mentiens habere non decet. 19.333
Principem recte inſtituere quid ſit. 13.184. & quid emolumenti ferat. 13.184
Principes quomodo ſubditorum nouitiorum fauorem aucupari poſſint, vt ab iis ſeſe tutiores reddant. 13.201
Principes non tantum propter ſuam ſed totius populi vtilitatem, æquitatis cultores eſſe debent. 1.5
Principes iis qui in religionis fauorem emergunt fauere debent. 5.129
Principes bonis artificibus comparãtur. 3.75
Principes nouas religiones introducere in ſuas ditiones abſtineant. 11.145
Principes vitia ſua diutius quam alii tegunt. 4.110
Principes dotes ne mediocritatem excedant moderare debent. 3.85
Principes quæ in primis curare debeant. 4.96
Principes quatenus legibus ſint ſoluti. 5.127
Principes dominationes ſuas aſperiorib. verbis oſtentare non debent. 1.3
Principes rariſſima quæque animalia curalant. 2.52
Principes antiquam nobilitatem in principatu ſuo ſartam tectamque retinere debent. 2.52
Principes quo illuſtrioribus imperant eo ſibi maiorem imperandi gloriam vindicant. 2.52
Principes plures eſſe qui odio à ſubditis ſuis habentur, quam qui amore proſequuntur. 18.281
Principes nobilibus viris opem & ſubſidia ferre debere. 2.53
Principes per ſupplices libellos agere laudabile. 4.114
Principes hoc ſeculo ducibus ſuis non talem quam veteres autoritatem impertiuntur. 4.104
Principes omnibus ſeſe amabiles exhibere debent. 1.5
Principes nullius experientiæ homines alentes vituperantur. 1.24

Principũ mores inueſtigare perdifficile. 4.110
Principum filii potius inter arma & exercitus, quam in domeſticis deliciis educari debent. 2.59
Principum beneuolentia erga ſuos non diuturna. 3.73
Principum illorum qui multos perpatiuntur labores bona voluntas magis quam virtus laudanda eſt. 3.75
Principibus haud facile moleſtia faceſſere debemus. 3.75
Priuata odia publicis vtilitatibus eſſe remittenda. 1.7
Priuatorũ vtilitas publicæ poſtponẽda. 12.165
Priuilegium eſſe beneficium priuati contra legem. 12.164
Priuilegium eſt quod iuri communi vigorem ſuum detrahit. 12.164
Probe facta cum nullis laudibus & præmiis afficiuntur, homines in deterius inuitantur. 2.52
Probroſi & infamia notati olim dignitates non adepti ſunt. 3.89
Prælium Cannenſe. 19.308
Prælium inter Perſeum & Pub. Æmilium. 16.254
Prælium Romanorum cum Numidis in Africa. 2.47
Prælium Ligurum cum Romanis commiſſum. 1.15
Prælia leuia ante conflictum neceſſaria. 18.304
Præliorum vtilitas ac damnum. 17.27
Prudenter vbi eſt actum obtrectationes vulgi eſſe contemnendas. 3.81
Pruſiæ regis Bitiniæ ad Senat. Roman. verba. 12.167
Ptolomæi Auletis Ægypti Regis ad Romanos petitio. 2.41
Ptolomæi Philadelphi nauale celeberrimum habetur. 1.13
Publius Æmilius ad bellum Macedonicum eligitur. 13.193
Pub. Æmilii in Fabium Maximum laudes. 1.8.
Publius Villius Legatus Romanorum ad Antiochum mittitur. 15.244
Pyrrhus caſtrametari primus docuit. 19.353
Pyrrhi Epirotarum regis conſilium. 20.352

Q.

Q. Arius Criſus cum viginti millibus ſeruorum interficitur. 4.102
L. Quintius Concinnatus L. Minutio conſulatum eripuit. 13.187
T. Quintius reprehenditur. 15.232
Quintius Conſul. 18.296
T. Quintii Flaminii factum inſigne. 2.64
Q. Fuluius Flaccus. 13.187
Q. Fabius Maximus quinquies Conſul extitit. 1.30
Q. Fabius maximus à iuuentute lenis. 13.207
Q. Fabius in priuato ſtatu mortuus. 2.60
Q. Nauius Centurio valde laudatur. 19.310. *eiuſque ſtratagema contra Campanos.* 19.310
Q. Scæuola legum obſeruantiſſimus ac certiſſimus vates. 15.234
Quæſtus omnis patribus indecorus viſus. 3.84

R.

Ratiocinatio philoſophica de rerum tota natura. 12.158
Regentium cura præcipue ſit de certis ſucceſſoribus ſibi proſpicere. 1.7
Reges increpare non cuiuſuis eſſe. 18.287
Regni vincula eſſe ſubditorum beneuolentiam & promptitudinem. 15.248

Regna alieno ſanguine non eſſe poſſidenda. 17.265
Regnandi onera qui detrectat regnandi commodis indignus videtur. 1.29
Regnandi prudentia in quibus ſit poſita. 12. 157. & ſeqq.
Reguli fides integerrima laudatur. 19.330
Religio apud Romanos olim ars quadam & prudentiæ pars fuit. 5.129
Religioni poſtponenda omnia eſſe ſemper duxit Romana ciuitas. 12.181
Remedia ne ſint grauiora morbis. 3.68
Rerum quarundam intelligentiam eſſe diſſimulandam. 17.261
Res numaria in republica quomodo augenda. 3.82
Res geſtas principum ſepe in malam partem interpretari. 3.80
Res geſta inter Romanos & Boios. 1.23
Res magni momenti libere eſſe agendas. 15. 246. & ſeq.
Reſpublica qualibet duobus quaſi pedibus innixa videtur: bonorum præmio, & malorum pœna. 2.36
Reſpublica quem magis deſideret, bonum Imperatorem, an vero bonum Oratorem. 12.178
Reipublicæ Romanæ ſtatus quando fuerit optimus. 18.256
Reip. gerendæ qui ſe addicit operoſiſſimæ arti ſe dicat. 2.32
Rempublicam pluris quam collegarum gratiam æſtimandam. 1.8
Rempublicam Romanam quid potiſſimum amplificarit. 19.325
Rhadamiſtus filios Mithridatis trucidauit. 12.165
Rheſcuporis Thraciæ rex. 19.332
Rhodiorũ contra Ætolos apud Senam Rom. oratio. 3.94
Rhodiorum aduerſus Romanos per Legatos inſulſa comminatio. 5.139
Rixæ inter Corbulonem & Perſeum. 2.60
Roboam propter rudia verba maiorem partem ſui regni perdidit. 5.135
Roma neminem olim venatione delectatum fuiſſe. 2.32
Romana Reſpub. ob prorogationem imperiorum imprimis laudanda. 1.29
Romanam Remp. melius virtute quam pecunia ſtetiſſe. 2.36
Romana vrbs ſexies ab hoſtibus capta & diruta eſt. 3.92
Romanas antiquitates maxima ex parte eſſe deſtructas. 3.91
Romanum exercitum olim caruiſſe vaſtatoribus. 11.148
Romani arcium expugnandarum experientiſſimi. 19.324
Romani gignendis inimicitiis fœcundi. 4. 109
Romani cum hoſtibus pacta ſancte ſeruare ſolebant. 19.329
Romani vetuſtiores quotieſcunque cupiditatibus ſuis ſatisfacere voluerunt, non tamen Deorum voluntatem ſiniſtre interpretati ſunt. 5.132
Romani nominis exiſtimationem eſſe magnam. 5.137
Romani agricolas olim magnifecere. 12.173
Romani minime omnium religione abuſi. 5. 132
Romani licet noſtræ religionis ignari, tamen virtutis ductu omnem ſalutem in diuino cultu poſuere. 12.161
Romani olim, quo neceſſitatem pugnandi militibus iniungerent, ſigna adempta ſigniferis in hoſtes iniecere. 1.23
Romani à venandi ſtudio alieni fuerunt. 2. 31
Romani imperii ſui fines ad Capuam vſq; dilatarunt. 12.162

Romani armorum meditatione reliquas gentes debellarunt. 2.57

Romani maximas in re bellica laudes quæſiuere. 20.354

Romani olim in arte pingendi & ſculpendi experientiſſimi. 2.56

Romani olim nullos magnitudinis ſuæ æmulos quam Parthos habuiſſe. 2.48

Romani multa in fauorem agricolarum induxerunt. 12.174

Romani magnanimitatem ſuam in rebus aduerſis nunquam depoſuerunt. 1.24

Romanorum clamor in pugnis. 14.223

Romanorum in caſtrametatione quanta fuerit induſtria. 19.333

Romanorum error reprehenditur. 13.197

Romanorum contra Sarmatas bellum. 2.42

Romanorum dimicandi genus. 2.46

Romanorum plurimi plures quam vnum eſſe Deum putarunt. 5.130

Romanorum in pugnando agilitas & promptitudo. 2.45

Romanorum erga Legatos Ætolorum factum. 15.240

Romanorum præmia militib. diſtributa quæ fuerint. 13.186

Romanorũ ſuperbos debellare, ſubiectis ignoſcere, mos fuit. 2.57

Romanos & Macedones in pugna fuiſſe ſtabiles. 2.45

Romanos ſua ſemper cunctatione egiſſe. 5.138

Romanos adoleſcentes à ſeruitute ad libertatem repente deuenire taduit. 1.21

Romanis nunquam bellandi occaſiones defuiſſe. 2.32

Rubellius Plautus. 14.220

Ruberti Siciliæ regis ad ducem Athenarum monita. 1.14

Ruſticus quidam quid de Antiocho rege ſenſerit. 2.35

Ruſticus Carolo V. vadum per Albim monſtrat. 13.196

S.

Sabinus à Vitellianis oppugnatus. 3.92

Salmaſii mendacium. 20.358

Salluſtius Criſpus. 4.107

Saluſtius celeberrimus rerum humanarum ſcriptor. 3.72

Samnitum contra Romanos ſtratagema. 18.295

Sapientis eſſe præſentia recte gubernare nec non futura præuidere. 1.5

Sarmatarum virtus. 4.109

Scanderbekii enſis. 14.218

Schola principum quæ eſſe debeat. 2.56

Scipio Africanus ab Hiſpanis militibus Rex proclamatus. 1.4

Scipio cum Aſdrubale conflicturus quid fecerit. 18.292

Scipio Syphacis & Aſdrubalis caſtra vna nocte combuſſit. 19.338

Scipionis contra Cæſarem inanis conatus. 19.312

Scipionis Africani elegans monitum. 18.288

Scipionis Africani memorabile dictum. 19.328

P. Scipionis filia quadringentis tantum aureis fuit dotata. 3.85

Seianus exploratorum alumnus. 4.120

Seianus omnium maxime fauorem Tiberii adeptus. 3.73

Seiani cum Tiberio arctiſſima familiaritas. 4.114

Seleucus. 5.135

Selimi Turcici Imperatoris conatus. 13.209

Senatori neceſſarium eſſe remp. publicam noſſe, quid valeat ærario, &c. 1.13

Senatores Romæ quatuor qui poſt præturam conſulatum ambiebant. 4.118
Senatorum in Repub. Veneta prouidens conſilium. 1.18
Senatus Romani ad milites de Liguribus ſcriptum. 1.15
Seneca multorum morum ſapientiſſimus. 17.268.& ſeq.
Senum conſilium iuuenilium præferendum. 15.239
Senis dandum interſtitium pœnitentiæ. 5.124
Serica veſtimenta olim Romæ vetita fuerunt. 3.84
Sertorii prudens factum. 18.284
Seruilius mediũ gerens reprehẽditur. 18.296
Seruilius Galba. 19.334
Seruorum flagitia etiam dominis notam inurunt. 4.96
Seſoſtri Regi Ægyptiorũ facile fuiſſe res magnas gerere, & quare. 20.349.& ſeq.
Seueritate non vtendum vbi iure vti poſſumus. 17.259
Seueri Imperatoris lex de tribunis, ducibus & legatis. 2.61
Silentium mulieribus eſſe honeſtum, viris non item. 5.140
L. Syllani fatuitas. 11.156
Socrates ſenectuti gratias habebat, quod ipſum ab horrendis libidinum monſtris exemiſſet. 3.75
Soderinus Epiſcopus Volaterranus. 13.184
Solomonis à Deo ſalutaris petitio. 17.267
Solon Athenienſium Legislator. 4.118
Sororium tigillum olim quid. 2.50
Stratagema Romanorum in Gallos. 2.43
Subditorum læſionem principem non decere. 17.264
Suetonius Paulinus. 14.225
Suetonii Paulini conſilium. 18.290
Sutrium Hetruriæ clauſtrum. 19.316
Sibyllinos libros Romani olim conſuluerunt. 2.41
Syllanus in exilium mittitur. 14.220
Syracuſani Gylippum derident. 13.207

T.

TAcfarinates. 4.104
Tacitus fœcundiſſimus exemplorum ager. 4.97
L. Tarquinius magiſter equitũ creatur 19.307
Tarquinius ſuperbus tyrannus. 12.164
Tarquinii adoleſcentes regio more viuere aſſueti. 1.22
Temporum noſtrorum felicitas magna cenſetur. 3.85
Tertullianus quo tempore vixerit. 3.93
Theatrum Romanum immenſæ magnitudinis. 3.91
Themiſtocles Artimium Zelitem infamia notauit. 3.82
Themiſtocles & Ariſtides valde laudãtur. 1.7
Themiſtocles precioſis à rege Perſarum ditatur muneribus. 20.363
Themiſtoclis dictum. 5.141
Thraces delectum militum Romanis denegabant. 1.15
Thraſea pulcherrimum ad adoleſcentem monitum. 11.155
Thraſeæ ſeueritas Senatui Romano nihil profuit. 16.255
Thucidides pluris pecuniam quam milites fecit. 18.297
Tiberius in diſtribuendis munerib. militarem experientiam inprimis reſpexit. 3.78
Tiberius laudatur, q̃ nouies in Germaniam ab Auguſto eſt miſſus. 2.48
Tiberius plura conſilio quam vi fecit. ibid. 48
Tiberius Agrippinæ nurui cur maritum denegarit. 12.159

Tiberius callidus & noui iuris repertor. 15. 236

Tiberius aliquando fauorem iuſtitiæ prapoſuit. 2. 52

Tiberius quendam Legatum infamia notauit, quod aliquot milites venatum miſiſſet. 2.32

Tiberius extra domum Auguſtam imperium collocare indecorum atque intutum putauit. 1.6

Tiberius defuncto Auguſto, ſocium ſe aliquem in principatu cupere ſimulauit. 1.10

Tiberii notabile dictum. 3.76

Tiberii Epiſtola ad Senatum Romanum. 5. 127

Tiberii maxima laus. 5.134

Tiberii temporibus actum de ſacris Ægyptus, Iudaicisque abrogandis. 11.145

Tiberii primum facinus in Inſula Planaſia. 2.54

Tiberii Cæſaris morem fuiſſe continuare imperia. 1.28

Tiberii callidum ingenium. 1.28

Tiberium nemo viribus æquat. 5.134

Tiberium omnium fuiſſe crudeliſſimum. 2. 54

Timoleon fratrem occidit. 15. 250. *eiusq; facta plurima.* ibid.

Titi Veſpaſiani verba digniſſima. 20.356

Torquati memorabile factum. 16.256

Toquatus Syllanus interficitur. 17.268

Traianus Euphratem in Tigrim deriuare conatus. 13.218

Triarii milites qui fuerint. 2.43

Triuluius dux omnium experientiſſimus. 19. 316

Troſoboris cum latronibus conſpiratio. 4. 102

Turca adoleſcentulos filios in longinquis prouinciis educare ſolet. 2.59

Turca nouam religionem in ſuo regno admittere deteſtatur. 11.147

Turcam in regnis & prouinciis debellatis nobilitatem ſolere extinguere. 2. 53. & *quare.* ibid.

Turcæ quare fratres ſuos interficiant. 12. 163

Tuſculani cum erraſſent ad preces conuerſi. 3.94

Tyrannus qui cuncta abſorbet mari non diſſimilis eſt. 17.268

Tyrones olim qui dicti. 1.19

V.

VAgiſis egregium reſponſum Craſſo datum. 15.243

Valerius Aſiaticus. 5.123

C. Valerius Flaccus. 5.124

Valerii Conſulis in bello contra Sabinos factum. 19.308

Valerii Meſſalæ præmium. 2.53

Vectigalia bonum publicum efficiunt. 14. 230

Vectigalia neruos eſſe Reipub. 18.297

Vegetii præceptum de eligendo itinere. 15. 197

Venatio hominum ſacra quomodo recte inſtituatur. 2.33

Venatio raptatoria in domeſticam & ſyluestrem diuiditur. 2.34

Venatio militaris quid. 2.34

Venationis ſtudium ad bellum maxime referri. 2.32

Venatores ſobrietatem magis quam cibum colere. 2.32

Venatores ſacri qui dicantur. 2.35

parum Veneni magis obeſſe quam ingens dulcedo proſit. 15.252

Venetiarum ciuitas licet multos ſuſcipiat aduenas, nunquam tamen fiunt dignitatum participes. 11.153

Veneti in venando nullam laudem ponunt. 2.32
Veneti oratoribus ſuis & Legatis quid iniungant. 13.208
Venetorum conſilium Petro Medices datum. 15.237
Veneti ad imperium totius Italiæ adſpirant. 1.18
Vereri neminem eſſe conditionem peſſimam. 14.215
Verannius ſeueritatis fama inſignis. 14 222
Veſpaſianus Imperator adoleſcentem vnguento fragrantem vituperauit. 11. 145
Veſpaſianus Capitolium combuſtum readificat. 3.91
Veſpaſianus ſuorum temporum parſimoniæ autor. 3.86
Veſpaſiani prudentia. 1.22
Veſpaſiani ad Reges Parthorum & Armeniorum Legati. 18.29
Veſpaſiani de capiendo imperio incertus animus. 18.294
Veteranus miles olim quis datus. 1. 19
Vexillum deſerere olim capitale erat. 13. 187
Viceſimæ nomine olim quid dictum. 1. 26
Victoriam claram fieri vincendo oppugnantes, non ſæuiendo in afflictas. 1. 16
Vincendum aut melioribus parendum. 18. 302
Violentas manus in principem coniicere quã ſit nefarium. 19.348
Vir iuſtus ab auditione mala non timebit. 3.80
Viri politici officium quod. 3.68
Virginii Conſulis ſtratagema. 2.44
Virgines quo anno apud Romanos duci potuerint. 2.63
Virtus Romanorum antiqua. 19.330
Virtutis poſſeſſionem eſſe vberrimum fructum & præmium. 2.39
Virtutem arduam & laborioſam eſſe. 5. 139
Virtutes vitiis immixtæ difficilem cognitionem præbent. 4.111
Vis nulla contra fatum valida. 11.156
Vitellius maximæ neceſſitatis tempore qua premebatur ſeſe nullius rei indigere ſimulauit. 1.12
Vitellii factum. 18.283
Vlyſſis ad Græcos monitum. 18.293
Vni nequaquam omnia regenda eſſe cõmittenda. 14.231
contra Volſcos quo genere armorum vſi fuerint Sempronii milites. 18.282
Volumnius eloquentiæ contemptor. 12. 178
Volumnii Conſulis factum. 17.274
L. Voluſius ad 93. vſque annum in aula vixit. 4.101
Vulgus rerum nouarum beſtia cupidiſſima. 20.357
Vulgi mores noniſſe neceſſe eſt. 20.353
Vulgi natura & mores. 20. 353. & ſequentib.
Vulgi opinio de Antiquorum religione. 5. 129
Vulgi voluptatibus ſe immiſcere à principe debet eſſe alienum. 5.141
Vulgo omnia facile perſuadentur. 20. 354
Vxor Aſdrubalis laudatur. 13.213

X.

XEnodochia quare inter Chriſtianos exædificanda. 17.270

Xenophon & Plato cur venandi ſtudia tam mirifice laudent. 2.35
Xenophon Platonis æmulus. 14.217
Xerxis factum in Pithii filium. 2.51
Xerxis in Perſiam per Helleſpontum reditus. 19 328

Z.

Zambri factum. 1[illegible]
Zame oppidum. 1[illegible]
Zioli inuentio machinarum. 1[illegible]
Zopyrus naſo auribuſque amputatis B[illegible] loniam prodit.

FINIS.

Sequuntur Libri III.

DE REGNI, REGISQVE INSTITVTIONE,

PER COLLOQVIA SIVE DIALOGOS abſoluti, & ſcripti

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM Cerdam Medimnæ Cœli Ducem,

ET PROPTER CONVENIENTIAM MATERIAE hiſce diſcurſibus Scipionis Amirati additi.

CVM INDICE LOCVPLETE.

ANT. Interfuiſtine Aureli apparatui, ac pompæ illi auguſtiſſimæ, qua princeps Hiſpaniarum Philippus ſumma cum omnium gratulatione, atq; gaudio nuper eſt in Britanniæ regnum acceptus, an falſo te dicunt eo viſendi eius ſpectaculi cauſa veniſſe? AVR. Interfui vero, ac libenter. Nam longe quidem plura, quam ipſe cogitaram, digniora que omni æſtimatione vidi. ANT. Eorum igitur aliquid obſecro Aureli, ſi otium eſt tibi, narra: deque eo rege quid tum ſenſeris, dicito. Nam illorum, qui huc inde rediêre, plerique vel falſa nobis referunt, vel pauca nonnulla, & vulgaria. AVR. Næ tu à me longam, atque difficilem narrationem poſtulas, & eam, quam ab otioſo aliquo, & harum rerum auido homine poſſis commodius audire. Sed tamen ne amici officium *Dialogi occaſio.*

vel hac in parte deſideres, breuiter quod in ea pompa præcipuum, ſpectatuq; digniſſimumum fuerit, hoc eſt, de rege ipſo quid iudicarim, referam: reliqua nec otiũ eſt nunc narrare, & ab aliis cognoſces facilius. ANT. Cædo igitur quidquid libeat, quando auidis expectatione nouorũ nobis quiduis iucundum eſſe poſſit. AVR. Ego vero Antoni tametſi narrare multa, quę ſoleant in admirationem homines ducere, dignaq; videri, quæ ſtudioſe ſpectentur, poſſem: nihil tamen ipſo illo rege Philippo tota in ea pompa præſtantius viſus ſum mihi cernere: adeo in eo ſplendor, & amplitudo pluſquam regia elucebat, vt reliquo apparatu, qui quidem erat lectiſſimus, neglecto, ad ſui conſpectum omnium oculos facile conuerteret. Nam cum primũ idem felici nauigatione ex Hiſpania profectus, breui in Britanniam appulit, atq; humaniſſime à cunctis eius prouinciæ proceribus eſt acceptus, ac demum Marię reginæ, quam abſens vxorem de more duxerat, coniunctus: omiſſis omnibus, quæ ad iucunditatem alios, & relaxationem laborioſæ nauigationis inuitare ſoleant: continuo cœpit exemplo ſuo religionem illam, quam inſtauraturus venerat, præ ſe ferre, templa omnia adeundo, ſacra frequentando, pios, proboſq; homines fouendo, laudando, confirmando, reliqua demũ efficiendo, quæ ad pietatem vel maxime ſtabiliendam pertinerent. His ita excellenti, ac diuino prorſus conſilio effectis, conſtitutiſq; rebus aliis ad tranquillitatem, commodaque illius reip. quæ paulo ante ab impiis, & ſeditioſis hominibus fuerat vaſtata, ſpectantibus, ſtatim ſe ad priſtinam religionem reuocandam, fouendoſque homines eos, qui eandem conſtanti animo ſemper retinuerant, cum ea vna de cauſa oppreſſi iacuiſſent, contulit, vt rex pius, & iuſtus, itaque mirari profecto ſatis non queo, dum huius principis vitam, actuſque conſidero, hac in expeditione præſertim, non iam humanos conatus, conſiliave, quæ certe nulla fuiſſe hic videntur, adeo magna eſt, & inuſitata, ſed Dei cuncta adminiſtrantis prouidentia: qui quod nemo vnquam putarat, ac ne cogitarat quidem perfecerit. Extinctum enim veneno eſſe iuuenem regem ab eius tutoribus regni occupandi ſtudio, indeque accidiſſe præter eorum ſpem, atque opinionem, vt vera regni hæres Maria in eam poſſeſſionem, è qua tyrannidis vi fuerat deturbata, reſtitueretur, & eandem, repugnante etiam ſeditioſorum hominum turba, & oppreſſa conſilio atq; armis, paterno regno potitam: tum in imperii ſocietatem ac matrimonium, inuitis, ac tumultuãtibus improborum pleriſque, ab illa principem eum, qui cunctos Europæ reges pietate, iuſtitia, clementia, humanitate, potentiaq; ſuperaret, aſcitum, imperiumque ex voto adeptum: certe maius eſt non opinione ſolum, ſed etiam conſiliis, viribuſq; humani ingenii. Quæ omnia cum optimo huic videam regi accidiſſe, quaſi diuino alicui viro, & è cœlo huc demiſſo: equidem eo magis illum admiror, quo plura veri regis in ipſo ſigna cerno: quæ vberrimam ſane illius hiſtoriæ ſcriptoribus ad dicendum præbere copiã poterunt. Magna eſt enim non modo hiſtorici, ſed ipſius quoq; hiſtoriæ felicitas in eiuſmodi incidere argumentum, quod omnes ad laudem, imitationemq; poſſit inuitare. Cum tantam itaque in hoc vno rege vitæ præſtantiam virtutumque

omnium

omnium ſpecimen animaduertam,rarum profecto, atq; excellentem quendam principem eum ipſum eſſe arbitror, vt quoties regem aliquem omnibus numeris quæram perfectum, in illum tanquam in formam abſolutiſſimam, & quaſi Ideam cogitatione mētis adumbratam animum conuertam. ANT. Mirifice quidem tu mihi Aureli laudaſſe videris id, quod nemo æque, ac tu laudet: eoq; magis,quod cum cæteri omnes in eo principe multa commendatione digna prædicent, à te omnes in ipſa commendationis forma vincantur. Adeo enim ipſum extollis,dum velut Ideam regis proponis, vt non verearis conſtanter id aſſerere, quod cogitatione plerique,non reipſa eſſe arbitrentur. Magna res eſt,mihi crede,atq; rara,numeros omnes eius,quem docti prudenteſq; viri deſcribant,regis in vno quoquam poſſe inueniri: idq; mihi ſane optatum potius,quam omnibus ſeculis vſquam inuentum videtur: cum ſi verum eſſet id, quod tu ſentis, alia eſſe reip.forma, alia ciuium, atq; aliarum rerum ſpecies alia, quam nunc ſit, deberet. AVR. Ecquid nam aliud obſecro Antoni requiris? num aliquam nobis reip. Platonicæ,aut Athenienſis: quarum hæc vel ab ipſis Athenienſium optimis ciuibus vituperatur maxime,illa per ſe ſatis vituperabilis eſt,vis inducere? ANT. Ego vero nihil iſtorum.Sed miror profecto in tanta cum omnium ætatum,tum huius noſtræ principum corruptione,laudare te quidquam poſſe, quamquam hunc quidem veſtrum regem laudo, noſtroq; gratulor ſeculo: cum illorum plerique hoc tempore reges nomine tantum,re autem ipſa tyranni ſint. Qui enim Siciliæ tyranni grauiores,infeſtioreſq; publicæ commoditati vnquam fuêre,quam ſuis illi populis ſunt? Atqui eo ſane illis hi deteriores exiſtunt,quod illi iidem,vt ſoli dominarentur,nec amicos,nec conſanguineos,aut filios imperare ſimul, dum viuerent,permittebant: hi autem, tot alunt reip.ſuæ tyrannos, quot familiares, & amicitia ſibi coniunctos habent. Horum enim conſilio perniciosa ciuibus ſuis bella temere aut ſuſcipiunt, aut ſuſcepta pertinaciſſime propter priuata odia & commoditates ſuſtinent: tum pace,belloq; pariter ciuitates nouis quotidie exactionum generibus vel à ſuis,vel ab aliis, propoſito etiam inuentoribus præmio, excogitatis opprimunt,& ſpoliant: dein quod grauiſſimũ eſt,magiſtratus ac publica munera vendunt,eaq; ambitioſis,auariſq; hominib.loco pręmii,aut gratia paucorum concedunt: poſtremo tam ſtolidi,prauiq; ſunt, vt cum ab eiſdem familiaribus falli ſe ſæpe ſentiant, adulationum illecebris irretiti quaſi ſponte cæcutiant, velintq; per paucos illos tyrrannos omnia geri, atq; adminiſtrari. Hi enim nullo publicæ commoditatis ſtudio impulſi, nulliſq; bonis artibus,aut virtute inſtructi, ſola adulandi ratione ſeruiendiq; cuiuis libidini,aut prauitati regũ parati,eorum ſibi gratiam conciliantes cuncta reipub.bona in ſuum conuertunt commodum,omnia pro libito gerunt,perſuadentq; principibus, fidem eis affectu,non iudicio aliquo adhibētibus. Quo fit,vt reges nullo iudicio,nulla voluntate,nullo conſilio, nulla prudentia, nulla demum ratione vtentes, ſed illorum, quos familiares habeant,arbitrium,& nutum ſequuti,nihil in rep.gerant,nullos ad dignitates,honoreſve prouehāt,nihil dent,capiant,ſtatuant, confirmēt, mu-

Regni atq; regum vituperatio.

tent, niſi per illos: cum iidem neminem fidum, prudentem, ſanctum, doctum, vtilem eſſe affirment, præter illum, quem ipſi affectu, aut cupiditate aliqua inſinuent: reliquos ineptos, ignaros, inutiles, contemnendos eſſe, facile prædicent. Hinc fit, vt pauci hi non minus regnare, ac tyrannidem exercere in inferiore ſtudeant, quam ille ipſe eorum tyrannidis fautor princeps in omnes. Atque id ſane magis in hoc hominum genere mirum eſt, quod non ſolum perpetua adulatione, & ſeruitio partam principum gratiam tueri conantur, ſed tanquam obſtacula conſiliorum ſuorum quoſcunq; prudentes, probos, integros, liberos doctoſque viros à principe remouent: ne quaſi detecta eorum nequitia è dignitate, ac loco cadant, tum horum in locum alios ſui ſimiles, homines ambitioſos, auaros, adulatoreſque ſtudio amicorum, aut malis artibus, aut ſimulatione doctrinæ, & ſanctimoniæ inſinuatos ſibi aſciſcunt, quorum autoritate (nam hanc illis ipſi tribuunt) innixi diutius, liberiuſque dominentur. Cum horum ergo libidine potius, quam recto iudicio reges cuncta adminiſtrent, nihilque plane intelligant, eo quod adulatione perpetua obcæcati veri nihil vnquam audiant, aut noſcant, cum ſuam his ipſi addant auaritiam, cupiditatem, inſolentiam, animi impotentiam, vitiumque naturæ, aut morum non modo bonis conſiliis non extirpatum, ſed irritatum ſæpe ab illis ipſis adulatoribus quiduis laudantibus: qui poſſint boni eſſe, ac non perditiſſimi potius, & pernicioſiſſimi tyranni? niſi quod titulis, & prætextu bonitatis, clementiæ, humanitatis, ſtudii in rempublicam curæque communis ſalutis, omnia ſe agere dicunt, prædicanturque à multis: qui cupiditate, ambitioneque pari vel regum ipſorum, vel illis familiarium gratiam venaturi, nihil non probant, nullam cuique ſceleri excuſationem non addunt, tituloſque lectiſſimos iis, & nomina honeſtiſſima tribuunt, cum optimis priſcæ ætatis regibus eos conferre, ac anteponere non verentur. Qui quidem morbus eo eſt per omnium hominum animos peruagatior, quo plures ambitioſi, auarique exiſtunt. Nec te quidem ipſum Aureli (pace tua dixerim) non modo me, aut alium minus conſtantem, ac probum ab hoc numero excipio: tanta eſt horum temporum corruptio, atque prauitas. Quam ſi prædicare libero elatoque animo probus aliquis vir cuperet, non modo ei à principe, graui ſupplicio indicto, ſilentium imponeretur, ſed refelleretur etiam à multis, qui probitatis doctrinæque nomen adepti, tueri contrarias partes, quaſi pro aris & focis depugnaturi, vellent, vel hac ipſa de cauſa haberi in eo numero cuperent. Hoc equidem ipſe perſuaſiſſimum mihi habeo, nemoque tantis me præmiis, tamve fucatis rationibus oppugnauerit, vt vel ab hac ſententia deiiciar, aut illi vnquam ceſſurus ſim. Quamobrem tuam in hac parte reſponſionem, quam ſcio vulgarem (ſit dictis venia) affectuq; plenam fore expectare nolo: ſed quando huc ſenſim deuenimus, ne nos magna inuicem concertatione vexemus, videamus quæſo deinceps, quid tu de rege, atq; regno, nõ iſto dico, tuo; quod nõ diffiteor optimũ eſſe, ſed in vniuerſum de quouis alio, iudices, ego viciſſim quid ſentiam, indicabo. AVR. Semper te Antoni, poſt quã es in Italia, Germaniaq; diu

peregri-

peregrinatus, multorum adminiſtrationis perſtudioſum iudicaui, cũ modo Venetorum, nonnunquam Genuenſium, atq; Senenſium, interdum Heluetiorum reſpublicas ſæpe laudare, & pugnaciſſime ſoleas defendere: nunc autem in hoc ſermone noſtro te id ſentire, minus equidem miror, qui ſemel ſuſcepta in ſententia perſiſtens nihil putes, niſi quod adminiſtretur à multis bene conſtitutum eſſe. Itaq; te reges, & regna vituperare mirum nequaquam eſt nunc, qui tuo id more facias. Quod autem orationis me tuæ initio ad diſputationem de regno inuitaſti, priuſquam conuitiis tuis in reges omnes tam probos, quam improbos reſpondere me ſineres, facis tu quidem pro tuo innato fere cõtradicendi ſtudio: vt cum me diſſentire abs te videas, facilius, atq; liberius, occaſione data poſſis repugnare. ANT. Nequaquam id ea de cauſa Aureli facio: ſed vt ſolemus variis de rebus ſermones ſæpe conferre, ita quoq; à te nunc poſtulo, oroque, vt hanc de regno quæſtionem pulcherrimam pertractemus, collatis vtrinq; ſententiis, quo melius veritas inueniatur: qua de ſi contentioſe, vt ſuſpicabare, diſputetur, nihil exploratum conſtabit. LVC. Æquum profecto eſt Aureli, quod à te, vt pro eodẽ iſto reſpondeam, petit Antonius: nec enim quid melius agere poteris, nunc præſertim, cum otium tibi ſuppetat, quam hac de re longe vtiliſſima dicere. Quamobrem & ego veſtrum vtrunque oro magnopere, ne hanc diſſerendi tam cõmodam occaſionem prætermittatis. AVR. Semper vos facilitate mea abutimini Luci, & Antoni, nihilq; nobis negandum à me putatis, quantumvis id ſit difficile, atque arduum. Quo nomine veſtrum vtrique aſſentiar, ne me pertinacem atq; moroſum iudicetis. Sed quonam pacto à me vultis hac de re agi: num ſolus hoc totum quaſi explicandæ huius quæſtionis onus ſubibo, an vos me viciſſim iuuabitis? LVC. Subibis vero ipſe præcipue, qui bene validus atque robuſtus ſis, nos te velut aſſeclæ diſſerentem ſequemur, ſeu potius rogabimus, ſi quid obſcurum obiter videatur. ANT. Eſto igitur vt à te Lucius iſte petit Aureli, ne ab eo rurſus diſſentias. AVR. Faciam ergo, quod petitis, veſtris tamen ſtudiis impulſus: neque enim ego tantum laboris ſumerem, in re præſertim adeo difficili, & apud eos, quorum ego iudicium reformidem, doctrinamque plurimi faciam. LVC. Sine tu iſthæc Aureli, ne longius à propoſito digrediare, ſicque occaſione ſubterfugiendi laboris quæſita, nihil agamus: itaq; illuc tandem deueni, quo te nos, ſeu res potius ipſa iam vocat. AVR. Veſtris ergo adductus petitionibus faciam, quod poſcitis. Sed vt ſententiam meam facilius apertiuſq; exponam, ſinite me quæſo perpetua oratione id agere, ipſi poſtea, ſi quid forte obiiciẽdum putetis, interrogabitis. ANT. Imo nihil ſane magis aut ego, aut Lucius iſte, vt puto, optamus: tu demum ad rem, quam inſtituis. AVR. Principio vt non tam regnum eſſe à natura ortum, quam idem cæteris omnibus reip. formis anteponendum, quod tu contra ſentiebas Antoni, paucis nunc videatis, diſputationem omnem paulo ab exordio altius repetam, quo cuncta melius conſtent: itaque vt regnum eſſe, atq; regem in hominum ſocietate debere, ruditer nunc primum doceam (poſtea enim id ſuo loco acuratius dicetur) naturam rerum ipſam, ſi placet, intueamini. Mul-

Aliquod eſſe regnum, & reip adminiſtrationem debere oſtenditur rationibus.

ni. Multa enim argumento eſſe poterunt, regnum non hominum inſtitutis, ſed vi naturæ conſtare. Nam ipſa imprimis in mundi vniuerſitate vnum eſſe illius auctorem, atq; parentem, vt Plato vocat, vt autem Homerus, patrem hominũ, atque Deorum cernimus; cuius prouidentia, conſilio, nutuque cuncta regantur. Huic ſummo Imperatori veluti reges alii, ſic mentes diuinæ ſubiiciuntur: quarum diuerſa munera ſunt tam inter ſe ipſas, tum etiam in homines, aliaque omnia: vt certe fateri neceſſe ſit, non minus eſſe regis, ac regni formam aliquam primam in Deo, quam mundi, cæterarumq; rerum, quæcunq; exoriantur, ac fiant: cum vt mundus ipſe, atq; ipſius partes omnes fieri ſine principio nequeant, ſic illud ipſum principium quaſi rex quidam illarum exiſtat. Iam vero vt per ſingulos gradus naturæ progrediamur, vel res inanimes regni quandam formã præ ſe ferunt, cum in iiſdem aliæ ſint aliis & præſtantiores, & efficaciores, atque aliæ veluti præſint, ac vim aliis adhibeant: vt cœlum elementis, hæc rebus concretis: & ex iiſdem nobiliores, ac meliores minus nobilibus. Forma enim cuiuſque rei, vt Phyſici docent, materia præficitur, eo quod ipſam informet, ad ſuique imaginem exprimat. Formarum item præſtantiores vim habent in minus præſtantes, ſicque ordinem quendam velut reipub. inter ſe tuentur. Animalia porro, quæcunque ſocietate aliqua ſunt inter ſe deuincta, quantumuis rudia, & communis ſenſus expertia ſuam quoq; habent regni formam, regeſque ſuos, quibus obtemperent: vt piſciũ multa genera, quæ cateruatim nare, confluereque aliquo magna copia videmus, quaſi tota eo ſe illorum reſp. conferat, quo rex tẽdat ipſorum. Inter aues præterea, quæ ſtupiditate piſcibus proximæ ſunt, vel maxime ſoliuagæ aliquam habent, quam ducem ſequantur interdum; vt grues taccam, prudentiſſimum & ſagaciſſimum animal, vt reliquas demum, quæ magna ex parte coire, & conſociari videntur. Quæ certe ſocietate nulla coniungi, niſi dux eius iunctionis eſſet aliquis, poſſent, quia temere ac fortuito ipſas in vnum congregari, tantus illarum ordo negat. Quin & armenta, & pecudes (è quibus prætereo inſecta quædam, vt apes, quarum ſumma eſt prudentia) nec ſuis item ducibus, atque regibus carent. Ac demum, vt rem in pauca deducam, cuncta videmus reip. ſocietatem, regnique formam imitari, nec ſolos id homines ſibi poſſe vendicare. Qui ſane hac in re ab reliquis omnibus, quæcunque eum, quem diximus, ordinẽ ſeruant, non diſcrepant, niſi quod huius ſigna, & imaginẽ expreſſiorem habent, quam illa, ſicut ratione, menteq; cunctis excellunt. Et quidem tametſi vi ipſa naturę ſocietas hominum conſtituta non videretur, ipſa profecto nos conformatio membrorum noſtrorum, animique ſpecies id indicaret aperte. Cum è noſtri corporis membris, alia videamus aliis præeſſe, vtique quaſi adminiſtris: vt caput toto corpore, corpus pedibus atque cruribus, brachia manibus, eodemque modo reliqua omnia, quæ aliiſcunque imperant. Animus vero ipſe, præterquam quod toti corpori præeſt, quaſi ductor, & princeps, diuerſas item habet ſui partes, alias aliis præſtantiores, aliaſque ſibi mutuo ſubiectas, vt mens, quam à principatu ἡγεμονικὸν Græci vocant, ſupremum tenet gradum virium o-

mnium,

mnium, dein voluntas, mox ordine reliquæ inferiores. Quas ſic inter ſe connexas Plato inquit, vt muſicũ quendam efficiant concentũ, dum rationi iracundia huicque appetitus ſubiicitur, vnumq; reddunt cunctæ pulcherrimum ordinem cogitationum, actionumq; omnium: quo diſſonante, vel etiam diſſoluto, ſumma ſequatur animi perturbatio, neceſſe eſt. Ab his velut principiis ordo, formaque humanæ ſocietatis, tum regiæ inſtitutionis naſci videtur: cum vt homo natura eſt ſociale animal, omniſque ſocietas ordine continetur, ſic eius principem aliquem eſſe neceſſe ſit, ne ordine illo, quo ſtat omnis communio, ſi rege careat, priuetur: quando ab vnitate ordo proficiſci debet, ſi hoc nomine ſit appellandus, eoque ſublato, conſiſtere humana nequeat ſocietas, quia nec ſine ordine poſſit. Ita videmus quaſi à natura ſit comparatum, omnes omnium hominũ vel maxime agreſtium cætus aliqua inter ſe reip. forma contineri: vt magno ſit argumento, naturale id eſſe, quod ſit æque omnibus inſitum, & idem permagnam habere vim, quippe cum à natura ducat originẽ. Et certe ſi hominis eſt, qua rationis, atque ſermonis particeps, non ſolum ſimili ſuo ad propagationem generis, ſed etiam ad vitæ cultum, & neceſſitatem coniungi, nullaque congregatio carere iure poteſt, ſequitur [illegible] aliquam formã eſſe, ſummamq; rationem, quam ſuo quique arbitratu ſiue remp. ſiue regnum appellent, modo quid huiuſmodi eſſe re ipſa fateantur. Debere autem eſſe aliquam ſocietatis humanæ conformationem ſiue reip. ſiue regni, ſiue cuiuſq; demum adminiſtrationis (neque enim nunc ea de re multum laboro) quo ipſa vel[illegible]ti norma contineatur, declarant perturbationes, diſſidia, ſeditioneſque ciuitatum, in quibus vel nullus eſt magiſtratus, vel idem imprudens, atque iners. Item cum vniuerſæ ſocietatis humanæ finis commune ſit bonum, in quod ipſa referatur, neceſſe profecto eſt, principem eſſe cauſam aliquam, eique præſidentem, quæ illam poſſit propoſitum ad finem deducere: cum ipſa ſeſe ſocietas nequeat ad illum comparare, quando nec ſingulæ illius partes poſſunt, atque id etiam omne, quod quid ad aliud inſtituat, eo ſit ſemper præſtantius, quod referatur. Hoc autem quod ſocietatem ipſam contineat, atq; in aliud referat, vocet pro arbitrio ſuo quiſquam, vt velit, dum ex hiſce cõſtet, in omni ſocietate ordinem aliquẽ & conſtitutionis & adminiſtrationis eſſe debere: cuius vniuerſi curã a[illegible] multi, aut pauci, aut optimi quiq;, aut vnus denique gerat. Et ne omnia perſequar longius, ſat huius rei magnum eſt argumentum, quod nationes cunctæ ab ipſo ſtatim humani generis, & ſocietatis exordio rectorem, principemve aliquem ſemper habuere, quem nunquam expulerint, licet aliquando mutarint: quodq; tanto conſenſu vni, pluribuſve ciuitatis vnius rectoribus ſubditi omnes pareant: & quod vel priuati homines, cũ aliqua de re inter ſe diſſentiunt, vnum ſibi ſoleant arbitrum præficere, cuius pareant conſilio: vt mirum ſit à natura vim tantam regni, hanc adminiſtrationẽ habere, quando ſponte illud omnes cõſeruent, nec vnquam eo carere poſſint. Docet id apertius regnorum origo, & ſucceſſio, quæ hiſce mihi principiis orta videtur, quod hominibus diſſociatis adhuc & vagis, atque vnum in locum coeunti- *Regnorum origo & initia.*

bus, ap-

bus, appetitu ſocietatis natiuo, amoreq; ſui ſimilis eos inſtigante (nō frigoris neceſſitate, vt Vitruuius, nec eloquentiæ admiratione, vt Cicero exiſtimauit) iidem continuo aliquem ordinem, qui omni eſt multitudini neceſſarius, adhibendum cognouere: ſicq; reip. formam quandam, initio quidem rudem, fereque informem, quod adhuc rerum multarum, quæ vſu poſtea cōpertę ſunt, caruiſſent: deinde perfectiorem, meliuſq; inſtitutam ad mores, ingeniaq; ſuæ gentis atq; regionis conſtituere. In hac autem ſocietate, quia id maximarum perturbationū erat cauſa, quemcunque è vulgo ſine ordine pro libito quocunque tempore, ac loco obire: nec eſſe aliquos ciuium gradus: alii quidem duos treſve, aut plures, quorum conſilio vti vellent, ſibi elegere, alii ſocietatis ſuæ optimos, alii vnum, alii denique alios, vt tempus, occaſio, vel ingeniorum eorundem natura poſtularet. Neceſſarium porro fuiſſe hunc hominum principatum in terris, ex eo intelligitur, quod idem illud, quod nunc perturbatis ſeditione ciuitatibus euenit, olim extitiſſe ante omnem reip. conſtitutionem videtur. Nam vt hodie commota in rep. quiuis vel media è plebe, vt eſt audaciſſimus, ſummam poteſtatem occupare, pro libidine cunctis imperare, ſpoliare aliorum bona, rapere, & quidvis pro libito agere non veretur, ſic olim idem vſu eueniſſe videtur, quapropter ſocietas hominum, autoritate, dignitateque omni ſua præſtanti alicui, prudentique viro delata, coacta fuerit, eius ſe imperio ſubiicere, ne ſceleratorum iniuriis, audaciæque pateret. Hinc effectum eſt, vt is, cui communi omnium cōſenſu tributa eſſet ſumma poteſtas, quaſi communitatis perſonam gerens, iure aliquo inciperet omnes cohibere, leges imponere, ac facere, alios vi, ac metu coercere, alios præmiis afficere, neceſſaria ſibi præſidia, & vniuerſæ ſocietati parare, quibus ſe tueretur non modo aduerſus domeſticorum hoſtium impetus, ſed ad externorum etiam, itaque huic paulatim auctoritas magna, atque imperium vniuerſæ ſocietatis approbatione datum, acceſſit, quouſque vel idem ſibi ipſe perpetuo, ac poſteris ſuis vi, & armis vſurpauit, repugnante etiam communitate, fauentibuſq; illius tyrannidi paucis amicis, & potentioribus, vel oblatum ab aliis vltro accepit, retinuitque in poſteros hæreditate relictum. Hiſce igitur ex initiis imperia omnia & nata, & conſtituta mihi videntur, ſi rerum publicarum, ac gentium mutationes, hiſtorias, memoriamque antiquitatis vel ab orbis primordio repetamus: niſi quod ſæpe, vti dixi, apud alias gentes vnus aut alter fortaſſe rerum potiri ſolitus ſit, apud alios plures vel ex præſtantibus, vel potentibus, apud alios aliqui ex ipſa multitudine lecti. Ex quo formæ rerum publicarum diuerſæ natæ ſunt: de quibus hoc loco minime opus eſt dicere, dūmodo conſtet, adminiſtrationis cuiuſque formam omnem, atque ordinem aliquo ex huiuſmodi fonte manauiſſe, quod ad inſtitutum noſtrum ſpectabat: cum itaq; huiuſmodi eſſe regnorum omnium origo, & incrementum, natura quoq; humani ingenii id indicante, videatur: fit, vt alii regnorum alias viciſſitudines, & ſucceſſiones induxerint: alii caſu quodam homines ipſa ex terra ſponte velut i herbas natos inter ſe coiſſe, cognitoque ſocietatis beneficio, paulatim con-

Sententia diuerſorum de regni origine, & cauſis.

grega-

gregatos fuiſſe finxerint: alii demum pro captu ſuo aliud eiuſmodi excogitarint. Nam Plato in Ciuili dialogo, & cum eo poetæ omnes auream fuiſſe quandam mundi ætatem ſub Saturno dicunt, cum homines paſſim ſine lege, ſine iure, ſine ordine, nullo duce, regeve, præterquam Deo, vagabantur, alebanturque ex terræ fructibus ſponte ſua enaſcentibus nullo cultu, aut agricolatione, cum nihil iniuriarum ab aliis cuiquam inferretur, cum omnia eſſent communia cunctis atque obuia. Hanc ſine dubio mundi conditionem poetæ, antiquiq; philoſophi ex eo fortaſſe cõmenti ſunt, quod ab Hebręis aliquando audierint, vt alia religionis eorum decreta non pauca, ætatem fuiſſe quandam primi hominis, in qua idem Deo gratus, atque innocens nullis adhuc ſe vitiis inquinarat: ſiue ex eo, quod apud Danielem vatem in ſacris libris legerint, primum illud terrarum orbis ſub Babyloniis imperium aureæ cuiuſdam ſtatuæ forma eſſe ſignificatum. Aiunt præterea, Ioue regnante argenteam ætatem ſubito, hoc eſt, priori deteriorem, iuſtitia è terris ad ſuperos euolante, extitiſſe, tuncque rapinis, cædibus, pugnis, diſſidiiſque homines inter ſe ſæuiiſſe, cunctaque perturbata eſſe: quapropter neceſſe fuerit artes excogitari, & neceſſaria vitæ adiumenta, cum propter hominum iniuſtitiam nec facilem ſeſe iis terra præberet, & eius fructus ab aliis per vim raperentur: tunc leges, iura, & reſpublicas condi cepiſſe, denique omnem hunc vitæ cultum, quo nunc etiam vtamur, paulatim, ruente in peius mundo, hoc eſt, ænea, & ferrea ætate iam ſubeuntibus, propter maiores neceſſitates inuectum, itaque hominum vitio reſpublicas informatas, leges & iura condita, imperia & reges inſtitutos, omnem denique ciuitatum ordinem inſtitutum propterea, quod nulla ratione alia vita, ſic affectis hominibus, corruptiſque degi poſſet, quam ſi iure aliquo illi cohiberentur: cum vt priori illa in ætate aurea innocentiores, ſincerioreſque erant, ita nec tot legibus & inſtitutis eguerint. Qui vero mundum fuiſſe ab æterno putant, vt nullum rerum omnium interitum plane, ſic nec rerum, nec ordinis ciuitatum iſtius inſtitutionẽ fuiſſe vnquam intermiſſam, nullamve prorſus arbitrantur, licet diuerſas regnorum viciſſitudines, & conuerſiones fuiſſe exiſtimarint: vt quæ imperio vnius ciuitas primum paruiſſet, eadem alias ſubiiceretur pluribus, aut vice verſa, quæ pluribus prius, vni poſtea. Sic Plato in Atlantico Athenienſium rempubl. aliam quandam ante octo annorum millia extitiſſe, aliaſq; Athenas fingit: idemq; in Timæo apertius confirmat, quod quaſi cum mundo æternus hic rerum publicarum ordo, quo nunc vtamur, & eo fortaſſe alius præſtantior extiterit. Ariſtoteles ne verbum quidem ea de re faciens modum duntaxat, & ordinem, quo reſpublicæ conſtitui potuiſſe videantur, arbitratu ſuo tradit: minime tamen ſignificat, num idem ita ab æterno fuerit, an inceperit aliquando: quanquam vero eſt ſimilius eum, qui mundi æternitatem induxerit, rerum item publicarum conſtitutionem perpetuo fuiſſe putare. Epicurei, qui homines ſubito ex atomorum concurſu æditos opinantur, nõ minus temerariam ciuitatum originem afferunt, q̃ illam ipſam humani generis. Mihi autem veram hominum originẽ in-

Vera regnorũ cauſa & incremẽta quæſita.

tuenti ab ipſo ſtatim exordio, natura ingenii noſtri, ſermonis, rationiſque vi, atque appetitu nos inſtigante, cœtus fuiſſe hominum videntur. Nam præter id, quod effecto iam homini Deus, ne ſolus eſſet, comitem ſui generis fœminã adiunxit: quod magnum eſt ſocietatis neceſſario naturæ vinculo coactæ argumẽtum: poſtquam ex eo primo coniugio filii nati ſunt, atque eorum auctus paulatim numerus, non ſolum domicilia ſibi ædificauerunt, in quibus tota familia contineretur, ſed ciuitates poſtea coluere: quæ certe ſine ordine, atque inſtitutis nec eſſe, nec amplificari, deriuariq; in alias colonias potuerint. Hiſce tenuiſſimis ortæ initiis re!publicæ omnes plura & incrementa, & ornamenta tum legum, & iuris, tum cultus, & artium, tum reliquorum vitæ commodorum accepere, docente videlicet eas multa neceſſitate, vſu, experimento, poſcenteq; plura hominum vitio, varietate ingeniorum, locorum, ac temporum. Quorum omnium qui hiſtoriam antiquitatis euolnere, noſcereq; velit, rationem facile intelliget. Cum autem iam vnaquæq; ciuitas ſuis regionibus eſſet concluſa, earumque rectores anguſtorum adhuc finium dominatione contenti primo paucos illos ciues quaſi filios patrio iure continerent, tum demum aucto ipſorum numero, & propagato, in proximos pagos, atq; colonias paulatim eos deducere inceperunt, quouſq; gentis eiuſdem homines non iam vnis mœnibus, nec ciuitate vna, ſed latioribus agri ſpaciis diffuſi alias ciuitates ædificarunt, & coluere, creſcente vero, vt fit, vna cum rerum copia cupiditate, atq; auaritia, ſubiit continuo inuadendi aliorum fines, ac ſuos propagandi libido: quod primo à Nino Aſſyriorum rege factum Iuſtinus, à Nembroto Ioſephus ſcribunt: itaque primum ii, quos cõmunis populorum conſenſus principes iuris, atq; ordinis conſeruandi cauſa delegerat, anguſtiſſimam illam hominũ, quibus præerant, ſocietatem imperio ſuo vel armis occuparunt: vt rerum ſoli potiri vitam omnem tranquillius, ſummotis longius hoſtibus, poſſent, & filiis ſuis, quos ſimili in dignitate cuperent conſtitutos, eandem ditionem relinquerẽt: vel recte factorum in ſuos nomine illud perpetui regni priuilegium & ſibi, & poſteris ſuis, quos ipſis fore ſimiles, cuncti ſperabant, oblatum veluti præmium ſeruatæ ſocietatis accepere. Accepto iam, vt dixi, ciuitatis, ſiue ditionis illius anguſtæ, ac circumiacentis vni vrbi quaſi parenti dominatu, paulo poſt illi aut per vim, & iniuriam, aut iure aliquo fines accepti regni amplificarunt, auctaque potentia, reges vel potentiſſimi, vel minus potentes effecti ſunt. Et quem admodum ea, quæ cunctis communia prius erant, vnicuique poſtea, cedere, ac propria eſſe cœpere, ita etiam ditionem illam aut vi occupatam, aut datam ſponte à ciuibus reges tanquam paternam hæreditatem accepere, acceptamque poſteris reliquere. His mihi Luci, & Antoni orta principiis regna omnia videntur, niſi quid aliud nobis videtur. LVC. Nobis vero nihil plane aliud: imo perge quæſo, vt cœpiſti: ſunt enim hæc valde iucũda. AVR. His ita conſtitutis, quid nunc præterea requiritis? ANT. An tu vel expectationi noſtræ, vel tuis promiſſis te ſatisfeciſſe putas? omnem de regni forma atque inſtitutione ſermonem à te requirimus, noli ergo hæſitare amplius, aut

detrecta

detrectare laborem. AVR. Veniam ergo quo vultis, ſiquidem manus veſtras non licet effugere. Imprimis autem quid ſit reip. adminiſtratio, & quotuplex, dicam, quando eiuſdem de origine hactenus dictum eſt. Reſpublica, vt recte Ariſtoteles ait, ordo eſt eorum, qui vrbem aliquam incolunt. Huius ordinis ratio ipſa ciuitatis eiuſdem adminiſtrationis forma. tanquam ſubiecto conſtat: quoniam hanc ſinguli, vt ſupra dicebamus, tueri per ſe nequeunt, ſed vniuerſæ ſocietatis nomine vnus, aut multi, quibus eiuſdem commiſſa ſit procuratio. Ita fit, vt quot ſocietatis regendæ formæ ſint, totidem etiam ſint rerumpublicarum. Regi autem rempub. omnem vnius, paucorum, multorumve adminiſtratione, neceſſe eſt, quando id experientia docet, & ratio confirmat, communem vrbanæ ſocietatis vtilitatem, quod eſt reip. finis, vel vnum, vel paucos, vel multos curare poſſe, cum nulla ciuium diſtinctio ſit alia, præter hanc tripartitam. Iam quia in rep. omni communis ſemper vtilitas eſt quærenda, ſiue ab vno, ſiue à multis, ſiue à paucis adminiſtretur: ſi ab vno id fiat, regnum nominatur, ſi à paucis Ariſtocratia, ſi à multis communi voce reſpub. Contra vero ſi negligatur publicum bonum, priuatoque poſtponatur, tyrannis exiſtet, ſi id vnus faciat, aut Oligarchia, ſi pauci, aut Democratia, ſi multi. Ex his apparet, ſex eſſe reipub. formas, inter ſe contrarias, tyrannidem & Regnum, Oligarchiam, Ariſtocratiam, Democratiam & remp. Sed his omnibus nunc prætermiſſis, de monarchia, quæ veluti genus, & regnum, & tyrannidem continet, iam diſſeramus: poſtea eadem reliquis cum reipub. formis comparabitur. Monarchia igitur, vt nomen eius indicat, eſt vnius imperium rempub. adminiſtrantis. Nam reliquis in ciuitatum formis vel pauci, vel multi hoc idem faciunt, qui tum optimates, tum potentiores, tum populares dicuntur: in monarchia vero vnus tantummodo, quem nos Græco nomine, ſed apud Latinos ſatis iam trito Monarcham appellabimus. Hic, vt initio dicebam, vel occupata vi, & armis ditione, quam publicus ciuium fortaſſe conſenſus electo ex omnibus illi ſubiecerat, vel omnium ſtudio accepta cum eſſet virtutis, & meritorum cauſa, propterea in hanc poteſtatem cooptatus videtur, quod contra potentiorum, ac nobiliorum tyrannidem populus vno aliquo duce indigeret: cuius conſilio, potentiaq; illis exæquaretur, quodque ab vno commodius reſp. quam à multis adminiſtrari, vt ſuo loco docebimus, videretur. Hoc modo regnum & conſtitutum, & conſeruatum, vt ego iudico, eſt. Sed eius variæ ſunt formæ ab vno veluti capite natæ: quas iam, ſi placet, complectar, antequam veri regis officia deſcribam. Ariſtoteles vir grauis, atque excellens libro de rep. tertio, regni nomen late patere putat, itaq; quatuor habere formas diuerſas: quarum prima (ſequar enim illius ſententiam) eſt ea, in qua reges veluti duces ſunt alicuius exercitus: qui in bello tantum ſupremam vitæ, neciſque poteſtatem habeant, quiq; non quidquid libeat, ſed quod optimorum cõſilio reip. proſit, efficiãt: cuiuſmodi fuerit Laconicorũ regum imperium: quod ipſum longe omnium eſt præſtantiſſimum. Secunda regni forma eſt, in qua reges iidem à maioribus iure imperium accipiunt, illudque non externorum, ſed ciuium ar-

Reip. definitio, & ſpecies.

Regni formæ, & earum inter ſe diſcrimẽ.

mis tuentur: in quo diſcrepant à tyrannis, tamen ſupremam habeant poteſtatem, non quaſi duces in milites, ſed vt ſeruos domini: quamobrē tyrannica prorſus hæc forma eſt, eaque Barbarorum propria. Tertia eſt illa, in qua ſumma quidem poteſtas vni datur à populo, vel ad tempus præſcriptum, vel in vitam omnem: ſed hæreditate aut accipi, aut tradi poſteris nequit: qualis apud Romanos erat Dictatura, Atq; hoc ipſum regnum ab illo ſecundo, & tyrannico id tantum differt, quod hæreditate non accipiatur: cæteroqui regnum quodámodo nominatur, quatenus ciuium voluntate, & ſtudio alicui conceditur, aut conceſſum retinetur. Quarta denique eſt ea, in qua ciuium voluntate, ac ſuffragiis ſumma conferatur alicui poteſtas, nec ipſi modo, ſed eius etiam poſteris omnibus: cuiuſmodi regnum heroicis temporibus dicitur extitiſſe, cum ob tributa communitati beneficia, & prudentiam, vitæque præſtantiam imperium vni viro, eiuſque poſteris, qui ei ſimiles fore putabantur, conferebatur. Additur his quinta regni forma, quæ omnium optima eſt, in qua reſp. vniuerſa vnius quaſi parentis conſilio, voluntateque ad communem vtilitatem gubernatur: cuiuſmodi regnum patrifamilias ſimile eſt, quod ſicuti poteſtatem hic omnem in ſuos habens, eorum tamen vtilitati conſulat, ita ille ſummum quidem habeat imperium, ſed publicæ commoditati congruens. Has igitur quinque regni formas hoc inter ſe congruere idem Ariſtoteles ait, quod ſummam in iis poteſtatem principes teneant: quod voluntate ciuium imperent, quod ſoli ex omnium numero ſint, & potentiſſimi, & honoratiſſimi: quod denique arbitrio ſuo cuncta adminiſtrent: differre vero, quod in prima regni forma, id eſt, Laconica, plena regi poteſtas nō ſit, cū in bello duntaxat vitæ, neciſque imperium habeat omne, idemq; ciuium ſuffragiis, aut hæreditate accipiatur, ſecunda & tertia proxime accedant ad tyrannidem, eo quod vniuerſam in ſuos habeant poteſtatem quouis tempore, eoſque veluti ſeruos domini regant, quodque hæreditate, aut ſuffragio reges creentur: hæreditate quidem in ſecunda, ſuffragiis in tertia regni ſpecie, quarta in forma, & ſuprema ineſt alicui poteſtas, & ea non hæreditate accepta, ſed ipſi, dum viuat, regi ciuium voluntate, poſteris vero eius lege conceſſa: vltima, quæ tanquam altera ex parte primæ reſpondet, ac reliquas tres quaſi medias vna cum prima illa complectitur, habet quidem omnem poteſtatem & domi, & militiæ, ſuoque vniuerſa conſilio regit, hæreditate & accipitur, & poſteris relinquitur: ſed vtilitati publicæ conſulit. Quæ quidem forma omnium perfectiſſima & vtiliſſima eſt, quod ab ea veri reges, veraque regna dicantur. Qua de ipſa quidquid à nobis de rege iuſto, atque regno præcipiatur, intelligendum eſt. Huiuſmodi enim regni originem quaſi à natura inductam, & vtilitatem deſcripſimus, atque eiuſdem officia, parteſq; deinceps trademus. Vnus igitur princeps hic, ſiue monarcha, qui ſolus reip. procurationem velut paterfamilias habet, omnemque & operam, & laborem ſuum in patriæ cōmoda confert, neglecta vtilitate propria, eodem plane modo, vt Ariſtoteles inquit, inſtituendus eſt, atque ciuis aliquis optimæ reip. cum probus rex nihil ſit aliud, quā eiuſmodi ciuis: quā-

Propoſitio diſputationis vniuerſa de regno, & rege.

doqui-

doquidem vt eadem optimi ciuis, reique publicæ bonæ informatio eſt, ipſeque rex ita eſt inſtituendus, vt & reſpublica ipſa, ſic etiam rex idem regno, vt regnum optimo ciui, reique publicę bonæ ſimile quod ad inſtitutionem, morumq; diſciplinam exiſtit. Quamobrē vt rex commode inſtituatur, videamus, quid in republica & regno bono eſſe debeat, vt id regis inſtitutioni, regnique, quod fuit propoſitum, accommodetur. Huius autem rei duplex eſt via, qua rex idem ſeu bonus, ſeu malus futurus ſit, ingrediatur: vna, quæ tyrannis dicitur, longe peſtilentiſſima: altera, quæ regnum, ſaluberrima, & præſtantiſſima. Vtriuſque peculiaria quædam ſunt, quæ diligenter noſcat princeps, neceſſe eſt, vt non tam virtutis, quam etiam vitii tramitem videat, quo citius ab altero, noto, & explorato altero, poſſit deflectere. Itaque quoniam ipſe perſonam communitatis ſuſtinet, atque ad eiuſdem vtilitatem, honeſtatemque, quod eſt reipublicæ finis, referre omnia debet: ſic ſe comparabit, vt è reipublicæ commodo viuat, cum ſui ipſe iuris non ſit, ſed quaſi adminiſter quidam ciuitatis. Reges enim non ſunt regnorum domini, aut poſſeſſores, ſed velut clientes, ac ſubditi vniuerſæ reipublicæ, quando ciuium omnium negotia omnia, curas, labores, pericula, egeſtates, moleſtias, diſſidia, bella, ſimultates, contentiones, lites, crimina, pondus denique rerum omnium humeris ſuſtineant: nec poſſint, etiamſi velint, ex animi ſui ſententia viuere. Cum ſic igitur omnia ex eius procuratione pendeant, ita ſe idem geret, vt non ſibi tantum, ſed omnibus æque ſatisfaciendum putet, vt cunctis virtutis & integritatis exemplum ſit, vt illa cupiat, ac faciat, quæ cunctos velit ipſe optare, atq; facere: cum enim, vti dixi ſupra, idem publicam gerat, non priuatam perſonam, publice ipſi viuendum eſt, non priuatim, hoc eſt, ad ciuium inſtitutionem. Quocirca vt reipublicæ vniuerſæ mores formantur, quo cuncta melius virtutum officia poſſint obiri à ciuibus, fiantque probi omnes, ac ſancti, ita quoque rex inſtituendus eſt, quod velut reipublicæ ſumma in eo ſit conſtituta, quodque eadem debeat ipſe tueri virtutis officia, quæ alii: vt cum priuatim bonus eſſe didicerit, publice poſſit eſſe commodior: quemadmodum etiam ad ciuitatis temperationem ſingulos prius ciues, quam totam eorum congregationem temperamus. Quoniam autem principis inſtituendi non minor in corporis cura pars eſt, quam in eiuſdem animi: quando hic illius temperationem ſequitur, ac idem princeps corpore ſuo æque atque animo debeat reipublicæ inſeruire: quæ ad corpus illius pertineant, iam inde ab ortu incipiam deſcribere, poſtea de animi latius conformatione dicturus. Neque enim, quod Plato fecit, oportet ab ipſo parentum coniugio, congreſſu ac procreatione initium ſumere, cum id nimis remotum ſit, nec principibus omnibus congruat, quorum aliqui forte parentibus non oriuntur principibus. Recens igitur natus infans continuo nutricibus caſtis, bonis, cordatis, honeſtis, atque robuſtis tradatur, vt vna cum lacte virtutem exemplo ediſcere incipiat, firmuſque pariter, & robuſtus fiat. Multum enim corpuſculo nutriendo, animoque rudi quaſi excolendo vtrumque contulerit. Difficile quidem erit huiuſmodi fœminam inueniri, quæ & probitate, & con-

Ordo inſtituē di regis, & regni qualis hic ponatur.

Inſtitutio regis quod ad corpus attinet.

De prima regis in infantia educatione.

ſtantia, & ſanitate corporis recte nutrire principem poſſit: ſed inquirenda ſtudio omni, & labore eſt, cum magni referat recta principis educatio non tam ad corpus, quam ad animi probitatem, & cultum. Videmus enim infantes quoſdā moroſos, difficiles, clamoſos, querulos: alios timidos, trepidos, ſtupidos: alios imbelles, morbidos: alios nimium robuſtos: alios demum aliter affectos: ob id videlicet, quod à nutricibus hæc vna cum alimento, cui ſeſe corporis temperatio accommodat, capiant, cum ætas tenera capax cuiuſq; rei ſit. Quo nomine bene quidem Plato, qui hac in re omnium, qui de republica ſcripſerint, diligentiſſimus fuit, præcipit, vt quando in tenera ætate dolor, atq; voluptas (quæ perturbationum animi capita ſunt) maxime vigeant, eaque niſi principio cohibeantur, grauiſſima ſcelera procreent: ita infantes educentur, vt ſtatim moderationem, & firmitatem animi, ac corporis capere incipiant. Id autem fiet, ſi, quod antea dixi, nutrices robuſtæ, firmæ, ac moderatæ ſint, ſi infantes frigoribus aſſueſiant, cum calida eorum natura id poſcat, ſi motu frequenti agitentur, vt tenera, & alimenti perpetuo affluxu creſcentia corpora corroborentur, ac indureſcant. Et quoniam terreri diuerſis rebus iidem ſolent, propterea quod acceſſio materiæ frequens imaginationem perturbat, ſicuti accidit ebriis hominibus: itemque aut moroſi, aut difficiles, aut iracundi, aut queruli fiunt, ſi nimium eorum cupiditati indulgeatur (indicatur autem ipſorum cupiditas fletu, aut ſilentio, dum flent, quod quid denegetur, quo dato, ſtatim tacent) viderint diligenter nutrices, ne quādo deſerantur, aut pauidi relinquantur: neve illorum cupiditati ſemper indulgeant, ne timidi, intemperanteſque fiant. Dum enim ii tenere ab infantia permittuntur, imbelles poſtea exiſtunt, & imbecilles: dum item deliciis, luxuque aluntur, voluptarii, molleſque fiunt. Ergo illis nequaquam, quod plorent, nimis eſt indulgendum, & ſæpe plorare ſinendi ſunt: cum fletus augendo corpori, vt ait Ariſtoteles, maxime proſit, eo quod corpora velut agitatione quadam exerceantur, ſicuti contentione item ſpiritus vires augētur. Atqui hoc modo infans triennium à nutrice alatur, quemadmodum Plato præcipit, quod ætas illa indicium ſequentis ſit, & robuſtior ac firmior priori, tametſi apud quaſdam nationes minori ſpatio, aut longiori infantes lactentur. Interim etiam cum data illis iam ſit loquendi facultas, atque (vt ſunt loquaces natura pueri) cœperint garrire, diſcant à nutricibus proprie, apteque materna vti lingua, & proferre commode verba, ne vitium aliquod negligentia ediſcatur. Nouimus enim multos aut blæſos, aut balbutientes, aut hæſitantes ob negligentiam nutricum, quæ vel exemplo ſuo illa doceant, vel ſeueritate non vetent. Hîc porro monendæ illę ipſæ ſunt, & accurate obſeruandæ à prudentibus, grauibuſq; viris, aut fœminis, quæ hac de cauſa iis ſint adhibitæ, vt nullum infanti verbum aut blandum nimis, & adulatorium dicant, ne ſtatim ſe reges fore intelligant, neve, vt ſunt elati pueri omnes, inſoleſcere, ac ſuperbire incipiant. Quam imprudenter Dii boni, ac pueriliter illi faciunt, qui infanti tenero, atque inſcio adulantes regem eum eſſe, potentem, diuitem, opulentum, regum potentiſſimorum filium

De nutricum regiarum officio.

dicant

dicant, priuſque illis animo ſemina inſolentiæ infundant, quam probitatis, & moderationis. Ergo nutrices, miniſtri, aut huiuſmodi homines alii hæc dicere infanti prohibeantur, caueantque diligenter, ne regem ſe ille, aut regum filium, tunc temporis audiat, vt iiſdem obedientior fiat, & quæ præcipiantur, ediſcat facilius, tumore, ac faſtu depoſito. Cum hoc igitur modo princeps à teneris enutritus ad puerilem ætatem peruenerit, protinus pædagogis, atque magiſtris artium diuerſarum tradatur, vnaque ad animi cultum capiendum deducatur, adiunctis præceptoribus aliis, qui ſimul cum illis diuerſis temporibus conuenientia ætati cuiuis tradant præcepta. Sed horum nos poſtea munus ſuo loco in animi inſtitutionis forma explicanda oſtendemus: nunc corporis colendi rationem, & magiſtrorum eidem præfectorum officia deſcribamus. Puerilis ætas leuis eſt, hilaris, inquieta, indomita, petulans, acris, atque prudentiæ expers: igitur puer ſtatim magiſtris datus iis artibus inſtituatur, quæ ætatem illam maxime deceant, pariterque remoueatur à ſeruulorum, clientum, leuiumq; mulierum conſortio, colloquiis prauis, & turpibus, ſpectaculis, aut inhoneſtis picturis, à mendacio, & ſimulatione, à petulantia demum: propterea quod his de cauſis vitiorum ſemina quædam eorum animis inſeruntur, quæ adulta poſtea in grauiſſima ſcelera, & inſanabiles animi morbos abeunt. Cum autem, autore Ariſtotele, duæ ſint ætates, in quibus inſtitui homines oporteat, à ſeptennio ad pubertatem, atque hinc ad vigeſimum primum annum: in prima illa ætate res leues, faciles, ac iucundæ, eidemque accommodæ diſcantur, grauiora vero, ac difficiliora in ſecunda. Ætati puerili, ac teneræ, quæ iucunditate maxime ducitur, & inquieta atque leuis eſt, muſica, & motus corporis congruunt: quandoquidem illa multum animum mitigat, & delectat, hic corpus roborat agiliuſque reddit. Quo nomine duas res illas Plato huic ætati adſcribit: has vero quatuor Ariſtoteles: literas, muſicam, palæſtram, pingendique artem: è quibus tres tantum Plato retulit, literas, muſicam, palæſtram ſiue gymnaſticam: picturam vero reiicit, qui eandem in libris de republica ſicut poema etiam vituperat, quod multa aſpectu inhoneſta, quæ prauo exemplo eſſe poſſint, proferat. Sed ſingulas nos earum artium ætati huic regis primæ adhibentes, quatenus, quave ratione ediſcendæ ſint, videamus. Cum corpora omnia, præſertim puerilia, mediocri motu firmentur, indurentur, & creſcant: prima Gymnaſticæ, vt Plato exiſtimat, pueris cura ſit. Sunt enim ii vel ab infantia, dum brachiis nutricum geſtantur, aut cunis reponuntur, frequenter agitandi: quoniam nihil corpora magis augeat, atque confirmet, quam motus. Gymnaſtica vero, cuius permagnas vtilitates Plato, & Galenus non vno in loco tantum commemorant, duplex eſt: Athletica vna, altera moderata, & ſalubris: illa quidem, quod vaſta, dura, robuſtaque nimium corpora faciat, animoque obſit, valetudinem lædat, ac corporis temperationem vitiet, pueris eſt pernitioſa, ideoq; hoc loco omittenda: hæc autem ſecunda, quæ vtilis eſt, duplex eſſe Platoni eidem dicitur, aut ſaltatio, aut luctatio: quibus permultæ aliæ formæ non minus vtiles, atque exercendo corpori aptæ adiungi poſſunt.

Quæ pueris regibus tradendæ artes, & quæ prohibendæ.

Quis rebus puerilem [illegible]ceat regis [illegible] [illegible]tem.

Motuum corporeorum forma.

poſſunt. vt equitatio, pedeſtris curſus, pilæ ludus, haſtiludia, aliaque huiuſmod exercitationum cuique regioni, aut genti vſitatarum genera multa. Quæ quidem nos ordine perſequamur. Saltationem Plato pueris tradere primam videtur, tum quod eiuſdem ſit motus moderatior, tum quod muſicæ affinior, quæ illi eſt ætati congruentiſſima. Ea vero cum iucunditatis, exercitationiſque plurimum habeat, pueris apta eſt: quorum corpora ſine moleſta defatigatione exerceri volumus. Quapropter cauendum eſt, ne quod ſaltationis genus nimis iucundum, leue, aut turpe afferatur, neve difficile, ac violentum, quod corpora fatigatione nimia debilitet. Alterum enim animo nocet, cuius cum corpore ſimul habenda cura eſt, alterum corpori, cuius eſt valetudini conſulendum. Saltationem autem moderatam, atque decoram Perſæ, ac Lacedæmonii pueris exercendis belloque vtilem putauere, vnde Epaminondas vir bello ſtrenuiſſimus canere, ac ſaltare venuſte dicitur ſolitus. Tanta vero ab eiſdem decori, honeſtatiſque habita in ſaltando ratio fuit, vt quod Hippolides apud Cliſthenem, cuius duxerat filiam vxorem, aliquanto leuius ſaltaret, à ſocero ſit reprehenſus. Igitur cum ſaltare iucunditatis honeſtæ, corporeæque exercitationis cauſa, vtile principi ſit, prohibendus illi eſt à magiſtris motus omnis turpis, indecens, mollis, ſcen icus, vehemens, impudens. Saltationum porro genera ſingulis fere nationibus peculiaria quædam ſunt, fuereque ſemper: vt Lacedæmoniis Aſcoliſmus, Baccho dicatus, Colabriſmus, Phalicus, Bactriaſmus, Strobilus, Apocinus, Græcorum item aliis populis Cordax, Cicinnus, Nicatiſmus, Mactriſmus, Anthema: noſtris item hoc tempore Pauana, Gallarda, Germanica, & id genus alia permulta, quæ nec in ſermonem referre, nec verbis licet exprimere, propter obſcuros eorum motus, ac varietatem. Id tantum hoc loci ſit ſatis præcepiſſe, decere quidem principem ſaltationes aliquas graues, iucundas, honeſtas, & eas præſertim, quæ corpus confirment, reddantque habilius: quando id iucundum, atque vtile ſit. Huiuſce vero rei curam magiſtris committi oportet, vt ſi turpius illum, aut leuius, aut vehementius moueri cernant, acriter reprehendant. Sed de ſaltatione hæc ſatis. Huic adiungitur à Platone luctatio: cuius cum forma vna Athletica, vehemens, & violenta ſit, altera moderatior: illa vituperatur, & pueris prohibetur, hæc commendatur ſtudioſe. Cum enim id eius ſit inſtitutum, vt corporum ſanitas, vires, valetudo, roburque firmetur, habita ſemper, vt Plato idem ait, animi cura: vt idem vna cum corpore moueatur: ea eſt luctandi forma quærenda, quæ vtilis, & moderata exiſtat. Neque enim laudanda eſt, quod prudenter Ariſtoteles monet, Athletica illa, & ferox Lacedæmoniorum luctandi forma, quæ robuſtiores, quam ſanos, atque prudentes illos reddebat, ſed moderata quæuis alia commoda, decens, atque ſalubris. Huius generis eam eſſe Plato cenſet, in qua collum, manus, latera, & totum corpus ſtudio alicuius præmii, & honeſto habitu moueatur. Huc item peculiaria illa Romanæ iuuentutis exercitamenta adiicere licet, quæ & vſum armorum, & corporis vires augeant: vt haſtiludia, lapides in altũ iacere, ſudem, aut globum torquere, arma tractare, equum

De ſaltatione eiuſq; forma.

De luctatione eiuſq; forma.

agitare, multis modis ſalire. Quarum quidem exercitationum ſingulæ magnas afferunt vtilitates, ſi pueros Pædagogi recta ratione inſtruant, quemadmodum olim Perſicæ iuuentuti, vt Xenophon ſcribit, Pædonomi ſic nominati, præficiebantur, qui conuenientia munera ſingulis aſſignarent. Ex omnibus autem his exercitationum generibus vtiliſſima illa corporis ſanitati, atque bellicæ diſciplinæ ſunt: equitatio, venatio, pedeſtris agitatio, quæ curſu, ſaltu, pilæve ludo fit. Equitatio quidem Parthis, ac Perſis vſitatiſſima fuit, eiuſque permagnus vbique fuit, eſtque adhuc vſus, non ſolum decori, & honeſtæ exercitationis cauſa, ſed etiam neceſſitatis. Quare commodum erit etiam, quod in pleriſque Beticæ Hiſpaniæ populis fit, puerum principem equitandi arte, atque forma inſtrui, vt equum venuſte, apteque incitare, agitare, flectere, retinereque poſſit: tum freni, ac ephippiorum, ſtapedarum, totius denique rei equeſtris rationem, atque vſum teneat: poſtremo ingenia, præſtantiam, aut vitia equorum certis ex ſignis, quæ multa, & aperta ſunt, noſcat. Hæc enim ſingula proſunt, iucundaque cognitu ſunt, præter id, quod ad bellicam diſciplinam maxime conferunt: ſiquidem multos vel equi lapſu, vel imperitia illius flectendi, incitandi, aut retinendi captos, cæſoſve ab hoſtibus, aut periclitatos legimus. vt Septimium Seuerum Imperatorem Romanorum, qui in graui pugna illa cum Albino tyranno equo lapſus vix eſt ex hoſtium manibus liberatus. Ad publica item ſpectacula, & pompas, quæ in principum aula quotidie æduntur, multum & gratiæ, & decori venuſta, & expedita equitatio addit: qualis in haſtiludiis, conflictu Cataphractorum equitum, atque Troiano ludo eſt. Iis enim rebus commodior equitandi ratio ineſt, quod iuuenes hi ludi ad bellum quodammodo inſtruant, quam ſi, quod aliqui faciunt, in gyrum equus agatur, doceaturve inſilire, ad ſonum aliquem, ſeſe erigere, pedibuſve duobus inniti: ne quod Sybaritis contigit aliquando, principi eueniat. Qui cum, vt erant voluptati dediti, equos etiam ad muſicum ſonum flectere, ac ſaltare aſſuefacerent, eſſentque cum Crotoniatis depugnaturi: hi adhibitis muſicis ita edoctos equos excitauerunt, vt inutiles conſerendo prælio eſſent, itaque leui negotio ſuperarentur. Ergo periti equitandi artifices, & expediti puero regi adhibeantur imprimis: tum ii, cum tempus exercitationi commodum ſit, eundem ita inſtruant, vt equum venuſte, expediteque aſcendere, deſcendere, inſilire, moueri, hærere firmiter, agitare, incitare, flectere, gyrare, habenis vti, exerceri demum omnibus modis bello, pacique aptis poſſit.

De equitatione eiuſq; forma.

Sequitur venatio longe quidem ſuperioribus formis iucundior, & exercendo corpori aptior: cuius ſtudium cum à natura quodammodo cunctis hominibus inſit, magnam parit profecto voluptatem, tum ſalubritatem, valetudinique tuendæ commoditatem. Vnde non modo principe, ſed quocunque etiam ingenuo, & liberali homine digna eſt. Eadem, vt Plato docet, aut eſt volatilium, aut pedeſtrium, aut aquaticorum: volatilium, vt aucupium: pedeſtrium, vt venatio quadrupedum: aquaticorum, vt piſcatio. Ex his generibus præſtantiſſimam, & nobiliſſimam ille ait eſſe quadrupedum venatio-

De venatione eiuſq; vſu.

nem, reliqua vero duo genera vilia, & quæſtui potius, quam liberali exercitationi, ac iucunditati accommoda. In quo tamẽ illis ipſis quadrupedum venatoribus prohibet, ne noctu retibus, atq; canibus venentur: deinde vt per agros tantum incultos, monteſve id faciant, à cultis vero, atq; ſacris locis abſtineant: poſtremo vt piſcator nec in portibus, nec in ſacris fluminibus, aut paludibus, & ſtagnis piſcari audeat: neve ſuccos, infectaſq; piſcibus eſcas offerat. Sed hęc à Platone præcepta ſuo tempore forte magis, quam noſtro congruebant: itaq; omnia tenenda, tradẽdave principi nunc minime ſunt. Nam venationis formarum omnium, vt eſt nunc in vſu, ferarum eſt præſtantiſſima, proxima volatilium, præſertim ſi equeſtri curſu peragatur. Ferarum quidem: vt ſi cerui, apri, lepores, aliorumq; animalium ſpecies canibus, retibus, iaculove conficiantur. volatilium, vt ſi ardeæ, perdices, noctuę, aut aues alię ab accipitribus capiantur. Quod ſane venandi genus miror fuiſſe antiquis ignotũ, nullamque, ſi forte in vſu fuerit, apud autores mentionem eius fieri. Hoc enim tempore tota fere in Europa vſitata eſt hæc pleriſque venandi ratio, vt manſuefactis accipitribus aues, leporeſve capiantur. Quod quidem venationis genus, atque illud primum, de quo ſupra diximus, principi maxime commodum eſt. Magnum ſemper vbique viris principibus ſtudium venandi, vſuſque fuit, eaque in re Lacedæmonii, Cretenſes, & Perſæ curam vel maximam poſuere, ſiquidem ii pueros venatione ac curſu exercebant, vt in Cyripedia Xenophon, atque in legibus Plato ſcribit. Fuit in Alfonſo primo Neapolitanorum rege huius, quo de diximus, aucupii tantum ſtudium, vt multa in eo aureorum millia quotannis conſumeret. Sed nec in rege id probo, & venationem delectationis, exercitationiſq; cauſa interdum ille ſuſcipiet, eidem enim ſeſe puer rex ab ætate tenera, adhibitis venatoribus aptis, & expeditis, dedet: vt tanto expeditior, robuſtiorque fiat, quanto labore, & ſtudio ſeſe maiori exercuerit. Hoc enim eſt noſtrum in venatione regi tradenda conſilium, vt idem ſalubri, & moderata exercitatione roboretur, honeſtaque iucunditate oblectetur, ne otio langueat perpetuo. Eiuſdem eſt fere vtilitatis cum venatione curſus equeſtris, atque pedeſtris, deambulatio, vectio, ſiue naui fiat, ſiue curru, lectica, aliove genere vehiculi, ſaltus in omnes corporis partes, pilæ ludus, Galeno commendatiſſimus, omnis denique corporis agitatio moderata: quæ tam neceſſaria ſaluti & animi, & corporis eſt, vt nihil maiori ſtudio Medici in ſcriptis ſuis commendent, quam hanc exercendorum corporum formam. Docent enim illi hæc fieri oportere vacuis, ieiuniſque corporibus, ne motu cibus non bene coctus vitietur, prauuſque in venas liquor diffundatur. Itaque ſobrius cum eſt princeps iuuenis ad moderatas huiuſmodi exercitationes, quæ ſine difficili fatigatione corpora moueant, à pędagogis vna cum æqualibus aliis vocetur, quo ſocietate ſimilium, & contentione cupidior accedat: tum ita in his ludieris rebus vel adultiori in ætate verſetur, vt aliud acturum ſe grauius, & præſtabilius, cuius id cauſa etiam ſuſceperit, arbitretur. Id à Veſpaſiano Cæſare fieri ſolitum ſingulis aiunt diebus: qui poſtquam ſummo mane negotia aliquot publica obiiſ-

De reliquis exercendi corporis formis.

ſet,

ſet, vel curru, aut lectica vehebatur, vel deambulabat, aut equitabat, vel alia ratione exercebatur: pauloque poſt, vt erat eo tempore moris, balneis vtebatur. Sed tamen exercitationum huiuſmodi genera, & formas, itemque tempus vnicuique aptum Medici longe melius præſcripſerint, nos tantum monuiſſe, id fieri oportere, contenti ſimus. Cum hæc exercendi corporis ratio à nobis propoſita in vniuerſum ſit, de animi delectatione deinceps, id eſt, muſicæ ſtudio diſſeramus: cuius tanta vis eſt in mouendis hominum animis, vt Pythagorici, atque Platonici animam omnem muſico quodam concentu factam dixerint, propter vim illam videlicet muſicæ, ad cuius concentum nullus tamen tetricus eſt, quin aliquando permoueatur. Videmus enim omnes nationes aliquo ſemper muſicæ genere vti, quo delectentur: infantes item vix vſu linguæ, & ſermonis dato, inſtrumenta quædam, tibias, aliave huius generis facere aut quærere, animalia porro aliqua ex quadrupedibus, & auiculas, muſicæ voluptate vehementer capi, vt mirum non ſit, quoſdam exiſtimaſſe animum muſico factum concentu: cum & cunctorum animi muſica deliniantur, nemoque tam aſper agreſtiſve ſit, vt hac ſuauitate aliquando non afficiatur. Quo in genere illud maxime mirum eſt, totidem eſſe pene muſicæ genera, quot ingenia nationum, nec vnam omnibus cantus, ſonique formam placere: aliis enim grauis, ſubtriſtis, & quaſi lugubris muſica placet, vt Italis, & Hiſpanis: aliis leuior, & iucundior, vt Gallis: aliis obſtrepera, & concitata, vt Germanis, aliis denique alia. Ex quo intelligitur, aliquid muſicæ ineſſe, quod noſtris animis congruat, eiuſque vim eſſe tantam, vt omnium ingenia, quantumuis diuerſa, nonnihil in ea ſibi aptum, quod placeat, inueniant. Quapropter muſica ſemper cum aliis nationibus magno in honore fuit, tum Græcis, apud quos eam neſciri, turpe habebatur. Nam & Themiſtocles, cum in epulis lyram recuſaſſet, indoctior habitus eſt, & Epaminondas, quod fidibus canere noſſet, in precio fuit, & qui muſicam forte neſciret, incultus iudicabatur. Omitto id, quod Lacedæmoniis mos erat, Tyrtæi poetæ verſus in bello canere, tibiiſque vti, quodque omnes plane nationes aliquo muſicæ genere in bello ſemper vtantur: ad regis pueri inſtitutionem deuenio: quem ſicuti reliquas artes, ita muſicam etiam docere volumus. Tanta enim eius eſt, vt recte Ariſtoteles ait, in omnes vitæ partes præſtantia, vt nihil hominum animis labore leuandis ſit aptius, nihil item ad mores aut recte informandos, aut perturbationes ſedandas æque conducat, nihil demum ad vitam beatam (quæ voluptate quadam continetur maxima ex parte) magis pertineat. Itaque tanta cum ſit muſicæ vtilitas, pueris ea, quemadmodum Plato, & Ariſtoteles cenſent, tradenda eſt, tum quia leuis eorũ, hilariſq; natura exiſtit, tum quia vacuis, nullaq; curarum, aut cogitationum ſtudio impeditis mẽtibus nihil aptius, honeſtiuſve poteſt adhiberi, ingenii quidẽ hilaritas muſicæ capiẽdæ accommodatiſſima eſt, propterea ꝙ hæc vt curas pellit, relaxatq; omni labore animum, ſic ipſum natura ſua illas fugit, &

De muſica eiuſq; vſu.

delectari, otiarique cupit. Leuis quoque puerorum natura, quæ aut ludere, aut curſitare, aut agere quid eos ſemper facit, nulla re honeſtiori impediri, quam muſica, poteſt: quæ & eoſdem occupatos teneat, & mores, vitamque informet, ac mitiget. Vnde nec difficilis admodùm, nec artificioſa muſica illis tradenda eſt, ne ætas tenera labore terreatur, ſed facilis, iucunda, & honeſta. Qua quidem in re dubium exiſtit, num delectandi tantummodo cauſa diſcenda muſica ſit, an informandorum præcipue morum animique excolendi. Plato quidem in ſua republica veram eſſe illam muſicam negat, quæ aures ſolum audientium iucunditate afficiat, ſed eam, quæ vim animi ad cauſas, atque rationem concentus inueſtigandam, vitæque moribus accommodandam excitet. Idem Ariſtoteles in libris de republica refert, cum muſicæ delectationem accidere, mores vero animi afficere, proprium eius eſſe affirmat: quandoquidem multa muſicæ genera non modo non delectent, ſed etiam moueant ad iram, furorem, audaciam, triſtitiam, affectuſque alios mœrore plenos. Hinc igitur eſt perſpicuum, quanta muſicæ vis ſit, atque commoditas & ad hominum animos permouendos, & ad moderandam puerorum inſolentiam, ac leuitatem. Sic enim muſicam puer docebitur, vt honeſta tantum, & moribus componẽdis apta quæratur delectatio, ne vitiis diſſoluatur, & vt aptiſſima vitæ moleſtiis leuandis arte imbuatur. Muſica vero, quemadmodum in republica Plato inquit, tribus potiſſimum rebus conſtat: Oratione, id eſt, verbis: Harmonia, hoc eſt, cantu: Rhytmo, id eſt, numeris: quoniam quidquid concentum habet, vel voce, & cantu, vel fidibus, vel flatu perficitur. Voce enim carmina, fidibus, ſonove alicuius inſtrumenti exprimimus. Vnicuiq; horum trium generum variæ concentuum, ſonorumq; formæ, tum inſtrumentorum adhiberi ſolent: vt Phrygius, Lydius, Ionicus, Æolicus ſonus: atq; etiam pſalterium, Magadis, Lyrophœnix, Sambice, Tripus, Hydrauliſ, Barbitus, Tetrachordum, aliaq; huiuſmodi organa muſica antiquis vſitata, nobis ob vetuſtatem ignota & obſcura. Sed tamen ex hiſce omnibus ea inſtrumenta deligantur, atq; cantus, qui nec leuitatis, nec laſciuiæ, nec difficultatis, aut voluptatis nimiæ plurimum pariãt. Fruſtra enim regem inſtitui muſica vellemus, ſi pro honeſtã iucunditate laſciuiam, leuitatem, ac voluptatem immoderatam caperet, aut ſi pro leui ſtudio permagnus in diſcendo labor eſſet ſubeundus. Igitur diligenter muſici, quibus principis cura tradita ſit, cauerint, ne turpes ille, laſciuas, leueſque cantiunculas norit, neve nimia voluptate perfundi ſinatur, ac ne artificii difficultate ab eo ſtudio deterreatur. Ita enim non ſolum arte longe pulcherrima, & vtiliſſima imbuetur, ſed magnum etiam ad mores formandos, mentis acuendam aciem, leuandos vitæ labores, terendumque honeſta occupatione tempus (quod aliis fortaſſe turpibus rebus impẽderetur) fructum percipiet. Exemplo eſſe Dauid Hebræorum rex poterit, quem muſicæ perſtudioſum fuiſſe legimus. Achilles item apud Homerum huic rei adeo deditus dicitur, vt feruidam animi iracundiam, qua fertur ſæpe inflammari ſolitus, harmonia ſolum compeſceret. Idem à Pythagoreo Clinia, quo-

tieſcunque

tieſcunque ira correptus in aliquem incitaretur, accepta lyra, fieri ſolitum Atheneus ſcribit. Nec mirum id quidem; cum muſica excitatos affectus componat, ſepultos excitet, animum erigat, aut mitiget, morbos ſanet: vt iis accidere cernimus, qui à Phalangiis mordeantur: alia denique multa efficiat, quæ perſequi lõgum eſſet. Sed hæc de artibus principi ediſcendis ad corporis, & ad animi exercitationem, iucunditatem, ac robur: ad victus vero rationem, quæ ſint ab eodem ſeruanda, vel Platonis in legibus, rep. ac Timæo idem præcipientis exemplo deinceps exponamus: cum id etiam ad corporis commoditatẽ, quam nunc eodem in principe quærimus, ſpectet. Victus communi voce nõ modo cibus, & potio, ſed etiam ratio iis vtendi, valetudiniſque recte curandę modus appellatur: cuius haberi quoque à principe curam volumus, quando maxime illius vita, atque ſanitas referat. Vt hanc igitur ipſe corporis valetudinem tueatur, omnem imprimis ciborum atque potionum intemperantiam declinet, ne vel in morbum aliquem incidat: quo tamen ſi, vt noſtræ naturæ imbecillitas fert, aliquando corripiatur, medicis quidem paucis vtetur, iiſdemq; doctis, ac experimento peritis: ne multis, vt ſæpe fit, medicamentis, aut longa curatione morbus magno reip. nocumẽto irritetur. Adeo enim publicis princeps negotiis incumbet, vt ne ægrotandi quidem, quod Plato ciuibus ſuis præcipit, otiũ ſibi relictum exiſtimet. Vnde grauibus ille, & inſanabilibus morbis affectos homines minime putat curandos, ne vlli vacandi à publica procuratione occaſio relinquatur; quod ipſum Æſculapii exemplo confirmat, qui cum medicus eſſet, ac rebus bellicis implicatus, eam tantum curandi rationem tradiderit, quæ publicis non obſtaret negotiis. Verum hanc nos Platonis ſententiam reiiciamus, & non modo principem grauis morbi cauſa non remoueamus à publica cura, ſed diligenter curemus etiam, adhibitis peritiſſimis medicis, quorum conſilio hanc victus partem, quæ in morbis verſatur curandis, relinquamus: illo tantũ eiuſdem Platonis è Timæo præcepto vſi, vt niſi morbis grauibus, medicus alias non adhibeatur, cum frugalitate, & exercitatione curari eum; quam medicamentis vtilius ſit. Illud vero, quod & inſtituto noſtro congruit, & vel à nobis hoc loco præcipi poteſt de valetudinis cõſeruandæ, ac fouendi corporis ratione non prætermittam, ne ordinem inſtitutum deſeram, neve vllam regii corporis cõmoditati partem conuenientem præteream. Valetudo recta cum aliis rebus naturæ cuiuſque peculiaribus continetur, quod alii firmiori corpore aliis ſint: tum his præcipue, aere hoc, quem haurimus, cibo, & potione, motu, & quiete corporis, ſomni, ac vigiliarum forma, excretione, ac retentione rerum in corpus influentium, ipſis denique animi permotionibus, quæ valetudini vel conſeruandæ, vel etiam lædendæ plurimum valent. Aeris tenuitas, temperies, & ſalubritas regis habitatione ſtudioſe quæratur, quãdo & ab hoc ſpiritus ducitur, & eo magna vitæ pars continetur, & niſi regiæ conſulatur ſaluti, magnum reipub. incommodum afferatur. Huiuſmodi loca facile quauis in regione multa inuenientur, quærenturque à doctis, atque peritis hominibus, quanquam nec id ſemper ſtudioſe admodum fiet, ne luxui, mollicici ne

De victus ratione ad tuendam valetudinem.

De loco habitationis regiæ.

quidquam concedatur: quales in Medorum regibus Atheneus fuiſſe ſcribit: qui more gruum in loca hyemi, ęſtatique accommoda certis temporibus commigrare ſoliti eſſent. Licet enim eodem in loco vel arte, vel natura ſalubriorem aerem reddere, nec eam adeo curioſe ſpectare, vt principi nunquam in loca minus ſalubria veniendum putemus: quibus interdum aſſuefieri exemplo ſaltem Platonis Academiam in loco inſalubri hac vna de cauſa condentis, oporteat. Ergo vt ſaltem corporis, ac valetudinem princeps in vſum reipub. diu conſeruet, aeris temperationem, ac ſalubritatem quærat, id eſt, in hyeme tepidiorem, in æſtate frigidiorem, tametſi minus tenuem: cum craſſus aer ſalubrior tenui ſit, licet ingeniorum acumini infeſtus. Iam vero in cibo, atq; potu, maiorem etiam cautionem, & ſtudium adhibeat, non tam quia ſummæ intemperantiæ ſit, modum tenere nō poſſe, vel belluarum exemplo, quam etiam, quod multum corporis obſit valetudini intemperantia. Omitto enim id, quod magna ciborum, atque potionum copia repleta corpora ſuccos vitioſos ebibunt, quod mēs quaſi tenebris offundatur; quod turpe ſit immoderatum eſſe eum, qui aliis ſit imperaturus: certe nihil corpus valentius, vegetius, robuſtius, ſanius, agilius reddit, quā in cibo, & potione frugalitas. Frugalitatem autem appello nō tenuitatem, & parſimoniam, quæ cum aliis, tum ſanis pernicioſa eſt, ſed congruentem naturæ cuiuſque paſtū, ſeu quis multum requirat, ſeu parum. Vnde nec ſapidos cibos reiicere, nec plus aliquando, interdum vero minus ciborum capere (vt Veſpaſianum Cæſarem Suetonius ſolitū ait facere) incōmodum arbitror: cum quæ ſapidiora ſint, auidius capiat ſtomachus, quam quæ contraria: & aliquando natiuum calorem largiori cibo, atque potione excitare, interdum cohibere quoque oporteat: vt hæc mutatio victus, ſi quando contingat, minime noceat, quemadmodum intermiſſa vel ſemel viuendi ratio moderata, & ſui ſemper ſimilis, morbos gignit grauiſſimos. Hinc ſequitur, nec mediocrum ſemper conſiliis, dum recta ſit valetudine, principem obtemperare, nec vno cibi, potioniſque genere, nec tempore vno, ac forma edendi vti debere: cum hæc, vt dixi, præſcripta victus ratio ſit longe periculoſior, quod ſemper nequeat ſeruari, ac ſi nonnunquam, vt ſæpe fit, negligatur, grauiſſimos inuehat morbos. Laudo equidem omnem moderationem in victu, & potu: ſed hanc definitam, & vnam viuendi formam, atque diætam nec probo, nec medicorum quiſquam probabit. Sed iam de motu & quiete. Huius tanta eſt ad corporis valetudinem commoditas, vt nihil natiuo calori augendo, membris vegetandis, & expediendis, ſpiritui vitali fouendo, excitandoq; ſit conducibilius, nihilve contra diuturno otio nocentius ac pernicioſius. Motus autem moderatus & lenis ſit, ne corpora nimia defatigatione frigeſcant, debilitentur, ac morbida fiant. Exercitationes præterea vel antequam cibus ſumatur, fiant, vel multo poſt, excreatis corporis ſordibus, cum non minus noceat, ſi tunc temporis ea ſuſcipiatur, quam ſi omnino corpus quieſcat, otioq; eneruetur. Cōmodæ autem & moderatæ exercitationes erunt, frictio membrorum veteribus vſitatiſſima, deambulatio, curſus, vel equeſtris, vel pedeſtris, pilæ ludus,

De principis victu.

De corporis motione quieteq; commoda.

magno-

magnopere à Galeno commendatus, ſaltus, geſtatio (cuius perpulchram formã ad corpora permouenda ſenſim Aſclepiadem Plinius refert inueniſſe) alia denique huius generis multa, quæ excogitari poſſint, multiſque in vſu ſint. Somni præterea, & vigiliæ moderatus vſus percommodus eſt, ſicut immoderatus perniciosus. Neque enim multum dormire, vel multam ad noctem vigilare, vel interdiu dormire, aut pernoctare tota nocte (vt reges Perſarum feciſſe ſoliti dicuntur) vtile aut corpori, aut animo eſt. Ergo quemadmodum Plato in legibus præcipit, nec diu dormire, nec vigilare oportet, nec ſemper, ſed certis horis, nec ſtatim à prandio, aut cœna, nec reſupino corpore, aut ſiniſtrum in latus incumbente, nec iis demum tẽporibus, quæ medici docti prohibeant. Quid enim perniciosius corporis ſanitati, aut ingenii acumini hebetando aptius, quam in medios dormire dies (vt verbis vtar poetæ) tota vero nocte, vt aulici noſtri ſolent, vigilare? Quid etiam intemperantius, quam nullum definitum tempus id faciendi habere? Quamobrem non minus moderationem princeps hac in re teneat, quã reliquis in vitæ officiis. Excreandorum porro, aut retinendorum in corpore ratio latius patet, ac medicorum propria eſt: igitur nihil iis inconſultis fiat, ſeu corpus purgandum, ſeu fouendum, ſeu quid retinendum, aut egerendum denique ſit. Hæc enim curandi præceptis continentur, quæ ab inſtituto noſtro aliena, & medicis relinquenda ſunt. Venio ad perturbationes animi: quæ quanquam, vt poſtea docebimus, temperantiæ, ac prudentiæ vi componuntur, tamen quatenus corpori aut nocent, aut proſunt, qui ſit iis vtendum, vel hîc etiam doceamus. Perturbationes vel adeo ſunt vehementes, vt mentis tranquillitatem commoueant, vel plane remiſſæ, & pacatæ. eædemq; aut natura ſua vitioſæ, tametſi temperentur, ſunt, aut honeſtæ, quantumuis excitentur, aut indifferentes. Quæ omnes ſic ſunt ratione tenendæ, vt vitioſæ ne ſentiantur quidem, ſi fieri poſſit: vt libido, inuidia, odium, ſuperbia: honeſtæ vero excitentur: vt miſericordia, beneuolentia: indifferentes denique tum remittantur, tum incitentur pro arbitrii ratione. Videmus enim ira corpus vſque adeo concuti, vt exanimetur interdum: mœror item animum contrahit, corpori pallorem, tremorem, atque noxiam frigiditatem affert, ac demum conficit: vt accidiſſe quibuſdam accepimus nimiam ob triſtitiam confectis: vt M. Lepido, P. Rutilio. Gaudium quoque & inſanire aliquos fecit, & interemit quandoque: vt Polycratem Naxiam fœminam, Diagoram, Chilonem Lacedæmonium, Sophoclem, & Dionyſium Siciliæ tyrannum. Pudor etiam eſt adeo acer nonnunquam, vt Diodorus philoſophus, quod propoſitam ab Stilbone quæſtionem explicare nequiuiſſet, extinctus eo dicatur: idemque de Homero fertur poeta. Ex quo intelligitur, tantam perturbationum vim eſſe, vt non modo ſanitatem corporis facile immutent, ſed tollant aliquando penitus, & interimant. Quibus vt medeatur princeps, ratione duntaxat vtendum illi eſt, ne quid tam durum, difficile, laborioſum ſibi euenire poſſe arbitretur, vt vel iraſcatur plus quam oporteat, vel doleat, gaudeat, vel alia demum ratione commoueatur. Auguſtum Cæſarem tribus in Germania legioni-

De forma ſomni ac vigiliarum.

De reliquis curandæ valetudinis formis.

De animi perturbationum vſu.

gionibus fuſis, cæſoque Quintilio Varo vſque adeo fertur doluiſſe, vt eiulans, & parieti caput illidens clamarit, redde meas Quintili Vari legiones. Theodoſium adeo feruenti iracundia fuiſſe aiunt, vt multa inconſiderate, imprudenterq; motus ea fecerit: ergo huic ille morbo, quoties irritabatur, mederi ſolebat, Greco Alphabeto prius, quam quid ageret, recitato. Quare & affectus hoſce omnes ratione tenere oportet, & cauſas ipſorum accommoda curatione præcidere. Nã ſi feruida quis ira frequenter commoueatur, & ea victus ratione, & iis cibis vtatur, quæ corporis temperationem mitigent: ſi timidus ſit, ea quoq; ſumat medicamenta, & eos cibos, qui ſanguinem calidiorem efficiant; ſi triſtis, calidis item, & humectis vtatur, vt bilem atram, ſi non purget omnino, temperet tamen, ſi deniq; alio huiuſmodi affectu laboret, contrariam victus rationem iis cauſis, ex quibus naſcatur, adhibeat, itaq; non tantum ratione affectus moderabitur, ſed etiam diæta. Verum hæc de regii corporis educatione, nutritione, exercitationibus, ſalubritate, ac valetudine hactenus dicta, quamuis extra propoſitam rem aliquantum eſſe videantur, tamen ab ipſis vt incunabulis eius inſtitutio repeteretur, adducta ſunt. Quæ quidem ipſa tum præceptores, ac pædagogi vnicuiq; illius ætati adhibebunt conuenienter, tum ipſemet poſtea, prouectior cum ſit, retinebit. Nos hic breuiter omnem regis educationem in ſumma deſcribere voluimus, reliqua vſus, ac præceptores docebunt.

FINIS LIBRI PRIMI.

DE RE-

DE REGNI, REGISQVE INSTITVTIONE

LIBER II.

ANT. Præclare tu quidem Aureli regum nobis corpora fingis, iſtoque modo haud quaquam ego tibi repugnauero: ſed vereor, ne dum Platonis remp. imaginariam reprehendis, in idem, q̃uod ille, imprudenter relabare, deſcripto eo rege, qui nuſquam ſit, eſſeve poſſit. Quotus enim quiſque inueniatur, qui aut ita formatus ſit, aut inſtitui eo modo poſſit? cum regum pleriq; temere inſtituantur: ac ſi qui forte tales exiſtant, id caſui potius, naturæve illorum benignitati ſit adſcribendum, quam magiſtrorum conſilio, aut induſtriæ. LVC. Nihil equidem video Antoni, cur iſtum reprehendas Aurelium: cum id, quod quærebat ipſe, in multis inueniatur, ac eo in rege Philippo, cuius initio facta eſt mentio, multi eſſe prædicent. Quid enim facilius, quam eam corporis cultui curam adhiberi, quam ille dixit? præſertim cum corpus pleriq; diligentius, quam animum colant. Quamobrem inſtitutũ Aureli tuum perſequere, nec iſtius reſpondeas nunc obiectionibus, quæ contentione plenæ, lucem eripiunt, & curſum orationis apte, leniterque fluentis interrumpunt. AVR. Sed iam locus poſtulat: geram enim tibi morem Luci: vt eodem, quo ſum hactenus ordine vſus, aptam regis animo inſtitutionem per ſingulas virtutis partes inquiram, Platonis exemplo, qui eodem fere modo remp. ſuam, ac eius principem, & legiſlatorem deſcripſit. Sed bonis tandem auibus rem aggrediar propoſitam. Cum officiorum omnium, quæ quiſq; ciuis tueri debeat, ad eos ipſos alia pertineant, alia ad communitatis ſalutem primorumq; exemplo ſint priuatæ cuiuſq; ſecundum virtutem actiones, ſecundorum publicæ & aliis cum ciuibus communes: eodem quoque modo principis alia priuatim officia colenda erunt, alia publice. Atque illa quidem etſi cum illo ciuibus omnibus ſint communia, tamen quia ad eius pertinent inſtitutionem, priuata dicuntur: cuius generis ſunt virtutum omni-

Ordo virtutũ regiarum, & regni ipſius.

um actiones ad ipſummet relatæ: hæc vero communia dicuntur (licet eſſe, diciq; priuata etiam poſſint) quod non ad peculiarem illius per ſe viuentis informationem, ſed ad eiuſdem rempub. adminiſtrantis officium ſpectent. Ergo vnæ erunt virtutum in principe, ac quouis alio actiones per ſe ſpectatæ, relatæ vero ad remp. diuerſæ. Quamobrem de illis nos principio diſſeramus, poſtea de hiſce, propoſitum ordinem perſequuti. Primum igitur non modo regis, ſed vniuerſæ quoq; reip. officium erit, quemadmodum docti omnes præcipiunt, vt ei pietas curæ imprimis ſit. Quoniam enim vt hominum mentibus inſitę à natura notiones quædam de Deo ſunt, omneſq; quantumuis barbari numen aliquod colunt: neceſſe profecto eſt, in rep. id primum ſtatui, quod eſt maxime præſtans, naturæq; congruentiſſimum. Nam præterquam quod legislatores omnes vbiq; gentium de religione imprimis leges tulere, tanquam re ad inſtituendam remp. neceſſaria, confirmat id etiam ratio: quoniam ſi omnis reſp. legibus vllis eſt continenda, vt ad finem extremum humanæ vitæ perueniatur, legem eſſe aliquam ſummam, atque diuinam ſequitur, qua ad illum ipſum finem homines inſtituātur, qui per ſe id aſſequi nequeant. Deinde cum tot ſint humanæ mentis errores, tot item hominum opiniones, neceſſe profecto fuit, aliquam ſtatui normam, ad quam omnia, quibus de cōtenderetur, dirigerentur. Ab hoc ergo ſupremæ legis inſtinctu religioſus quidā oritur timor, tum erga Deum pietas, cuius vi non modo datę in rep. leges humani ſupplicii terrore obſeruātur, ſed etiam diuinæ vltionis, quam prauis hominib. impendere leges docent, metu confirmantur. Sic Plato in libris de legibus primam à legislatore de pietate ferendam legem eſſe docet, quoniam huius rei cura potiſſimum animis hominum ſit iniicienda. Nihil hac de re Ariſtoteles, qui nullam omnino religionis rationem habuit, vt is, qui ob impietatem Athenis metu eius pœnæ, qua Socrates erat affectus, Chalcidem fugerit. Hoc porro Numæ illi regum Romanorum iuſtiſſimo curæ fuiſſe antiquorum hiſtoriæ teſtantur, atque etiam Lycurgo Lacedæmonio, & Athenienſi Soloni, cæteriſque principibus, qui vel reſpublicas conſtituerunt, vel iam fundatas melius informauere: præſertim apud Ægyptios, ac Perſas, quorum reges, vt Plato inquit, ſacerdotes erant, vt regia dignitate confirmaretur religio. Idem ab Hebræorum principibus primum curabatur, ſi rem à Moſe legislatore eius gentis deducamus: qui antequam ciuitatum iura, legeſque condidiſſet, de pietate ac ceremoniis Deo adhibendis multa præcepit. Quin à Dauide, Solomone, cæteriſque regibus optimis nihil religione magis cultum eſt. Ex quo intelligitur principi hoc eſſe in primis curæ debere, vt religionem ipſe ſanctiſſime tueatur, & in rep. ſua ſtabiliat. L V C. Quam ampla, & pulchra dicendæ huius Philippi, & Caroli patris pietatis occaſio nunc dabatur Aureli, niſi tu hæc curſim exempla proferenda putauiſſes. Poſſes enim commemorare, quam multum vterq; laboris in componendis hiſce noſtræ ætatis longe turbulentiſſimæ de religione controuerſiis poſuerit, quam præclare multa geſſerit, mutarit, reſtituerit. A N T. Alium hæc locum ô Luci poſtulant: pergat modo, vt cœpit, Aurelius. A V R. Conſtitu-

De religione ac pietate regis.

ſtituto ſic,& formato religione principis animo,iactum erit pręclarum regni totius fundamentum. Si enim is ita ad remp.inſtitutus accedat, facile quidem erit, ipſum & probum eſſe,& regnum optime adminiſtrari. Nihilominus tamen id ipſe ducat in animum eſt neceſſe, religioni adiungenda eſſe virtutum reliquarū officia:quæ ſunt cum illa ipſa arctiſſime copulata, quæque nos ad extremum bonorum,quo ſpectat etiam religio, deducant: vt prudentiam, iuſtitiam,moderationem,clementiam,animi robur, humanitatem, reliquas demum virtutes:quæ cum optimo cuiq; viro,tum regi ſunt neceſſariæ,quod eſſe hunc omniū præſtantiſſimum deceat, quando id, quod ſit alii imperaturum, eo melius ſit, quod ſubiicitur, atque in ciuitate vna, nedum in amplo regno, multi viri optimi ſint,quibus rex vnus præficiatur. Sic ergo regi virtutes omnes inerunt, vt ipſe per ſe illas colat, tanquam priuatus aliquis ciuis, tum iiſdem vti apud alios conſueſcat, quaſi ex priuato vitæ genere ad id ſolum delectus. Sicut autem pietas cūctis virtutum officiis veluti caput præponitur, ita eiſdem prudentia præeſt: quæ cum alios omnes, tum maxime principem decet. Quoniam enim eadem animi virtus eſt,qua res ad finem iam conſtitutum pertinentes examinantur,neceſſe quidem eſt, eam coli, ſi quid omnino in humana vita ſit agendum. Siue enim de dubiis conſultare, quæ multa incidunt paſſim, ſiue noſſe obſcura, & recondita,ſiue intelligere,ac præuidere futura oporteat,id eſt prudentiæ proprium,ſine qua prorſus humana vita cōſtare queat. Ergo non modo in rege ipſo, ſed etiam in quouis alio homine ingenii acumen, experimentum, notitiamq; rerum multarum requirimus: quando nulli hæc magis ineſſe, quam principi debeant,quorum cauſa idem reip.præficiatur. Nam in aliis quidem ſi quid inconſiderate fiat, tametſi vitioſum id ſit, tolerabile eſt, nullique fortaſſe noxium, præterquam imprudenti ipſi:at in principe, qui vniuerſæ reip.curam habet,tanto eſt intolerabilior imprudentia,quanto ea plures læduntur, quantoque malum multorum vnius malo pernicioſius eſt. Sed quoniam hæc ita dicta late admodum patent,multaque in officiorum capita diſſecantur, ſunt diſtinguenda accuratius, ac pernoſcendum,quæ regiæ prudentiæ partes ſint,& quæ contra. Qua in re nec imaginarium aliquem regem, qui nuſquam extiterit,quęrimus:ſed eum,qui noſtra inſtitutione doctus euadere poſſit quam optimus. Cum autem prudentia virtus animi ſit rerum agendarum, aut prætermittendarum notitiam rationis rectæ iudicio cōgruentem pariens,ſic eſt à principe bono amplectenda,vt non fingatur in eo ſolum, ſed doceatur potius, quì comparanda ab eodem ſit: cum & virtus, vt magnis placet viris, doceri poſſit,& hic principem rudem præceptis noſtris efficerę cultiſſimum cupiamus. Virtus autem hæc tum natura,tum inſtitutione,atq; vſu, tum etiam doctrina conſtat. Naturæ quidem bonitas ad comparandam prudentiam valet, cum nec memoria præteritorum, nec accurata inſtantium cognitio, & intelligentia, nec ſolertia (quibus eadem virtus perficitur) niſi natura,comparentur. Hæc tanti momenti ad prudentiam gignendam ſunt, vt quemadmodum debilia corpora ab omni opera remouemus,ſic à prudētia eū, qui nullo ho-

De regis prudentia.

rum naturę beneficiorum donatus ſit, alienum iudicemus. Quamuis enim naturæ vitium diligens inſtitutio emendare poſſit aliqua ex parte, nunquam tamē illā virtuti neceſſariam dexteritatem addiderit. Ergo in principe vſque adeo hæc naturæ bona quæremus, vt ſi vel iis careat, aut inſtitutione melior fieri nequeat, à principatu reiiciatur. Commodius eſt enim, cum ab omni actione, curaq; publica remoueri, quā temeritate, aut ſtoliditate ipſius remp. labefactari. Nam etſi hunc opibus, atque præſidiis firmis munitum, ſolioque in hæreditario conſtitutum celerrime ſubditi complectantur, continuo velut inutile, ac graue pondus excutere optabunt. Qui enim eum, amici, aut clientes tueri poſſint, quos non ſtupiditate ſua ille abalienet à ſeſe: quæ familiarium eiuſdem ſtupore abutentium auaritia, potentiaque ipſum defendat, cum hi tantum ditari velint, & iidem propter odium in ſe cunctorum (quod hiſce hominibus accidit plerunq;) nullo negotio vna cum inepto regę dignitate ſua pellantur, aut conſentire reliquis omnibus ſi cautiores ſint, rege ipſo deſerto, cogantur. Henricus III. Caſtellæ rex initio imperii ſui tantam virtutis ſpeciem præ ſe ferre viſus eſt, vt is omnium præſtantiſſimus, qui in Hiſpania regnaſſent, futurus putaretur: poſtea tamen quam eſt eius ignauia, ſtoliditaſq; perſpecta, nec eum potentium multorum, quos ipſe inconſiderata largitione ditarat, opes, nec dominandi viuente eo, cupido tueri diu potuit, quo minus è regia dignitate deiectus ſit, & in eius locum inuſitatæ prudentiæ mulier Eliſabetha Fernandi quinti regis vxor ſurrogaretur. Ergo ſi ingenium, ſi iudicium, ſi cætera naturæ ornamenta prudentiæ neceſſaria principi deſint, nihil obſtat, quominus idem publica cura priuetur, tanquā inutilis ſibi, & reip. cum rei quoque domeſticę procuratio priuato homini ob inſaniam legibus Romanorum adimatur. Quod ſi autem mediocrem ſit ingenii vim princeps nactus, id inſtitutio faciet, vſus, atque doctrina, vt ex mediocri fiat optima, ex optima vero admirabilis. Inſtitutionem quidem parentes, ipſave reſpub. illi accommodarit, vſum vero ipſe poſtea rerum experimento ſibi parauerit. Cum primum enim capiendo animi cultui aptus videatur, eidem probi, docti, prudentes, vſuque rerum periti præceptores adhibebuntur, qui & eius animum rudem adhuc bene noſcant, tum eum paulatim excolant, poſtremo veluti boni agricolæ ſemina ei virtutum committant: Quanti autem referat, præceptores huiuſmodi regibus adiungi, vel vnus Alexander Macedonum rex eſſe poteſt exemplo, qui hac vna de cauſa ebrietatis & iracundiæ vitio ad inſaniam vſque laboraſſe fertur. Nec mirum id quidem: teneri enim, rudeſque animi facile quiduis capiunt, quod poſtea perpetuo retineāt. Sed quinam fortaſſe, quæras, Antoni, præceptores regibus adhibebuntur? ANT. Videris ipſe, qui tuo arbitratu regem depingis. AVR. Nequaquā profecto illi, qui ſeſe ad id muneris ambitioſe aut per ſe, aut amicorū induſtria offerant, qui falſo doctrinæ nomine adepto, ꝙ hodie fieri cernimus, quaſi nolentes eo ſe pertrahi fingant, cū nihil magis optent, aut ambiant, q̄ vel docti ſolum ſine rerum vſu, vel vſu præditi tantū ſine doctrina ſint: ſed probi, docti, prudētes, ſimplices, moderati, quos nec ambitio, nec gratia, nec ſimula-

De regis præceptoribus in prima ætate, eorumq; officio

tio vir-

tio virtutis,nec æſtimatio ficta,& vulgaris commendet. Talis extitit Seneca Neronis, ac Plutarchus Traiani præceptores : ſiquidem vterque doctiſſimus, & probatiſſimus fertur fuiſſe, nec enim Dioni Senecam improbum fuiſſe hominem ſcribenti aſſentior, ſed ille infelix, qui tam nefarium diſcipulum nactus inſtituendum fuerit :hic longe feliciſſimus,qui laudatiſſimum Imperatorem quaſi reipublicæ ſaluti pepererit. Hinc intelligitur,multũ referre, à quo quis inſtituatur,ſed non minus, quali ſit quiſque ingenii natura, atque indole : cum ſterilis ager quantumuis delectum ſemen recipiat,aut nullos ferat fructus,aut eos ſeminis bonitati nequaquam reſpondentes. Quocirca ſi doctus, prudenſque magiſter hic principi adiunctus ſit, eius inprimis naturam, ingeniumque perſpiciat, ne temere quid faciat,quod poſtea ne ipſe quidem,ſi velit,mutare poſſit. Apollonium Alabandenſem eloquentiæ doctorem diſcipulorum, quos inſtituendos acciperet,ingeniis cognitis,eos,qui minus apti eſſent,dimittere ad eas artes,quibus viderētur aptiores,retinere vero cæteros,ſolitũ inquit fuiſſe M.Tullius.Hoc ipſum vel diligentius à præceptore cuiuſq; principis fieri oportet,qui dum eundem inſtituit, rempublicam ſe pariter inſtituendam ſumpſiſſe cogitare debet: itaque vt legiſlator bonus idem perſpiciat,quo affectus genere principis animus à natura commoueatur, num iracundia, an libidine, an metu, & cupiditate, vt ſunt diuerſa hominum ingenia, atque in leui, & iuuenili ætate illa ſeſe oſtendunt apertius, ac ſi remiſſum in rebus neceſſariis illius animum eſſe cernat,excitet quantum poſſit : ſi elatum,ac feruidum, reprimat. Ita fiet,vt conuenientem ingenio inſtitutionem accommodet. Quam excellens, Dii boni, princeps fuiſſet Alexander, ſi feruidam illam eius iracundiam, atque inſolentiam præceptores cohibuiſſent. Iulianus Imperator natura,ingenioque optimo fuit,ſi non ab impiis,ac ſuperſtitioſis magiſtris corrumperetur:ſiquidem Aſtrologorum,& Ariolorum,quibus operam dabat tum Libanii pręceptoris exemplo à Chriſtiana pietate ad impios Græcorum cultus defecit. Perſpecto igitur principis animo, ac diligenter notato ſic ei ſingularum virtutum officia tradentur,vt ad eas magnopere incitetur, ad quas propenſus ſit, retrahatur vero à vitiis, affectibuſque, in quos ferri ſponte ſua videatur. Et quoniam eum,qui aliis præſit, virtute minime vulgari precellere volumus, adiungendæ præterea eæ artes illi ſunt,quæ ſi non Philoſophum,quales multi reges fuere,cultiorem tamen,elegantioremque efficiant, quam vulgus : cuius generis erit linguarum diuerſarum peritia (quæ cum ad iucundam,& elegantem notitiam pertinet,tum regendis populis perneceſſaria eſt) qualis in Mithridate Ponti rege fuiſſe dicitur, qui viginti duarum nationum,quibus imperabat, linguas norat, eloquentia item, qua & ſuos, ſi quando ſit opus,dicendo tenere,& exteros allicere poſſit : hiſtoriarum antiquitatis,morumque diuerſorum cognitio : Mathematicarum diſciplinarum pars ea, quæ ad vitæ communis officia conducat,& iucunditatem afferat: vt Arithmetica,Geometria, Aſtrologiæ pars illa, quæ temporum rationem, ac varietatem oſtendat, Coſmographia : poſtremo diſciplina morum, atque ciuilis cultus. Hæc autem

De artibus à rege ediſcendis, quænam ea ſint.

Quatenus artibus ſeſe princeps dedat.

tametſi perfectè à principe noſci commodius ſit, quam leuiter, aut mediocriter: quippe quæ bona expetendaque ſint, tamen ne quando amœnitate ſua ad inutilem contemplationem à cura publica eum auocēt, moderatius capienda cenſeo, vel ita demum colenda, vt neceſſarium tempus agendis rebus non ſubtrahatur. Neq; enim principem hîc contemplationi rerum deditum, & ſolitarium fingimus: ſed ita doctum, vt eruditione ſua commodius reip. conſulat. Aliud priuati hominis fert conditio, atque otium, aliud principis, aut magiſtratus: ille ſi totos dies legendo, meditando, conferendo, diſſerendove conterat, magnifiat, hic ſi quid neceſſarium lectionis, aut meditationis cauſa intempeſtiue agat, aut prætermittat, ſummopere reprehendatur, ac ſi in ſententia perſiſtat, à publico remoueatur munere, non minus, quam ſtolidus ille, aut inſanus, de quo ſupra dixi. Licebit ſane principi aliquando ad legendum, meditãdum, colendaſq; artes eas, quas norit, otium ſibi ſumere, quod ab Alphonſo Neapolitanorum rege factum accepimus: ſed ita id fiat, vt alleuandi animi, ac remittendi laboris cauſa ſuſcipiatur, ne quid temporis aleæ, conuiuiis, otio, ineptiis, ſcortationi, turpibuſq; ſermonibus impendatur. Nec vero, vt modo dicebam, doctum aliquem, & eruditũ plane principem quærimus (qualis fuit Ptolemæus Ægyptiorũ rex, qui XXIV. libris hiſtoriam ſcripſit, aut Dionyſius Siciliæ tyrannus, qui & ſæpe philoſophabatur, & aliqua literis prodidit, aut C. Cęſar, & Adrianus, ac Iulianus Imperatores) quamquam id longe ſit melius, nec item philoſophum eum, quem in rep. ſua Plato virtute omni, & doctrina abſolutum fingit, ſed eruditione mediocri tinctum, vt ei ornamento, ac iucunditati ſtudia, reip. vero vſui eſſe poſſint. Cum enim ab erudito quouis doctrinæ ad vtilitatem communem ſunt referendæ, tum à principe maxime, cuius labor omnis, induſtriaq; reipublicæ iure quodam debetur. Placet mihi enim illa Challiclis in Platonis Gorgia ſententia, in qua finem ſtudiorum actionem eſſe ipſam vult, nõ meditationem inanem; quam otio languentes philoſophi domeſticos intra parietes vna cum paucis ab omni negotio remoti conſectabantur. Quin & illud M. Tullii è tertio Officiorum libro actuoſam vitam priuatæ, atq; otioſæ præferentis magnopere in principe mihi videtur probãdum, quod nulli ſolitudo magis, mentiſque agitatio noxia, quam ei ſit. Nec tamen negauerim fieri poſſe, vt quemadmodum docti nonnulli philoſophi ſuis rebus publicis magna cum laude præfuere, ita quoq; in philoſophia, & doctrinis principem pariter, atq; in agendis rebus præſtantem liceat inuenire: vt Solonem, Architam, Pittacum: ſed id profecto potius optandum eſt, quam regibus natis, hodie præſertim proponendum. Sat enim ii recte inſtituti erunt, ſi eruditione mediocri imbuti omnem operam ad reip. ſuæ commoda referant. Si hoc igitur modo princeps atq; hiſce artibus inſtitutus prodeat à præceptoribus, facile ſibi poſtea varietate negotiorum, rerum euentu, atque vſu perfectam prudentiam parauerit. Nec enim id præceptores per ſe, aut indoles, & ingenium illius, ſed temporis experimentum, vſuſque afferre poteſt: vt in Annibale Carthaginenſium duce fuit: cui, cum rex Pruſias, apud quem exulabat, pugnam ali-

quando

quando ſuaderet detrectandam, quod exta prohibuiſſent, an tu, inquit, caruneulæ vitulinæ credere magis, quam Imperatori experto vis? Atqui hoc modo prudentia rex erit præditus, ſi non ſolum ipſe ita ſit, vt dixi, inſtitutus, ſed experimento etiam multa cognorit, notaritque indies vel in iis, quæ gerat, negotiis, vel in ipſo humanæ vitæ curſu. Parta vero iam eadem virtus, quia otioſa eſſe non poteſt, multa procreabit officia diligenter à rege colenda, & in omnes vitæ partes ſeruanda. Nam aut prudentia vtendum illi erit priuatis in rebus, aut publicis: priuataque rurſus prudentia vel erunt vitia fugienda, vel perſequendæ virtutes: publica porro vel ad rempublicam adminiſtrandam, vel ad eandem conſeruandam, & amplificandam pertinebit, idque aut in pace, aut in bello. Quorum officiorum nos ſingula perſecuti explanatius deſcribamus. Quando igitur principi in rebus priuatis commoda eſt prudentia, æque ac priuato cuiuis, tum ſane ad vitanda præcipue illa vitia conducit, quæ & ipſi, & reipublicæ ſint nocitura: vt temeritas, negligentia, verſutia, malitia, quæ omnia vel in priuato homine ſunt vituperanda, nedum in eo, qui publicam gerat perſonam. Nam temere quid agere, turpe admodum regi eſt, cum vel minima iure ſit vitioſum. Declarat id Theodoſii Cæſaris temerarium atque crudele in Theſſalonicenſes iudicium: tum C. Cæſaris ex Italia in Græciam aduerſus Pompeium profectio. Negligentia item in rebus gerendis tam eſt noxia, vt, elapſa occaſione, multa præclare fieri deſinant, malaque multa eueniant. Verſutia etiam quam odioſa ſit, in Philippo rege, & Annibale apparet, quorum vterque perfidiæ nomine odioſiſſimus fuit. Declinatis autē his vitiis, quinam ſint virtutes colendæ prudentiæ monitu, ipſa nos ſingularum officia edocebunt, cum nullum recta ratione conſtare nequeat: quæ ratio agendis rebus adhibita nominatur prudentia. Sed iam de prudentiæ publicæ officiis in rege dicatur, hoc eſt, quo nam modo ille rempublicam adminiſtret prudenter. Multa ſunt in republica munia, quæ quoniam ab homine vno nequeunt obiri, propter humani ingenii debilitatem, diſtribuēda in diuerſos ſunt, vt diſtributus in multos labor minuatur. Quo fit, vt potiſſima rei bene gerendæ ratio in eo poſita ſit, vt prudentes, iuſtiq; viri a principe deligantur. Si enim cuncta is negotia ſuſtinere ſolus poſſet, prudentiæ illius eſſet, ea obire, ne quid à procuratione ſua putaret alienum, quia tamē id nec naturæ imbecillitas, nec rerum multitudo permittit, in eam ſaltem incumbat is partem, vt viros quam optimos eligat, præficiatq; cuiq; muneri: tum ſic omnibus ipſe præſit, vt ſolus curam totius communitatis habere videatur. In deligendis porro huiuſmodi viris, quoniam permagnus ambitioni multorum, & auaritiæ locus patet, publica munera non præmii cauſa, ſed ipſius functionis viris prudentibus princeps tribuat: cum detrimentum reip. grauius accidere nullum poſſit, quam vt illius munera indignis aſſignentur: quales perſæpe ii ſunt, qui aut gratia, aut ambitione, aut fauore, non meritorum verorum nomine promouētur. Ergo Platonis præcepto magiſtratus nec cupienti, aut ambienti, ac nolenti ſæpe, & recuſanti committi potius oportet: ne quod ad multorum commoditatem pertinet, id in vnius vtilitatem

De regis conſilio.

De magiſtratuum electione.

conuertatur. Quo nomine dabit operam rex, vt ſi non omnes, pleroſque ſaltem ditionis ſuæ viros prudentes, ac probos noſcat, tum ad res agendas adhibeat, vt eorum perſpecta bene virtute, diuerſis ipſos muneribus pro dignitate, atque vſu rerum præficiat. Sed hac in re id video à pleriſq: peccari, quod dum in noſcendis ſubditorum virtutibus negligentes ſunt, ita familiarium paucorum dictis duntaxat credunt, horumque vel inepta iudicia, vel ſtudio, & affectu plena ſequuntur. Quid enim eorum aliqui (nolo enim, vt tu principio feciſti, indignatione potius, quam recto iudicio, complecti omnes, cum plurimos optimos norim,) quos adulatio, quos abiectiſſima ſeruitus, quos auaritia, & ambitio regibus copulauit, recte de republica poſſint ſentire? aut quinā eidem aptos homines noſſe, ac promouere: Alii amicos, cognatos, notos, clientes, beneque de ſe meritos putant in regum notitiam inſinuandos, doctrinæ, virtutiſque nomine: alii ſpe commodorum ſuorum eos prouehunt, à quibus parem ſibi aliquando gratiam exiſtimant referendam: alii ſi quos ſe prudentiores viderint, eos à rege calumniis, detractione, æmulatione, inuidiaque permoti continuo diſtrahunt, ne ſuis illi conſiliis obſtent, aut ne (vt eſt per ſe virtus amabilis) probitate eorum perſpecta, ſibi anteponantur. Ita fit, vt cum paucos quoſdam huiuſmodi homines apud ſe reges habeant, eiſque fidem adhibeant: nec veri quidquam ipſi intelligant, niſi quod ſit ab illis relatum, nec probos, & vtiles eiues noſcāt, niſi ab eiſdem commendatos, nec publica demum munera vel digniſſimis niſi per illos, conferant. ANT. Gaudeo equidem ſenſim te Aureli eodem veniſſe, quod ego initio dicebam. AVR. Nequaquam profecto veni, ſi quid ſentiam, intelligas. ANT. Do quidem iſtud tibi libenter: ſed qua tu ratione putas nos huic malo mederi poſſe? AVR. Certe, ſi me audiant reges, hoc modo. Quando nec vniuerſos, nec multos etiam viros præſtantes rex vnus, præſertim grauibus occupatus negotiis noſſe poteſt, ac difficile eſt de alicuius virtute iudicare, niſi aliorum iudicio fides habeatur, vt familiarium illorum, quos apud ſe habeat, aut conſiliariorum: illius erit, virtutem prudentiamque horum cuiuſque ſine affectu ſtudiove cognoſcere, cum per eoſdem noſcendi reliqui ſępe ſint. Quorum ſi multis modis integritatem perſpectam habeat, ſic ipſis credat, vt iidem nihil illi facile perſuadere ſe poſſe intelligant. Si enim rex diligenter dicta, factave cuiuſque obſeruans, eundem vtilitatis priuatæ ſtudioſum eſſe videat, à ſe tanquam peſtiferum, exitialemque ciuem reiiciat, niſi velit ei eſſe perſimilis. Quod ſi autem illius integritate explorata in multis negotiis, re ipſa ſe nunquam deceptum videat, hunc vltro, ne cupiditate aliquando ducatur, ditet ipſe, atque honoribus & dignitate afficiat: curet denique, vt pauci hi familiares in ſuadendo, noſcendiſque viris honeſtis, quam diligentiſſimi ſint, quia multi plura cernere, ac noſſe quam pauci poſſunt, præſertim ſi eadem, qua rex, ipſi arte in noſcendis illis, antequam regi inſinuentur vti velint. Sed neſcio quomodo in hominum animos adulatio ſenſim illabitur propter ingenitum vnicuique natura ſui amorem, vt nullus tam conſtans, cautuſque ſit, quin laudari velit, ſuoſq; laudatores & amet

De forma dignoſcendorum recte ſuadentium, & eorum tractandorum.

& amplectatur. Quæ res cum ab omni prudenti viro, tum eſt à principe fugienda: cui adulatio frequentior, ac pernicioſior eſt, quam reliquis omnibus. Itaque quoniam familiares illi, quos dixi, vel metu, vel cupiditate, vel nimio etiam, inconſideratoque ſtudio quiduis approbant, ſic reges eorum ſententias audiant, vt ægre ſe perſuaderi oſtendant, dum cognitis omnium ipſorum iudiciis, per ſe poſtea ſoli deliberent, ſignificentque nihil gratiam apud ſe valere, vt cuiuſquam ducantur ſententia, ſed libera velle ſe conſilia audire, ac proponi. Cum autem iidem illi ſeu familiares, ſeu conſiliarii in conſilium vocantur; ea tantum rex ſibi iubeat reſponderi, quæ interrogentur, non plura, eaq; artificio vllo adumbrata, ne aditum adulationi aperiat. Si enim hoc modo affectum eſſe regem animaduertant, ad eundem ita accedent, vt nullo aſtu, fucoq; ſuaſuros ſe quidquam inutile, aut inhoneſtum arbitrentur, cum nullum is, niſi rectum conſilium ſe amplexurum profiteatur, & omnes in eo ſtudium ponant, vt vtiliſſima quærant, eaque principi ſuadeant. Hoc modo igitur rex in officio conſiliarios illos ſuos, ſeu paucos familiares, quorum arbitrio vniuerſa faciat, continebit, recto item vtetur ſemper conſilio, probos, reiq; publicæ aptos homines vniuerſo ex regno ſuo cognorit, adulationē vitarit, nō ſolum illam grauium hominum (qui dum conſilia dant, occulte adulantur) ſed paraſitorum etiam, atq; ſcurrarum, qui omnes ab eo reiiciendi, grauibuſq; ſuppliciis, ne vſquam ſint, afficiendi erunt. Alia enim ratione principes oblectari, quam illorum auditis ineptiis, inſulſis plerunque, & maledicentia plenis, poterunt. Nam, vt omittam id, quod ſignum eſt leuitatis, inſcitiæq; vel maximum, his hominibus vti, quid iiſdem imprudētius, audacius, loquacius, maledicentius, exitioſius deniq; & principi ipſi, & reip. vniuerſæ? Horum dictis Alexander motus ineptam illam de diuinitate ſua opinionem concepit, q̄ à Dexippo, Demade, Euagora Athenienſibus cultus pro Deo eſſet. Craſſus item in Parthos cum copiis profectus Andromachi paraſiti perfidia hoſtibus traditus fertur. Quocirca & fugiendum eſt omne adulatorum genus, & danda opera, vt ii pauci, quorum vtatur conſilio rex, adulandi ſtudio priuentur, adempta omni occaſione, ne fiant aliquando ex conſiliariis paraſiti. Nam & olim principes viri conſilio adhibiti, vt auctor eſt Atheneus, paraſiti nominabantur, quaſi vitæ eiuſdem, & ſocietatis cum aliquo conſortes. Vnde & in Methonenſium republica deſcribenda Ariſtoteles principi conſiliarios duos, qui paraſiti nominarentur, adiunctos in ea fuiſſe ſcribit apud eundem autorem. Ex quo liquet, huiuſmodi in hominibus adulationem omnino fugiendam, quando ab eiſdem hoc paraſitorum genus profectum eſt, ſi Atheneo credimus, atq; regi nihil exitioſius poteſt contigere, quā vt in illam hominum peſtem incidat, vel eos, quos apud ſe habeat, per negligentiam adulatores fieri patiatur. Verum longius ſum à propoſito euagatus, quam inſtitueram. Cum enim adulationem in regum conſiliariis, & familiaribus vituperarem, neſcio quomodo ad eius vitii turpitudinem oſtendendam oratio noſtra eſt digreſſa. Ant. Recte quidem iſtud Aureli: ſed nonne æquum ſit, vt quemadmodum regem ipſum inſtituis, ita quoq; eiuſ-

Quomodo adulatio vitari poſſit.

Contra paraſitos eorumq; ſtudium.

dem ſeu familiares, ſeu conſiliarios formes? ne quando ad illum corrupti, prauique homines veniant, qui eo corrupto (vt eſt morbus hic contagioſus) totum pariter iſtud regnum tuum contaminent? AVR. Eſſet profecto æquum. ANT. Ergo vt in rebuſpublicis recte inſtitutis olim fiebat, fierique doctiſſimi cenſent Philoſophi, ſic iſto in regno tuo doceas, quemadmodum inſtituendi homines ab infantia ſint, vt & ciues in eo probi exiſtant, & ex honeſtis ciuibus boni ad regem accedant conſiliarii, boniquc familiares. Neque enim rex ciues non bonos facere meliores, niſi hoc modo inſtitutos, poteſt, nec prudentibus vnquam publicorum munerum adminiſtris vtetur, ſi nullos eiuſmodi habeat reſpublica ciues. AVR. Prudenter Antoni mones, idque ipſum huic prorſus regno eſt neceſſarium. Quî enim, vt modo aiebas ipſe, iuſti in republica viri eſſe poſſint, niſi à tenera ætate recte informentur? aut qua ratione bonos ex malis ciuibus conſiliarios, familiareſve rex poſſit habere? Huic igitur rei quoque operam omnem rex dabit; vt quod in pleriſque veteribus rebus publicis factum legimus, hodieque negligentiſſime fit; aut ne fit quidem omnino, renouetur, ac religioſe retineatur. ANT. Quid hac de re demum ſtatuis Aureli? nam ego ea, ſi meo iudicio quid ageretur, proponerem, quæ vel in antiquis Græcorum rebuſpublicis ſeruabantur, vel à Platone, atque Ariſtotele præcipiuntur. AVR. Nimis hæc Antoni multa, & remota à communi conſuetudine horum temporum ſunt. Ego id ſatis eſſe putarim non modo regno vel optime inſtituendo, ſed omni etiam reipublicæ, vt triuialium ſcholarum, vbi tota fere in Europa pueri hodie legere, ſcribereque docentur, tum inſtitutionis Chriſtianæ, demum Academiarum, in quibus ingenuæ traduntur artes, regibus maior, quam nunc vulgo habetur, cura eſſet. Cum enim tales plerunque ſint ciues, quales ii ab infantia prodierint, hiſque fere tribus, quos dixi, veluti gradibus ad perfectiſſimam inſtitutionem quiſque perueniat (quo enim pacto domi parentes liberos ſuos educent, docere hic neceſſe non eſt) illa inprimis ipſa rex omni ſtudio formet, inſtituat, conſeruet, adhibitis etiam publicis magiſtratibus. Et triuiales quidem ſcholas, vbi doceri pueros omnes volumus (ſiquidem pauci ſunt ii: qui priuatos domi ſuorum liberorum pædagogos alere poſſint) non quiuis aduena, ignotuſve homo reget, ſed is, quē publicus ciuitatis magiſtratus, perſpecta ipſius probitate, induſtriaq; delectum huic muneri tam neceſſario præfecerit. Si enim ad exigenda publica vectigalia, ſeruandave honeſtos, integros, atque prudentes viros, requirimus, multo certe accuratius inſtituendæ iuuentuti, hoc eſt, iaciendis virtutis in republica fundamentis homines apti deligendi, publicoq; ſtipendio inuitandi, conducendiq; ſunt. His autem certo quodam numero iam delectis, publicoque in ciuitatis loco tanquam in media luce poſitis, dato item iis neceſſario ad alendam vitam ſalario, & informandæ iuuentutis forma, atq; ratio præſcribatur, & ea per magiſtratum aliquem velut cenſorem interdum recognoſcatur, ne apta regionis conſuetudini, & ingeniorum eius moribus diſciplina, iam conſtituta ſemel, negligatur. Quoniam præterea hîc neceſſariam ciuium inſtitutionis for-

De inſtitutione ciuium boni regni.

De forma triuialium ſcholarum.

mam, non exquiſitiſſimam illam Platonis, ac veterum Philoſophorum exquirimus, vt ſi non plane docti, at minime rudes legendi, ſcribendique ii ſint: adiungenda eſt quoque ad earum, quas dixi, ſcholarum diſciplinam Chriſtianæ religionis cura: quam, quia cunctis eſt neceſſaria, & Eccleſiæ antiſtitum propria, non primæ illius ætatis inſtitutores (quamquam nec eſt ab iiſdem negligenda) ſed hi ipſi curabunt antiſtites. Qua in re mirari equidem ſatis nequeo turpiſſimam huius ætatis Epiſcoporum vel negligentiam, vel ignorantiam potius cum auaritia, ambitioneque coniunctam, vt antiquiſſimum ac vtiliſſimum imbuendæ Chriſtiana religione iuuentutis morem tota in Eccleſia veteri vſitatum obſoleuiſſe permiſerint, nec vt in percipiendis poſſeſſionum, ac decimarum fructibus diligentes ſunt, ita eundem nunc etiam, cum eſt maxime opus, renouare ſtudeant. Veteris enim Eccleſiæ, vt erat illa ab Apoſtolis recens adhuc inſtituta, retinebatque natiuum puritatis ſuæ candorem, is erat mos, vt ſingularum Eccleſiæ ciuitatum vnum haberent inſtitutorem Græco vocabulo Catechiſtam nominatum, lectumque ab eius eccleſiæ epiſcopo, à quo pueri omnes rudeſque homines, quos catechumenos appellabant, Chriſtianæ pietatis inſtitutis, ritibuſq; initiarentur. Hoc munere functus apud Alexandrinos eſt Origenes, à Demetrio eius vrbis Pontifice creatus, eoq; antiquior Pantænus: Carthagine item Optatum à ſe delectum ſanctiſſimus vir Cyprianus ſcribit: idem quoq; mos in Latina, Græcaq; eccleſia, Auguſtini temporibus, & aliquanto poſterius ſeruabatur, qui formam inſtituendorum rudium, ædito ea de re libro, deſcripſit: poſteriori vero ætate, ſicuti declinante Romano imperio, corruptæ bonæ artes, barbarica fœditate ſunt, ita eccleſię diſciplina paulatim obſcurata prope interiit. Hunc igitur laudatiſſimum, & antiquiſſimum morem multo profecto magis eccleſiæ pręſules inſtaurare, tuerique deberent, quam pompam, quam apparatum, quam ſpeciem deniq; epiſcopi adumbratā potius, quam veram. Ab hac pietatis ſchola nemo, quacunque ſit conditione, abſtinere iuuenis, vt nec religionis expers eſſe debet. Æque enim ad omnes pietatis obſeruatio, cognitioque inſtitutorum eius pertinet, idque, ſi ſuo recte fungerentur munere, antiſtites hodie curarent; nec, vt videmus fieri, hominum ſibi commiſſum cœtum ignoratione Chriſtianæ pietatis vix profeſſioni huic reſpondens nomen retinere ſinerent. Quotuſquiſq; hodie quacunq; in ciuitate ſic eſt inſtitutus, vt quid ſit Chriſtianiſmus, in quove conſiſtat, aut quid ea poſcat profeſſio, intelligat? Quem tam ſtudioſum huiuſce rei epiſcopū cernimus, vt ambitione depoſita, faſtu, ſimulatione virtutis, auaritia, ignoratione muneris ſui, ſe ſua in diœceſi ſemper continens vni ciuium inſtitutioni operam nauet? Sed hęc longiorem deſiderant orationē, & à me nunc explicata obiter dici nequeunt prolixius, vt aliâs, ſi detur otium, fortaſſe dicentur commodius. Sequitur, vt publicarum ſcholarum, in quibus liberales artes tradantur, forma oſtendatur, vt omnes quaſi puerilis inſtitutionis gradus, quod cœpimus, percurramus, quando hinc docti, prudenteſque viri, qui reges conſilio ſuo iuuent, hinc probi, ſanctiq; religionum antiſtites, hinc ar-

De inſtituendis Chriſtiana pietate pueris.

De formatione Academiarũ, & publicorum ſtudiorum.

tium profeſſores ſunt prodituri. Publicas præceptorum ſcholas, atque gymnaſia Græci bonarum fere omnium artium autores induxiſſe primum videntur: qui cum aliis in locis, tum Athenis publice magno in ſtudioſorum cœtu diuerſas profiteri artes, precioque docere cœperunt. Poſtea liberalitate regum præſtantiſſimorum diuerſis in locis & docti viri conducti ad erudiendam iuuentutem, & Academiæ ſeu loca huic rei accommoda extructa, & ſtipendia diuerſis artium omnium magiſtris propoſita ſunt. Romæ quidem, in quam literæ propter bellorum occupationes ſerius ſunt aliquanto inuectæ, primus Græcorum more Carbilius ludum aperuiſſe fertur, cum priſci Romani vel ſuos ipſi liberos domi inſtituerent, vel ad patruorum ædes deducerent, ne paterna indulgentia domi corrumperentur. Sequentibus deinde temporibus in Atheneo ſiue Mineruio (quo in loco Romana iuuentus inſtituebatur) ingenuarum artium doctores propoſitis annuatim ſalariis, docere cœperunt, veluti Quintilianus à Galba ex Hiſpania euocatus, ſtipendioque, vt doceret eloquentiam, conductus fuiſſe dicitur, Veſpaſianum item Cæſarem, & Antoninum Pium Latinis, Græciſq; doctoribus publica conſtituiſſe ſtipendia pleriſq; in Romani imperii prouinciis aiunt: &, vt Alexandrum taceam, qui hoc ipſum in Perſide, Ægyptoque fecit, id ſemper vſus apud cultiſſimas nationes obtinuit, vt vel in præcipuis ciuitatibus alicuius prouinciæ, vel aliqua in vna publice liberales artes docerentur. Quod idem Carolus magnus, ſicuti alia non pauca præclare inſtituta, poſt imperii Romani occaſum primus fere renouauit, dum Pariſiis, & Papiæ publicas Academias inſtruxit, pulſaſq; iam tota Europa literas excellentiſſimo ſtudio reuocauit. Præclarum hoc illius exemplum poſteriores principes imitati diuerſas quoque apud ſuos ſcholas inſtituerunt, vt in Hiſpania Petrus Luna Cardinalis Salmanticenſem, Franciſcus Ximenius Epiſcopus Toletanus Complutenſem, Conimbricenſem Ioannes III. Luſitanorum rex: in Italia Patauinam Venetorum ſenatus, Piſanam Coſmus Medices Florentinorum princeps, in Belgia Louanienſem Brabantiæ duces: in aliis demum prouinciis alias principes, atq; magnates alii. Sed in his ſane ipſis ſcholis, quę plurimę iam vniuerſa in Europa ſunt, id caute prudens rex viderit, ſi reip. ſuæ velit vtilitati conſultum eſſe, vt ſine ambitione, faſtu, & contentionibus liberales artes pure, caſteq; tradantur: idq; ipſe interdum per doctum aliquem, atque grauem virum quaſi cenſorem huius reip. literariæ curet, quandoquidem hinc vel vtiles, vel peſtilentes reip. homines exoriuntur. Vitari autem ambitio, faſtus, & contentiones tum ſtudioſorum, tum magiſtrorum etiam poterunt, ſi publica ſtipendia, atque tituli honorarii à ciuitatis magiſtratatu, aut principe ipſo iis concedantur, quos hominũ eruditorum vel publice profitentium, vel eruditionis nomine iam inſignitorum conſenſus approbarit. Docebũtur præterea pure, ac ſincere artes, ſi veteres earundem fontes purgatis barbarie recentioris ſordibus, & inſulſa frigiditate reſtituantur, hoc eſt, ſi Grammatici breui præceptorũ ratione contenti lectiſſimos ſolum autores legant: ſi Dialectici vnum Ariſtotelem, aut quidquid ab eius doctrina, & ratio-

Optima publicarum ſcholarum forma.

ne non

ne non diſcrepet, noſcant: ſi Rhetores Ciceronem, Quintilianum, aut priſcos demum illos autores imitentur: ſi Philoſophi Platonem, Ariſtotelem, Plutarchum, Senecam, atque huius generis cæteros vna cum Græcorum pleriſq; , Latinorum autem perpaucis agnoſcant: ſi medici Galenum, Hippocratem, horumque ſimiles alios amplectantur: ſi iuriſperiti antiquos duntaxat iuriſconſultos, aut eos, qui illorum inſiſtant veſtigiis, ſequantur; ſi demum Theologi ſacra ſcripta, veteribus tantum patribus, & eccleſiæ inſtitutis adhibitis, reliqua fece, vulgoque Theologaſtrorum nouorum neglecto capiant. Nam multos in ediſcendis Grammaticorum præceptis non modo annos, ſed ne menſes quidem hærere, tum vſum loquendi, ſcribendiq; negligi, aut illis non anteponi, ineptiſſimum eſt. Pro Dialectica item vera terminos neſcio quos, ac ſummulas hominum indoctorum & barbarorũ legi, relictis autoribus cultioribus, atq; ignorato illius artis vſu, & ratione, longe abſurdiſſimum. Itemque à medicis barbaros quoſdam recentiores antiquis Græcis, aut Arabum medicorum nonnullis præponi, eius profecto eſt, qui neſciat glandes à bonis frugibus diiudicare. Conſectari præterea quorundam Leguleiorum interpretationes, atque vſum duntaxat forenſem, veterum iuriſconſultorum libris non lectis, aut non probe intellectis, non bonus iuriſconſultus, ſed rabula quidem forenſis cupiat. Totam poſtremo ætatem in diſputationibus friuolis conterere, nec iis ſacrorum librorum, veterum Theologorum, inſtitutorumque eccleſiæ lectionem, vel omnibus aliis neglectis, longe anteponi, eius etiam eſt, qui plus operæ in eo ponat, quod minus conducat, q̃ in illo, quod ſit pręcipue tractandũ. Hæc igitur mihi Antoni vniuerſam ciuiũ inſtitutionẽ breui quadã forma adumbrare cupienti, quę dicerẽ, viſa ſunt: quemadmodũ a agendis in rebus prudentes ſolerteſq; ciues ſine hac literarũ doctrina, aut quomodo fortes, & ad belli vſum apti fiant, nondũ retulim⁹. Ant. Opportune tu iſtud Aureli. Mirabor enim te, dũ inſtituendos eos ciues, q regi futuri aliquãdo cõſiliarii eſſent, ſumpſiſſes, de literarũ dũtaxat ſtudioſis diſſeruiſſe, quo a pacto prudẽtes, aptiq; homines publicis negotiis efficerẽtur, nondũ oſtendiſſe, niſi forte doctos eſſe omnes regũ cõſiliarios cupias, q non minus certe ineptũ ſit, quã nullos omnino eruditos viros adhiberi. Quamobrẽ iſtud quæſo ipſum, q abs te modo eſt propoſitum, ſi videatur, expone. Avr. Quinã hoc docere poſſim Antoni, cũ nullã ego experientiæ, prudentiæq; adipiſcendæ cõmunem rationem noſcã, aut notã proferre poſſim? Alii eo ſunt ingenio nati, vt ipſa vi mentis ſine doctrina, vſuq; longo quiduis aſſequantur: alii cõſuetudine, obſeruatione, & experimento diuturno multa perſpecta habent: alii doctrina mediocri, vſuq; facile prudentiſſimi euadunt: alii nullo tempore, nullo rerum euentu doceri poſſunt, quin æque inſolentes, ſtolidi ve ſemper ſint. In tanta ingeniorum varietate quid à me certi proponi poſſit? Ant. Certi quidẽ nihil Aureli. At illa tantũ, quæ augere ſine doctrina prudentiam ſoleant, quis neget à principe in iis, quorũ conſilio ſit aliquando vſurus, eſſe ſpectãda? videlicet vt prouecta ſit quis ætate, ſiue vrbanis, ſiue bellicis negotiis præficiatur; aut vt aliquandiu ſit in rep. admini-

ſtranda cum laude verſatus: aut acri iudicio ſiue natura, ſiue meditatione, parte ſit præditus: aut denique multas regiones luſtrarit, cognorit, earumque mores, inſtituta, reſque publicas perſpexerit: ſiquidem eæ peregrinationes, vt Plato tuus in legibus ait, reip. accommodatiſſimæ ſunt. Hæc igitur omnia ſi ſint vel in vno ſimul coniuncta, vel ſeparata prudentiam augere plerunque ſolent. AVR. Placent omnino iſthæc Antoni, eaque à noſtro hoc rege velim tanquam prudentiū hominum ſigna notari in iis, quos ſit apud ſe habiturus: ſiquidem & perſpicua ſunt, & raro prudentiæ ſimulatione occultantur. Ergo ſententia hac tua etiam Antoni adductus, ſic ſtatuo, doctos quidem aliquos homines non iuris ciuilis, vt hodie fit, aut medicinæ, aut Theologiæ, aut vnius ſcientiæ duntaxat, ſed omniū, ſi fieri poſſit, aut ſaltem philoſophiæ, atq; humaniorū literarū (quę duæ facultates reip. ſunt q̃ aptiſſimæ) reliquos vero prudentes à rege adhiberi in conſilium oportere, vt tum doctrina, tū experimento quidvis reip. vtile inueniatur. Quoniam enim in rebus agendis prudentia maxime eſt opus, eaq; tum rerū multarū notitia, tum vſu continetur: notitiam profecto eruditi viri, vſum periti negotiorum attulerint. Admitti a. hujuſmodi in cœtum conſiliariorū nō tantū principes viros, ſed inferioris etiam fortunæ homines cenſeo, vt hi quoq; reip. vſui eſſe ſe intelligant, dū ad illius adminiſtrandæ munus prudētiæ, doctrinæq; nomine deuocentur: illi, dū ſuadere honeſta, vtiliaq; ſtudeāt, audiantq; aliorū ſentētias, obſeruatione demū prudētiſſimi fiāt. Nec fuerit etiā inutile, nō hos modo delectos viros in eū conſiliariorū numerū cooptari, ſed alios item magnates non paucos, quantūuis negotiorū rudes, vt quaſi in ſchola quadam prudentiæ, auditis crebro multorum diuerſis de rebus ſententiis, euentis, cognitis, notatiſque negotiis, fiant & hi aliquando prudentiſsimi. Sic enim & rex optimis ſemper conſiliariis vtetur, & magna illi erit eiuſmodi hominum delectorum ad omnes reipublic. vſus copia. ANT. Senſim eo te Aureli duxi, vt pro regno remp. quandam depingas, deſertis regiæ dignitatis à te defenſæ partibus, nam ſenatores imprimis multos inducis, ac ciues omnes publicæ facis adminiſtrationis participes. AVR. Iſtud vero aliâs Antoni, ſine me quæſo inſtitutū ſermonis mei curſum, vt feci hactenus, perſequi, poſtea cum ſit à me rex, eiuſq; regnū deſcriptum, his obiectionibus facile, vt ſpero, reſpondebo. Cum hoc igitur modo à principe & viri probi reip. muniis præficiendi, & conſiliarii, quos apud ſe habeat, quærendi, examinandique ſint, ſic iiſdem ipſe præerit, vt nec ambitioni locum, nec ſtudio, nec auaritiæ per negligentiam illis relinquat, ſed tanquam boni patresfamilias, qui expenſorum, & acceptorum rationes a ſeruis diligenter repoſcunt, aut hos eo metu in officio ſemper continent, ne quando exigantur, ita eam rex magiſtratuū, & familiarium curam habeat, vt ipſi nec cupiditati ſuæ occaſionem concedi, nec tecta fore conſilia ſua, ſi quid dolo aut fraude commiſerint, arbitrentur. Progrediamur iam ad cōſeruandæ reip. formam, quod antea propoſuimus. Duo ſunt, quæ reſpublicas omnes euertere funditus ſolent: quibus de medio ſublatis, eædem conſeruantur, aut ſeditio popularis atq; diſcordia, aut bellum in ho-

Quale regis conſilium eſſe debeat, & quo modo diligendum.

De conſeruanda reip. forma.

ſtes aſ-

ſtes aſſiduum: illud ex praua ciuium inſtitutione, legum, magiſtratuum, muniorumque publicorum negligentia, aut vitio proficiſcitur, hoc tum eadem ex cauſa, tum etiam ex vicinorum populorum, ac regum inuidia, & ambitione. Seditio quidem atque omnis popularis motus facile componetur, ſi leges iuſtæ, atq; vtiles conſeruentur, ab iis magiſtratibus, quos ſupra deſcripſi, ſi ius vnicuique ſine auaritia, ſtudioue reddatur: ſi contentiones, diſſidiaque omnia ciuium, ſeueriſſime præcidantur: ſi deniq; tranquillitati concordiæq; ciuitatis ſic ſtudeatur, vt nec ſeueritate tyrannica, nec aſperitate nimia cohibeantur: ſed partim conſilio, & iure, partim auſteritate, vt res oblata popoſcerit. Imprimis autẽ radices ſeditionum, & contentionũ ciuilium extirpare prius oportet, q̃ malum ipſum exoriatur: difficilius enim tunc, q̃ initio illi ſuccurritur. Seditionum autem, vt Ariſtoteli placet, variæ ſunt cauſæ, quibus permoti homines ipſam quoque remp. ſæpe perturbant. Nam aut honoris cauſa alter alteri inuidens tumultuatur (quæ res ciuili bello inter Pompeium, Cæſaremque cauſa fuit) aut contumelia, & contemptu quorundam reliqui etiam permouentur, vt olim Rom. populus à Patriciis diſſidens grauiſſimas ſeditiones concitauit: aut timore, cum grauius quid veritus quiſquam res nouas molitur: aut excellentia, opibuſque paucorum, quibus cum reliqua ſe pars reip. inferiorem eſſe videat, æquari iis vult, ac proinde modis omnibus refragatur: aut negligentia principum, & magiſtratuum, cum vulgus iniuſte fieri multa cernit, cum leges negliguntur, ciuitatis iura, & priuilegia vileſcunt ſtudio, ambitu & largitione, aut demum ciuium ipſorum diſſimilitudine, vt cum alii ditiſſimi, & opulentiſſimi, alii egeni maxime, ac inopes ſunt, alii probi & iuſti, reliqui iniuſti. Hæc enim conditionis, ac morum inæqualitas, magnas contentiones, atque odia parit. Cum ergo huiuſmodi cauſæ in ciuitate exiſtunt, latent quodammodo ſeditionis radices initio; ſerpunt vero poſtea latiſſime, ac indies augentur, quouſque grauiter aliquando erumpunt, ac totas reſp. vel euertunt, vt multis nouimus accidiſſe, vel ſummum in diſcrimen adducunt. Quamobrem tollẽdæ primum hæ ciuitatis morborũ cauſæ ſunt cõtrariis remediis, i. diſtributis vnicuiq; pro dignitate, ac meritis honorib. vindicata omni cuiuſq; ignominia, & contemptu, ſublato metu, & eiuſdẽ cauſa, ſeueritate, & cura in ſeruandis religioſe legib. æquatis deniq; inter ſe iure ciuib. ne vel odio, inuidiæ, cõtentioni, æmulationi, ſimultatiue occaſio relinquatur. Hoc certe priuſquã ſeditio exoriatur, ipſe rex per magiſtratus, veluti malum longe ante præuiſum declinans curabit: excitata v. iam illa quaſi graui cuidam morbo ſeueritatem adhibeat medicinæ, id eſt, ſupplicia grauia, & ſeuera, nõ ſine delectu, in omnes, ſed in ſeditionis autores, atq; nocentes: q̄ noſtra memoria Carolus V. Cæſar huius, de quo dixi, Philippi pater in Gaudauenſium tumultũ animaduertens, humaniter admodũ fecit. Reſtat altera cauſa reip. euerſionis, q̃ etiam à principe tolli volumus, id eſt, bellũ. Idem ab ipſo ſuſcipitur aut dominandi cupiditate: quod Ninus & Alexander fecere: aut repellendorũ hoſtium bellũ vltro inferẽtiũ, aut iniuriarũ vlciſcẽdarũ cauſa. Si imperii propagandi cupiditate bellũ gerendũ ſit, pertinet

De ſeditione eiuſq; cauſis & remedijs.

De bellica prudentia ad reip. conſeruationẽ.

quidem id ad amplificādæ reip.rationem,de qua ſuo loco dicemus; ſi vero repellendi hoſtis,aut vlciſcendę iniurię gratia fiat,id quoq; prudentia militari cōtinet. Quoniam n.reip.adeo neceſſarium eſt bellū, vt,quod Plato inquit, tanq̃ curatio morbi quædā ab ea interdum ſuſcipi, ſit neceſſe, ita eſt princeps ab ipſa pene infantia nō modo vrbanis negotiis, ſed etiā bellicis inſtituēdus, vt omnia boni ducis officia noſcat,& ſeruet.Iſto n.modo & hoſtes quoſuis perfacile repulerit,cum domi militiæq; ſit prudens, & vltro illatum bellum ab aliis proſpere geret. Ergo quęcunq; ad bellicā diſciplinā,vsūq; pertineāt,optime noſcat, tū ex eius rei ſcriptorib.atq;exemplis,tū ex hiſtoriis,doctrinaq; illa,q̃ ceperit,tū ex cōſiliis,monitiſq; prudentū ducū,ac militū,quos frequēter de bellicis rebus interrogabit,ſententiā poſcet, iudicia experimēto,euētuq; diſcet, vt quanq̃ expertus ipſe non ſit, aliorū experimēto,cōſilioq;doctus euadat. Vnde videmus bello præſtare eos,qui ſub præclaris ducibus militarint, reliquis omnibus ſeu ducibus ſeu militibus. Cū enim tota militiæ diſciplina experimento,vſuq;contineatur, nemo rectius ea vti poterit,quam vel is,qui diu multumq; in eo vitæ genere ſit verſatus,vel ille etiam,qui acri iudicio,conſilia prudentum imperatorum,tanquam pręcepta quędam collegerit,quibus & ipſe vti incipiat,& aliis cognoſcendis inſtructior ſit,& paratior. Adiunget præterea notitiam regionum,ſitus,mōtium,fluminum, vallium,cæterorumq; regni locorum,quando id ad caſtra metanda,ad opportunitates quærendas,præuertenda hoſtium conſilia, cæteraq; omnia,quibus in bello eſt opus, neceſſarium eſt. Habeat quoq; idem in promptu exemplorum diuerſis de rebus copiam,quæ maxime augeat prudentiam, proponat item ſibi aliquem ſummis ex viris, & rerum bellicarum gloria præſtantibus imitandum (vt Cæſar Alexandrum,hic Achillem, Scipio Cyrum Perſarum regem,alii denique viri præcellētes alios imperatores , quibus imitatione longa,perſimiles euaſere) in ipſa deniq; pace curam eam rei militaris habeat , vt ipſo in bello de pace cogitet ſemper,in pace vero de bello:Id quod vel in Philopomene Achæorum principe à cunctis laudatur , qui nullum pacis tempus, vſq; adeo tranquillum exiſtimaſſe fertur, vt non ſæpe de bello cogitaret : ac ſi apud amicos interdum eſſet, diligentiſſime ſciſcitaretur,qui hoſtes repellēdi,ſi vrbem eam,in qua is eſſet,obſiderent:quo in loco caſtra ponenda,qua forma exercitus inſtruendus,qua parte hoſtis vitandus fuganduſvé, aut perſequendus videretur , reliqua demum omnia, quaſi bello implicatus ipſo diſquireret. Si ergo ita edoctus ſit princeps, & bellicæ diſciplinæ peritiam habebit , & quaſi paratus ſemper ad defenſionē imperii ſui erit.Sed incidunt frequenter aliqua, quæ vel prudentiſſimos duces opprimere,aut ſummum in rerum diſcrimen adducere ſolēt, vt ciuium tumultus, negligens finium,regioniſq; obſeruatio ac infirmitas,deinde militū,cōmeatuū, & pecuniæ penuria, quibus omnib.eſt longe ante prouidendum à rege ,vt ſicuti corporis valetudinem ipſa in ſanitatę curamus, ne quando morbus obrepat, ita quoq; futuræ anguſtiæ,atq; inopiæ mature conſulatur. Tumultus, ac ſeditionū ciuilium cauſam princeps præciderit , ſi pacatā remp. ſuiq; ſtudioſam ac fidā ha-

Quomodo bellicis neceſſitatibus rex prouiderit.

beat

beat (quod iis plerunq; accidit, qui hæreditate, voluntateq; ciuium regnum obtinent) hi n. niſi ſummis affecti calamitatibus principem nunquam mutant. Voluntatem vero ciuium facile ſibi conciliare poterit, conſeruato ipſorum iure, ac legibus, obſtrictiſq; eorundem animis beneuolentia, ſtudio, humanitate, beneficiis, nulla vero crudelitate, auaritia, ſeueritate, exactione tributorum, aut tyrannide exaſperatis. Deuinctis autem beneuolẽtia ciuibus, non ſolũ pacata reſp. ſemper retinebitur, ſed firma etiam ad quoſuis hoſtium impetus reprimendos exiſtet: ſiquidem omnium inter ſe concordia, & in principem amor, eoſdem robuſtos, potenteſq; facit. Vt in exigua illa Numantinorum ciuitate licet animaduertere, quæ quatuor ciuium millibus tantum inſtructiſſimos Romanorum exercitus vicit, ac fregit, nec demum à quoquam vinci, niſi à ſe ipſa potuit, incenſi cęſiſque domeſtica interneccione cunctis, ne in hoſtium manus venirent. Qua de ciuitate à Scipione Celtarum princeps quidã Tireſus nomine interrogatus, quibuſnam illa ciuitas opibus tantam Romanorum vim ſuſtinere potuiſſet, reſpondiſſe fertur concordiam ciuibus illis ſaluti fuiſſe, exitio vero diſcordiam. Stabilita igitur, & iam confirmata reſpub. ſtudio, voluntateque principis, tum eiuſdem tranquillitate & concordia, cum nihil ſibi ipſe iam domi timeat: id tantum reſtat, vt ditionis ſuæ fines diligentiſſime tueatur, præſidiis ac opibus ſuos firmet, atque in pace pecuniam ad rei bellicæ vſus ſeruet. Quod quanam etiam ratione fieri commode poſſit, deinceps videamus. Munienda eſſe regni extrema loca, & regionis fines, qui ſint vel hoſtibus, vel vicinis populis (qui plerunque inimici eſſe ſolent) coniuncti, nemo putat non pertinere ad reipubl. conſeruationem, diuturnitatemq; imperii: ergo cum oppida, aut muris, aut propugnaculis, aut ea forma munitionis, quam loci natura poſcat, muniri; tum præſidiis firmis, ac tutis firmari, neceſſe eſt. Verum autem fines duntaxat regni muniri, mediterraneis oppidis non munitis, debeant, an oppida rurſus omnia ſit melius, ęque munita eſſe, dubium exiſtit. Mihi ſane multis de cauſis longe commodiſſimũ videtur, oppida omnia non ſolum extrema, ſed etiam mediterranea, quatenus loci natura patiatur, muniri. Nã ſi, ꝙ ſępe fit, hoſtes extremum aliquod oppidum expugnarint, cũ nullũ ſit tam munitum, quin aliquando vel proditione, vel fame, peſte, & interitu præſidiariorũ militum, vel impetu etiam hoſtium capiatur: via profecto hoſtibus eſt aperta ad populanda, vaſtandaq; omnia, tum ad ipſam occupandã regionem, quod olim in Hiſpania factum legimus: cuius Calpe portu Beticæ à Mauris occupato, regioniſque aditu patefacto, vniuerſa fere prouincia tribus eſt annis ſubiugata: nęq; enim intra regni ſui fines commode à principe bellum geritur, copiis quantumuis magnis, ac firmis: tum quia graui cũ eius diſcrimine ac detrimento id fit, populata regione ac vaſtata: tũ quia timidiores, magiſq; ſoliciti ſunt ſubditorum animi, cum de ſalute cunctorum, non de victoria tantũ agatur: tum quia vno exercitu amiſſo, vt frequenter accidit, nec facile alter inſtauratur, nec ſi inſtauretur, priori par eſſe virtute, aut robore poſſit: ac tota regio facilius, fra-

De forma muniẽdi regni.

Qua regni oppida muniri, & qua ratione muniri debeant.

ctis ſemel viribus veniat in hoſtis poteſtatem: tum demum quia difficilius exercitus duo vna in regione aluntur, quam vnus, quod quamdiu intra regni fines graſſatur hoſtis, præter domeſticas copias alendus quoque illius exercitus eſt. Quînam obſecro Annibal in Italia aduerſus Romanos bellum XIII. annos protrahere, vaſtareq; vniuerſam illorum ditionem, occupata magna eius parte, potuiſſet, niſi quod eius perruptis finibus, regionem inuaſit? Quid etiam Hiſpaniam, vt paulo ante dicebam, Maurorum imperio ſubiecit, quam idem illud? Quid hodie Germaniam firmam, ſi eius nationis homines eſſent inter ſe concordes, efficit, quam quod ſingulæ fere ciuitates ſupra modum munitæ, inſtructæque rebus omnibus ad bellum neceſſariis ſint? vt quamquam hoſtis eorum fines inuadat, vbique tuti atque firmi eſſe poſſint. At munitio mediterranearum vrbium armorum, & commeatuum bellicorum, apparatuumq; copia perfidiæ, ſeditionibus tumultibuſq; multorum præbere occaſionem poteſt. Cur id rex prudens, ac iuſtus timeat, ſi eo modo, quo dixi, remp. tueatur? Cur horum, qui media in regione ſunt, magis perfidiam vitet, quam illorum, qui in finibus? cur illos item pacatiores, & obedientiores habere velit, quam hoſce? Quid, quod & Tyrannidi reprimendæ, ſi quando rex ad eam aſpiret, commodius id eſt, quam ſi ciues illius rapinæ, ac libidini pateant, & hoſtium ingruentium. Nec vero muniendæ ſunt oppida ſolum aut propugnaculis, aut muro, aut aggere ac foſſa, ſed multo etiam magis bellicis apparatibus, ac tormentis, reliquarumque rerum copia, quæ & ipſi, & vicinis oppidis ſint præſidio: id quod in Belgicis, ac Germanicis ciuitatibus cernimus: quarum pleræque tantam huiuſmodi rerum vim habent, vt inſtruendo exercitui ſuppeditare, quod ſit ſatis, poſſint. Nec etiam hic eſt timendum, ne armata ciuitate, ſeditioni locus concedatur, cum idem quoque his ipſis, quod antea, reſponderi liceat, & hæc impedimenta tum aliquo in loco publico debeant aſſeruari, vt Athenis olim Armamentarium illud ab architecto Philone extructum, & naualia publica erant, ſuntque hodie in pleriſque maritimis ciuitatibus: tum magna apud ciues armorum eſſe vis poſſit, ſi ſinguli iubeantur pro conditione, atque opibus neceſſaria arma habere, fiatque illius rei ſtatis temporibus luſtrum: vt eſt nuper Philippi iuſſu vniuerſæ in Hiſpaniæ ciuitatibus factum. Qua etiam in re illud quærendum mihi videtur, num ſodalitates iſtæ, quæ cum aliis in ciuitatibus, tum apud Belgas ſunt, Guildæ vernacula eorum lingua nominatæ (cuius ſocietatis homines certo quodam armorum genere vti & exerceri ad ciuitatis vſum, prodireque vocati debeant) ad reipub. munitionem pertineant, an non; ac ſi pertineant, commodæ, nec ne, ſint. Antiquarum quidem rerum publicarum quæcunq; recte fundatæ ac inſtitutæ fuerunt, pleræq; certos ciuium ordines atq; claſſes habuere: vt Athenienſes φυλὰς, id eſt, tribus, quarũ ſingulę tres rurſus in partes diuidebãtur, φρατρίας appellatas: Romani quoq; eandem tribuũ diſtinctionem habuere ab illis fortaſſe vna cũ legibus XII. tabularum acceptam: vtrique autem Hebræos huiuſce rei autores videntur ſecuti, quorũ populus eſt eodem modo à Moſe legiſlatore diſtinctus. Hanc porro

De apparatibus ad munitionem oppidorum neceſſariis

De ciuium ordine atq; claſſibus.

ciuium diſtributionem Plato in repub. ſua fieri,ac plerique Philoſophi voluere: quod nihil magis reipub. conſtitutioni conferat, quam ordo, & diſtinctio hæc ciuium,non tam vt ipſa commode adminiſtretur,quam vt firmior robuſtiorque exiſtat. Quorum profecto ſententia vel ea de cauſa mihi magnopere probanda videtur,quod & pleraſq; ciuitates olim ſic inſtitutas fuiſſe legamus: neque enim communitatem quid magis conſeruat, quam ordo inter ſe ciuium ac magiſtratuum,ciuium autem ordo non is eſt tantum, quo ſummæ ac mediocris, infimæque conditionis homines diſcernuntur: ſed ille potius, qui veluti claſſes quaſdā atque centurias, tribuſque ſiue parochias, vt recentiori vtār vocabulo, continet.Hic tam reddit firmam, munitamq; ciuitatem, quam forma cohortium,atque legionum exercitum: vt enim hic facile ab hoſtibus frangi, neglecta diſciplina, poteſt,ita illa expugnari,ſpoliari,capi & euerti. Nam cum nullus eſt ordo ciuium,ne magiſtratuum quidem munera ſunt aliqua inter ſe diſtincta: itaq; nec conſilium, nec deliberatio,nec ratio,formaque omnino gerendæ reip.vlla. Quo fit,vt vagantibus temere, & diſſipatis omnibus, nihil recte geratur, nec ipſa ſe tueatur reſpubl. At ſi diſtinctis ciuium muneribus, quid ſit à quoque agendum, præſcribatur,& hoſtis validiſſimus nullo negocio repelletur,& ciuitas conſeruabitur diu. Hic princeps, ſi ſtatis anni diebus exercitationes quaſdam ciuibus vtiles,minimeque contentioſas inſtituat, vt bello ſint aptiores, ſi quando iis opus ſit, vtiliſſimum erit: cum & habere ciues ſuos inſtructos, exercitatoſque ſit commodiſſimum, & ijdem robuſtiores hoc modo fiant, tollaturque multis ociandi, vagandique occaſio reipubl. pernicioſa. Sic olim Romana iuuentus in campo Martio,ſe variis modis exercebat, ſic Lacedæmonii, atque Cretenſes, ſic Perſæ itidem, Xenophonte autore, ſic demum fit in quibusdam Belgarum ciuitatibus:niſi quod id eſt in ijs reprehenſione dignum,quod ebrietati,nimium celebratis ſæpe conuiuijs, indulgetur: quod ipſum ne fieret etiam, Plato in libris de legibus publica Laconicorum atque Cretenſium conuiuia vituperauit. Verum hac de re ſatis hoc loco.Nunc illud quærendum eſt, quo pacto bello gerendo pecunia principi neceſſaria ſuppetat, ne quando egeſtate oppreſſus,vt ſæpe fit,hoſti ſuccumbat. Nōnulli ea ſunt in ſententia, vt principem vectigalia in pace collecta ſeruare diligenter cum alios in vſus, tum in bellicos velint,itaque data eum à ciuibus pecunia delectus habere militum,copias conſcribere,dimittere, retinere,diuidere,pro arbitrio denique ijs vti concedunt: alij contra illum veluti ducem copiarum ſibi commiſſarum tantummodo eſſe, nihil vero ipſum, niſi ex reipubl.ipſius iuſſu agere volunt. Superior quidem forma tyrannica eſt, & iniuſta,ſecunda vero non regni, ſed Democratiæ, aut Ariſtocratiæ propria. Quibus duabus omiſſis nūc,ſtatuatur tertia quædam alia forma, qua milites diu ſine reipub. detrimento ali, & bellum geri ſine penuria poſſit, ſupremam autem gerendi belli poteſtatem prudenti principi, & eius ducibus permittamus, cum ea res aliter geri nequeat, & cum fingamus principem, qui nihil temere,nihil ignaue,nihil contra reip. commodum faciat. Alendi quoq; militis curam partim ci-

An melius ſit, principem è ſuis fructibus militem alere, an reſp.

dem committamus, partim etiam reip. illi quidem, vt habendi delectus, militem conſcribendi, ordinandi, diſtribuendi, collocandi, ad pugnam adducendi, aut reuocandi ſummam habeat poteſtatem, huic vero, vt neceſſaria ſtipẽdia militibus, vel ex ſuorum numero miſſis, vel à principe iam delectis ſuppeditet. Neq; enim eſt æquum, regem reip. vectigalia imponere ad copias alendas, nec ex iis, quæ ipſe percipiat, fructibus illas ſolum alere, quoniam vectigalia neutra eſſe ſatis bello ſuſtinendo poſſunt, vt experimento cognoſcimus, & reſp. prius exhauſta eſt, quam ex eius commodo quicquam geratur. Gerebant Romani aduerſus nationes diuerſas bella continentia fere nonnunquam XXIII. annos, vt primum bellũ Punicum, interdum XVII. vt ſecundum, aliquando CC. vt Hiſpanienſe, quod à bello Punico ſecundo ad Auguſti Cæſaris vſque ætatem durauit: nunquã tamen illis aut iuſti, & inſtructi exercitus defuere; nec pecuniarum penuria, bellum aliquod prætermiſſum, aut milites ſtipendio priuatos fuiſſe tumultuatos legimus? At hodie nullus eſt tam potens princeps, aut opulentus, vt bellum aliquod vltra ſex octove annos proferre poſſit, nulluſq; annus eſt, in quo non ſæpe milites, denegato aut dilato ſtipendio, quærantur, aut fame & inopia opprimantur. Ex quo intelligitur, multo conſultius, atque reipub. & ipſi principi vtilius fore, ſi neceſſarii reddit us ſingulis annis ipſi ad priuatos vſus conferantur, ſtipendia vero militaria à republ. ſuppeditentur, ita enim nec tantam rerum inopiam exercitus patietur, ſingulis ciuitatibus tum militem, tum commeatus præbentibus, nec princeps tot in anguſtias, vt ſolet quotidie, redigetur. Nam ſi tam eſſet continens rex, vt ex vectigalibus annuis ne minimum quid fruſtra, inutiliterve conſumeret, ſed omnia in reipubl. neceſſarios vſus ſeruare vellet, putaretque illa ſua non eſſe, ſed ab illa quaſi commiſſa, vt ex eius commodo impenderentur, ſi omnes præfecti, aut qui curam colligendæ, ac diſtribuendæ pecuniæ haberent, tam eſſent ſancti, vt nihil ſuffurarentur, aut raperent, ſi quæ à rep. pendantur tributa, ſatis eſſent, & pacis & belli ſumptibus, paterer equidem, regem ex iis, quæ habeat, vectigalibus militem alere, ſed cum ea, quæ ipſi pendantur, partim eorum, qui exigunt, auaritia, partim rapinis vtentium, & diſtribuentium pecunias, partim eiuſdem negligentia, luxu, magnificentia, & largitione maxima ex parte conſumantur, nunquam profecto poterit tantum ſuis ciuibus vectigalium imponere, vt ſumptibus domeſticis, ſuſtinendoque bello ſufficiat, nec ea ita extorquere, vt non maxime offendatur, ac tumultuetur populus. Nec refert, vtrum ex ciuibus à ciuitatibus ſingulis ad bellum ſtipendio adiecto miſſis exercitus conſtituatur (quanquam id quidem longe ſit melius) an aſcito externo militi, & regiis in caſtris militanti per ciuitatum quæſtores ſtipendia tribuantur, modo rex curam gerendæ rei, ac diſciplinæ militaris habeat, reſpublic. vero exſoluendi neceſſaria ſtipendia militibus à rege adſcitis. Hæc vna res tanti momenti eſt, ne Romanos dicam, qui ex ciuium numero, aut ſociarum ciuitatum delectis militibus conſcribebant exercitus, vt id vnum Turcarum Imperatores hodie tantam ad potentiam euexerit. Neque enim quiſquam

De forma reip. augenda.

princeps tam facile, aut tanta commoditate tantos exercitus comparare, aut bellum tam diu ſuſtinere poſſit, quam vel eorum minimus, eam videlicet ob cauſam, quia militem iidem, ſuppeditato ab vnaquaque prouincia, aut ciuitate ſtipendio, habent. Sed improbant hæc, qui vexatis, ſpoliatiſque ciuibus, atque rege ipſo, ditari volunt, dum in colligenda, aut diſtribuenda pecunia quid ſuffurari poſſint, cum non videãt, & Principi facilius, & reip. id eſſe, quod ſupra dixi, commodius. Si enim reſp. milites ſuos alat, dato ſtipendio, & commeatu, permagno ſane Princeps labore, ac ſollicitudine liberabitur, & minus ipſa tributorum onus ſentiet, diuiſo in omnes ſtipendio, tum eos, qui egeni ſint, aut otioſi, ratione hac ſuſtentare, ne (vt Plato inquit) veluti fuci quidam bonorum opes exedant, poterit. Sed iam ad reip. amplificandæ formam pergamus, hoc enim regiæ prudentiæ poſtremum officium eſt. Augendi regni eadem plane forma eſt, quæ ipſius adminiſtrandi, & conſeruandi: quando eiſdem illud artibus conſeruatur, quibus eſt partum, & iiſdem amplificatur, quibus eſt conſeruatum. Amplificatio autem imperii vel eſt in eiuſdem opulentia, & opibus conſtituta, vel in regionis latitudine, ac dominatione, vel bonitatis atque virtutis gloria. Vera quidem imperii latitudo in ea ſita non eſt, vt magnificæ, pulchræ, ac opulentæ illius ciuitates exiſtant, vt luxu, rerum omnium abundãtia, deliciis, copia, & multitudine affluant: quales Corinthus, Carthago, Roma, Capua, Tarentum, aliæque ſimiles his olim fuere: nec in eo item, vt latitudine agrorum potentiam metiantur: quod de Sueuis C. Cæſar ſcribit: nec vt dominatione iniuſta, & potentia ſumma rex potiatur, qualis in Alexandro, ac Romanis fuit, ſed in iuſtitiæ gloria, & præſtantia, commodius eſt enim, anguſtum regnum, modo bene adminiſtratum, ac iuſtum obtinere, quam amplum, ſuperbum, & iniuſtum. Nam præter id, quod rationi maxime id congruit, facilius item, vt Plato putat, retinetur hoc moderatum imperium, quam amplum illud, quod magnitudine ſua, vt ſumma omnia paulatim dilabuntur, corruat, ac diſſipetur. Romanum imperium non ante declinare cœpit, quam eſt ad ſummum potentię culmen euectum, idem de Macedonico, Perſico, Carthaginenſi, cæterorumque imperioſorum populorum iudicare licet. Vnde intelligitur, mediocritatem illam, vt cæteris etiam in rebus, imperii quoque magnitudini eſſe præferendam, & augeri potius virtutis, iuſtitiæque nomine ipſum eſſe commodius. Sed tamen quia frequentes acceſſiones potentiæ, & regnorum diuerſas fieri cernimus, quæ iuſta ſit regni acceſſio, aut quæ contra, doceamus. Imperia plerunque augentur, vel regum coniugiis, vel hæreditate, deditioneque populorum voluntaria, vel vi denique adhibita: coniugio, vt cum ducta vxore, princeps imperio ſuo aliud regnum adiungit, vt Perſico Babylonicum data in vxorem Cyro Cyaraxis filia coniunctum eſt: hęreditate, vt cum quis vel propinquitatis, vel amicitiæ cauſa in aliud regnum à paterno diuerſum aſciſcitur: vt Attali regis hæres eſt factus populus Romanus: deditione voluntaria, vt cum populus aliquis regis potentioris imperio ſe ſubiicit, quod commodius ac tutius ſub illo ſe poſſe viuere ſperet, id quod eſt noſtra memoria à Senenſi po-

De forma reip. augendæ.

Iuſta amplificandi regni cauſa, & iniuſta.

pulo factum, vi denique, vt cum dominandi ſtudio, princeps vnus alterius ditionem occupat, regnoque ſuo adiicit, vel cum repellendæ communis iniuriæ cauſa quis vincitur, atque in officio vt contineatur, eiuſdem conſeruato regno ſubiicitur. Superiores tres cauſæ, & extrema iuſtæ ſunt, quarta iniuſta. Nam quod iure dotis, aut cognationis, aut hæreditatis, aut voluntariæ deditionis alicui adiicitur, nemo non iuſte obtineri fateatur: cum eodem plane modo hæc accipiantur, quo hæreditas quæuis paterna. Subiicere quoque poteſtati ſuæ regem, aut populum eum, à quo reſpublica vniuerſa ſæpe læſa, perturbata, & in ſummum adducta diſcrimen ſit, licere aliquando videtur, relicta tamen ei poteſtate priori, niſi quod aut tributum cogatur pendere, aut lædendi opportunitas ei adimatur: veluti bella ab Hebræorum populo aduerſus finitimas gentes, à quibus infeſtabantur, quotidie geſta, vt iuſta erant, ſic quidquid ab iis caperetur, iure occupatum, ac reges finitimi eorum imperio iuſte ſubiecti fuiſſe cenſendi ſunt, quando nec aliter ſtare poterat ipſorum regnum, & ii aut ſubiugandi erant, aut hiſce parendum illorum poteſtati. Ergo ſpe augendi imperii nunquam alicui bellum inferetur, ſed ſi ab vno aliquo ſemper inferatur, nec alia ratione pax vniuerſæ reipublicæ, niſi fractis illius viribus, conſeruari poſſit: licebit iure, aut illum comprimere, non regno ſpoliare, aut vectigal imponere, aut euerſis ipſius ditionis locis munitis, ſublatiſve armis, aut alia demum ratione cohibere, & continere in officio. Id à Dauide Hebræorum Rege iuſtiſſimo factum legimus, qui ſuſcepto contra Ammonitas bello, propter legatos violatos non ſolum ipſos, eorumque ſocios Syros vicit, ac fregit, ſed etiam vectigales imperio ſuo fecit, vt Moabitas etiam & Palæſtinos, ac Damaſcenos: Ex quo ſequitur poſſe aliquando imperium, atque potentiam regis vi iuſte propagari. Reſtat hoc loco ratio tuendi eius regni, quod vel hæreditate, vel coniugio aut deditione, aut vi recens partum ſit, explicanda: ne antiqua ſolum tueri, noua vero negligere, turpe ſit. Conſeruari noua regna poſſunt, ſi eadem illa prudentia Rex, quam eidem tribuimus, cogitet æquitate eſſe, & iuſtitia retinenda imperia, non armis ſolum, aut ſeueritate: quãquam vel hac quoque ſuo loco eſt vtendum. Nam vel eiuſdem prouinciæ, linguæq; ac morum homines ſunt noui illi cum veteris patriiq; regni hominibus, aut diuerſi: ſi iidem ſint, facile, conſeruatis eorum legibus, atque reip. ratione in officio contineri poterunt: vt in Aragonenſium regno apparet, quod Caſtellano adiectum coniugii iure ab eodem Rege cõmode retinetur, quod eadem natio ſit, eadem lingua, mores iidem, ac ingenia: ſi autem moribus, lingua, ingeniis differant, tanto maiori eſt cautione opus, quanto diſiunctiores populi ſint. Ergo in ea ſit regione Princeps plerunque, ne ſeditioni locus præbeatur, cum ipſe autoritate ſua cunctos tenere, ac ſibi paulatim conciliare poſſit, quod à Conſtantino Magno factum eodem fere conſilio videtur tranſlata imperii ſede Conſtantinopolim: neve, ſi abſit, rapinis, inſolentia, iniuria, & licentia præfectorum, aut præſidiariorum militũ nihil tunc nõ audentiũ offendi, alienariq; hominum eorum animos patiatur: deducet item colonias ciuium ſuorũ in eam prouinciam,

De forma tuẽdi noui regni.

vt h

vt hi tum cognatione noua, tum charitate patriæ, non modo præſidio ſint regno, ſed etiam reliquos in fide ſemper retineát: quod eſt quoq; à noſtris in nouo illo terrarum orbe factum, deductis ex Hiſpania permultis coloniis, & à Romanis in Ægypto, Gallia, Hiſpania, ac multis aliis prouinciis: minuatur præterea, ſi iuſtæ intercedant cauſæ, potétia eorum, qui vel ſuſpecti ſint, vel communi tranquillitati aduerſentur: poſtremo bella omnia longe extra fines imperii amoueátur, ne recens pacati animi hoſtili tumultu, & armis perturbati, res nouas de priſtino ſtatu cogitantes moliantur, aut tanquam minus fidi maiorem perfidiæ occaſionem præbeant: quæ huiuſmodi in hominibus eſſe ſolet frequentior, quam in iis, qui vnum perpetuo agnouerint Principem. Quis in Hiſpania, Gallia, aut prouinciis iis, quæ ſuum principem ament, ciues in hoſtium irruptione ab illo deficere vnquã vidit? at in hoc nouo orbe, vel domito, & culto à noſtris frequétes defectiones, tumultuſq; illam ob cauſam exoriuntur: vt magno argumento eſſe debeat, ægre latiſſima imperia conſeruari totamq; amplificandi regni rationem in eo ſitam eſſe, vt prudenter cauteq; retineatur. Veruntamé copioſe ſatis, vt videtur, Regiæ prudentiæ partes oratio eſt noſtra perſecuta. Reliquum eſt, vt iam ad iuſtitiæ officia regem decentia progrediamur, quando & hæc res generatim proponi ſolum non vult. Iuſtitia eſt autem virtus, quę communis vtilitatis ratione ſpectata, vnicuiq; quod eius eſt, reddit. Huius diuerſæ ſunt partes, quas rationis reddendi cuiq; ſuũ varietas facit diuerſas: aut enim eadem eſt communis, aut ſpecialis: communis pręterea aut legitima eſt, quod in legum obſeruatione conſiſtat, aut æquitas, cum hæc ad illarum obſeruationem veluti moderatio quædam apta adhibetur: ſpecialis item eſt aut diſtributrix, quod ſuum vnicuiq; adhibeat, nihil ipſa iniuſte cupiens, aut commutatrix, quæ reddat ſuum etiam aliis permutatione tamé officiorum facta. Ad illam porro hæ referuntur virtutes, religio erga Deum, pietas in parentes, ac propinquos, obedientia in maiores, ac digniores, fides in negotiis, agendiſq; rebus, vindicatio iniuriarũ. Ad hanc vero non ſolum obſeruatio contractuum omnium, qui lege ſint conſtituti, ſed etiam gratitudo, liberalitas, magnificentia, amicitia. Propoſito hoc modo iuſtitiæ in vniuerſum genere ac partibus tam propriis, quam adiunctis, earundem ſecuti ordinem, ſingula regis officia illis accommodata deinceps tradamus. Legum obſeruationem ad Regem pertinere, ſicuti ad reliquos item ciues, dubium non eſt: cum ſi ex lege viuere, eſt ſecundum rationem virtutemq; viuere, & hoc ipſum Regi congruit, quod iam à principio docere inſtituimus, idem nõ ſequi legem non debeat, cum eadem neglecta, & rationis iudicium, & virtus deſeratur. Neq; enim aliud eſt lex, quam recta ratio præſcribens, quę agenda ex virtute ſint, prohibenſq; contraria: & hoc ipſum, quod virtus conſiliis, monitiſq; docet, lex iubendo, ac vetando, vi adhibita, ſtatuit. Sed hac de re nemo dubitat: quoniam nullus eſt tam à ſenſu abhorrens, quin legem viuendi, aliquã putet à Rege ſeruãdam eſſe, illud multo magis in dubio eſt, quinam Rex legẽ ſeruare debeat, nunquid vt ea ſit ipſe ſuperior, an vt inferior, eiq; ſubiectus? Iuris quidẽ conſulti legi ſubiectũ principem negãt,

De iuſtitia Regia.

Leges à Rege quoq; eſſe obſeruandas.

quod

An rex ſit ſupra leges necne.

quod eius arbitrio,autoritateque leges ferantur: cum tamen ſecundum leges viuere volunt: id quod à Theodoſio, ac Valentiniano Cæſaribus eſt decreto ſancitum, in quo nobiſcum pariter ſentiunt, virtutem à Rege colendam, in cuius cultu ſit legis quoque obſeruatio poſita. In rebus autem bellicis,quæ multorum imperio adminiſtrantur, leges Principe, ac magiſtratu omni ſuperiores habentur, quod ex earum præſcripto viuatur, non alicuius arbitrio, aut ſententia: id enim diſcriminis eſt inter regnum, ac rempublicam, quod illud vnius conſilio tanquam lege,hæc legum ipſarum imperio regatur. Sed nos quamquam vera eſſe hæc duo arbitremur,quam habeant ipſa ſententiam, videamus.Seruari à Principe leges debere, conſtat iam æque apud omnes,eſſe vero ipſum,tum lege ſuperiorem,tum inferiorem, ſic eſt intelligendum, vt eo, quod leges ferat, ſanciat,& autoritate ſua firmet, eiſdem ſuperior dicatur, tanquam earum autor, & vindex: eo tamen,quod ex earundem præſcripto viuat,ſubiectus ſit,atq; inferior: quandoquidem eas veluti normam, & regulam vitæ habeat. Neque enim ſi iuſtus,ac ſapiens ſit,aliter viuet, quã ipſa iuſtitiæ ratio præſcribat: nec quod autoritate ſua illã tueatur,immunis,& expers eius erit:ne & ſibi,& supremę rationi,ſeu legi,cui non modo ratio noſtra, ſed Principes etiã omnes, legeſq; ſubiiciũtur, repugnet. Itaq; fons legũ,& ratio ſuprema,ex qua leges ſingulę deriuãtur,&ad q̃ reducunt, ſuperior Rege eſt,quæ veluti norma viuẽdi,ferendarumq; legũ,propoſita eſt nõ ab ipſo ſibi, ſed à Deo: ſingulæ tamen leges, vel hac, vel illa de re latæ inferiores Principe ſunt, tum quia ab ipſo feruntur, & confirmantur, mutãturve pro tempore,aut rerum occaſione, & varietate, tum quia eiuſdem cui eſt reipublicæ data facultas omnis voluntas lex dicitur, quatenus ea ſupremæ illi rationi, quam ipſe ſequi, & à cunctis ſeruari vult, congruit: fecit autem idem leges populo congruentes, ac iuſtas perſpecta ſemper communi lege, eiuſque habita in omnibus ratione. Qua quidem in re tum conſilio ipſe ſuo,ac prudentia cuncta perſpiciet, tum virorum prudentum,atque doctorum iudicio vtetur, ne aliqua ex parte iuſtitiæ officiũ deſeratur.Sed hanc nos diſputationem Iuriſconſultis relinquamus, ne ad ſingula quæque,& exilia deſcendatur, cum generatim inſtituendus iuſtitia Princeps à nobis ſuſcipiatur. Tranſeamus autem ad æquitatis officia, quæ Regis maxime propria ſunt. Æquitas eſt moderatio quædam legis, ſeu explicatio rei, quæ cum lege ſcripta non contineatur,ſpectata tamen ſuprẹmæ legis ratione intelligi,ac definiri poſſit. Cum enim omnia lege, vt eſt rerum varietas ſumma,deſcribi nequeant, multaque occurrant negotia, quæ niſi ad communem illam rationem legum omnium,relata non poſſint definiri commode: id æquitas efficit, vt prętermittatur quandoque illud,quod lege ſcripta ſit conſtitutum,ac retineatur,quod ratio communis præſcribit.Sed hoc nequaquam in omnibus fiet,præterquam in iis,quę cum lege ſtatuta videantur,rationi tamen repugnent (in quo adhibita ad rei explicationem æquitate,lex illuſtratur) nec à quouis etiam, niſi à iudice, aut principe, aut eo demum, cui huiuſce rei data poteſtas ſit à republica, qui vt legum ferendarum autor eſſe poſſit, ita quoque earundem interpretan-

De æquitate Regis.

darum

darum & adhibendarum ad ſingulos vitæ actus rationem definiat. Ergo vt Rex ſummam legum ferendarum autoritatem habet, ſic etiam æquitatis rationem, quemadmodum vel Conſtantini Cæſaris eſt decreto ſtatutum: ab eoque & Iudices, & Magiſtratus, & reliqui omnes eandem accipiunt facultatem quaſi mutuo ſibi conceſſam. Nam vt quiſq; maiorem initii primi notitiã habet, ita cauſas eorũ omnes, quæ ex illo ducãtur, facilius cernit: Princeps autẽ, q̃ ſapiẽs, q iuſtus, q prudẽs, q vno demũ virtutis nomine toti reip. pręficitur, tanto maiorẽ reliquis omnibus definiendæ æquitatis facultatem habet, quanto ſupremæ rationis doctior putatur: quæ quidem ratio vt legum origo eſt, ita Rex vnus ex omnibus imperans eius imaginem gerit quodammodo. Sed quærat hic forte aliquis, nunquid Rex, cum reipublicæ ſummam legem, atque æquitatis rationem teneat, errare aliquando poſſit: aut num eius error, vitiumque pro lege ſit habendum. Huic obiectioni vel longe ante nos in republica ſua Plato ex Thraſymachi ſententia propoſitæ, licet obſcure, videtur id reſpondere, quod Iuriſconſulti pariter ſentiunt Principem, quatenus Principem, falli non poſſe, iniuſteve quid agere, eo quod is prudens, iuſtus, ac ſapiens fingatur, nec ſi ſit talis, errare ſit putandus. Hanc ille ſententiam à Thraſymacho ſibi obiectam admittit, quamuis inexplicatam relinquat. Nos autem hac diſtinctione commode vſuri videmur, ſi qua in re Principi obtemperandum ſit, aut qua contra repugnandum, dicatur. Hominibus à natura ſunt ſemina quædam iuſtitiæ inſita, quæ vel indoctus quiſque per ſe facile noſcat: vt bonum eſſe ſequendum, malum fugiendum, nullum lædendum, aliaque id generis multa, deductas ex iis ſententias tanquam concluſiones, niſi ſapiens, doctuſque nemo intelligit: ergo ſi quæ initiis illis, atque notionibus manifeſto aduerſentur, ita vt à quouis noſci continuo repugnatio poſſit, pugnandum ſane cum principis lege & voluntate eſt, quando id alia præſtantior lex, quam ſequi debeat, ipſe prohibeat: in illis autem, quæ indifferentia ſunt, aut quæ ſi aduerſentur ſupremæ legi, ſit repugnatio obſcura, partim obtemperandum principi eſt, partim repugnandum: obtemperandum quidem in illis quando interpoſita illius autoritate pro lege habenda ſint, repugnandum vero in his, ſi docti, ſapienteſque cuncti latere in eo iniuſtitiam arbitrentur. Exempli gratia: Traiani, ac reliquorum eius ætatis Imperatorum edicta in Chriſtianos edebantur, ne quis eam profiteretur religionem: quiuis vel ex infima plebe ſeſe huic legi opponere, quamquam diuino præcepto cuncti Principibus obtemperare iubeantur, iuſtiſſime poterat, quod lex ea tyrannica, & ſupremæ legi, quæ Deum colendum præcipiat, quæq; à cunctis ſine exceptione ſeruanda ſit, aduerſetur, nec quod quis afficeretur ſupplicio, aut iuſte damnabatur, aut principis lex iuſta erat: cum illud ipſum ſupplicium indignum, lex iniuſtiſſima eſſet. Ergo huiuſmodi legi, arbitriove principis repugnare cuiuis licebit, ac niſi id fecerit, eſt iniuſtus, atque impius cenſendus. In iis porro, quæ viri ſapientes reipublicæ incommoda, & primę legi contraria eſſe videant, tametſi reliquis hæc repugnatio obſcura ſit, licebit quoque non vni, aut alteri, ſed vniuerſæ reipublicæ tamquam

Num rex quatenus rex prauus eſſe poſſit, & iniquus.

Quatenus regum imperio parere debeat.

communi conſenſu ſapientum ſententiam approbanti, Principis autoritate ſe opponere: vt eſt à ſenatu Romano aduerſus Agrarias leges ſæpenumero factum, vt ab Hebræorũ populo aduerſus Hieroboamum Regem iniuſtum, ac iniquum, vt noſtra demum ætate à Danis, atq; Noruegis contra Chriſtiernum eorum Regem: In illis demum, quæ indifferentia ſint (nam de iuſtis nemo eſt, qui dubitat,) quia ipſa ex conſtitutione iuſta fiunt, ſemper eſt religioſe parendum Regibus, dum vel leges condant, vel mutent, vel interpretentur, vel tollant. Ac de communis iuſtitiæ officiis hæc ſatis. Iuſtitia porro ſpecialis, quæ ad priuata nonnulla vitæ officia pertinet, duas cum habeat formas, diſtributricem vnam, alteram commutatricem, quarum illa in diſtribuendo cuique ſuo, hæc in permutatione parium officiorum verſatur. Diſtributrix quidem Principis maxime propria eſt. quoniam is vniuerſæ reipublicæ gerit perſonam, à qua & dignitas ſingulorum, & merita perpendenda, & honore, aut dignitate aut præmiis ornanda ſunt. Vt enim in republica bonos ciues à malis dignoſci, neceſſe eſt, atque illis præmia, his pœnas tribui, vt ſuum cuique reddatur, ſic etiam à Principe, cui ſe totam eandem tradit reſpublica, id eſt præcipue curandum. Cum hæc igitur illum iuſtitiæ pars deceat, eiuſdem officium erit, tum ciuium ſuorum probitatem, aut vitia noſſe, tum conuenientia iis præmia, aut ſupplicia tribuere. Quo autem id modo noſſe poſſit, ſupra in officiis prudentiæ explicatum eſt: diligenter enim Rex de ſuorum ciuium probitate, vitiiſque inquiret per eos, quos apud ſe habeat, vt vel per eoſdem, vel ipſemet diſtribuere vnicuique, quod ſit æquum, poſſit. Quæ vero diſtribuenda ſunt, ea vel ad regni totius adminiſtrationem pertinent, vel ad ciuium ſingulorum facta: eaque rurſus, vel bona ſunt, vel mala: ad reipublicæ totius adminiſtrationem pertinet magiſtratuum, ac munerum publicorum commoda diſtributio, ad ſingulorum autem facta, præmia aut ſupplicia. Quæ omnia, vt à nobis melius tradantur, ſigillatim ſunt explicanda. Prima igitur Regis cura in aſſignando cuiq; pro conditione, aut virtute munere verſetur: quando hæc potiſſima eſt pars prudentiæ & reſpublica nequit aliter conſeruari, niſi & à Principe bono, & à bonis magiſtratibus regatur. Vt autem probum reipublicæ quemque adhibeat, non ſolum qui viri prudentes in regno ſuo ſint, quod antea docebamus, inquirere debet; ſed antequam illis munera aſſignet, & poſtquam aſſignarit, eadem prudentia vſus videbit, quo pacto, & quando reipublicæ præficiantur ii, ab eave remoueantur: itaque, quoniam iniquum eſt, communi ciuium ſaluti priuatam commoditatem anteponi: nec præmii cauſa cuiquam magiſtratum tribuet, nec munera publica, & dignitates diuendet, aut elocabit. Nam etſi magiſtratus coniunctum cum labore honorem habeant, quem & expetunt cuncti, & probatis, ac bene meritis tribui nonnunquam oportet: quia tamen in eo potiſſimum curæ, & functionis habenda eſt ratio, prudentia potius & aptitudo ad id muneris ſpectanda erit in eo, qui eligatur, quam facta, aut merita, aut Regis in eum gratitudo, ac beneuolentia. Quo nomine nullus reip. præficiatur vnquam, etſi chariſſimus Principi ſit, & ſi multa præclare in bello aut pace geſſerit

Quo pacto diſtributrix iuſtitia ad Regem pertineat.

Quibus hominibus & quas ob cauſas vel dignitates, vel magiſtratus Rex tribuat.

rit

rit, niſi ei muneri, cui præficitur, aptus habeatur. Hinc enim tota reip. peſtis oritur, quod dum illorum honori, & cupiditati, qui ad magiſtratus euehuntur, conſulitur rapinis, ambitioni, inſolentiæ, & audaciæ, tyrannidiq; locus conceditur, nec reſp. bene vnquam adminiſtratur, dum ſuam quærit quiſq; vtilitatem, cuius à Principe ratio habita eſt, in aſſignando ei munere, non publicam, cui eſt à vero magiſtratu ſtudendum. Illud porro quam eſt exitiale, ac reip. euertendæ accommodatum, quod munera publica vel extorquendæ pecuniæ cauſæ diuenduntur, vel precio tanquam ager aut fundus aliquis elocantur. Si enim, vt ſupra docuimus, id ipſam euertit remp. quod à prauis, ineptiſq; hominibus adminiſtretur, nec alius fere quiſquam munera emat, conducatve, niſi vt rem faciat, aut gloria hac dignitatis adeptæ ſuperbiat, ac dominetur: quis non execretur Principem eum tanquam tyrannum, ac exitioſum imperio ſuo, qui cupiditati turpiſſimæ ſtudium regendæ reip. & conſeruandę poſtponat? Prudenter Iugurtha Rex Numidarum, cum Romam ſtabiliendi regni, quod flagitioſe à fratribus vſurparat, cauſa veniens, ac Senatorum pleroſq; pecunia corruptos, ad ſuam ſententiam protrahens, auaritiam vrbis cognoſceret, ô vrbem, dixiſſe fertur, venalem, ac breui perituram, ſi inueniat emptorem. Hoc idem de regno illo, in quo precio magiſtratus cuiq; concedantur, dici commode poteſt, cum non iuſtitiæ, aut prudentiæ, ſed diuitiarum nomine indigni, ad remp. adhibeantur, qui eam vexent, ſpolient, affligant, corrumpant, ac vna demum cum rege ipſo perdant. Quamobrem Alexander Seuerus Imperator magnopere laudandus eſt, quod nihil magis aut execraretur, aut grauiori ſupplicio vindicaret, quam ſi vel infimus aliquis magiſtratus, munuſve publicum venderetur. Si enim, aiebat, publica munera vendi permittam, quando & functionem eorum pretio fieri patior, neceſſe eſt, quidquid peccetur ab emptore, feram, cum ei tanquam pecuniæ ſuæ domino liceat pro arbitrio ſuo quiduis agere. Quod quam reip. pernicioſum eſſet, prudenter vir optimus præuidebat, eoq; diligentius huius criminis reos inueſtigari, & puniri grauiter imperabat. Non ſolum ergo à Principe fugienda eſt nefaria hæc pecuniæ cupiditas, ſed nec in minoribus magiſtratibus permittenda, ne hi etiam vendere, aut locare munera ſua permittantur: ſi enim ipſis liceat, non minus detrimenti capiet reſp. quam ſi ſummi quoq; illi magiſtratus eodem modo dentur. Quare grauiſſima in eos eſt pœna legibus conſtituenda, qui vel gratia, vel amicitia, vel precio magiſtratum alicui conferant, & ſumma, ne conferantur, cura adhibenda, propoſito etiam accuſatoribus, & delatoribus præmio. Nec illud item Rex vnquam permittet, quod in Tiberio Cæſare maxime à cunctis reprehenſum eſt, vt magiſtratus vllus perpetuus ſit, quin vel certo tempore illi ſuccedatur, vel eo exacto, ab integris, atq; probatis viris diligētiſſime inquiratur, nunquid negligenter, auare, flagitioſe, turpiter aut inique factum ſit quicquam. Nam ſi quid huiuſmodi forte deprehendatur, non ſolum magiſtratu quiuis iure priuabitur, ſed punietur etiā grauiſſime. Quid enim magis tyrannicum eſt, quā vnum perpetuo magiſtratu fungētem libere dominari, cum ſciat nullam à ſe factorum

Dignitates nec vendi, nec elocari, nec gratia præmiove dari oportere.

Magiſtratus non debere eſſe perpetuos.

rationem vnquam repoſcendam? quid pernicioſius reip. quam vnum quaſi iugum ceruicibus ſuis habere impoſitum, quod niſi ſeditione, aut defectione aliqua, nequeat excutere? Quam multas Romæ à populo factas ſæpe turbas legimus? quantos motus, in aliis ciuitatibus, ac prouinciis exortos, quot defectiones ciuium, quot perfidię exempla, ac mutationes rerum publicarum? Declarant id Romanorum leges de repetundis, ac prouocationibus, tum definita ſingulis magiſtratibus tempora, quæ niſi raro admodum, nulli prorogabãtur, tum Cenſorum munus, & in notando quocunque libertas. Quæ omnia nequaquam eſſent iis conſtituta, niſi graui, & perículoſo malo admoniti cognouiſſent, quam eſſet pernicioſum perpetuos eſſe magiſtratus, nec illos definiri certo aliquo tempore, in quo ſuccederetur, & ratio ab eo, qui ſuo eſſet defunctus munere, repoſceretur. Id ipſum ratione quoque doceri poteſt, quoniam ſi boni ad reipublicæ munera ſunt adhibendi, permagna reliquis fieret iniuria, ſi vnus ſemper eodem magiſtratu fungeretur, præſertim cum ſi honeſtus, ac integer is ſit, qui munus ſuum obierit, malit ab eo labore liberari: ſi vero nolit, auarus & ambitioſus ſit iudicandus potius, quam vtilitatis publicæ ſtudioſus. Præterea ſi honoris cauſa cuiquam magiſtratus confertur, honorque probis omnibus debetur, viciſſitudo ſane honorum commodior eſt, quod ii ad plures perueniant. Deinde nemo tam ſancte magiſtratu aliquo fungitur, vt ſi fore ſibi perpetuam poteſtatem intelligat, nihil ſtudio, maleuolentia, cupiditate, auaritiave faciat: cum tamen plerique, vel affinitate, vel amicitia, vel ſtudio aliis coniuncti, aliis male velle, aut inuidere ſoleant, proindeque iuris æqualitatem non teneant. Sed hæc perſpicua ſunt nullique ignorata, quamobrem nec vllo egent exemplo. Eſt & id adhuc quærendum, quod in humanæ vitæ negotiis plerunque accidit, num magiſtratus conferri indigenis debeant, an alienigenis. Vtrinque permulta argumenta vrgent, quibus probari alterutrum poſſit: ſed hac diſtinctione, vt mihi videtur, adhibita, veritas elucebit. Magiſtratus omnis aut ciuitati vni præeſt, aut regno, ac prouinciæ vniuerſæ: regnumq; ipſum aut moribus hominum, & ingenio plane diſſentit à reliquis, aut nullo modo. Si vniuerſæ ciuitati, commodius profecto eſt, ad magiſtratum alienigenam adhiberi, ne ſi ex eadem ſit, ad ſuam, & propinquorum, amicorumque vtilitatem, omnia conuertat, odioque, aut beneuolentia, aut ſtudio, aut æmulatione gerat rempublicam, quam quam ſit ei pernitioſum, nemo non videt: ſi autem prouinciæ cum alia quadam moribus, & ingeniis hominum congruenti, vtilius erit etiam, ex illa ſimili magiſtratus aſciri, quam ex eadem: propterea quod hic quoq; eaſdem ob cauſas nihil iuſte, aut recte aget, dum propriæ commoditati ſtudeat: tum variæ contentiones, odia, diſſidia, & æmulationes inter eiuſdem prouinciæ magnates erunt de principatu contendentium, vter alteri præferatur in eo magiſtratu gerendo: præterea ambitioni multorum eundem honorem ambientium, petentiumq; ſæpe à Rege, quod eſt vituperandum, aditus patet: ſi demum diuerſa prouincia ſit, tutius quidem atque commodius erit, ex ea, quæ fida, & chara principi habeatur, viros eligi, ipſi tamen re-

Qui magiſtratus indigenis, & qui alienigenis ſint conferendi.

gioni vtilius, aliquem ex indigenis creari. Quapropter ſi princeps de fide illius prouinciæ dubitet, externum, ſi certus ſit, indigenam poterit præficere: fides autem ex ciuium amore, conſtantiaque in officio, cum in reliquis omnibus, tum in difficultate bellorum, aut ſeditionum noſcetur. Romani diuerſas ac remotiſſimas regiones cum obtinerent, tamen iis proconſules, aut Prætores è ciuiũ Romanorum numero pręficiebant, quoniam armis plęraſque occuparant: nos autem, quia more, voluntateque ciuium teneri imperia volumus, niſi certi de ipſorum perfidia ſimus, nullam iis prorſus offenſionis anſam prębebimus, quod vel eoſdem contemni, vel arroganter, atque ſuperbe reges dominari, vel iis nolle fidere patiamur, itaque vt ſocios Romani ſuos amicitia, ac fœdere ſibi coniunctos habebant, nec iis iura, aut magiſtratus dabant, ſic noſter itidem princeps diuerſa regna tueri & conſeruare poteſt. His ita explicatis, ſequitur, vt officia diſtributricis iuſtitiæ ad hominum facta pertinentis, id eſt, ad præmiorum, & ſuppliciorũ rationem tradendam progrediar. Quoniam enim facta etiam ciuium priuatorũ à principe dignoſcenda ſunt, ne magiſtratuum curæ omnia relinquat, tribuetq; is aliis pro recte factis præmia, aliis pro delictorum ratione ſupplicia: tũ hoc lege ſtatuet, tum magiſtratuum arbitrio cõmittet, tum ipſe adminiſtrabit per ſeſe. Legibus quidem & pœnæ, & ſupplicia ſingulis hominum factis ſtatuta erunt, quemadmodum omnes docent Philoſophi, ne opus ſit amplius eadem ſæpe à principe adminiſtrari, niſi tam negligenter à magiſtratu curentur, vt ei rurſus commiſſam adminiſtrationem repetere opus ſit. Arbitrio præterea iudicum inferiorum illa cõmittet, quæ ab ipſo, niſi ægre propter eorũ multitudinẽ, varietatemque geri nequeant. Si en m æquos, p. oboſque muneri cuique vi os p æficiat, facile qu dem id, quod cupiat, conſequetur. Geret autem pe ſe ipſe ea, quæ propter magnitudinem, ac varietatem à nullo commodius, quam à ſe geri poſſint. Vt ſi flagitium aliquod atrox, & inuſitatum perfidiæ, ſeditionis, impietat s, tumultus, aut huius generis al ud, quod vindicari opo teat, acciderit: aut ſi p æclare aliquid geſtum honore, aut præmio velit afficere. Cuius generis ſunt priuilegia qu buſdam conceſſa, mmunitates, nob litatis iura, honorum, & dignitatum tituli, ac cætera, quibus ornari pro recte factis homines ſolent. Hæc vero qua ſint ratione, quibuſve tribuenda, deinceps ſuo loco dicetur. Nunc reliqua diſtribut ici iuſtitiæ annexa officia per ſequamur. Quorum è numero primum eſt relig onis erga Deum: ſecũdum pietat s in parentes ac p opinquos, adeoque in remp. ipſam, quam ſibi quiſq; habebit chariſſimam: tert um obſe uantiæ in bonos, g aues, prudentes, & dignitate præſtantes viros; quartum fidei, ſeu veritat s in dictis, & factis, vltimum vindicationis. Ac eligio ſane, qua de initio etiam dixi, non ſolum à ege ſe cum ipſo eſt colenda, ſed legibus item firmanda, & tuenda inter ciues. Sublata enim ea ex ciuitate, tota etiam reſpub. pereat, neceſſe eſt: cum omnibus vitiis, ſceleribuſque detur licentia. Vnde vel ea de cauſa religionem reipublic. Varro putabat perneceſſariam eſſe, vt de illo refert Auguſtinus, quod populus metu Deorũ iniecto legib. & magiſtratui citius pareat. Quo-

De præmiis pœnisve à rege eiuſq; tribuendis pro factis.

Quatenus legis conſeruatio ad regem pertineat.

Quomodo à rege in rep. ſtabiliẽda religio.

circa tria Deorum genera à Scæuola Pontifice conſtituta dicuntur. Vnum à Poetis fictum, & nugatorium, alterum Philoſophorum, tertium Ciuile, quod à ciuitatum princip. eſſet ad ciues religionis metu cohibendos inductum. Conſtituta igitur legibus religione, ac firmata imperio, tantum à principe curæ in ea tuenda adhibebitur, vt ne occaſionem quidem illius prætermittendæ, aut negligendę permittat, aut impios homines impunitos per negligentiam relinquat. Exemplo ſunt Athenienſium iudicia in Diagoram & Protagoram impios Philoſophos, tum Romanorum XII. tabulæ, Theodoſii quoq; Cæſaris in euertendis Ethnicorum ſimulachris, & extirpanda eorundem ſuperſtitione, reliquorum demum regum edicta, ſuppliciaque multis de hominibus impietatis cauſa ſumpta. Sed alia ratione princeps in homines impios, alia Pontifices animaduertent, aut religiones procurabunt. Nam ille tranquillitati reip. tantum ſtudebit (quam religionum diuerſitas valde perturbat) hi religiones ſic tuebuntur, vt vniuerſos eadem inſtituant velut doctores. Qua etiam in re boni erit principis munus, vt iuſti, ſancti, integri, docti, prudentes, ſtudioſique ciuium pietatis Pontifices eligantur: non ambitioſi, auarique homines, ſola, vt fit hodie, doctrinæ, ſanctitatiſque ſimulatione, & nomine falſo inſtructi: qui ſui prorſus obliti muneris, de colligendis cẽſibus potius, quam de honeſta & ſimplici vitæ ratione (qualis priſcis temporibus fuit) ſolliciti nec ſuos bene, pureq; inſtituant, & prauo eoſdem ſuperbiæ, auaritiæ, atq; ambitionis exemplo inficiant.

Pietas regis in parentes & propinquos.

Iam vero in parentes, atq; propinquos, totãq; remp. pietatẽ ſic princeps colet, vt reliquis omnib. tãto in hac parte magis excellat, quanto maioris eſſe virtutis exemplo cunctis debet. Nec n. dominandi libidine quenquam eorũ, qui iure naturæ colendi ſunt, violabit, nec ſolus, vt rerũ potiatur, iis animo iniquo inuidebit. Nã illud Perſarũ, aut principum aliorũ parentes, cognatos propinquoſq; imperij cupiditate ſæpe cædentium (quod de Pharnace Mithridatis filio, Iugurtha, Romulo, Philippo, Neroneque legimus) non modo impium eſt & crudele, ſed etiam plane barbarum, & immane. Nec illud etiam Sanctii Caſtellæ regis, in patrem Alfonſum è regno pulſum reprehenſione ſumma carere poteſt, cũ nullum pietas magis, quam regem deceat, cuius & vita, & poteſtas ſola ciuium in eum pietate continetur. Hinc fit, vt nec regno iuſtos hæredes pellere prætextu propinquitatis aliquo, nec mortem parentibus hæreditatis ſpe optare, nec fratrum, aut propinquorum ditioni quicq̃ adimere principem deceat, niſi quis eſſe tyrãnus, & cuncta libidine dominandi, ſine delectu miſcere ac perturbare velit.

Quibus obtẽperare rex debeat.

Obedientiam porro in maiores natu, viros prudentes, ac doctos, graues, & autoritate excellentes, pios, & religioſos non minus idem ſeruabit, quam in eũ populus ei ſubditus. Si enim nullum obſeruet, colatve aliquando prudentiæ, virtutiſque nomine, ſed coli perpetuo imperareq; velit in omnibus, ecquodnam audiet, aut capiet vnq̃ conſilium? quando erratorum admonebitur? quando ad pietatis, iuſtitiæq; officia incitabitur? quando deniq; hominem eſſe ſe, & conſilijs prudentũ egere, nec omnia debere pro arbitrio ſuo tyrannorũ ritu facere? quando alios ſe

pruden-

prudentiores, ac meliores eſſe cognoſceret? Nam ſi, vno ſe excepto, neminẽ obſeruandum, nulliuſve autoritati, conſilio, virtutive putet parendum, remoueat item à ſe omnem prudentũ virorum cœtum, nullum audiat, cũcta pro libito gerat, nullam virtutis rationem, quam nec norit, noſſeve poſſit, habeat: exitioſus profecto reip. ſit tyrannus. Equidem in Laconũ rep. Ephoros non laudare maxime nequeo, qui regibus contra tyrannicam dominationem adiungebantur, vt horũ illi conſilijs, & autoritati parerẽt, nihilq; ſoli pro arbitrio, quo nihil eſt perniciofius, gerere poſſent. Quãobrẽ magnopere ſumma illa Theodoſii magni in Ambroſium Epiſcopum obſeruantia, tum Alexandri Macedonis in Hebræorũ pontifices, Pompeiq; in eoſdem, ac Lodouici Pij, & Caroli patris in Romanos præſules, reliquorumque huiuſmodi regum probanda eſt: cum nulla ratione magis virtutem animi principes declarare, quam hac in viros præſtantes, & graues obſeruantia potuerint: contra vero execranda eſt Longobardorum regum, Rauennenſium quorundam Exarchorum, Henrici quarti, & quinti Cæſaris in Romanos Pontifices audacia impudentiſſima viris Chriſtianis indigna, nec à Deo, vt eorum exitus indicauerunt, impunita: illorum enim plerique dignas inſolentiæ ſuæ pœnas tandem dedere. Quæ res docet, nihil magis principem commendabilem apud omnes facere, quam huiuſmodi honor, & cultus viris præſtantibus dignitate, autoritate, ac virtute habitus. iam fides in rege quam nouo nomine veracitatem alii appellant. quæ virtus, vt ait Cicero, eſt dictorum & factorum conſtantia, quam ſit neceſſaria, tum bellicis, tum vrbanis negotijs vel exemplis doceri poteſt, ſi plane repugnare libeat rationi. Nam præter id, quod in bello, ac fœderibus & ſocietatibus ea etiam aduerſus hoſtes ſeruanda eſt, barbaræ quoque immanitate nationes virtute hac plurimum ſemper excelluere. Nam apud Perſas, Scytaſque religioſe admodum veritas ſeruabitur, puniebanturque acerrime legis iuſſu mendaces. Gentes item impietate, ac ſæuitia efferatæ vnam imprimis virtutem hanc ſemper colendam putauere, quod aliter nequeat reſpublic. conſeruari, aut defendi, niſi fide non modo inter ciues, ſed etiam aduerſum hoſtes ſeruata. Qua de cauſa Romanis Hannibal perfidus, Pœniq; inuiſi fuere, quod inconſtantiſſime fidem datam ſeruarent, quibus ne à Scipione quidem in euertenda Carthagine poſtea ſeruata eſt. Ergo nec leuitatem Græcorum, nec Carthaginenſium perfidiam, nec calliditatem, & aſtum Philippi Macedonum regis probus rex vnquam imitabitur, & perpetuo in fide ſeruanda integerrimus, & conſtantiſſimus erit: ne cum aliquando tueri eam deſierit, ab aliis poſtea ſibi nequaquam ſeruetur: vt iiſdem illis, quos commemoraui modo, & noſtra ætate Vladiſlao Pannonum regi contigit; qui cum hortatu Eugenij IIII. Rom. Pontificis factas cum Amurathe Turcarum rege inducias violaſſet, ingenti clade afflictus, & victus vix tandem ab imminenti periculo, ſumma vi auri data, euaſit. Sed tamen non deſunt, qui fidem à principe negent, ſemper ſeruandam, quod ea multis ſeruata exitio, perfidia vero alijs commoditati, ac ſaluti fuerit: quod Alexandri VI. Pontificis probant exem-

Quatenus, & quomodo rex fidem ſeruare debeat.

plo, qui cum nec fidem alicui vnquam ſeruaſſet, omnesque calliditate ſua fallere conſueuiſſet, cuncta feliciter, atque ex voto perfecerit. cui etiam ſententiæ quodammodo Plato in repub. ſua aſſentitur, dum magiſtratui, aut principi clam reip. cauſa licere mentiri, priuato autem nemini putat. Quorum opinione quid turpius, abſurdius, aut pernicioſius? quid enim aliud eſt, fidem non ſeruare, quam pietatem ac religionem deſerere? quam omnem naturæ legem violare? quid quęrat, expectetve is, qui nihil veri dicat, nullum pactum tueatur, nullam fidem datam conſeruet, quam vt ne ciuibus quidem ſuis fidere poſſit, ſicq; perfidiæ, ac proditioni viam exemplo ſuo patefaciat? Fateor equidem aliquando, neceſſe eſſe occultari ſic à rege ſententiam, vt aliud ſimulet, aliud agat, ſed aliud profecto eſt ſimulare, ac tegere, quod ſis facturus: id quod iuſte licet: aliud quod iam conſtitueris, pactusq; ſis ſemel cum aliis, reſcindere. Illud quidem prudentis ac circũſpecti eſt viri, qui patriæ ſuæ illo conſilio, & ſagacitate velit conſulere, hoc autem perfidi graſſatoris, qui vt quidvis prædetur, nullam cuiquam fidem, nullam conſtantiam in dictis, aut factis teneat. Longe igitur melius Attilius Regulus apud Pœnos ſe geſſit, qui ne promiſſam redeundi Carthaginem fidem violaret, voluntariam mortem oppetiit. Sed de veritate ſeu fide ſatis. Vindicatio, quæ earum iuſtitiæ partium, quas enumeraui ſupra, vltima eſt, cum ad alios pertinet aliquando, tum ad regem præcipue fereq; ſemper, qui legum, iudiciorum, & tranquillitatis publicæ vindex eſt. Vindicatio autem eſt vel illatæ iniuriæ, vel damni accepti compenſatio: eademq; aut priuata, aut publica exiſtit: priuata, vt cũ quis factam ab alio iniuriam vlciſcitur: publica ea, qua & princeps & magiſtratus reip. totius nomine vtitur: illa iniuſta & pernicioſa, hæc vtilis & neceſſaria eſt. Si enim cuique liceat pœnas de iniuria facta, aut accepto malo ſumere, ſemper reſpub. odiis, contentionibus, ſimultatibus, pugniſq; ciuium concitaretur, itaq; debilitaretur facile atque periret: quod Athenienſi, ac pleriſque ciuitatibus Græciæ contigit, quas eandem ob cauſam labefactatas, ac diſſidentes facile potuit Philippus rex ſubiugare. Si etiam inultam reip. iniuriam rex prætermittat (nam propriam, niſi reipub. incommoda ſit, condonare multo commodius erit) & hoſtibus maior nocendi licentia, audaciaque concedetur, & tandem hoc modo imperium cuiuſuis iniuriæ obiectum euerti facile poterit. Extat in Galieni Cæſaris regno apertum exemplum, qui quod Valerianum patrem à Sapore Perſarum rege captum, turpiſſimeque tractatum in vinculis mori paſſus eſſet, tam ægre regnauit, vt cum triginta tyranni diuerſis ex locis imperium Romanum occupare conarētur, atq; omnes fere barbaræ nationes exemplo Perſarum non modo à Romanis deficere, ſed vltro Italiam, Galliam, cæteraſq; prouincias vaſtare auderent: ipſe tandem ne plane Romani populi autoritas minueretur per eius negligentiam, à paucis eſt coniuratis extinctus. Quamobrem id iuſti ac prudentis erit principis, qui rempubl. recte adminiſtratã, eiuſq; conſeruatam velit ſalutem, vt grauiter eos, qui odia priuata vlciſcantur, aut inimicitias domeſticas perſequantur, puniat, & omnẽ ſibi vindictã hominum priuatorum exemplo Dei hoc præ-

Qualis vindicatio iniuriarum regem deceat.

cipientis aſſumat, deinde vt reip. detrimenta inulta non patiatur, itaq; ſeditiones tollat populares, earumque cauſas, poſtremo contentiones, ac lites ciuitatum, aut familiarum, & ciuium factiones omni ſtudio extirpet. Nam illas Guelforum & Gibellinorum in Italia factiones quis æquo animo ferat, quin ſeueriſſime, cauſis contentionum exciſis, quod erit facile, tollat? Hoc enim, vt paulo ante dicebam, & Græciæ ciuitates euertit, & Romanorum rempub. perturbauit; ac tandem vnius imperio ſubiecit, & cædibus, rapinis, odiis, ſimultatibus, ac tyrannidi viam patefecit. Inultam vero rempub. quo animo princeps patiatur, cum eius præſidio ſeipſa commiſerit? quam idem belli gerendi iuſtam occaſionem ſequetur, ſi hanc, quæ ſola iuſta eſt, negligat? qua mente aut conſilio ſubditos reget, ſi neque tutos ab hoſte teneri poſſit? Tiberium Cæſarem tanta fuiſſe inertia dicunt, vt ſi qua forte prouincia, aut dux, aut exercitus ab eodem deficeret, facile poſſe re illa carere ſe reſponderet: quæ res eo vſq; proceſſit, vt multis ignaue bellis confectis, à C. Caligula hærede ſtrangulatus in morbo, quo iam moriturus putabatur, perierit. Quemadmodum ergo nullum dominandi cupidine bellum vltro princeps ſuſcipiet, niſi reipub. conſeruandæ ac tuendæ cauſa, ita rempublicam nunquam ab aliquo lædi permittet. Sed iam ad officia iuſtitiæ commutatrici adiuncta veniamus. Commutatrix Iuſtitia appellatur ea, quæ in rerum, actionumque ciuilium commutatione, & contractibus mutuis, ſeruata æqualitate cuiuſque, ſpectatur: vt ſi qui merces acceperit, det pecuniam, & qui pecuniam, merces, aut aliud. Hæc quia in operarum permutationibus, atque commerciis cernitur, ciuium inter ſe contrahentium proprior, quam regis erga ciues eſt, cum inter illos æqualitas, in hoc apud illos nulla eſſe videatur. Nullam enim operam rex ſuam cum aliquo ciue permutat: aut aliud ab illo recipit: niſi ſimilitudine quadam id fieri dicatur, eo quod ipſe, ſicuti cæteri ciues, & victum, & veſtitum, & reliqua neceſſaria ſibi, ac familiæ ſuæ precio comparet: vtpote qui vectigalibus iam acceptis nihil à ciuitate amplius capere, aut petere, niſi ſponte datum, debeat. Quando

Quomodo rei pecuniariæ curam rex habeat.

ergo in hoc genere & regi pariter, atque cæteris ciuibus commutatrix iuſtitia communis eſſe videtur, tum illud eum maxime decet, vt pecuniariæ rei curam atque rationem habeat permagnam, cum enim cudendi æris facultas, ſtatuendique precij ſit illi à rep. data: ſiquidem hoc inſtrumentum commerciis ciuium eſt neceſſarium: ſic ea re princeps vtetur, vt ipſe iuſtum, quod à rep. penditur, vectigal habere, reſpub. vero nequaquam fraudari commodo ſuo poſſit. Fraudatur quidem ipſa, dum vel minuitur, vel augetur pecuniæ precium pro tempore, quia plus vectigalium ratione hac ab ea extorquetur: redditur vero ei, quod eſt æquum, ſi vna ſemper ſit æris ratio, valorque vnus, & idem non ſolum pondere, ſed bonitate quoque, ac puritate metalli. Rex etiam iuſtum vectigal capiet, ſi conſiderato æris valore & æquato vniuerſa in ditione ſua æque, ac in aliis (ne occaſio exportandæ pecuniæ ad alias regiones auaris hominibus detur) æquabilitatem eandem ſemper tueatur: ita enim fiet, vt nec pecuniariæ rei ſit in

rep. egeſtas (quod ſæpe vſu euenit, noſtris præſertim, quibus ex tanta auri,& argēti copia ab Indis aducēti perparum relictum eſt) nec regni opes paucorum cupiditate commoda ſua quærentium exhaurientur. Ergo non tantum valor pecuniæ,& pondere,& puritate metalli idē erit vniuerſa in vnius principis ditione: ſed ratio habebitur quoq; numiſmatis vicinarū, & exterarū regionum,ne ſi eius precium ibi augeatur,locus alicui exportandis pecuniis detur. Veneti aliquando genere quodā numiſmatis, quod ſignarūt,ſe plane ſpoliatos eiuſmodi exportationibus animaduertentes, aucto eius precio tam facile reuocauerunt, vt nunquam fuiſſe exportatum videretur. Quo nomine vtile quoq; fuerit, ſicuti alijs reip. muneribus,ita rei pecuniariæ aliquos magiſtratus præfici, qui vni tantum huic rei ſtudeant: quemadmodum olim in multis ciuitatibus, atq; hodie fit in quibuſdam. Sed nimis exilia perſequor, à communicatione longe digreſſus. Redeam ad cætera commutationis officia, quæcunque debeant à rege coli erga cæteros. Hæc plerunque aut cum exteris regibus, atque populis, aut familiaribus, & amicis intimis obeuntur, ſi fœdera icta, ſocietates, induciæ, beneuolentiæ, ſtudia, & reliqua generis huius religioſe ſeruentur: verum hæc ad priuatos principis mores quam ad communem eius officij rationem potius ſpectant, ideoq; obſcura non ſunt: cum eodem ille modo tueri ea debeat officia, quo ciuis alius quicunq; probus ac iuſtus. Nec enim viri eſt boni, nedum principis, fœdus frangere, ſocietatem violare, inducias ante tempus tollere, amicitiam, beneuolētiam, ſtudia, quacunq; de cauſa deſerere: quia incōſtantiæ & perfidiæ id eſt indicium vel maximū. Hoc ita ſtatuto, quoniam hæc commutationis ratio late patet, nec, niſi per partes commode poteſt explicari, progrediamur ad officia iuſtitiæ adiuncta, id eſt, ad gratitudinem, liberalitatem, magnificētiam & amicitiā, vt qua ratione illæ ad regem pertineant, doceatur. Gratitudinis ratio vniuerſa poſita eſt in eo, vt accepti beneficii magnitudinem quis beneuolo animo ſpectet, agnoſcat, recordetur, cōpenſet, aut compēſare cupiat, ſi nequeat. Hoc idem regi congruere nemo negarit, ſi & ipſum accipere poſſe beneficia, & qua ratione illa noſcere, ac remunerari debeat, doceamus. In quo eſt etiam intelligendum, officia collata in remp. æque à rege cōpenſanda eſſe, ac ſi in ipſummet conferantur, quando is totius reip. facultatem, & reſpub. illius habet. Conferre autem quis beneficium regi, aut reipub. poteſt (placet enim hoc ita appellare, quod alij obſequium commodius nominari putant, quod ad ſuperiorem pertineat, cui omnis cultus, & obſeruantia debeatur) ſi præclare quid in reip. adminiſtratione, aut bello geſſerit: aut aliquo beneficio inſigni, aut doctrinæ, aut prudentiæ, aut magnificentiæ, aut fortitudinis patriam ſibi deuinxerit: ſi conſilio, opibus, ſuo periculo, ſumptu, aut incommodo fortunarum adiumentū attulerit: ſi alia demū huiuſmodi ratione ſibi obſtrinxerit: nam regem muneribus, aut beneuolentia deuinctum putare, ineptum eſt, cum alterū intempeſtiue donetur (vt de Poeta Euripide deſcribit Plutarchus, qui regi Archelao diuiti egenum ſe hominem nihil donare velle dicebat, ne impudens eſſe iudicaretur, aut maius expetere beneficiū, munuſculo exiguo videretur)

Quomodo rex gratus & in quos eſſe debeat.

retur) alterum vero debeatur, quod iure naturæ principem omnes, ſicuti patriã amare, & colere manifeſto etiam cum vitæ periculo, ac morte debeant, cum his ſe igitur princeps ſeu beneficijs, ſeu obſequijs alicui obſtrictum videat (videbit autẽ facile, ſi vel eos agnoſcat, præcipue ſi in aula eius verſentur, vel percũctetur de illis, nõ ab vno aut altero familiari ſuo, qui amicus ijs, aut inimicus eſſe poſſit, ne locus gratiæ detur, ſed à multis, ijſque probatis viris & integris) ſingulorum officia, & merita ſpectabit, ne indignis debere ſe plura, quam debeat, dignis vero pauciora arbitretur. Qua in re diligentiſſime caueat, ne gratia, odio, ſtudiove aliquid agat, cum non modo ingrati hominis id ſit, ſed etiam iniuſti, inconſtantiſque viri. Nolle enim alicuius agnoſcere merita, propter vel paucorum odium, aut obtrectationem, neq; ea iuſte compenſare, leuis, auarique hominis eſt: alijs vero nultum donare fauoris, ſtudijque cauſa, iniuſti, & imprudentis. Ergo ab vtroque vitio caute rex fugiat, vt æqualitatem in omnes perpetuo tueatur. Quod ſane vt facilius declinet, nullum omnino ad ſuam familiaritatem, conſiliumve admittet, niſi perſpecta eius virtute, integritate, & prudentia: ac ſi admiſerit, omni caueat ſtudio, ne in huius ſe amicitiam det totum, nec ſi dederit, quod is ſummæ virtutis, ac prudentiæ ſit, vlla id ratione demonſtret, ne locum ambiendæ illius amicitiæ, conciliandæque gratiæ det alijs, nec patiatur denique aut adulatione, aut ſimulatione virtutis ei quenquam ſe inſinuare. Sed quanta dij boni hinc (libet enim vt initio Antoni ſtatim feciſti, ac iuſtiori de cauſa exclamare) peſtis reipub. oritur, dum in amicitiam regis homines, adulatores, voluptuarii, leues, ambitioſi, rerum omnium, præterquam ſeruilium quorundam obſequiorum, ignari, indocti, imprudentes, ſuperbi, auari, vitiorumque genere omni inquinati prætextu ſe probitatis inſinuant. Hinc enim regiorum bonorum expilatores, direptores ciuitatum, magiſtratuum, ac publicorum munerum venditores, iniuſtorum hominum defenſores, legum violatores: bonorum, prudentum, doctorum, atque reipublicæ adminiſtrandæ aptiſſimorum contemptores, ac detractores inuidi proficiſcuntur: quos niſi à ſe principes caute repellant, irrepunt ſenſim, ac velut in animum influunt, vt ante in gratia ſint, quam ab eiſdem dignoſcantur. Sed neſcio, quomodo ab officio gratitudinis deſcribendo euagata eſt longius oratio, cum formam meritorum cuiuſque noſcendorum regi præſcriberem. His igitur accurate examinatis, non iam voluntate compenſandi recte facta, rex ſit contentus, ſed opere id exequatur, quod velit, iudicetque faciendum, tunc enim illius liberalitas ſpectabitur, cum voluntati factum acceſſerit, de quo tamen is dubitare nec poteſt, nec debet, quando eum opes, aut opportunitas, ſi hanc quærere velit, non deficiant. Liberalitas autem tum erga probos, ac benemeritos exercebitur, tum earum erit rerum, quæ commodæ vni ſint, cuius habetur ſolum ratio, reipublicæ vero minime noxiæ. Nam ſi magiſtratus, quod antea diximus etiam, & in hunc locum rurſus cadit, indignis tribuantur beneficij cauſa, iniuſtum, atque illiberale id eſt, ſi etiam ea, quæ dentur reipub. erepta ſint, iniuſte & capi-

Quæ & qualis regis liberalitas eſſe debeat.

untur, & dantur: cum nihil à quoquam ſit capiendum, quod erogetur in alios. Dabat Alexander, qui vnus ex liberaliſſimis regibus habitus eſt, nonnullis permulta talenta, aliis vrbes, & regna, ſed ea ſpoliatis aliis donabat. Dabat & C. Cæſar populo plurima, ſed ſocios expilarat, prouincias prędatus fuerat, ærarium ſpoliarat, iniuriis multos affecerat. Feruntur etiam Themiſtocli à rege Perſarum ad varios vſus diuerſæ ciuitates donatæ: vt ad vinum Lampſacum, ad panem Magneſia, ad cibum Myrinta, ad veſtes Periope, & Palæcepſis: ſed hęc ex ditione vniuerſa dempta facultates regias minuebant, eadem regis cupiditate, & luxu relicto; quem vt is expleret, grauioribus adhuc tributis vexandę reliquę ciuitates erant. Accedit huc item, quod aucta nimis quorundam paucorum potentia, & opibus ſummum reip. malum paulatim creatur. Si enim diuitiarum modus non ſit, quod Platoni, Ariſtoteli, & ſapientum plerisque viſum eſt, ſiet tandem, vt omnes opes ad paucos redigantur: cum eo quis ditior fiat indies, quo plus habuerit, ſiue ex redituum redundantia, ſiue incremento, & acceſſione bonorũ, coniugiis, emptionibus, regumve largitione facta. Effectis autem paucis diuitibus, reliqua multitudo egena, inopſque exiſtat, neceſſe eſt. Quare paucorum imprimis potentium tyrannidem rex vereatur, ne regno in Oligarchiam mutato, populus egeſtate oppreſſus diuites illos ſpoliare, tollere, & æquare cum reliquis cupiat, ſicque variæ in repub. contentiones naſcantur. Quo fiet, vt Democratia, ſublato regno fiat, ſi plebs ſuperior euadat: aut tyrannis, ſiue pauci illi rerum potiantur, ſiue rex ſolus: eorum enim quiſque cuncta ad ſe referet, & occupabit. Extant permulta huiuſce rei exempla, quæ longum eſſet omnia enumerare: proferam tamen aliqua, quo res melius & intelligatur, & confirmetur. Theodoſius Cæſar Ruſinum, & Stiliconem vſq; adeo ditauit, vt ijdem poſtea Honorium, & Arcadium illius filios è dignitate imperij deijcere ſint conati. Idem vſu venit Herculi Alexandri Macedonis filio, qui clam cum matre Rhoxane à Caſſandro cæſus, cuius potentia iam nimium excreuerat, & vita & paterno imperio priuatus eſt. Romana quoq; reſpub. cum opes Cn. Pompei, Cæſaris, Syllæ, Marij, Antonii, Auguſti, Lepidi, Craſſi, ac ſimilium auctæ ſunt, redacta ad paucos potentia, funditus euerſa, & in tyrannidem eſt continuo mutata. Permultæ demum aliæ reſpublicæ hac vna de cauſa mutatæ ac deletæ ſunt, quod eius opes ad paucos deducerentur: quod ſane fieri eſt neceſſe, ſi reges tantum amicis, aut ijs, quibus bene velint, elargiantur, quantum eorum præceps cupiditas prodigaque ferat temeritas. Ergo quemadmodum Plato eleganter docet, quia nimiæ opes imperij, aut ſingulorum ciuium non modo reipub. toti exitio ſunt, ſed ſingulis etiam, cum regum debilitatis hoc modo viribus propter diuiſas opes cum alijs, diuites potentia ſua freti ſe illis facile opponant, adiunctiſque ſibi amicorum, aut propinquorum præſidijs, eos tollere ſæpe moliantur, cumq; egeni contemptum illorũ, anguſtiamq; ferre non poſſint, quin aliquando tumultuentur, quouſq; vel illis potentiam omnem ademerint, mutata adminiſtratione regni in popularem, ſi plebs vice-

rit, aut in tyrannidem, ſi Rex magnatibus ſpoliatis, omnia occupet, videndum eſt diligenter à Principe, tanquam huic morbo reipublicæ longe ante conſulens, ne temerario liberalitatis ſtudio infimos, aut mediocres homines ſummas ad dignitates euehat, nec ſemel euectos vlterius prouehi patiatur. Nec certe inutile fuerit non modo ipſi Regi, ſed toti etiam reipublicæ, vt vel eorum, qui in Hiſpania vulgari eius gentis lingua Maioricatus appellãtur, priuilegia nullis deinceps concederentur, vel ne cuique plures vno maioricatus habere liceret. Sic enim nec opes ad paucos paulatim redigerentur (quod fieri in illis neceſſe eſt, quia congeſtæ diuitiæ & connexæ, ne vendi, alienarive poſſint, & creſcant ſine decremento indies) ac magnæ quorundam opes in plures diuiderẽtur, ſicque ad totam rempublicam pertinerent. Atqui hoc ſane remedium multo eſt vtilius, ac leuius eo, quod à Platone affertur, qui certum eam ob cauſam bonorum, ac poſſeſſionum cuique modum præſcribi voluit, ne ſi hoc ſtatueretur, multis iniuria fieret, dempta bonorum parte, iniuſteque id aliis daretur, quod eſſet ademptum aliis: veluti ſuperioribus annis in Germania tumultus ruſticanorum hominum, duce Thoma Monetario impio, ac ſeditioſo homine, exortus de opibus exęquandis, nec magiſtratui reddendis tributis grauiſſima prælia, & motus concitauit, quos magno labore Germani, Duce Lantgrauio Heſſorum regulo, compoſuere. Longe commodius igitur eſt, diuiſione hac opum, quæ duplici priuilegiorum vinculo ſunt connexæ, in filios, propinquos, hęredeſque facta, tum opes eaſdem iuſtis hæredibus dari, tum ad plures diffundi, vt reſpublica tota diues, non pauci potentes, atque opulenti ſint. Quod ipſum, vt paulo ante dicebam, cum vitio Regum opibus abutentium, & ſine delectu cuiuis multa largientium fiat, minimo poteſt negotio corrigi, ſi nec ii redditus, nec ciuitas, nec dignitates perpetuæ, nec aliud huiuſmodi quicquam, quo plurimum augeatur potentia, familiæ alicui tribuatur, nec iis, qui ſemel pro conditione ditati ſunt, plura, tametſi permagnis principem meritis obſtrinxerint, dentur: ſatis ſit enim honoribus, dignitatibuſque, dum viuat, decorari, eius vero amicos, aut conſanguineos, filioſve, quibus anguſtior ſit res, liberalitate regia frui. Vnde non immerito id affertur à quibuſdam, liberalitatem in Rege magnopere non requirendam, cum is nihil proprium, niſi à republica, quaſi ad neceſſarios vſus conceſſum, habeat, ideoque nihil cuiquam tribuendum, niſi quantum, & quod reſpublica illi conceſſerit. Quibus Auguſtus exemplo eſt, qui nullum ciuitati vectigal impoſuit, nihil conſumpſit, cuius rationem non redderet: id quod in quatuor illis libris ab eo ſcriptis, quos Druſus poſt eius mortem oſtendit, deſcriptum fuiſſe Dion teſtatur. Hoc quamquam ego ratione adductus ipſa improbare minime poſſum, mitius aliquanto iudicari velim, quando iuſtum, probumque Principem fingimus, à quo tanquam à ſeruo infideli tam accurata ratio datorum & expenſorum nequaquam eſt exigenda, ſat enim eſt, à republica neceſſaria illi tributa reddi, ipſum vero id cogitare, non eſſe illa ſibi fruſtra, at inutiliter conſumenda, niſi forte tam prodigus, & diſſolutus exiſtat, vt ne dari quidem ipſi aliquid liceat tanquam inſa-

Quomodo paucorum potentia in regno vitetur.

Quanam Rex non debeat donare.

no,ac diſſipatori bonorum. Sed iam ad magnificentiæ officia procedam, quæ liberalitati eſt coniunctiſſima. Magnificentia definiri ſolet, adminiſtratio rerum magnarum, ac multis vtilium, ex animi celſitudine quadam, & ſplendore profecta. Differt à liberalitate, vt Ariſtoteli placet, non dandi voluntate, ſed rerum, quæ dantur, magnitudine, ac copia. Liberalis enim dicitur, qui pauca: magnificus, qui multa, & præſtantia largitur, qua etiam de cauſa ille hanc Regum, virorumque Principum propriam eſſe arbitratur. Eadem, quoniam in rerum magnarum adminiſtratione verſatur, eatenus à Principe exercenda, colendaque videtur, quatenus ipſe, aut reſpublica nihil incommodi capiat, & multis ea conferat, non paucis Regum familiaribus, aut amicis, ne iniuſta & inconſiderata fiat largitio. Nec enim inani oſtentatione, cupiditate, aut impetu Rex quicquam dabit, niſi & vtile id multis, & ſuæ reipublicæ non incommodum videatur, vnde nec luxus ille in victu, veſtitu, familia, apparatu, cæteriſque ſimilibus, niſi ad maieſtatem imperii tuendam pertineat, laudandus eſt: nec temeraria illa & inutilis profuſio tam priuatorum, quam communium bonorum, de qua ſupra retuli, ferenda: qualis in Antiocho Epimane, Ptolemæo Philadelpho, & Philopatro, aliiſque Syriæ, & Perſarum Regibus fuit, qui in pompis, conuiuiis, ludis, atque huius generis aliis regni opes conſumebant: quemadmodum nec tenacitas nimia, quæ vel neceſſariis ſumptibus æquum ſubtrahat, eſt reipublicæ aut cuiquam commoda: qualis in Perſe Macedonum Rege fuiſſe ſcribitur à Plutarcho, qui vnam ob auaritiam inſatiabilem à Paulo Æmilio victus, amiſſoque regno in triumphum cum liberis ductus Romam eſt. Igitur modo non tantum in dando, ſed etiam in ſumptibus Princeps teneat, vt opus conſeruet in vſus neceſſarios, & aliis exemplo moderationis ſit. Nec enim id tantum mali habet Principis luxus immoderatus, quod ipſe prodigus ſit, quantum quod id exemplo ſuo pleroſque monet, qui omnes illius facta imitantur, vt iidem prodigi fiant. Quæ cauſa Ciceroni fuit Lucullum Principem virum reprehendendi, quod cum is magnificam villam ædificaſſet, atque ea de cauſa aliquando reprehenſus eſſet, reſponderit, duos ſe habere vicinos tenuioris fortunæ homines, qui idem quoq; feciſſent: ſiquidem Principes viri conari debent, ne quenquam exemplo ſuo ad inutiles ſumptus, & luxum immoderatum inuitent. Et quidem cum Principi à tota rep. conferantur tributa, non vti domino, qui abutatur illis, vt libeat, ſed vt parenti ac diſpenſatori, multo magis cauere idem debet, ne fruſtra pecuniam publicam, inutiliterq; conſumat: quamquam ad voluptates honeſtas & dignam imperio amplitudinem, autoritatemq; ſibi tantum aſſumere, quantum ſit ſatis, licebit, tum magificentia ſua bonis prodeſſe, & reipublicæ commodis inſeruire ſtudebit. Erit quidem in bonos apte liberalitas collocata, ſi probis, doctis, prudentibus, præclara virtute aliqua, aut factis excellentibus viris opes, honores dignitateſque tribuat: reipublicæ item commodis inſeruiet, ſi ædificiis magnificis ornet ciuitates, ad cultum, & amplitudinem earundem, ſi publicas vias, aquæductus, munitiones, portus, pontes, fluuiorum deriuationes, naui-

De Regia magnificentia.

Quibus in rebus, & erga quos ſit Rex magnificus.

gationes,

gationes, cæteraq; huiuſmodi ædificia, neceſſaria ad commoditatem regionum extruat extructave inſtauret: quod diligentiſſime à Romanis eſt factum vel in remotiſſimis regionibus, ac prouinciis, quod magnum eorum prudentiæ,& curæ argumentum eſt. Viſuntur hodie in Hiſpania pontes commodiſſimi, viarum ſtratarum, aquæductuum, theatrorum, ædificiorumq; multorum veſtigia, quæ vix hac ætate imitari Principes vellent, cum magnus ſit tamen, ac neceſſarius eiuſmodi rerum vſus. Betis in Hiſpania Romanis temporibus Cordubam vſque nauigabilis erat,hodie vix Hiſpalini vſque. Fuit in Tago flumine prope Placentiam Hiſpaniæ oppidum pons quidam ampliſſimus Romano opere extructus, qua traiiciebatur flumen, at hodie dirutus magna ex parte eſt ſiue Principum negligentia,ſiue vt ab aliis audio Regulorum, cui ager ille ſubiectus eſt, auaritia: qui rupto ponte nauicula fluuium traiici exigendi vectigalis cauſa voluere. Cernuntur adhuc veſtigia quædam longiſſimæ illius viæ,quæ vulgo apud nos argentea nominatur,ab Emerita vrbe ductę,quę magno eſt nunc etiam noſtris vſui. Extant quoque in inſula Gadium pontis, & aquæductus à continente ducti, quod anguſto disiungitur tractu, ruinæ quædam magnificæ, & operum Romanorum imaginem adhuc prę ſe ferentes,cui olim Tepulæ nomen fuiſſe ex recentis vocabuli corruptione apparet,nec illę ſunt negligentia,aut auaritia Regum inſtauratæ. Vidi ego etiam aliis in locis magnorum ædificiorum,quæ nunc vtiliſſima eſſent, veſtigia,& moles. quæ non modo Principes huius ætatis nullam publicæ vtilitatis curam habentes non imitantur, ſed dirimunt ſæpe, vt priuatis ædibus extruendis lapides comparent: quod nuper Romæ ex Amphitheatri ruinis Paulus III. Pontifex fecit. Quamobrem, quis non Romanos illos veteres laudet ſummopere, qui non modo iure prouincias remotas æquiſſimo adminiſtrabant,ſed ædificiis vtilibus, atque magnificis decorabant? Nam, vt omittam id,quod Auguſtus Romanã ciuitatem ex latericia, marmoream feciſſe ſe prædicauit, nemo Traiano Cæſari ex omnibus par hac in re fuit, qui non tantum in Italia & Hiſpania multa extruxit,quorum nunc etiam extant veſtigia, ſed in Danubio, vt liberior aduerſus barbaros eſſet aditus, pontem mirandæ magnitudinis, ac magnificentiæ quadrato lapide ædificauit: quem noſtra memoria Turcarum Rex Solimannus à Carolo V. Cæſare inuicto fugatus rupiſſe fertur, ne à noſtris eius fuga retardaretur. Nec vero ædificia publica ſolum ad ciuium commoditatem extruenda,curandaque à Principe ſine eorum incommodo,aut exactione, ſunt, vt portus, munitiones vrbium, diductiones fluuiorum, nauigationes, aquæductus, templa, aut eiuſmodi alia, ſed etiam annonæ, cuius eſt maior vſus, diligentiſſime prouidebitur, non in ipſa eius caritate tantum: quod fertur à Claudio Cæſare in ſumma penuria Romæ, extructo quodam horreo publico,factum, ſed longe ante,ne accidat, neve,ſi acciderit,multi conficiantur inedia. Qua in re ſæpe ſum equidem admiratus, quî fiat, vt cum Italia,& Hiſpania,regiones fertiliſſimæ ſint,copiaque rerum omnium abundantiſſimæ,contra vero Gallicus, & Germanicus ager minus fertilis, atque ferax, frequens ſit illis

Quomodo caritati annonæ prouideatur.

annonæ caritas, his vero aut nulla, aut ſi quæ ſit, vix intelligatur à quoquam, cum eadem apud hos ſemper fruméti, carnium, ac reliquarum rerum ad victum pertinentium affluat in foro copia: cuius rei cauſa mihi, accurate id inquirenti, ac percunctanti ſæpe videtur eſſe, quod opes inter multos diuiſæ, nec pauci homines omnem frumenti vim, aut pecudum, & armentorum habent, reliqua ciuium parte egenti (vt fit in illis duabus regionibus) ſed multi ſunt agricolæ minime quidem illi potentes ac diuites, ſed tenuem frumenti prouentum, aut pecudes paucas habentes, ex quorum fructibus, quum iis ſit viuendum, aliquid quiſq; in forum vendendum adfert, quod poſtea diuerſorum acceſſione fit multum. Quam ob cauſam id afferam ex multis aliis, quæ excogitari poſſint, remedii, vt & copiæ frumenti, & carnium, & reliquarum rerum ad victum, veſtitumque pertinentium, quorum eſt magna ſæpe penuria, & raritas, conſulatur: quod tum in antiquis rebus publicis factum, tum in quibuſdam ciuitatibus hodie fieri cernimus, ſi pauci diuites, & potentes agricolæ ſint, qui magnam frumenti copiam ex agris ſuis colligant, quoniam hi propter opes frumenta ſeruare diu, vt in annonæ penuria vendatur carius, ſolent, & dum reſeruant, pariter efficiunt, vt precium augeatur, creſcatque indies anguſtia: deſcribatur à magiſtratu eorum numerus ſingulis in ciuitatibus, tum diligenter modiorum ſumma, quam quiſque collegerit, cognoſcatur, ac pœna graui propoſita, iubeantur omnes ſingulis annis diuendere quicquid perceperint, reſeruata familiæ ſuæ neceſſaria portione ac ne dolus inſit, nemini plus emere, quam ſuæ familiæ ſit ſatis, liceat. Ita enim fiet, vt ſingulis partem frumenti ſuā vendentibus, magna ſemper copia ſuppetat ſiue annus ſterilis, ſiue ferax annonæ ſit, & nulli fiat iniuria, niſi quis forte commodi proprii, quam publici ſit amantior. Si etiam ne hoc quidem ſit ſatis, aut fieri nequeat facile, quod eſt tamen à Principe ſtudioſe curandum: ex illo ipſo agricolarum deſcripto numero in quaque ciuitate vel terni, vel quaterni, vel pluries quorum ſit magnus frumenti, frugumque reliquarum prouentus, ſingulis anni cogantur tantum annonæ ſuppeditare, quantum ſit ſatis, ac ſi ne id quidem fieri poſſit propter penuriam, eorum numerus augeatur. Ita enim & commodo ſu reipublicæ illi contulerint, & nulla vnquam annonæ caritas erit. Huius rei tant fuit priſcis temporibus cura in ciuitatibus bene conſtitutis, vt publici magiſtra tus annonæ tantum curandæ præficerentur. Nam apud Athenienſes Euther curam annonæ in horreis publicis reponendæ, conſeruandæ, ac diſtribuend habebant, cui perſimilis eſt apud Venetos hodie magiſtratus Prouidadoriorum Duumuirorum vulgo Farinariorum appellatus, qui curam quoq; huius rei habēt. Idem à C. Cæſare rerum iam potito curatum eſt, creatis ædilibus ſex cerealibus, qui Cereris, id eſt, frumenti prouidendi munus obirent. Extitit & ante illius ætatem annonæ præfectus, qui & publico ære, & priuatorum vndique commeatum in vrbem comportari curaret. Fuit enim magnum Romanis rei frumentariæ ſtudium, dum ex Italia, Sicilia, Africa, Ægypto, ſemper annona vrbi neceſſaria conueheretur. Iam verò carnium copia abunde cunctis ciuitatibus ſuppe-

Quomodo res neceſſariæ omnes in rep. ſuppetant.

tet,

tet, ſi, quod aliquando in Britannia factum à Thoma Moro homine & doctiſſimo,& probatiſſimo fertur, lege ſtatuatur, ne quiſquam vltra certum aliquem numerum pecudum aut armentorū habere poſſit: ſi enim nouos fœtus vendere ſemper cogatur,ad plures numerus ille diffundetur, & tota reſpublica nulla vnquam penuria carnium,aut victus alicuius,quod noſtris ſæpe contingit ciuitatibus,indigebit, redactis ad paucos auaros, & publicæ commoditatis inuidos opibus.Qui non id mali ſolum reipublicæ inuehunt,quod annonam indies efficiūt cariorem,ſed etiam quod ea,quæ ad veſtitum,cultumq; humanæ vitæ pertinent, quodammodo eripiunt reipublicæ, vt quæſtum faciant vberiorem, vel exportando res neceſſarias,vel alias inutiles importando: cuius generis illud eſt (libet enim ad minima quæque deſcendere) quod ex Hiſpania, per mercatores velleribus, ſerico, & rerum aliarum materia exportata in Belgicam Galliam, importatiſque inde rebus, quæ exiguo labore parari in Hiſpania poſſent, & ſpoliant prouinciam commoditate maxima, & rerum neceſſariarum penuriā inuehunt. Quamobrem lege Princeps huiuſmodi de rebus ſtatuere debuiſſet, ſi patriæ ſuæ conſultum vellet, vt nullam rudem materiam rerum eiuſmodi exportari, nihil vero, quod fieri diligentia mediocri ciuium poſſet,aliunde in regnum ſuum importari liceret,quod ipſum vel Platonicis legibus,& ſi non nos egeſtas rerum vrgeret,iam conſtitutum à nobis obſeruari deberet. Nam hoc modo & plura opificiorum genera,adductis etiam ſi opus eſſet externis opificibus, in ea prouincia eſſent, & homines egeni,vnde vitam alerent, facile haberent, & nulli eſſe otioſo liceret,ac ſi vellet eſſe,iure idem puniri poſſet.Tanta enim huius rei cura ducenda eſt, vt publicus etiam ſit magiſtratus conſtituendus, qui neminem otiari permittat, cum omnis ab his reipublicæ peſtis, quod Plato inquit, proueniat, tumultuſque cuncti, ac ſeditiones, factioneſque ab iis hominibus excitari, alique ſoleant vbique. Qua etiam de cauſa, nec magnum illum ſeruorum, clientumq; numerum in familiis virorum Principum laudo, ac ſi fieri poſſit, præſcriptū eſſe velim cuique pro conditione: nec tantam mancipiorum copiam in Hiſpania vituperare non poſſum,quia multis hoc modo otiandi, vagandique datur occaſio, dum hac ſeruiendi ſpe otiantur plerique, vt in Britannia fit, & dum coemptis à quoque mancipiis,nec proborum hominum egenorum, & indigenarum operæ conducuntur,quod hæ à barbaris mancipiis minoris conſtent. Præterea id, quod permulta bella excitata à ſeruis olim in Sicilia, Italiaque tota vno tempore ſunt, quod proximis item annis in nouo illo Orbe permagna quædam ſeruorum Æthiopum manus aduerſus dominos excitata, vix magno labore comprimi potuit, quod multa ab his barbaricorum vitiorum exempla perfidiæ,impietatis, furti, rapinarum, ac ſcelerum multorum ediſcuntur: illud eſt ſatis reipublicæ graue,quod egeni, atque inopes homines ipſa ſe in patria nec alere, nec viuere commode poſſint,quod opificia,& operæ à mancipiis potius, quam ab illis emantur.Sed nimis exilia conſector,& longe ab inſtituto digreſſus ſum. Principis ergo magnificentiæ id erit proprium, vt his, quas retuli,commoditatibus

Quomodo otioſi homines in rep. non erunt nec egeni.

diligentiſſime conſulatur, omni occaſione publici detrimenti ſublata, & in h
ſitam animi ſui celſitudinem, & præſtantiam exiſtimet. Tranſeam ad amic
tiam eiuſdem iam deſcribendum ac docendum, erga quoſnam, & quanta,
quatenus ea eſſe debeat in illo. Cum amicitia, vt M. Tullius definit, conſenſ
animorum ſumma ſit, eaque mutuis officiis confirmetur, nec niſi inter bonc
& ſimiles, æqualeſque exiſtat, in Rege quidem alia ratione, quam in priua
quouis homine exiſtit: tum quia in tanta perſonarum inæqualitate, quanta i
ter ſubditos ac Reges eſt, amicitia eſſe non poteſt, tum quia mutua officia, atq
paria, amorque mutuus non eſt in diſſimilibus. Quinam autem Regis amici eſ
ſoleant, & quales, ipſe nos rerum docet euentus. Nam quoſdam eſſe intimo
maximeque familiares illis cernimus, alios conſiliarios, alios adulatores: ex hi
que nonnullos honeſtatis ſpecie, aut delectandi ſtudio quodam adulari, alios
perte, & faciendi quæſtus cauſa. Quorum quidem amicorum de primo gene
vt dicam inprimis, intimi Regis amici fiunt, aut voluptatis cauſa, quam is c
pit ex horum conſuetudine, aut vtilitatis, quam idem expectat ex horum v
officiis, vel obſequio, aut honeſtatis, cuius cauſa hos ſibi adiunxit, & conc
liauit: ſuperiores duæ amicitiarum cauſæ non modo in Rege, ſed in priuato quo
uis homine reprehendendæ ſunt, quod amicitiam nullam efficiant ſtabilem
aut diuturnam: cum voluptate expleta, aut vtilitate parta, aut neglecta, frige
ſcat amor, neceſſe eſt, ſicque nec firma ſit amicitia. Infirma autem amicitia cum
eſt ab omnibus fugienda, tum à Rege potiſſimum, cuius id eſſet permagnum
inconſtantiæ vitium præter id, quod graui reipublicæ damno, qui voluptatis, au
vtilitatis gratia ſunt illi beneuolentia coniuncti, amici eius fiunt. Reſtat illa tan-
tum vera amicitia, quæ honeſtatis cauſa ſuſcepta, iudicio, ſententia, & delectu
amicorum firmatur. Quam vnam Regi ducimus neceſſariam, quod is, & ſibi &
reipublicę pariter debeat in deligendis amicis prouidere. Quis enim tam inſcius
& temerarius exiſtat, vt quod eſt in vita maxime neceſſarium, id eſt, amicitiam
inconſiderate ineat, initamve ſemel deſerat, & contemnat? Ergo probi, iuſti,
prudentes, docti, integri, rerum multarum periti, reipublicæ ſtudioſi, moderati,
continenteſq; viri à Principibus adhibebuntur amici: non vt hæc eo in homine,
quem ii ſemel amare impetu quodam cœperint, eſſe poſtea putentur, ſed vt dele-
ctu habito prius illa internoſcantur, quam in amicitiam accipiantur. Ac poſt-
quam etiam adhibiti tales viri ſint, ne aut ſimulationis, aut ſtudii cauſa hæc po-
ni in aliquo poſſint, in quo minime exiſtant, veram Rex amicitiam ex eo à fal-
ſa diſcernet, ſi cupidos, & ſtudioſos commodi proprii, ſi auaros aut ambitioſos
eſſe amicos intelligat: id quod eorum vita, conſilia, actuſque indicare facile po-
terunt. Quod ſi autem talis ſit quiſquam à Rege deprehenſus, remoueatur
continuo ab amicitia: non aſpere, aut ſeuere, ne locus offenſioni vel minimo
cuiuis, vel infimo detur, ſed occulte dato etiam aliquo munere, vt honeſtius diſ-
cedat. Quod ſi autem probi, iuſtique familiares Regi ſint, atque adeo tales, qua-
les nos ſupra depinximus, videat diligenter, ne illi corrumpantur ambitione,

Qualis in Rege amicitia, & erga quos, & quatenus eſſe debeat.

Quomodo veros amicos à falſis dignoſcat Rex.

cupidi-

cupiditate,ſtudio,aliave cauſa: neve ad conſilia rerum magnarum adhibeantur, publicis muniis, & magiſtratibus præficiantur, niſi ſint iis quam aptiſſimi. Neque enim apud Principem tantum beneuolentia valere debet, vt officium deſeratur, nec aliqua inuitæ parte reipublicæ ab eo non conſulatur. Nec etiam ſi mihi credat, Rex tanto amore quenquam proſequetur, vt eum huic oſtendat, aut aliis id notum eſſe patiatur, ne occaſionem eidem det abutendi amicitia, & petendi res iniuſtas, neve aliis adulandi, conciliandive ſibi huius ſtudii locum concedat. Nam & is, qui Regi ſe amicum putat, ſuperbit mirum in modum, ſolus amicitia, & ſtudio illius vti conatur, excluſis reliquis omnibus, aut detractione, aut odio, cunctis ſe negotiis miſcet, tametſi eorum ignorantiſſimus ſit, nulli Regem fauere, patereve, niſi aut ſibi, aut iis, quos ipſe amet, patitur, omnia denique tanquam Rex alius quidam agere arbitrio ſuo vult: tum reliqui omnes cognita in illum Regis amicitia, eiuſdem ambiunt ſtudium, beneuolentiam, gratiam, hanc ſibi officiis, muneribus, interceſſione, ſtudioque aliorum conciliant, huius fauore ſe quiduis perfecturos ſperant, & arbitrantur. Exemplum eſt in Seiano Tiberii Cæſaris familiari, quem cum ille ſibi amiciſſimum haberet, cunctaque illius nutu, & conſilio ageret, tantum ei autoritas conceſſit, vt poſt ipſum ſecundos honores in republica haberet. Sed cum & ille, & reliqui huiuſmodi omnes exitum habent, vt ſumma cum omnium in ipſos maleuolentia, ac tandem Regis offenſione non modo è dignitate pellantur, ſed etiam ſpoliati ſæpe opibus iis, quas ſint adepti, turpiſſime vita priuentur: vt Seianus ille, quem commemoraui modo: cuius quidem rei cauſa eſt, quod cum omne illi Regis ſtudium ſibi tanquam vendicare, ac veluti regni ſocii eſſe velint, multorum ſibi odia conflant: plures ſibi inimicos ac inuidos faciunt, qui tandem vel autoritate ſua, ac potētia, vel ſatietate quadam Regis, quæ huiuſmodi amicitias interdum occupat, hos intimos amicos alienant, dimouentque ab illius animo, ac vel tantillum dimotos continuo occaſione data propellunt. Duplex autem vitium huiuſmodi eſt in amicitiis: vnum quidem Regis, alterum vero eiuſdem amicorum: illius quidem ob inconſtantiam, leuitatem, imperitiam, ſtoliditatem, deiectionemque animi, cuius indicium eſt, ſe alterius voluntati tam arcte addicere, horum autem quod amicitias has moderate non capiāt, ſed iis ad cupiditatem, auaritiam, ambitionemque ſuam abutantur. Atqui tales ſunt vitioſi Regis amici, taleſque probi, atque integri, quales à nobis ſunt modo deſcripti. Iam vero conſiliarii non modo à Rege velut amici peculiares quærendi ſunt, ſed vt communes etiam cum vniuerſa repub. quapropter in aliis quidem hominibus cernimus alia ingenia magis aliis congruere, ideoq; conſiliarios iis eos placere, qui ſibi aptiſſimi videantur: à Principe vero non ii tantum quærendi ſunt, qui ſibi placeant, ſed illi potius, qui toti reip. poſſint, & velint prodeſſe. Ergo cum nullus adeo prudens, aut doctus ſit, vt non egeat aliquando conſilio propter humanæ mentis hebetudinem, quæ cum aliis in rebus noxia, tum in gerēda rep. pernicioſiſſima eſt, Rex viros probos, modeſtos, doctos prudentes, experimento rerum

multarum peritos, magno ex hominum numero ſelectos, non ſtudio, beneuolentia, gratia, ſed ſolo virtutis nomine ſibi adiungat neceſſe eſt. Boni autem eſſe noſcentur, ſi & Principi & reipublicæ vtilia ſuadeant, non ſibi, aut eorum alterutri, ſi auari non ſint, aut cupidi, ſi regis voluntati ſemper non obſequantur, & aliquando ingenue repugnent, ſi in odium illius incurrere non vereantur, ſi omnia denique propter virtutem agere, ſuadere, diſſuadere, dicere videantur. Hæc ſunt conſiliariorum bonorum indicia, hæc ſigna manifeſtiſſima boni conſilii, ſi nec Rex iis aduerſetur, & hi rationem ſecuti ſemper cum illo idem ſentiant. Nec dubium eſt, quin per hoſce reſpublica conſeruata, & adminiſtrata diu ſanctiſſime ſtare poſſit. Quocirca ſummus hiſce viris honos & à Principe ipſo, & à tota republica habendus, gratiæque immortales reddendæ ſunt, tanquam totius imperii conſeruatoribus: tum opibus iidem ac dignitatibus euehentur vel autoritatis præmiique cauſa, & ne auaritiæ, cupiditatique pareant capiendis muneribus: in quo permagna ipſorum, & vniuerſæ reipublicæ corruptio, ac labes exiſtit, ipſi aut conſiliarii, ne horum etiam officium prætermittamus, quando prudentes, & vtilitatis communis ſtudioſi erunt, nihil Principi ſuadebunt, niſi & ipſi, & reipublicæ vniuerſæ pariter commodum videatur: tum ſi quid dent conſilii, nec id auaritia, nec cupiditate, ambitione, affectuve aliquo dabunt, ſed animo integro, ſincero, pacato, atque adeo reipublicæ, quam iuuare ſuis debeant conſiliis, ſtudioſo. Et quando, vt poeta inquit, veritas odium parit, tanquam boni chirurgi & vulneris vim perſpiciunt, & leniter curatum obligant, ne dolore irritetur: ſic ipſi Regis ingenio, & more cognitis, caute, manſuete, prudenter, grauiter, conſtanterque dabunt conſilium, vt is permoueatur facilius, & autoritate ductus, conſilium rectum ſequatur. Neque enim ſatis eſt tantum vtilia, & honeſta ſuadere, ſed ea ita dicere, vt grauitate, conſtantia, & dignitate dicentis facile commendentur. Cum hoc igitur modo in amicitiis quærendis, tractandiſque Princeps verſetur, adulationem præterea omnem vitabit, tum inimicitias, & odium erga ſe ciuium, aut Principum aliorum. Adulatores autem, aut ſunt occulti, aut aperti, iidemque aut quæſtum ex adulatione facere ſolent, vt paraſiti: aut commodi alicuius cauſa aliquando adulantur. Omnia hæc hominum genera tanquam reipublicæ peſtes fugienda tollendaque è medio ſunt. Occulti autem adulatores ſunt ii, qui regi ſemper placere, obſequi, voluntati non repugnare, laudare vel facta, vel dicta, vel geſta maiorum, omnia denique ad huius arbitrium, & voluntatem facere ſoleant. Qui quidem homines eo, quod Principi ſint (dicam enim eadem ſæpius) pernicioſiſſimi, omni ſtudio fugiendi, repellendique ſunt, ne dum blande in illius animum influant, praua ſuadeant, honeſta diſſuadeant, commodis ſuis magno reipublicæ damno ſeruiant, diteſcant, & honoribus ſummis decorentur, ſolique in regno tyrannidem exerceant. Paraſitos porro cum alere, ac fouere magnum ſit leuitatis, deiectique animi indicium, nunquã ſi mihi Principes credant, admittent, eſſeve vſquã in ciuitate ſinent, ne otioſos, prauos, libidinoſos, loquaces, impudentes, ſceleribuſq; aliis inquinatos homines

mines in rep.ſua ferāt, quos lege potius ex ea tollere, ac perſequi grauiſſimis ſupplicijs deberent. Non enim minus eſt hoc reip. infeſtum genus hominum, quod veluti occultus quidam eius morbus late admodum ſerpit, quam aperti hoſtes & regiæ potentiæ inimici. Nam cum potentia omnis ſit cunctis odioſa quantumvis charis atque coniunctis, diligenter rex prouidebit, ne bonum quenquam iniuria afficiat, neve in homines etiam prauos crudelis, aut ne magnatibus ſuis ob arrogantiam ſit odioſus: ſiquidem hi plerunq; regibus inimici eſſe ſolent, ſed in omnes ita ſe gerat, vt nullus ſubditorum omnium illum non amet, & colat, externi vero principes eius amicitiam, & propinquitatem ſponte appetant. Hoc autem duobus virtutum duarum officijs comparauerit facile: primum, ſi iuſtus, æquuſq; ſit erga omnes: dein ſi clementiam & humanitatem colat ſemper non erga ſuos tantum, ſed etiam æque in omnes exteros: Quæ duo cum per ſe amabilia & chara cuique ſint, regem chariſſimum cunctis facile effecerint. Sed de iuſtitiæ officijs permulta dixiſſe me arbitror: quanquam plura ſint his prætermiſſa: quoniam propoſita hac virtute tanquam ad imitandum exemplo ſtatim quid agendum, fugiendumve ſit, intelligetur præſertim à rege, quem nos prudentem & intelligentem rerum multarum fingimus. Ad eius fortitudinem nunc veniamus. Fortitudinem M. Cicero appellat affectionem animi, qua incommoda omnia rerum in noſtra poteſtate non poſitarum perferuntur. Ariſtoteles vero mediocritatem in perferendis laboribus conſtitutam. Hæc duplex eſt, aut ciuilis, cum in domeſticis rebus cernitur, aut bellica, cum in bellorum periculis. Vtriuſque duo ſunt officia, ſuſcipere vel laborem, vel difficultatem oblatam, & tandem ſuſceptam infracto animo ſuſtinere. Quo nomine quatuor ei aliæ virtutes adduntur, fiducia, & magnanimitas in aggrediendo, patientia, & conſtantia in ſuſtinendo. His ita propoſitis breuiter ſingula fortitudinis regiæ officia exquiramus. Cum omnibus alijs virtutibus regem, ſi fieri poſſit, quam ornatiſſimum eſſe velimus, tum fortitudine non tam priuata & domeſtica opus illi eſt, quam etiam bellica, & communi cum vniuerſa republic. Nam vt magnum ſit vitium, ipſum per ſe, quoties res poſcat, aut temeritate nimium iactari, aut metu frangi, tum ad ſeditiones ciuiles, calamitates ſuorum, aut proprias, aut omnia demum negotia vrbana, & labores permagno animo eſt, & elato illi opus. Quî enim remp. gerere poſſit, qui inertia quadam, atq; mollicie negotia fugiat, otietur, contentionibus ſe ciuilibus non miſceat, non audeat deniq; totū quaſi imperij onus ſubire? vt de Demetrio rege ſcribit Plutarchus, cuius ob inertiā, & regni opes omnino dilapſæ ſunt, & ipſe ignominioſe tandē extinctus eſt. Vnde duo in hac parte ſunt boni regis officia, primū, vt conſtanti, firmo, prōptoq; animo cuncta reip. negotia, & difficultates ſuſcipiat, eaq; tantum committat alijs, quæ propter multitudinem ipſe, aut difficultatē, niſi per illos gerere nequeat. Secundū, vt nec inertia, nec otio, aut negligētia, aut laboris metu, occaſionē & tēpus negociorū omittat, aut differat. Quapropter & hac quoq; in re fiducia opus eſt ad laborē ſuſcipiendū quocunq; tempore, aut loco, ne publico bono

De regis fortitudine.

priuata requies, aut relaxatio animi anteponatur: tum etiam magnanimitate, ad ſuſtinenda, gerenda, curandaq; cuncta reip. conducentia: itemq; patientia ad laborum moleſtias æquo animo ſuſtinendas: Poſtremo conſtantia in negocijs, in difficultatibus, periculis, querimonijs, efflagitatione, petitionibuſque importunis aliorum. Hac enim de cauſa commiſſam ſibi eſſe reip. adminiſtrationem putare debet, non vt ſubiectos imperio ſuo cunctos habeat tantummodo, vt affluat opibus, voluptate, otio, quiete, vt nihil agat, moliatur, curet, aut gerat, vt quaſi Sardanapalus quidam domi ſemper deliteſcat, paucis cum familiaribus comeſſetur, veſtiatur ſplendidiſſime, vt venetur, ludat, equitet, ſaltet, vt reliqua demum huiuſmodi alia ſibi ſolum iucunda, & vtilia agat, non publica. Itaq; labores hos omnes adminiſtrationis publicæ, curas, ac difficultates negotiorum ſuſcipere æquo animo non dubitabit, & poſtquam ſuſceperit, vna cum imperij dignitate, & honore conſtanter ſuſtinere non deſinet, quando hæc eſt vnica tantũ cauſa, cur vnus regno præfectus ſit, & honores propterea, opes, voluptates, apparatus, abundantia bonorũ omnium, reliquaq; huiuſmodi omnia illi ſuppeditantur, vt hoc quaſi leuamento labores facilius ſuſtineat. Veſpaſianus Auguſtus tãta (vt ſupra dixi etiam) in reip. negocijs procurandis fuit diligentia, vt ſummo mane, poſtquam à ſomno excitatus eſſet, negocia publica gerere, literas ac libellos ſupplices legere, audireq; vel ipſo in lecto ad ſe accedentes ſit ſolitus: idq; ipſum excitatus feciſſe dicitur, poſtquam valetudinem corporis, & ſanitatem honeſtis exercitationibus aliquantum curauiſſet. Idem à Domitiano Cæſare, impuro cęteroqui homine, factum legimus: cuius permagna fuit publicorum negociorum cura, magnaq; in iudices prauos, & mores ciuium corruptos ſeueritas. Sed ex his ſane Traianum Cæſarem nemo æquauit, qui per ſeipſum ius adminiſtrabat, ac pro tribunali frequenter iudicia in cauſis ferebat, quas ſine defatigatione audire non recuſabat. Contra vero Cõmodus, qui cũ ob inertiam, vitæq; molliciẽ Perennio, Regilo, Iuliano, alijſq;, quos habuit, familiaribus, imperij adminiſtrationẽ cõmitteret, & remp. male affecit, & ipſe odioſus omnib. eſt factus. Ergo in hoc toto regiæ fortitudinis ratio verſabitur, vt negociorum labor ac difficultas, & pericula æquo animo ſubeãtur, ſuſtineanturq;, quãdiu rerũ is potiatur. Sed iã ad bellicam fortitudinem veniam: cuius officia latius in regis vita patent, propterea quod bellum is ſuſcipere ac ſuſtinere totius reip. nomine debeat. Fortitudinem autem bellicam iuſtæ belli cauſæ faciunt, non vires, aut animus. Nam vel iniuſtiſſimi quiq; ſæpenumero validiſſimi ſunt: ferorũ etiam animalium permulta ſunt robuſtiſſima, non tamen fortia, quod ratio, iuſtitia, delectus, conſilium, cogitatio, deliberatio, cæteraq; fortitudinis propria eis deſint, quib. hæc virtus carere multo minus poteſt, q̃ anima corpus, rationeve animus hominis. Iuſtæ autẽ belli cauſæ erunt, non tantum, vt arbitratur M. Tullius, ſi primum hoſtis quis iudicetur, aut ſi idem repetendis de rebus ſuſcipiatur; ſed ſi facta reipub. iniuria ſit vindicanda, ſi bona vſurpata repetenda, ſi pro communi ſalute & commoditate ciuium pugnandum. Cum enim aliter ſtare reſp. quam bello ſæpe geſto, ne-

Regis diligentia & patientia in publicis negociis.

Quod bellum iuſtum, & quomodo à rege gerendum.

queat: vt eleganter in primo de legibus libro Plato ſub Cliniæ perſona docet: neceſſe profecto eſt, bellum iis de cauſis, quas dixi, ſuſcipi, ne iniuriæ, contumeliæ, audaciæq; hominum iniuſtorum eadem pateat. Et quanquã non deſint, qui bellum à Chriſtiano principe negent gerendum, quod in hoc charitas ſumma, ſummaq; patientia erga omnes eſſe debeat: vel illa ſaltem, quæ à populo Hebræorum, atq; à ſanctiſſimis Imperatoribus contra barbaros tyrannoſq; bella geſta ſunt, docere poſſunt, iuſte aliquando bellum & ſuſcipi, & geri poſſe: præſertim cum Deus remp. nolit perire, aut deſeri, aut leges, & inſtituta populorum æternę legi non repugnantia, mutari: id quod à doctiſſimo ſanctiſſimoq; viro D. Auguſtino, vt omnia, ſubtiliter diſputatur. Itaq; cum aliquando iure Chriſtianus princeps bellum gerere, & ijs de cauſis, quas dixi, ſuſcipere poſſit, ac debeat, nunquam is cupiditatem, auaritiam, ambitionem, iramve ſuam in eo ſuſcipiendo, ne iniuſtam eius faciat ſuſceptionem, ſequetur: quod à pleriſq; principibus fieri non ſemel cernimus, dum ij vel nominis ſui gloriam amplificare, vel regnum ꝓpagare, vel æmulos ſibi principes ſubijcere, vel irã ſuam maleuolentiãq; incõmodo publico vindicare ſtudent. Quapropter nõ eſt vllo pacto improbanda eorũ ſentẽtia, qui ſuſcipiendi belli conſiliũ, & autoritatẽ omnem principib. ſolis nõ concedãt, cum aliquid etiã arbitrio ac deliberationi ipſius reip. cuius cauſa bellum geritur, tribui oporteat. Nec enim æquum eſt, aut principis boni dignum officio, bella ſuorũ cõmodorum aut cupiditatis cauſa, rep. inuita, & reluctante ſuſcipere, nec illã ob cauſam dimitti, ſi reſp. ipſa poſcat id, ac requirat. Ergo ne bellũ principes aliquando iniuſte gerãt, non tantũ iuſtas illius cauſas ſequantur, ſed populi etiã ſubiecti ſibi, conſenſum, & autoritatẽ, nec vllum niſi ab eo approbatum, adminiſtrent. Quid enim à principe diſtet tyrannus, ſi pro arbitratu ille ſuo, quacunque de cauſa bellum indicere, cum è rep. non ſit, & ei fortaſſe noceat permultum, refragantibus ſæpe ciuibus gerere velit? Siquidem hoc etiam, Platone auctore, tyranni eſt, & eius, qui commoda ſua publicis anteponat. Nam ſi tam probus, tamque publici commodi, ſtudioſus rex eſſet, vt non interdum ira, cupiditate, ambitioneve, duceretur, committerem illi profecto belli gerendi deliberationem: at cũ cõmunem aliquem principẽ, quales pleriq; nunc ſunt, fingamus, adiungenda illi eſt reip. quoq; ſeu eius procerum omnium autoritas, vt ſine ipſa nihil agere poſſit, cum hac in re bono regni communi, non priuato ipſius ſit conſulendum. Suſcepto igitur hoc modo bello, ex reip. volũtate pariter, atq; ſua, cum opus eſt, ac res poſcit, cum iuſtæ cauſæ intercedunt, cum integrum eſt reip. & commodũ: ſic eius difficultatem rex, atq; laborem ſuſtineat, vt ſibi imperij ſalutem cõmiſſam eſſe arbitretur, itaq; præter ingenitam illam animi ſui excellentiam, roburq; inuictum: quod non in eo tantum, ſed quouis etiam in viro probo requirimus: curam, induſtriã, prudentiamq; ſuã in rebus apparandis, quærendis, inſtruendiſq; ad neceſſarium bellum adhibeat. Quemadmodum enim ineptus ſit, qui findere aut operari quicq̃ velit, niſi accõmodato inſtrumẽto, ita res bello gerẽdo neceſſarias, cum ſit ſuſceptum ſemel, rex paret, atque inſtruat, neceſſe eſt. Neceſſaria

Penes quos ſit belli gerendi autoritas.

priuata requies, aut relaxatio animi anteponatur: tum etiam magnanimitate, ad ſuſtinenda, gerenda, curandaq; cuncta reip. conducentia: itemq; patientia ad laborum moleſtias æquo animo ſuſtinendas: Poſtremo conſtantia in negocijs, in difficultatibus, periculis, querimonijs, efflagitatione, petitionibuſque importunis aliorum. Hac enim de cauſa commiſſam ſibi eſſe reip. adminiſtrationem putare debet, non vt ſubiectos imperio ſuo cunctos habeat tantummodo, vt affluat opibus, voluptate, otio, quiete, vt nihil agat, moliatur, curet, aut gerat, vt quaſi Sardanapalus quidam domi ſemper deliteſcat, paucis cum familiaribus comeſſetur, veſtiatur ſplendidiſſime, vt venetur, ludat, equitet, ſaltet, vt reliqua demum huiuſmodi alia ſibi ſolum iucunda, & vtilia agat, non publica. Itaq; labores hos omnes adminiſtrationis publicæ, curas, ac difficultates negotiorum ſuſcipere æquo animo non dubitabit, & poſtquam ſuſceperit, vna cum imperij dignitate, & honore conſtanter ſuſtinere non deſinet, quando hæc eſt vnica tantũ cauſa, cur vnus regno præfectus ſit, & honores propterea, opes, voluptates, apparatus, abundantia bonorũ omnium, reliquaq; huiuſmodi omnia illi ſuppeditantur, vt hoc quaſi leuamento labores facilius ſuſtineat. Veſpaſianus Auguſtus tãta (vt ſupra dixi etiam) in reip. negocijs procurandis fuit diligentia, vt ſummo mane, poſtquam à ſomno excitatus eſſet, negocia publica gerere, literas ac libellos ſupplices legere, audireq; vel ipſo in lecto ad ſe accedentes ſit ſolitus: idq; ipſum excitatus feciſſe dicitur, poſtquam valetudinem corporis, & ſanitatem honeſtis exercitationibus aliquantum curauiſſet. Idem à Domitiano Cæſare, impuro cęteroqui homine, factum legimus: cuius permagna fuit publicorum negociorum cura, magnaq; in iudices prauos, & mores ciuium corruptos ſeueritas. Sed ex his ſane Traianum Cæſarem nemo æquauit, qui per ſeipſum ius adminiſtrabat, ac pro tribunali frequenter iudicia in cauſis ferebat, quas ſine defatigatione audire non recuſabat. Contra vero Cõmodus, qui cũ ob inertiam, vitæq; mollicië Perennio, Regilo, Iuliano, alijſq;, quos habuit, familiaribus, imperij adminiſtrationẽ cõmitteret, & remp. male affecit, & ipſe odioſus omnib. eſt factus. Ergo in hoc toto regiæ fortitudinis ratio verſabitur, vt negociorum labor ac difficultas, & pericula æquo animo ſubeãtur, ſuſtineanturq;, quãdiu rerũ is potiatur. Sed iã ad bellicam fortitudinem veniam: cuius officia latius in regis vita patent, propterea quod bellum is ſuſcipere ac ſuſtinere totius reip. nomine debeat. Fortitudinem autem bellicam iuſtæ belli cauſæ faciunt, non vires, aut animus. Nam vel iniuſtiſſimi quiq; ſæpenumero validiſſimi ſunt: ferorũ etiam animalium permulta ſunt robuſtiſſima, non tamen fortia, quod ratio, iuſtitia, delectus, conſilium, cogitatio, deliberatio, cæteraq; fortitudinis propria eis deſint, quib. hæc virtus carere multo minus poteſt, q̃ anima corpus, ratione ve animus hominis. Iuſtæ autẽ belli cauſæ erunt, non tantum, vt arbitratur M. Tullius, ſi primum hoſtis quis iudicetur, aut ſi idem repetendis de rebus ſuſcipiatur: ſed ſi facta reipub. iniuria ſit vindicanda, ſi bona vſurpata repetenda, ſi pro communi ſalute & commoditate ciuium pugnandum. Cum enim aliter ſtare reſp. quam bello ſæpe geſto, nequeat:

Regis diligentia & patientia in publicis negocijs.

Quod bellum iuſtum, & quomodo à rege gerendum.

queat: vt eleganter in primo de legibus libro Plato ſub Cliniæ perſona docet: neceſſe profecto eſt, bellum iis de cauſis, quas dixi, ſuſcipi, ne iniuriæ, contumeliæ, audaciæq; hominum iniuſtorum eadem pateat. Et quanquã non deſint, qui bellum à Chriſtiano principe negent gerendum, quod in hoc charitas ſumma, ſummaq; patientia erga omnes eſſe debeat: vel illa ſaltem, quæ à populo Hebręorum, atq; à ſanctiſſimis Imperatoribus contra barbaros tyrannoſq; bella geſta ſunt, docere poſſunt, iuſte aliquando bellum & ſuſcipi, & geri poſſe: præſertim cum Deus remp. nolit perire, aut deſeri, aut leges, & inſtituta populorum æternę legi non repugnantia, mutari: id quod à doctiſſimo ſanctiſſimoq; viro D. Auguſtino, vt omnia, ſubtiliter diſputatur. Itaq; cum aliquando iure Chriſtianus princeps bellum gerere, & ijs de cauſis, quas dixi, ſuſcipere poſſit, ac debeat, nunquam is cupiditatem, auaritiam, ambitionem, iramve ſuam in eo ſuſcipiendo, ne iniuſtam eius faciat ſuſceptionem, ſequetur: quod à pleriſq; principibus fieri non ſemel cernimus, dum ij vel nominis ſui gloriam amplificare, vel regnum ꝓpagare, vel æmulos ſibi principes ſubijcere, vel irã ſuam maleuolentiãq; incõmodo publico vindicare ſtudent. Quapropter nõ eſt vllo pacto improbanda eorũ ſentẽtia, qui ſuſcipiendi belli conſiliũ, & autoritatẽ omnem principib. ſolis nõ concedãt, cum aliquid etiã arbitrio ac deliberationi ipſius reip. cuius cauſa bellum geritur, tribui oporteat. Nec enim æquum eſt, aut principis boni dignum officio, bella ſuorũ cõmodorum aut cupiditatis cauſa, rep. inuita, & reluctante ſuſcipere, nec illã ob cauſam dimitti, ſi reſp. ipſa poſcat id, ac requirat. Ergo ne bellũ principes aliquando iniuſte gerãt, non tantũ iuſtas illius cauſas ſequantur, ſed populi etiã ſubiecti ſibi, conſenſum, & autoritatẽ, nec vllum niſi ab eo approbatum, adminiſtrent. Quid enim à principe diſtet tyrannus, ſi pro arbitratu ille ſuo, quacunque de cauſa bellum indicere, cum è rep. non ſit, & ei fortaſſe noceat permultum, refragantibus ſæpe ciuibus, gerere velit? Siquidem hoc etiam, Platone auctore, tyranni eſt, & eius, qui commoda ſua publicis anteponat. Nam ſi tam probus, tamque publici commodi, ſtudioſus rex eſſet, vt non interdum ira, cupiditate, ambitioneve, duceretur, committerem illi profecto belli gerendi deliberationem: at cũ cõmunem aliquem principẽ, quales pleriq; nunc ſunt, fingamus, adiungenda illi eſt reip. quoq; ſeu eius procerum omnium autoritas, vt ſine ipſa nihil agere poſſit, cum hac in re bono regni communi, non priuato ipſius ſit conſulendum. Suſcepto igitur hoc modo bello, ex reip. volũtate pariter, atq; ſua, cum opus eſt, ac res poſcit, cum iuſtæ cauſæ intercedunt, cum integrum eſt reip. & commodũ: ſic eius difficultatem rex, atq; laborem ſuſtineat, vt ſibi imperij ſalutem cõmiſſam eſſe arbitretur, itaq; præter ingenitam illam animi ſui excellentiam, roburq; inuictum: quod non in eo tantum, ſed quouis etiam in viro probo requirimus: curam, induſtriã, prudentiamq; ſuã in rebus apparandis, quærendis, inſtruendiſq; ad neceſſarium bellum adhibeat. Quemadmodum enim ineptus ſit, qui findere aut operari quicq̃ velit, niſi accõmodato inſtrumẽto, ita res bello gerẽdo neceſſarias, cum ſit ſuſceptum ſemel, rex paret, atque inſtruat, neceſſe eſt. Neceſſaria

Penes quos ſit belli gerendi autoritas.

vero

Vigilantia regis in prouidẽdis bello neceſſariis.

vero ſunt milites, apparatus, tormenta, machinæ, commeatus, reliquaq; omnia, quæ belli vſus requirit. Quibus parandis tum ſuas ipſe opes, tum etiam reip. impendet, quando vtriuſq; in eo agatur vtilitas, & pari cura in hanc partem vterq; incumbere debeat. Qui porro commeatus, quæve impedimenta belli paranda, inſtruendave ſint, & qualia, & quo tempore multo me id commodius, ac melius duces ipſi, reiq; militaris periti homines indicabunt, qui ne id, quod Phormio de belli ratione multa arroganter apud Annibalem diſſerens audijt, tanquam eius artis ignarus, & imperitus, audire nolim. De militib. vero permulta à Platone, ac philoſophis alijs præcepta video, quæ quanquam commoda videantur, nequaq̃ noſtris temporibus omnia conducunt. Nam militem ipſa ab infantia recte educari, artibus liberalibus imbui, nihil eum proprij habere, vino non vti, aliaq; huius generis multa ſunt apud Platonẽ, quæ bona quidem illa videri poſſint, ſed his temporibus plane non congruentia. Quamobrem pios, robuſtos, probos, fidos, reip. ac ſui principis ſtudioſos milites tantum requiramus, eoſq; à ducibus, iubeamus officio, & diſciplina contineri, ne iniuriam alicui faciant, neve prædentur, aut inſolentes, maledici, crudeles, ſæui, inhumaniq; ſint, neve ſegnes, pigri, inobedientes, caſtrorum deſertores, neve reliqua militum non tueantur officia: cætera nec ab iis requiramus: cum velut inſtrumenta belli tantummodo ſint: & principi, ac ducibus, ſi videatur, committamus, à quibus maior prudentia poſtulatur. Vtrum a. militum copiæ ex ciuibus ſint, an ex alienigenis, & conductitijs hominibus conſcriptæ, nihil refert, modo ea, quæ dixi, ratione omnis contineatur, habeaturque bonorum fidelium, ac fortiſſimorum delectus. Qui enim aliquod inſtrumentum quærit, num hoc loco factum, an illo ſit, minime ſpectat, ſed an recte factum omnino ſit. ita princeps militem cum gerendo bello deligat, qui fidiſſimus ac robuſtiſſimus ſit: reliquum addat ipſe, vt neceſſario victu, & ſtipendio dato, cunctos ſeueritate diſciplinæ coerceat. Qui porro fideles, robuſtique milites ſint, quanquam per ſingularum nationum facta, ingenia, inſtitutionem, atque vſum progreſſi docere poſſumus, tamen minus id late patet, quam ſi vniuerſum hoc regibus præcipiatur: vt eos, qui ſuo tempore habeantur fortiſſimi, deligat, tum vt ſuos frequenti exercitatione, vel ipſa in pace inſtruat, quo melius ad bellum aſſuefiant. Nam ſingulis fere ætatibus, neſcio ſane, an hominum corruptione, ac mollicie, an deſuetudine, copia, & luxu, vel debilitari gentium quarundam animos, vel roborari magis videmus, vt olim Germani, ac Belgæ fortiſſimi erant, cum tanta ad eos mollicies, tantaque rerum importatarum copia nondum veniſſet, at hodie minus ſunt fortes, ac ſtrenui. Arabes contra, & Aſiani imbelles homines, atque molles tantum memoria noſtra factorum gloria, robore, atque armis, & militari arte valuere, vt nulli magis antiquam illam rei bellicæ diſciplinam retinere adhuc videantur. Vniuerſam enim hodie Græciam, Thraciam, Illyriam, Pannoniam, & bellicoſiſſimas alias Europæ gentes à Turcis eſſe ſubactas cernimus. At Europæi, qui ſine dubio cunctarum gentium fortiſſimi ſemper ſunt habiti, vix intra Germaniæ, Italiæ, & Hiſpaniæ fi-

Milites quales eſſe debeant.

nes à barbarorum impetu, diſſidentibus inter ſe Chriſtianis principibus, poſſunt tueri. Ego Genizarorum militum, quibus Turcarum reges hodie vtuntur, diſciplinam illam atque ordinem, non probare maxime nequeo, cum tantum illi nationi virium, roboris, ac potentiæ, vel vna ea de cauſa inſit, quantum vix conſentientibus nobis aduerſus communem hoſtem ineſſe poſſit. Ac miror equidem tantam principum hac ætate, in qua bella tamdiu increbuerint, negligentiam eſſe rei militaris, vt nunquam in pace militem alere, exercere, inſtruere, aut etiam in bello, vel vllam denique rei militaris curam, quæ antiquis omnibus maxime fuit, habendam putarint: cum id à Romanis, Græcis, Perſis, ac pleriſque alijs nationibus factum olim legamus, hodieq; vix vllos haberemus milites, quibus nos tueremur, niſi frequentibus, & inteſtinis bellis quodammodo, Europei cuncti vim illam animi ingenitam, & natiuam communi calamitate exercuiſſent. Sed de militari re nolo plura pręcepta, longiorave ferre, cum multa & ea de re ſcripta, & ducum, ac principum experimento collecta ſint, quæ commemorari faſtidioſum eſſet. Id tantum addam poſtremo, magnam principibus rei bellicæ curam vel ipſa in pace haberi oportere, quando nec ſecus ſeruari poſſit reſp. & hac vna de cauſa ex priuatis hominibus multos ad magna imperia euectos, & ex anguſtis, egeniſque ciuitatibus magnam exortam eſſe regnorum potentiam videamus: quod imperij Romani, & Arabici, ac Tamerlanici regni primordia declarant, quorum illud ex paucis exulibus, & alienigenis vnum in aſylum concluſis ortum habuit, hæc duo ex Mahomete agaſone, & Tamerlano paſtore. Occurrunt hic aliqua diſquirenda, quæ plurimum dubitationis afferunt, quod tum reipub. vtilia, tum inutilia diuerſas ob cauſas videantur. Cuius generis primum illud eſt: num regem bello intereſſe commodius ſit, quam idem per duces geri: ſecundum, num illi pro rep. ſi ſit opus, cadendum, an pro illo reipub. ſit. Sunt, qui regem domi manere remp. adminiſtrantem, bellum autem per ſtrenuos, fidoſque duces gerere velint, quod magno reipub. incommodo is periculis ſe bellicis offerat, quod dum intra fines ſe regni continet, & ciuilia, & bellica poſſit melius curare, quod duces facilius, cuicunque ſe periculo vel honoris, vel opum, vel gratiæ apud regem cauſa objciant, quod princeps, è cuius ſalute cum tota exercitus ſalus pendeat, in eum conſeruandum vires potius, quã in repellendum hoſtem vertantur, quod demum ſi rex cædatur, aut capiatur, non tantum deleatur exercitus, ſed regnum etiam nonnunquam: cuius rei exemplo Iuſtinianum Cæſarem proferunt, qui per duces præclare multa geſſerit, quibus ipſe interfuerit nunquam, tum principes alios, qui domi deliteſcentes, per adminiſtros plus quam per ſeipſos geſſerint. Sed horum ſane ſententia licet permultis probata, vtilior eſt principi, quam vniuerſæ reip. ſiquidem id fit, ne periculo ſe rex objciat, non vt bellum commodius adminiſtretur. Nam ſi quod regis in adminiſtranda rep. munus ſit, ſpectetur, cernemus profecto, illum grauiſſimis bellis, tametſi multa ſint, quæ diuerſis in locis agere per ſe omnia nequeat, intereſſe debere. Ecquæ fuit alia reip. cauſa quærendi ſibi vnum aliquem

Regem intereſſe bello debere.

hominem, niſi vt ſe huius curæ, ſtudio, induſtriæ, labori diligentiæque committeret? Quo ille modo eam tueri melius, quam cum vitæ ſuæ periculo poſſit? cum bellum, vt antea diximus, non ipſius principis cauſa, ſed vniuerſæ reipub. ſuſcipiatur? Ergo ſi princeps propter reipub. commoditatem exiſtit, & bellũ eiuſdẽ ob cauſam ſuſcipiendum eſt, certe ſit negligens ipſe atq; timidus, eſt neceſſe, ſi cũ vniuerſa rep. in belli diſcrimẽ nolit deſcendere. Præterea cũ copijs rex præeſt, autoritate tueri diſciplinam, atq; ordinẽ militũ poteſt cõmodius: tũ nulla ſeditionis, aut militaris tumultus tãta eſt licentia, quanta ſi abſit: omnib. itẽ animi robur, eo præſente, ad virtutem inflãmatur: recte præterea facta quorumvis facilius noſcunĩ, vt præmijs afficiantur: maiori deniq; cura milites ſingulos, & vnius ſam exercitus ſalutẽ conſeruat ille: q̃ alius quiſquam, vt is, cuius agatur maius incommodum, atq; maius periculũ. Quæ qui diligẽter omnia perſpexerit, nunq̃ dubitabit, quin principem bello præeſſe, longe ſit vtilius ac melius. Proponatur Alexander Macedo, qui cum multa per ſe fortiſſime prælia confeciſſet, multarum quoq; victoriarum autor fuit, vt cũ ſingulari certamine cũ Indorum rege Poro conflixit, aut eum in vrbem Indiæ quandam, quam obſidebat, primus omnium inſiluit, vulneratusq; grauiter diu, quousque caperetur, pugnauit. Idem C. Cæſari, Octauio, Aureliano, Probo, Conſtantino, Theodoſio, cæterisque Imperatoribus accidit. Tam enim eſt neceſſarium in bello verſari principem, ipſumque exercitum ducere, vt pro rep. etiam mors ſit ab eo nequaquam, vbi res poſcat, vitanda. Ita legimus, antiquiſſimum Athenienſium regem Codrum, pro patria occubuiſſe: ſic Darium ab Alexandro tribus præliis ſuperatum: ſic denique Iulianum Cæſarem, Theodoricum Hiſpaniæ & Gottorum regem, proximis vero annis Ludouicum Pannoniæ à Turcis, deleto eius exercitu, cæſum. Eadem enim eſt ab Imperatore, quæ à milite quouis gregario, ſors pro ſalute patriæ expectanda, idemque Martis euentus: licet idem cuiuis periculo, ne communem ſalutem cum ſua pariter in diſcrimen adducat, non debeat ſeſe committere. Sed hæc omnia cuique vel mediocriter inſtituto perſpicua ſunt, cum eadem fortitudinis eſſe officia & in rege, & in quouis priuato homine debeant, eadem animi firmitas, conſtantia, robur, atque patientia. Reſtat temperantia, de cuius officijs eſt diſſerendum ad finem. His enim propoſitis, tota erit optimi regni, ac regis inſtitutio perfecta. Temperantiam definire ſolent virtutem impetus inhoneſtarum cupiditatum reprimentem, ac moderantem. Cuius permultæ quaſi formæ, parteſque ſint, quarum officia late pateant: vt abſtinentia, ſobrietas, caſtimonia, continentia, clementia, modeſtia, moderatio, comitas ſeu affabilitas, ornatus vitæque cultus. Sed hæc nos ſingula perſecuti in principis vita quæramus. Temperantem eſſe regem debere, id eſt, vt ait Ariſtoteles, nec voluptatibus deditum nimium, nec ab eiſdem plane abhorrentem, ſed aliquando ad animi leuationem eiſdem vtentem, quatenus ratio præſcribat, vel quiſque indoctus concedat: cum id ad probos honeſtoſque viros æque pertineat, nec reliquis deteriorem fingere, quoad fieri poſſit, principem inſtituamus. Quæ autem, & quales eæ vo-

Regi pro rep. moriendum, ſi ſit opus.

De regis temperantia.

luptates ſint, quas ad leuationem animi ſit ipſe capturus, abunde, vt arbitror, ſupra expoſui: de vitio item illo nimiæ auſteritatis, qua voluptates omnes ſine delectu repudiantur, nihil eſt, quod præcipiatur, cum nihil in principe eiuſmodi ſit timendum, qui bonis affluat cunctis, & cui modus ſit voluptatum potius imponendus, quam excitandus ad eas appetitus. Ergo ad ſingulas temperantiæ formas veniamus, quarum prima eſt abſtinentia. Hæc cum à voluptatibus prauis, ac inhoneſtis animum reuocet, easque tantum relinquat, quæ neceſſitati naturæ ac rationi rectæ congruant: in eo verſatur potiſſimum, vt is voluptati modus adhibeatur: qui perturbationes animi turbidas, & inſolentes cohibeat, nihilominus tamen honeſtam iucunditatem laboribus neceſſariam addat, cum contentione vti perpetua humana mẽs nequeat. Verum hac de re plura nos ſuo loco retulimus. Sequitur huic ſimilis continentia, quæ quanquam eadem eſſe cum ſuperiore videatur, ad cupiditates magis refrenandas, quam ad voluptates pertinet, eo quod abſtinentes dicantur ij, qui tantũ delectationis capiunt, quantum requirat ratio, continentes vero illi, qui cupiditates rerum vtilium, ac iucũdarum moderentur. Quo nomine proprium huius eſt, non expetere, aut quærere nimias opes, ſuperbos & arrogantes honores, imperij amplitudinem, ſed neceſſariam tuendæ reip. commoditatem, honeſtamque gloriam. Quid enim regis animo elato, & alto indignius, quam ſeſe ad opes quærendas ſuorum ſubditorum, aut exterorum iniuria, detrimentoque abijcere? quid iniuſtius porro, & imperio exitioſius? multos enim perdidit auaritia, vt Craſſum à Parthis diuitias quærentem: alios ambitio & cupido imperandi effrenata: vt C. Cæſarem, ac pleroſque tyrannos: alios propagandi imperij cupiditas ad propriam cædem, ſæuitiam, crudelitatem, impietatem, turpiſſimaq; alia ſcelera induxit: vt nihil principi magis, reive publicæ pernicioſum ſit, quam incontinentia: ſicut nec ſalutarius, aut melius continentia. Huc pertinet inexplebilis illa imponendorum tributorum, & exigendorum cupido, qua incenſi reges, nec ſubditis parçunt, ac indies eorum fortunas, bonaq; expilant, huic rei maiorẽ fortaſſe, quam bono publico curam adhibent, multa exigendi genera, & formas quærunt, præmia ijs tribuunt, qui nouum aliquod vectigalis genus vtile, & quæſtuoſum inuenerint. Qua quidem re quid iniuſtius, aut à paſtore bono, & communis vtilitatis ſtudioſo alienius? Ergo tributis exigendis, & imponendis modum rex teneat, ne aut plura tributa, diuerſis temporibus exigat, quam neceſſitas poſcat, aut ſubditorum opes ferant, neve perdifficiles, & auaros homines ea extorqueat, cõducatve ipſe, aut oppignoret, pecuniæ ſumma aliqua accepta, ne denique huiuſmodi nouorum tributorum inuentores, excogitatoreſque foueat, aut vltro accedentes impune dimittat. Ita enim fiet, vt continentiſſimus in vtendis, quærendiſque opibus ſit, & reipub. pariter conſulat. Quorſum enim reges ludicris rebus, & inutilibus, ne prauis dicam nonnunquam, tantum impendant pecuniarum, vt in egeſtatem adacti, nihil magis cogitent, quam qua ratione nouũ vectigal ſuis imponere poſſint, aut quo pacto plus colligant, improbiſſimis, aua-

De regis cupi-ditatum con-tinentia.

De tributis imp nendis, aut exigend

riſſimisq; hominibus, qui publico incommodo cupiant ditari, ei muneri adhibitis: cur etiam adulatoribus, & auaris inuentoribus tributorum nouorum aditum præbeant, cum nihil illi vtile, aut ſalutare reipub. adferant? quorſum denique tantum conſumant ex neceſſarijs reditibus, vt cum illis ſit opus (nam militem ali à repub. longe dixi eſſe ſupra commodius) nouæ ſint exigendæ pecuniæ, denuoque ciues vexandi, nec tam prudentes fuerint, vt longe ante futuræ indigentiæ prouiderint? Triplici ex rerum genere vectigalia Romani percipere ſoliti ſunt, ex agricultura, mercimonijs, & priuatorum opibus: at nunc ne victus quidem tributo vacat. Excitati ſunt graues Romæ tumultus, Octauio Auguſto, nouum aliquod, tamen exiguum vectigalis genus imponente, qui tamen ea in re continentiſſimus omnium fuiſſe viſus eſt: Permultæ item ſeditiones, & priſcis temporibus, & patrum memoria in Hiſpania exortæ eandem ob cauſam ſunt: alijs in ciuitatibus etiam grauiſſimæ contentiones ob id vnum ſunt natæ. Quæ res docet, nihil magis eſſe reip. perniciosſum, quam eiuſmodi noua tributa imponi, non modo quod id ſit iniuſtum, ſed etiam quod tumultuandi occaſio populis detur, dum hoc modo ſe indies fortunis priuari magis ac magis ſentiant. Etenim ſi hæreditate paterna nemini abuti licet, cum tantum is debeat impendere, quantum diuitiarum ratio permittat, multo profecto magis id regem decet, cui regnum non vt poſſeſſio quædam, hæreditaſq; traditur, ſed tanquam diſpenſatori eius opes, ac bona vtiliter, & in vſum reip. expendendæ committuntur. Nunquam igitur reges, ſi iuſti eſſe volent, aut hæc excogitabunt tributa, aut grauioribus populum exactionibus vnquam affligent, aut plus demum, quam dari poſſit, requirēt. Qua de cauſa laudandus eſt Antoninus Cæſar, qui nihil vnquam ex publico ære fruſtra impendendum, nullumque à ciuitate nouum tributum exigendum, niſi conſenſu & ſenatus, & populi Romani putarit: quod eius id proprium non eſſe, ſed vniuerſæ reip. putarit, cuius in exigenda, & inſumenda pecunia habenda eſſet ratio. Qua etiam in re illud peccari, vt antea dicebam, video à pleriſque, quod dum tributa noua imponūt, aut vetera poſcunt, per eos homines illa exigunt, vt reſpub. in dandis ijs detrimentum capiat: egeni vero multo plus reddere, quam ditiores cogantur: quod ſane vtrumque iniuſtiſſimum eſt, & à principe ſummo ſtudio cauendum. Quemadmodum enim medicus imperitus exiſtat, qui ægrotum curaturus ex ea parte, cui opus non ſit, ſanguinem ducat, aut plus eliciat, quam morbi ratio poſcat: ita imprudens, iniuſtuſque princeps, qui rebus ijs imperet tributa, vnde maximum capiatur incommodum, & illa ita diſtribui velit, vt diuites parum, egeni autem multum pro ſuis opibus reddere iubeantur. Eſt enim in hoc magna ratio, & earum rerum, ex quibus ſine detrimento quæſtus fieri poſſit, habenda, & ſic imponenda cunctis tributa, vt pro ratione opum quiſque aut plus aut minus exoluat, nemo autem ab hoc onere, quod ſit cunctis commune, liber exiſtat: cum immunitates nobilitati aut præclaris viris vtilius ſit, alia in re dari, vt in honoribus, dignitatibus, reipub. muneribus, & id genus alijs, quam in eo, ex quo egenis hominibus afferatur

In quos vſus opes conſumēda à rege.

Qua ratione imperanda vectigalia.

incom-

incommodum. Verum hac de re ſatis hoc loco. Multo enim hæc melius is magiſtratus, qui exigendis, aut imponendis tributis, & pecuniariæ rei præficiatur (qualis pleriſque in rebuſpublicis bene conſtitutis extitit ſemper, eſtque adhuc) id perſpexerit, habita temporis, rerum & occaſionis ratione. Veniam ad ſobrietatem, quæ moderationem victus, & potus adhibet eam, vt ne quid amplius capiatur, quam ratio & naturæ neceſſitas poſcat. Hæc Regi tam eſt neceſſaria, vt nihil ei decentius, nihil vtilius eſſe poſſit. Nam præter id, quod cibo, potuque repleti homines, & ratione minus vtuntur, quam ſi ſint ſobrii, & valetudinem grauiter lædunt: eſt etiam turpiſſimum eum, qui aliis ſit imperaturus, aut inebriari, aut cibo, potuq; immoderato vti. Quam multa fœde, atq; iniuſte Alexander ob vnam ebrietatem commiſit? Amyntam conſobrinum occidit, nouercam fratreſque necauit, Parmenionem, Philotam, Attalum, Pauſaniam, Eurilochum, alioſq; Macedonas viros Principes interemit, ipſum quoq; Clytum amicum, ſenem, ac demum Calliſthenem doctum Philoſophum trucidauit. Taceo Ptolemæum II. Ægyptiorum Regem, qui tam corrupta mente propter intemperantiam in victu fuiſſe fertur, vt nullam aliam ſe immortalitatem quærere, ſolitus ſit dicere, quam ſi valetudine integra, conſuetis perfrui voluptatibus poſſet: omitto Dionyſium Tyrannum, qui eandem ob cauſam pinguiſſimus factus, reſpiratione interclusa, tandem extinctus eſt: Prætereo Alexandrum eundem Macedonem, qui nimio potu impotens eſt factus ſuſcipiendæ proli: Dionyſium Tyrannum lippum, & cæcutientem cauſa ebrietatis, Philippum eiuſdem Alexandri patrem, hominem ebrioſum: Antiochum etiam Magnum, permultoſque alios ebrietati, gulæq; deditos Principes: quid obſecro hac re turpius? quid fœdius? immanius? homine demum liberali indignius? cuius cum propria ratio ſit, mentiſq; tranquillitas, hoc vnum intemperantia victus efficit, vt a ſede ſua dimotus homo eſſe deſinat, ſitq; belluæ potius immanis. Quamobrem magnifica iſta, variaq; conuiuia, & cœnas, hæc ferculorum diuerſa genera, ſaporum varietates ac luxum quis non vituperet maxime? cum nihil intemperantius ſit, quam ne belluis quidem vnico, & moderato cibo contentis ſimiles eſſe nolle? Herculem edaciſſimum ait fuiſſe Athenæus, cumq; cum Lipareo quodam de edendo in certamen veniſſe, Theagem item quendam integrum bouem exediſſe, quod ipſum Miloni Crotoniatæ accidiſſe fertur: Mithridatem quoq; Ponti Regem, qui edacitatis ſpectaculum aliquando ediderit, ebrioſos deniq; multos non modo Reges, ſed homines etiam priuatos: verum his quid infamius, ac turpius, vel apud illos, à quibus ii commemorantur, hiſtoricos? Nec vero nimiam iſtam, atq; ſollicitam potus varietatem, copiam, frigiditatem in multis probare poſſum, qui non modo ad ſatietatem bibere, ac pergræcari frequenter ſoleant, ſed varietate potionum, ſtomachum perturbare, ac valetudinem vel prudentes lædere non deſiſtant. Alii enim vel media in hyeme vinum refrigerant, alii in æſtate diligentiſſime niues, & glaciem aduectam montibus, vel conſeruatam in ſcrobibus, vt à Macedone Alexandro fieri ſolitum Athenæus ſcribit, vino addunt, alii nitrum,

Gula prauitas quanta, & quam neceſſaria Regi frugalitas.

alii denique alia huius generis multa, quibus & gulam irritent magis, & luxui ſe totos penitus dedant. Quanto igitur melior Veſpaſiani ſobrietas, qui in victu, & ratione vitæ moderatiſſimus fuit, aut reliquorum Principum, quos quod vel vna virtute hac excelluerint, admiramur. Sequitur Caſtimonia, id eſt, virtus, per quam voluptates Venereas cohibemus, nec vllo prorſus concubitu miſcemur, niſi propagationis, & ſobolis ſuſcipiendæ cauſa. Eadem in Principe magni eſt momenti, propterea quod is exemplo ſuo docere reliquos debeat, quodq; intaminatus, ac purus permultis careat incommodis, quæ turpem hanc voluptatem ſequantur. Regibus enim multis exitio libido fuit, vt Tarquinio Superbo: eandē præterea ob cauſam grauiſſima ſcelera ſunt à diuerſis Principibus, quaſi ardore quodam furentibus commiſſa, vt ab Herode Iudæorum Rege ſanctiſſimum virum Ioannem hortatu mulierculæ obtruncante. Prætereo bella propter mulieres à diuerſis Principibus geſta: vt Troianum, ob Helenam, Græcorum in Ilii obſidione, diſſidia ob vnam Chryſeidem, ac Bryſeidem, ſacrum denique bellum ob vnam Theano Thebanam fœminam: illud eſt certe turpiſſimum, Regem, qui cunctis viuendi norma, & lex ſit, ex omnibus vnum maxime intemperantia flagrare: qualis in Regibus erat Perſarum, quibus permultas habere vxores licebat, qualiſve in Commodo, aut Heliogabalo Romanis Imperatoribus. Alexandrum profecto miror, hominem alioqui intemperantem, cum Darii iam victi matrem, ac filias vna cepiſſet, tantæ fuiſſe continentiæ, vt nulli earum ſtuprum intulerit. Quæ res indicat, nihil æque Regis mores commendare, atque vitæ caſtimoniam, quę tanti momenti eſt, vt eundem Alexandrum, Iulianum Cęſarem, alioſque improbos Reges id vnum laudem pepererit. Caſtitati affinis eſt clementia, qua inſolentes animi motus, aut iracundiam cohibemus: quæ ſicuti cupiditatem libidinis illa, ſic iracundiam, ſæuitiamque moderatur. Virtus hæc cum aliis omnibus congruit, tum Regi potiſſimum, qui quod in alios imperium habeat, ne ſæuus, crudeliſve ſit, clementia vti maxime debeat. Eadem autem colenda eſt, vel erga criminis alicuius reos, vel in hoſtes deuictos, ac ſupplices: ſiquidem in hos duos iraſci Reges poſſunt, & in tenenda iracundia verſari eorum clementia debet. Erit autem in reos, ſonteſque Rex clemens, ſi legum æquitatem, adiuncta ſeueritate, cum opus ſit, tueatur: in hoſtes vero victos eadem virtute vtetur, atque etiam nonnunquam maiori, vt hoc modo multis amicus fiat, pluresque benignitate ſibi ſubiiciat, quam crudelitate: cum nemo ſit adeo immanis, vt non humanitate citius, quam vi ducatur. Vnde reprehendenda eſt eorum ſententia, qui Regem, vt autoritatem imperii ſui firmius conſeruet, timeri, etſi odio ſit, quam amari, contemnive, malunt: cum nec humanitatis cauſa quis contemnatur, niſi pro manſueto ſtolidus, & ignauus exiſtat, cumque commodius ſit beneficiis, & beneuolentia in officio homines contineri, quam metu ſuppliciorum. Et quidem ſi tyrannorum crudelium exempla, cum iis, qui clementer ſuos rexerint, conferamus, videbimus certe illos vel maximis, ac firmiſſimis vſos præſidiis imperium tueri diu nequiuiſſe, hos autem potuiſſe faciliime. Nec vero inficias

Libido quam ſit turpis in Rege.

Quam deceat Regem humanitas.

co,

eo, aliquando ſeueritate Regi vtendum eſſe, quo ſuos facilius cohibeat: verum id quidem nunquam, niſi cum res poſcat, fieri debet: quemadmodum nec Medico eſt leuibus ſemper remediis vtendum, ſed acribus ſæpe. C. Cæſar homo cunctorum, de quibus legimus, humaniſſimus, & clementiſſimus, ſeueritate prudenter eſt aliquando vſus. Scipio item Africanus ad reprehenſionem vſque mitiſſimus habitus, ſumma tamen idcirco laude non caruit. Ex quo intelligitur, nihil Principem magis decere, quam benignitatem, cum elato animo homines manſueti, deiecti vero ſæui, & crudeles plerunque ſint. Iam ad modeſtiam ſeu moderationem Regis progrediar: quæ tranquillitatem quandam æquabilem ab inſolentia omni alienam gignit: qui enim eundem perpetuo vitæ modum tuetur conſtanſque in ſuſcepta ſemel viuendi forma eſt, is moderatus atq; modeſtus exiſtit. Hæc itidem virtus maxime propria eſt Regis, qui maieſtatem munere ſuo dignam, & autoritatem tueri debeat, qui nullam inconſtantiæ, leuitatiſve præ ſe feret vnquam ſpeciem, ne ſuis ſaltem ludibrio ſit. Nihil enim contemptiores homines facit quam in vitæ genere mutabilitas, nihil præterea graues, prudenteſque viros dedecet magis quam immoderatio, atque in rebus agendis ordinis neglectus. Ergo ita Rex modeſtiam in omnes vitæ partes ſequatur, vt nullam leuitatem animus, nullam corporis motus, actiones, dicta, factaq; oſtendant. Et certe cum ſermo, vultus, inceſſus, motuſque corporis non minus animi ſint indices, quam facta, quæ geri conſilio, ac deliberatione ſcimus: in hiſce tamen Regis modeſtia cernenda eſt, ne temere, inepte, aut intempeſtiue loquatur: ne vultu ſit truci, aut hilari nimium, ſed placido, graui, & iucundo, nedum incedat, vel nimium feſtinet, vel admodum grauiter quaſi claudus procedat: ne multa proponat agenda, quæ ipſe negligat poſtea: neve inconſiderate inſtituat aliquid, quod neceſſario mutandum ſit: cum in factis hæc inconſtantia turpiſſima ſemper, nonnunquam autem pernicioſa ſit. Sunt Principes quidam ea dignitate, non modo vultus atque ſermonis, ſed habitudinis etiam, & motus corporei, vt nati ad imperium quodammodo videantur, tametſi Principes non naſcerentur. Talis fuiſſe Cn. Pompeius, Antoninus Philoſophus, atque Hadrianus Imperatores Romani feruntur: quorum probitatem atq; conſtantiam vel vultus ipſe indicabat. Quamquam autem naturæ benignitas in hac parte multum efficiat, dum alii ſuopte ingenio graues, pacati, conſtanteſque ſint, vt Platonem, ac Xenocratem aiunt fuiſſe, alii contra leues, ac mobiles: plurimum tamen recta inſtitutio, & concepta de maieſtate regia valet opinio: quam non modo Rex quiuis, dum ſe in potentiæ illius faſtigio collocatum videt, tueri ſtudet, ſed etiam priuatus homo, qui aliquam doctrinæ, prudentiæ, vel recte factorum laudem & æſtimationem ſit adeptus. Quo nomine ab ipſa pene infantia Reges tueri grauitatem hanc moderatam, venuſta, lenique manſuetudine conditam ediſcant, ne ſeniculi, & quaſi ludii quidam videantur. Nec enim hoc ſolum contra modeſtiæ virtutem eſt: quod quidem eſt turpe: ſed etiam eos ridiculos, ac contemnendos facit, cum vel in eo quiſq; mediocriter inſtitutus vituperet id, quod

Quibus in rebus modeſtiam Rex ſeruet.

De maieſtate, grauitateq; Regis.

ne imi-

ne imitari quidem ipſe velit. Sed de modeſtia hæc ſatis. Comitas, ſeu affabilita moderationis pars quædam videri poteſt, eo quod lenitudinem quandam anim efficiat,eaq; vna ex regiis virtutibus maxima eſt,ſed neſcio,quo pacto in Regur pleriſq; deſideratur,niſi forte adulatio,ſuperbia,& contemptio aliorum in cauſ ſit,cur hac ipſi minus vtantur. Perſarum Regum inuiſa ſemper politis cultiſqu nationibus arrogantia fuit,quod iidem ſoli vna cum paucis domi perpetuo deli teſcerent,nec niſi per interpretem,aut clientes aliquos,darent alicui reſponſum quod ſoli, ſtantibus cæteris,& ſederent,& menſæ accumberent,quod adorari ſe & coli à cunctis ad eos accedentibus flexiſq; genibus ſupplicantibus, veluti Deo quoſdam, cuperent, quod alia demum huiuſmodi facerent, quæ nemo non deteſtetur: at hodie, in Hiſpania præſertim, vel Regulus quiſque, aut opulentu homo,fieri ſibi eadem vult,& quaſi iure quodam poſtulat,nemo affabilitate,niſ apud pares vtendum ſibi putat: diuitias, honores, nobilitatem, dignitatemque ipſa loquendi forma,& ſeueritate vultus oſtendet, quaſi magnus aliter, niſi ha inſolentia tumeat,haberi nequeat. Quod ſane nulli prudenti, aut magni anim viro aut placuit, aut tolerabile vnquam viſum eſt, adeo vt cum aliquando Ariſtippus Philoſophus Dionyſio tyranno, ſupplex ad pedes prouolutus quid ſupplicaſſet,reprehenderetur q; ab aliis Philoſophis grauiter,falſo hoc dicto excuſare deiectionem animi ſuam ſit coactus, quid ſi aures Dionyſius habet in pedibus. Philo item Iudæus eloquentiſſimus autor in libro de legatione ad Caium Cæſarem eius inſolentiam grauiſſime idcirco deteſtatur, quod cum ad ipſum ab Alexandrinis legatus veniret, vix ad colloquium acceptus fuerit. Nec mirum quidem. Nam idem Caligula omnium primus è Romanis Regibus appellari Dominus voluit, quod olim iiſdem valde inſolens videbatur, hodie vel infimo cuiq; familiare eſt. Si ergo exempla,ſententias,factaq; varia tam Principum, quam priuatorum hominum ſpectemus,nihil arrogantia odioſius,nihil vanius, eſt ſemper viſum: nihil contra affabilitate dulcius, gratius, amabilius. Adrianus Imperator vſq; adeo in omnes vel infimos,& vulgares humanus fuiſſe dicitur,vt cum à quibuſdam id Regem decere negaretur, reſponderit eos vel maxime deteſtandos eſſe, qui hoc prætextu inſolentiam ſuam obtegerent, ſe autem voluptate hac honeſtiſſima nolle priuari. Vnde Paryſatidis Cyri Artaxerxiſq; Regum matris præclarum illud fertur elogium, byſſina Regum eſſe verba debere, id eſt, ſuauia,& iucunda. Profecto affabilitas adeo in Principe amabilis eſt, vt hoc vnum Artaxerxem Cyri fratrem, Alexandrum Macedonem, Cn. Pompeium, Scipionem minorem effecerit commendatiſſimos: vt id omittam, quod Cæſar hac vna de cauſa ad Romani imperii faſtigiũ euectus eſt. Sed neſcio quo pacto barbarus iſte ac Perſicus faſtus Regum pleriſque, ac magnatum, noſtris præſertim (quibus hoc ex contagione fortaſſe illius Gotticæ, vel Arabicæ horriditatis adhæſit) placet,& ſpecie grauitatis probatur, cum nullus ſit adeo ferox populus, qui nõ Principem amplectatur humanum, ſuperbum vero ſummo odio proſequatur, eaq; adorandorum Regum abiecta conſuetudo, Perſarum, Ægyptiorum, ac gentium

De regis affabilitate vitioq; faſtus nimii.

barba-

barbararum fuerit, non Græcorũ, aut Romanorũ, aliarumve gentium cultarũ, q̃ ne trucem tyranni quidem vultum ferendũ, nedum ſuperbe facta putauerint. Quocirca hoc Principibus viris ſemper ab ineunte ætate perſuadeatur, & à præceptoribus crebro ſignificetur, ſuperbam hanc tumiditatem odioſam ſubditis eſſe, ingratam, & faſtidioſam exteris, qui comitate ſæpius, quam donis ducantur, Deo infeſtam, virtuti moderationis contrariam, tum elationi, ac inſolentiæ nequaquam indulgendum, ne ad vitium naturę prauitas morum, & opinionis adiungatur: ſi qui vero Regem adeant, qui magnos habeant honores, ſuppliceſve adorent, aut nimis deiecte, & humiliter alloquantur, ii tanquam pernicioſi adulatores pellendi è conſpectu ſunt, ne illius animum ad arrogantiam procliuem erigant magis. Ita enim fiet, vt hac vna virtute ornatus, Rex omnibus charus ſit, etiam ſi minus liberalis, aut probus: non quod hęc vna cum virtute illa eſſe deſignant, ſed quia tanta eſt humanitatis vis, vt improbum etiam hominem charum, & amabilem reddat. Ipſa porro affabilitas aut in vultu, aut alloquio, aut verbis cernitur, quando facta benignitatem, humanitatemque animi tantum declarant. In vultu quidem erit, ſi placidus, ſi iucundus, ſi venuſtus, minimeque auſterus, aut tetricus ſit, quod quam fieri facile poſſit, nemo dubitat: cum hilaritatem ſæpe vel maxime triſtes fingamus, triſtitiamve hilares, vultu ſe ad voluntatis arbitrium continuo permouente: in alloquio item, ac verbis, dum ſermo ad quemque habetur, auditurve quis loquens, petens, orans, roganſve quicquam: ſi manſuetis ac dulcibus id verbis, grauibus tamen, atque compoſitis fiat: quod etiam facile fieri poſſe, quiuis intelligat: niſi & in verbis auſteritatem, horriditatemq; tetricam malit, quam venuſtatem iucundam. Huc pertinent illa Regum, & Principum multorum ſalſe, prudenter, caute, facete, acute, moderateque dicta: à Græcis Apophthegmata nominata, quæ celebrata à diuerſis, multum ornamenti, atque gratiæ illorum factis addere ſolent. Hac enim de cauſa Adrianus Cæſar, Antoninus Pius, Alphonſus Neapolis Rex, aliiq; Principes viri, quorum dicta Plutarchus autoreſq; varii memoriæ prodidere, tantopere commendantur, prudentiæ, integritatis, acuminis, humanitatis, moderationis, conſtantiæq; nomine: quæ quamquam in factis multo magis eluceant, in verbis tamen, atq; ſermone non minus ſeſe oſtendunt, ac proferunt. Tandem de ornatu dicamus: quæ virtus moderationem quandam decoram, & dignitati perſonæ cuiuſque congruentem veſtitus, ornamentorum apparatus, magnificentiæ, totius denique vitæ cultus affert. Quæ autem regiæ ſit dignitati ornamenti, apparatuſque aptiſſima forma, quæve mediocritas, ipſa potius cuiuſque gentis conſuetudo, moſque indicauerit, quam oratio noſtra, quæ ſingulos omnium mores complecti nequit. Id tamen in vniuerſum Regibus eſt præcipiendum, vt nimium luxum in victu, veſtitu, familiæ cultu, numero famulorum, equorum, forma ædium, villarum, ludorum, venationis, conuiuiorum, aliarumque huiuſmodi rerum declinent. Cum enim eſt id valde noxium: quia magnæ hoc modo reipublicæ opes inutiliter conſumuntur: tum prauum multis, qui eundem imitari luxum volunt,

Inſolentia incommoda.

In quibus rebus cernitur affabilitas.

Quæ forma ornatus Regem deceat.

datur exemplum. C. Caligula tantos in rebus inutilibus ſumptus faciebat, vt opes Romanæ propemodum exhaurirentur, niſi maturior eum cædes anteuertiſſet. Eadem fere Perſarum, Medorumque inſania fuit, vel à Pauſania Lacedæmoniorum duce in Mardonio reprehenſa: qui conſpecto aliquando huius & luxu, & apparatu, ſubridens apud quoſdam Græcos, quos ea de cauſa ad ſe vocarat, dixiſſe fertur: ideo vos hûc viri Græci adhibui, vt Medorum Ducis intemperantiam, vnaq; inſcitiam videretis, qui hoc vitæ genere inſtructus ad nos venire ſit auſus. Commodius igitur multo Septimius Seuerus: qui quamuis ſummo in imperii gradu, & honore locatus eſſet, tamen publicis opibus, & vectigalibus moderate expenſis, adeo plenam rebus neceſſariis, diuitemq; ciuitatem Romanam reliquit, vt huic rei tantum dediſſe operam viſus eſſet. Quæ res Veſpaſiano quoque Cæſari laudi fuit, licet à quibuſdam is auaritiæ nomine ſit notatus, quod ab inutili profuſione illa reip. bonorum, qua vti priores Imperatores conſueuerant, abſtinuiſſet. Tantus enim illorum extitit luxus, vt vel ruente iam ad exitum Romano imperio Athanaricus Gothorum Rex à Gratiano Cæſare Conſtantinopolim magna pompa acceptus, dixerit, Imperatorem Romanum terrarum Deum eſſe, cœleſtis imperii maieſtatem quodammodo præ ſe ferentem: contra quem nemo non ſolum arma mouere, ſed ne cogitare quidem impune quidquam poſſet. Quamobrem Principes rectius multo fecerint, ſi Laconum, priſcorumq; Romanorum exemplo moderate, frugaliterq; viuant, nimios vero illos, inutileſque apparatus Perſicos, & barbaricos fugiant, fieriq; in rep. ſua vetent: tum quia id magnum intemperantiæ ſit vitium, tum quia inutiliter opes reip. conſumantur, & quod perniciosius eſt, multi hoc exemplo deteriores fiant. Monet hic iam locus, vt inquiratur, num ſumptuariæ leges fieri à Principe in regno ſuo debeant: tum eædemne aliquando mutandæ, abrogandæve precio, ſtudio, cupiditateve ſint: poſtremo quatenus, quove pacto ferri eas oporteat. Leges de ciuium ſumptibus moderãdis ferri aliquando debere, tametſi nullũ aliud apertius vrgeret argumentum, quam quod à Philoſophis omnibus, qui de reip. ratione ſcripſerint, quodq; à pleriſq; rerum publicarũ optime adminiſtratarum rectoribus ita ſit conſtitutum, honeſtum per ſeſe tamen, atq; vtile eſſe appareret. Nam Plato inprimis ſumptuum in rep. ſua modum teneri aliquem voluit, quod luxus non tam corrumpat, eneruetq; ciuium animos, quam quod magno etiam illi cum detrimẽto reip. deteriores fiant, qui voluptatibus ſeſe pluribus dederint. Idem à reliquis eſt Philoſophis, & Legiſlatoribus præceptum, vt à Lycurgo, qui omnem apparatum, lautitiemq; lege prohibuit, itemq; à Romanis diuerſis legibus, atq; temporibus, vt Oppia, Fannia, Didia, Cornelia, Antia, Iulia, Orchia, cẽſorumq; edictis: quibus omnibus victui, cultuiq; ciuium modus aliquis imponebatur. Cum enim in Græciam primo luxus deuicto Mardonio, deinde vero in Italiam ex Aſia eſſet allatus, abrogatis paulatim iis, quas retuli, legib. partim magiſtratuum negligẽtia, partim virorum principum exemplo, partim opibus, atq; abundantia creſcẽte, vix cohiberi tandem potuit, quouſq; labente ad exitiũ Ro-

De legib ſumptuariis à Rege dandis.

mano

mano imperio egeſtas, bellorumq; ac temporũ turbidorum anguſtia nullum luxuriei plane locũ reliquit. Sunt hac tempeſtate Venetiis, Genuæ, aliiſq; in Italiæ ciuitatibus leges huiuſmodi ſumptuariæ, fuereq; in Hiſpania, præſertim in Luſitaniæ regno nonnullæ: ex quo intelligitur, quam ſit reip. vtile, hominum luxum, intemperantiamq; legibus coerceri, cum id pleræq; reſp. ſtudioſe cauerint, ne, corruptis ciuibus, vna pereat quoq; reſp. Romana ciuitas tãdiu firma, integraq; permãſit, quamdiu ſinguli eiuſdem ciues temperantes fuere: coactis enim in vnũ cunctorum opibus, tota erat firmior communitas: quod vel Horatius item poëta teſtatus eſt in iis verbis: —— *non ita Romuli Præſcriptum, & intonſi Catonis Auſpiciis, veterumq; norma. Priuatus illis cenſus erat breuis, Commune magnum.* At poſtquam mollicie Aſiatica contaminati ſunt Romanorum animi, debilitari, frangiq; imperium non deſtitit, donec à barbaris dirutum, atq; funditus eſt deletum. Quocirca nullum præſtantius & ſtabiliendo imperio, & temperãdis ciuium animis poteſt remedium afferri, quam ſi temporum, ac perſonarum ratione habita, leges ſumptuariæ à Rege ferantur. Nec enim vnum omnia tempora vitæ cultum, aut formam requirunt, nec omnium opes, aut dignitas. Aliis temporib. cultus aliquis nimius videri poſſit, qui moderatus ſit aliis: aliam item viuendi legem ſequentur Principes viri, aliã vulgus, atq; homines mediocris fortunæ. Qua de cauſa mutari quidem pro tempore, dignitate, opibuſq; hominũ leges de ſumptibus poſſe ſtatuo: abrogari vero, aut tolli prorſus gratia, ſtudio, inuidia, odio, contemptu, non item. Ac modum ſane hunc lege prudẽtes viri, qui ciuium ſuorum mores, ingeniaq; noſcant, conſtituent, autoritatem autẽ iis Princeps dabit. Illud tamen vitabit ipſe, quod ſeditionibus atq; multorum querelis cauſam præbere ſolet, vt iuſtas de ſumptibus leges nunquã mutet, aut abroget, tum vt nulla pecunia, ſtudio, æmulatione, cupiditate, aut priuilegio iis alios conſtringat, alios autem liberet, cum id & iniquũ ſit, & tumultibus excitãdis accommodum. Quo nomine probum aliquẽ Princeps ex ciuium numero quauis in ciuitate deligat, q. velut cenſor autoritate publica modũ cuiq; ſtatuat pro dignitate atq; cõditione, ſtatutũ vero negligentes aliqua mulcta coerceat. Ita enim fiet, vt latrocinia multorũ pœnas exigentiũ tollantur, qui quęſtus cauſa ex diuerſis ciuitatibus, vt nunc fieri cernimus, ad hoc munus petendũ confluãt, dũ aliquid iis vtilitatis ex mulcta accedat: & magiſtratus ipſa ex ciuitate creatus facilius cernant, quid ciuẽ quemq; deceat, ne quid legis prætextu rapiat, læſis, & offenſis pleriſq; quorũ odiũ ſibi cõflare nolit, vt aduena ille, qui lucro tantũ ſpectato, breui ex ea vrbe refertus, oppletuſq; ciuiũ ſpoliis ſit diſceſſurus. Sed hęc nimis exilia ſunt, atq; à Principe probo, reiq; publicæ ſuæ ſtudioſo commodius prouidebuntur. Si enim is noſtra hæc pręcepta, quæ generatim ſolũ relata ſunt, cũ ſingula perſequi nequeamus, ſequatur, & prudens, & iuſtus, & fortis, & moderatus, & omni virtute cumulatus exiſtet: tũ eius regnũ tale erit, quale & hæc noſtra tẽpora lõge corruptiſſima poſcũt, qualeq; ætate omni, nationibus, atq; populis omnibus ſit optandum.

Quatenus leges ſumptuariæ ſint mutandæ.

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE REGNI, REGISQVE INSTITVTIONE

LIBER III.

LVc. O doctam, elegantem, prudentemque tuam Aureli orationem: equidem niſi ſermonis tui curſum retardare noluiſſem, obiter aliqua quæſiuiſſem, quibus de dubitabam: quæ tamen neſcio quomodo à te, quaſi meum introſpexiſſes animum, longe commodius, quam poſtulaſſem, ſunt dicta. Quis tuam iſtam regni, regiſq; inſtitutionẽ audiat, nec eam continuo Regibus cupiat vniuerſis ad imitandum propoſitam? Quem eadem Principẽ tam negligentem publici boni audita ſtatim nõ moueant ac pſuadeãt? ANT. Perſuaderi ne tu his Reges putas ô Luci? ac nõ irridere potius illa, quæ magno ſtudio obſeruationeq; ex medio vitæ vſu Aurelius iſte colligit? Fingat ſibi quidquid velit ipſe, inſtituat arbitratu ſuo Principem iuſtum, prudentem, fortem, moderatum, omnibus denique officiis virtutum inſtructum, nihil ſane effecerit: quando nec tales vnquam Principes ſunt inuenti, & ea præceptis deſcribi oporteat, quæ homines aliquando re ipſa conſequi poſſint. Quonam in Principe iſthæc tu Aureli non modo cuncta fuiſſe ſimul, vt ipſe vis, ſed ne aliqua eorum quidem vnquam legiſti? quem item exiſtimas hæc præſtaturum, quæ fingis? cum alios ambitio rapiat, alios auaritia, pleroſque inſolentia & cupiditas, omnes priuatæ commoditatis ſtudium. Si aliquos tu Reges genere vno virtutis excelluiſſe, quod aliis haud æque ineſſet, dixiſſes, darem equidem citius, atque libentius: cum autem omnes in vno virtutis numeros quæras, quî magis à Platone reſpublica cogitatione animi adumbratur, quam abs te regnum? Quamobrem noli, quæſo, Aureli, ſi me audias, à Principe iſta virtutum officia poſcere, cum talis nuſquam inuentus ſit aliquis: ſed varia te, & recta, vtiliaque conſilia, ſi regnum omnino probes, notaſſe cogita, quæ propoſita Regibus varios in vſus raptim tribuantur, ſicq; fructum aliquem afferant, cuncta vero capi ab vno poſſe, omnino deſpera. Ita enim Principes hodie animati ſunt, vt niſi diuino munere eorum mentes purgentur, hæc negligant,

Contra Regum inſtitutionem communem.

aut ne legant quidem, aut audiant, quaſi vana & inutilia. Nec deerunt, qui multis id argumentis docturos ſe pugnaciſſime profiteantur. Quo fiet, vt nec iudicare principes quidquam ſincere poſſint, & ſpeciem affectibus ſuis leuium rationum colore adumbratam prætexãt. Taceo, quod eorum familiares ſeu falſa prudentiæ perſuaſione, ſeu faſtu, & proteruia quadam nulla bonorum audiant conſilia, aut data negligãt, & arroganti ſubſannatione refellant, quod cauſa, ſineque rerum ignoratis tanquam myſterijs abditiſſimis temere dentur: Id etiam prætereo, quod reges ipſi ſic perſuaſi ſunt, vt vel ingenio, iudicioq; ſe cunctis excellere facile exiſtiment, vel rem, qua maxime indigeant, ab aliquo ſubdito petere, turpe ducant, quia vltro veluti iure ſibi debitam offerendam ab alijs ſperant: certe non video, cur vel optimus iſte rex bonæ, atq; honeſtæ reip. anteponatur. Nam ſi talis omnino is ſit, qualem tu fingis, eum ego à Venetorum duce, aut conſulum Romanorum munere non diſcerno, eiusque regnum remp. eſſe quandam honeſtam ſtatuo: ſi autem ab iſta regula diſcrepet, non iam regem, vt tu fateris, ſed plane tyrannum putabo. LVC. Parcius iſta quæſo Antoni: noli tam cito regnum reipub. poſtponere, aut reges omnes tyrannos iudicare: ipſum prius Aurelium tibi ſinito reſpondere, quam quid incognitum damnes. Tu vero Aureli perge vt cœpiſti, nec oratione iſtius magnopere cōmoueare. Donec enim ſermonis tui curſum confeceris, nihil à te illi cenſeo reſpondendum. AVR. Prorſus iſto modo Luci faciam: malo enim diſputationem inceptam abſoluere, ne contradicendi locus relinquatur, quam, ea interrupta, iſtius obiectionibus reſpondere. Hiſce igitur præceptionibus regis, regnique optimi ſpecies, vt docui, formari debet, ne in vitium tyrannidis, quod eſt longe maximum, incidatur. Eſt enim tyrannis reipub. deprauatiſſima forma regno contraria: in qua cum vnius libidine cuncta gerantur, nihilque aut legibus, aut inſtitutis honeſtis concedatur, tyranni ſunt illi, qui in eadem dominantur, ijdemque regi probo contrarij. Tyrannis autem, quæ regno altera ex parte repugnat, ſicuti vitium virtuti, veram reip. formam habere, vt Ariſtoteli placet, dicenda non eſt: cum nec in ea legum, virtutiſve ratio habeatur, cumque præfectus illi tyrannus non publicæ cōmoditati, ſed propriæ ſtudeat conſulere, vnde quemadmodum regni à nobis ex Ariſtotele quædam adductæ ſunt formæ, ita quoque tyrannidis aliæ conſtituendæ videntur: quibus de ipſis obiter etiam eſt nunc dicendum. Prima eſt ea, in qua ſupremam principes tenent in ſuos poteſtatem, quaſi domini in ſeruos, licet hæreditate illi eam à maioribus acceptam æquo animo ferant, pareantque libenter: vt barbari, qui regum ſuorum dominationem non aſpernantur, quod metu, & admiratione illorum cohibeantur, cum tamen velut mancipia quædam ijs ſeruiant, itaque tyrannica eſt huiuſmodi regni forma, in qua reges hæreditatis iure accipiant imperium, idemque armis ſuorum tueantur, plenam tamen ipſi poteſtatem in omnes quaſi in ſeruos habeant, gerantque pro libidine cuncta. Secunda porro tyrannis eſt, quæ τῶν ἀσυμνήτων à Græcis dicitur, in qua plena etiã alicui ſuffragijs electo poteſtas ad certũ tempus, vitamve cōceditur: eademq;

Quid ſit tyrannis, & quot eius formæ.

à ſuperiori differt ſolum, quod hæreditate aut accepta, aut relicta non eſt, ſe populi alicuius voluntate inſtituta: cæteroqui congruit cum illa, quatenu ſummam in omnes præfectus habet poteſtatem. Atque hæ formæ reipub. dua quamuis tyrannicæ, tamen ſimilitudinem regni habent, quod quis rerum po tiri ſolus, & idem iuſtus eſſe in gerenda repub. poſſit; Tertia illa proprie tyrannis, regnoque prorſus aduerſa appellatur, in qua is vnus, qui dominatur, pro libito cuncta gerit, refertque ad commoditatem ſuam: idemque nec bonorum conſilium, nec prouocationem ad alios meliores admittit, inuitiſque, ac repugnantibus imperat. Hæc igitur proprie tyrannis & Ariſtoteli, & omnibus appellanda videtur: tyrannique illi, qui pro libidine cuncta adminiſtrent. Sed age, niſi moleſtum eſt vobis, quî fiat tyrannis, exponam, vt qualis ſit, & quomodo à regno diſtet, intelligatur. Ariſtoteles libro de repub. quinto, duo eſſe inquit reipub. genera, ex quibus tyrannis oriatur, Oligarchiam, & Democratiam: quod vt in illa pauci pro arbitrio dominentur, in hac multitudo, & vtrunque peſſimum ſit, ita ab vtraque aliquid habeat tyrannis. A Democratia, quod non optimus quiſque, ſed potentiſſimus dominetur, ſicut eandem ob cauſam aduerſus nobilitatem plebs aliquando tumultuatur: Ab Oligarchia vero, quod ſicuti pauci illi ad vtilitatem ſuam omnia referunt, ita quoque tyrannis. Atque hoc modo tyrannis duabus ex reipubl. formis plane corruptis conſtare, gignique videtur. Quanquam ſit ipſa quidem ex Democratia, non Oligarchia, cum qua omnino congruit, eo modo, quo dixi; quoniam multitudo nobilitati infenſa vnum ſibi ducem præficiat, cuius arbitrio viuat: qui hac poteſtate auctus aſpiret poſtea ad tyrannidem. Cuiuſmodi eſſe fere duces exercitus, gratioſique populo homines ſolent: vt in Italia Cæſar, in Aſia Arbactus. Hac in ſententia Ariſtoteli omnino cum Platone conuenit, qui libro de repub. octauo tyrannidẽ etiam ex populari adminiſtratione naſci arbitratur, ſicut ex dominatione paucorum popularem. Cum enim paucorum potentiæ vniuerſi ſubiiciuntur, cupiunt continuo libere ac diſſolute viuere, excuſſoque dominationis iugo ad popularem adminiſtrationem quærendæ libertatis prætextu ſe conferunt. In qua tamen cunctis ſumma licentia viuentibus, idem recurrit, quod in paucorum potentia extiterat: mutaturque ſumma libertas in ſummam ſeruitutem, vt omnia, quæ mutantur, in ſuum abeunt contrarium. Cum enim populo cuncta adminiſtrante, plerique propter vitæ licentiam, otioſi egenique ſunt, ac ditiores, melioreſque viri diuitijs ſtudeant quærendis, alij minus diuites ſua curent duntaxat, neglectis alienis: ac diuites illi veluti faui mellis reliquorum quaſi fucorum rapinæ expoſiti ſæpe ſpolientur: occaſionem hinc ſumunt quærendi ſibi præſidia aduerſus populi audaciam, iiſque comparatis, aut odio, aut cupiditate vltionis, data occaſione, paucorum potentiam affectant. Cui vt ſeſe opponat populus, vnum ſibi quaſi tutorem, defenſoremque communis libertatis quærit, qui poſtea ad ſummæ potentiæ faſtigium euectus degeneret in tyrannum. Siquidem is, vt, inuitis optimatibus, occupauit imperium, iiſ-

Tyrannidis cauſa & origo.

um, ijsque inſidiantibus, ac repugnantibus etiam populi ſtudio non parcit, ſed alios vi, alios falſis iudicijs circumuentos tollit: in omnes ex æquo vel vulgi, cuius ſibi gratiam retinet, vel exterorum hominum armis ſeptus ſæuit, ac ſolus imperio potitur. In quo etiam cum multitudinis ſibi, vel finitimorum regum ſtudia compararit, aliorum occuparit ditionem, alios extinxerit, aut pacarit, quos repugnaturos conſilijs ſuis putarit, in ſumma poteſtate collocatus, ne ſuis quidem parcit, nedum alienis. Hoc igitur modo Plato, & Ariſtoteles fieri ex Oligarchia, & Democratia tyrannidem arbitrantur. Addit & cauſas his alias duas Ariſtoteles idem iudicio meo veriſſimas. Prima eſt, cum ex regibus iis, qui maiorum diſciplina neglecta, prauis moribus viuunt, eodemque modo gerunt remp. quod etiam tyrannicum eſt, ſicuti & vitijs ſeſe dedere contra rationis arbitrium tyrannidem animo in ipſo repræſentans. Secunda eſt, cum conceſſa alicui ad tempus poteſtate ſumma, is illa interim ſibi eiuſdem retinendæ cupiditate quærit præſidia, vt nullo pacto ex ea deijci poſſit: cuiuſmodi fuit L. Syllæ, ac Cæſaris Dictatura. Atqui hoc modo tyrannidis non ſolum origo noſcitur, ſed etiam à iuſto regno diſcrimen. Etenim iuſti regis id eſt propriũ, quod nulli vel diuiti, vel egeno iniuriam, aut contumeliam facit: contra tyrannus, qui ad commoditatem ſuam omnia refert, nulli vel optimo parcit, dum alios propter odium, alios ob metum præſtantiæ, potentiæ, ac virtutis, alios inuidiæ cauſa de medio tollit, dum bella non vtilitate reipub. ſed auaritia ſua ſuſcipit, atque gerit, dum vectigalia ſuis grauiſſima imponit, dum omnia rapit. Præterea rex quicquid geritur, id honeſtatis cauſa inſtituit: tyrannus vero cupiditate, ac voluptate ſua cuncta metitur, quæ his obſtant, fugit, vt illa tueatur, non abſtinet à rapinis, cædibuſque multorum, præſertim nobiliorum, à contumelia, iniuria, mendacio, ſimulatione, crudelitate, cæteriſque ſceleribus, quæ vel ab hoſte crudeliſſimo in victos committi ſoleant. Sunt & alia tyrannidis incommoda, quæ diligenter, & copioſ. Plato perſequitur, quæque non ſolum cum iuſti regis moribus pugnant, ſed etiam cum vita ipſa tyranni. Cum enim is, vt imperium diu teneat, optimum quemque de medio tollat, ſiue is amicus, ſiue inimicus ſit: neceſſe profecto eſt, exploraturum eum ſemper, quis domi foriſve talis exiſtat, illumque continuo quæſita occaſione, cæſurum. Quo fiet, vt prauos tantum, ac ſceleratos homines ſibi charos habeat, eorumque vtatur amicitijs, cum illius libidinem fortis, probuſque nemo ferre poſſit. Nec etiam ſe illorum improborum fidei plane committet, cum nec ab improbo quidquam boni expectandum, atque odioſa ſit ſemper cunctis dominatio. Itaque aduerſus hos etiam ſatellites ſibi adiungit: qui multi mercede, ac præmijs illecti ad illum accedunt, vel ipſa ex ciuitate, vel ex nationibus exteris. Horum ſibi ſtudia, amicitiamque conciliabit, in hos liberalis, humanuſque erit: reliquos autem bonos, odio, inſidijſque inſectabitur. Accedunt præter ſatellites hos adulatores, qui vitæ genus hoc inquietum, & periculoſum laudent, & admirentur, qui tyranni prædicent virtutes, qui paſſim eum ad cælum euehant

Diſcrimen regis & tyranni.

Tyrannicæ vitæ diſcrimen.

eoque non paucos leues homines in eiuſdem ſtudium excitent, qui demũ ipſum ad reſipiſcendum nequaquam inuitent, ac illo in vitæ genere magis, ac magi confirment. Quapropter vt liberalis ipſe in hos videatur, ab alijs rapit, quæ alij ſit daturus, nec ſacris, prophaniſque parcit, in omneis quaſi efferata quædam beſtia ſæuit. Nec vero ſecum ipſe minus tyrãnidem exercet, quam in alios, quippe qui potiſſimam ſui partem, id eſt, mentem turpiſſimis ſeruire affectibus cogat vt ſæuitiæ, odio, furori, inuidiæ, auaritiæ, amori, libidini, voluptatibusque fœdiſſimis. Vt enim ipſe ſibi turpiter, ac nefarie viuendi licentiam apud alios ſumit, ita quoque viuit priuatim. Nam luſtris primum, vt Plato inquit, comeſſationibus, ſcortis, omnibusque libidinibus inquinari ſe patitur, quibus irritata eius cupiditas multo magis quotidie inflammatur, pluresque grauiſſimorum ſcelerum formas profert: deinde in redituum profuſione modum exit, dum omnia explendæ libidinis cauſa conſumit, ijsque exhauſtis tum dolo, & fraude, tum vi, & aperte ab alijs prædatur: itaq; ſemper tyrannus indiget, ſemper quærit, ſemper omnia profundit, rurſusq; requirit, ſemper ſibi ab alijs timet, nunquam liber eſt, nunquam alicui amicitia coniunctus, omnibus ſeruit non modo cupiditatibus ſuis, ſed etiam ſubditis, in quos crudele habet imperium. Atque huiuſmodi quidem eſſe dicitur à Platone tyrannus, eiusque vita, & reſp. ea, cui dominetur: cum illa ſemper exemplum rectoris ſui imitari ſoleat, cumque non ſecus tyrannica ciuitas ſit, in qua quis tyrannus exiſtit, quam idem ipſe tyrannus, cuius & vitam, & mores deſcripſimus. Hinc eſt etiã perſpicuum, quantum à vero rege tyrannus diſcrepet, ſi mores, ingenium, factaque huius cum factis illius conferantur. Videbimus enim alterum quaſi vitij, alterum vt virtutis formam gerentem inter ſe differre. Ex quo intelligitur, regnum & tyrannidem adeo eſſe contraria, vt ſi quis tyrannus exiſtat, is eſſe rex nullo modo poſſit, aut ſi quis rex, idem nequaquam tyrannus. Hiſce duabus reip. formis reliquæ omnes, vt Plato & Ariſtoteles putant, interijciuntur, eædemq; ad alterutrum extremorum tum propius accedunt, tum abſcedunt longius, ſicuti vitium & virtus, quanquam contraria ſint, actiones tamen ſibi interiectas modo ad vnum, modo ad alterum quaſi extremũ habent propinquiores. itaq; ex his quatuor ciuitatum formis, Oligarchia, Democratia, Ariſtocratia, & mixto quodam genere, quod reſp. dicitur: Oligarchia certe, & Democratia ad tyrannidem, Ariſtocratia, & reſp. ad regnum accedunt, quoniam illæ duæ corruptæ reip. formæ, hæ contra integræ ac iuſtæ ſunt: quanquam ne vix quidem hæ duæ vitioſæ formæ tyrannidis corruptionem attingũt: nec alteræ duæ iuſtæ regni præſtantiam. Hæc igitur ex Platonis & Ariſtotelis, doctiſſimorum virorum ſententia, quæ dicerem, habui de regni cum tyrannide cõparatione: quid ergo nobis amplius videtur? Lvc. Nobis vero nihil, niſi recte, docte, & eleganter. Avr. Quod ſi hæc tyrannis à cunctis Philoſophis eſſe dicitur, quam nos ſupra retulimus, qualene tu Antoni regnum exiſtimas futurum? Ant. Ego vero ne cogitare quidẽ illius perfectionem, aut mẽte aſſequi poſſum: ſicut nec huius, quem ipſe deſcribis, tyranni à communibus regibus diſcrimen.

Avr.

AVR. Vix abſoluto ſermone, iam inſultare nobis Antoni vis? qui nec dum ſingula regis, aut tyranni quaſi vitæ momenta, actus moresque perſpexeris: nec in altero perfectionem omnem virtutis poſueris, in altero autem vitiorum. Næ ſi tu intento iſtud, vt dignum prudentia tua eſt, animo cogitaris, perfectam ſane illam regni regiſque formam, quam ipſo ab exordio ſermonis mei afferre in medium cœpi, nec ſatis adhuc perfeci, aſſequere, non mentis ſolum acie, vt tu ais, ſed oculis pene ipſis. Nec enim difficile eſt, id ingenioſo, prudentique viro, ei præſertim, qui longo, vt tu, rerum vſu peritus, boniſque artibus ſit edoctus. LVC. Difficilem ſane Aureli, vt Antonio etiam iſti videtur, regni formam proponis, & tuo, ni fallor, inſtituto haud plane congruentem. AVR. Quid ita, Luci? an quod perfectionem huic noſtro regi ſummam addiderim, fœditatem autem tyranno? ANT. Non: ſed quod tu ſupra regnum his accommodatum temporibus deſcripturum te pollicitus es: nunc autem ais, perfectum regem, regnumque requirere: iſtud igitur ipſum difficile à Lucio putatur, inſtitutoque tuo repugnans. AVR. Nihil hic repugnantiæ Antoni video, quod regem quendam in ſuo genere fingam perfectum. Nam aliud omnino eſt, cogitatione animi eum fingi, qui nuſquam ſit: aliud vero, quo ad rerum vſus, vitæque conſuetudo patiatur, abſolutiſſimum quæri. Quod ipſum nec facile, aut leue eſſe nego, ob id ſaltem, quod multis res conſtet præceptis: cum nihil præſtans, aut rarum difficultate careat. Nec enim tam difficile eſt, ab eo, quem ſupra poſui, tyranno regem diſcrepare: quanquam eſt quidem id difficillimum: quam quod, tametſi optimus ſit, multis obſtringitur difficultatibus. Nam vt vitæ illam anxietatem, timorem, ſuſpicionemque vel de vxore, ac filiabus, nedum cæteris alijs Dionyſii tyranni omittam (qui ne noctu quidem ſe tutum cum vxore eſſe putarit, quique filias tonſtriculas fecerit, ne dum tondendam barbam præberet, ſuam alicui ſalutem committeret) ſatis magnum profecto periculum imminere tyrannis Dionyſius idem Damocli declarauit: qui cum eius fortunam miraretur, iuberetur que ab illo, eandem aliquantum guſtare, appenſum è lacunari gladium ceruicibus impendentem cernens continuo poſtulauit, vt inde ſibi tuto abire liceret; nolle ſe amplius delicijs illis frui, aut illud vitæ genus amplecti. Quanquam vero hoc impendere periculi videatur tyrannis, nequaquam item iuſtis principibus, vel id certe laborioſiſſimum eſt, quod nullus eſt tam iuſtus, aut æquus princeps, qui, ſi non ab omnibus, ſaltem ab inuidioſis quibuſdam, aliquando non iudicetur tyrannus. Nam vel Auguſtus, Titus, Traianus, Antoninus, iuſtiſſimi cum fuiſſent, non caruerunt obtrectatoribus, quos timuere, dum viuerent. Nec immerito Galba, cum in imperium aſcitus eſſet, dicebat, imperium ſe non accepiſſe, ſed illi potius ſe alligatum fuiſſe; cum iam ſui eſſe iuris nequiret, egeretque pluribus neceſſarijs rebus, tametſi cunctis abundare videretur. Quid enim ex regno commoditatis reges habent? qui omnibus vitæ momentis non ſibi, ſed ſubditis viuere debeant, quique nequeant ſine cura perpetua publicorum negociorum eſſe, cum

Labor ac difficultas regnandi.

m omni-

omnibus eos rebus cunctorum prouidere, ſatisfacere, reſpondere, ſeſe acco
modare, neceſſe ſit. Adeſt, qui pertinaciſſime quid petat; qui ambiat digni
tes, aut munus aliquod publicum, qui longi temporis poſcat obſequijs ſuis p
mium conferri: huius petitioni moleſtæ ſatisfaciendum eſt, ne iniuriam fier
bi conqueratur. Crimina porro omnia, quæ in Rep. committantur, dum Re
arbitrio ſubiecta puniuntur, veluti carnifex quidam ab ipſa eſt conſtitut
lam ſeditiones, lites, contentioneſque ciuium ad eum tanquam communem
bitrum variis, & remotis ex locis deferuntur, magnamque pariunt moleſtia
erepta deliberandi ſæpe facultate, propter mirabilem varietatem. Quod ſi
ro hoſtis regionem inuadat, hunc protinus cura de bello, eius apparatu, mil
duce, commeatu, cæteriſq; neceſſarijs ſubire debet: Itaq; reliquis quieſcentib
ſolus de hoſte repellendo, inuadendo, præoccupandove cogitat, ſolus ſe peri
lis offert, ſolus rei pecuniariæ, militis, ducum, præmiorum, ſuppliciorumq
cuique pro factis debitorum procurationem ſuſtinet. In vectigalibus porro i
ponendis, aut exigendis quot ciuium ſunt querimoniæ, tumultus, execration
ſpoliari ſe, quam ab hoſte, non minus, putant. Præterea adulatio, mendac
ſimulatio, occultata prætextu amicitiæ odia, doli ad extorquendum, qu
cupiant à familiaribus prauis intenti, perfidia, verorum amicorum penur
cæteraque huius generis, quæ ſunt regno inſita, certe miſerrima ſunt: cum
id quidem regibus liceat habere, quod quiuis è medio vulgo facile nanciſcatu
cumque nulli magis aſſentationi, mendacijs, perfidiæque vel chariſſimoru
pateant, quam reges: vt mirum ſit, qui tantum laborem perferre breui
ma voluptatum, atque honorum compenſatione poſſint: cum ſi prudentes ſi
animi tranquillitatem, delecto priuatæ vitæ genere (vt olim Diocletianus
que alij reges optimi, modo Carolus V. Philippi pater fecit) cum falſis illis, c
duciſque delicijs permutaſſent. Sed eos ambitio, quemadmodum Xenophon i
quit, & ab Africano aliquando dici ſolitum refert M. Tullius, laborem hu
difficillimum facit æſtimatione minorem: quoniam qui aliqua in dignitate l
cati ſunt, dominationis, honoriſque appetitu laborem æquo animo ferunt, eu
dem, ſi tolleretur ambitio, nunquam laturi. Erat quidem hæc Octauius expe
tus, qui & priuatam, & regiam deguſtarat fortunam, cum poſt adeptum imper
apud amicos ſæpe de eodem abrogando, reſtituendaque ſenatui autoritate ag
ret, cumque ab eodem ſenatu, boniſque omnibus vix perſuaſus publicam adm
niſtrationem ſecundo acceperit, qua ſe annis decem exactis, abdicaturus erat, n
ſi diutius prorogaretur. Declarat id elegans eius, prudenſq; oratio ad vxorem L
uiam, quæ quoniam à Dione doctiſſime ſcripta eſt, eam apud eundem auctore
legitote, vt viri ſummi iudicium, quod ſine dubio vobis probabitur, cognoſca
tis. Ant. Legi aliquando Aureli, ac probaui mirum in modum: eamque à regibu
omnibus cuperem legi, & ediſci, vt vel remp. melius adminiſtrarent, vel ipſos ty
rannidis tandem pertæſum eſſet. Avr. Ad ingenium redis ſemper Antoni: Se
his de regni commodis, atq; incommodis ita propoſitis, pergam ad ea, quæ tu d

uerſ

uerſis in locis mihi obiecisti: quibus, quod orationis impetu ferrer, ſupra noluí reſpondere. LVC. Ecquænam iſthæc Aureli ſunt, nam mihi memoria exciderunt? AVR. Num Monarchia videlicet (huc enim omnes illius obiectiones referuntur) ſit cæteris formis reipub. præſtantior, an contra? Eſt enim id à multis non ſemel diſputatum, nec ſolum ab Antonio propoſitum, dum alij vel patriæ morem, vel opinionem ſemel ſuſceptam defendere, alij ad principum adulationem aſſerere, quæ placitura ijs arbitrantur, volunt. Itaque collatis vtrinque rerumpublicarum commodis, & incommodis, inquiramus, ſi placet, quæ gubernationis forma ex omnibus optima ſit, aut minus certe incommoda, quando, vt eſt vita hominum comparata, nulla reſpubl. vitio carere poteſt. LVC. Placet id quidem ſummopere & mihi, & iſti, vt exiſtimo, Antonio, à quo hæc quæſtio iamdudum expectatur. ANT. Ita omnino eſt, vt exiſtimat Lucius: nam hîc te Aureli expectabam, tuamque in hac parte eloquentiam, & acumen deſiderabam. AVR. Quando igitur vobis ita videtur, idque vel à me propoſitum, & inſtitutum animi cogitatione fuit, conferam reliquis cum reip. formis Monarchiam, vt ſingularum inter ſe vel bonis, vel malis comparatis, quę omnium ſit præſtantiſſima, cognoſcatur. Principio ſtatuamus id, in republ. omni communem vtilitatem ſpectandam ab eius rectoribus eſſe, id eſt, pacem, tranquillitatem, honeſtatem ac felicitatem eiuſdem, quoad fieri poſſit, quærendam. Nec enim reſpub. ſtare omnino poteſt, ſi non ciuium omnium tanquam vnius corporis partium commoditati conſulatur: nec eadem conſeruari ſanitas poſſit, niſi pax, concordia, & cum his etiam recta vitæ inſtitutio ad finem hominis vltimum accommodata retineatur. Itaque hæc veluti media vnum ad finem tendentia connexa inter ſe ſunt, dum aliorum alia ſunt fines medij, atque omnium vnus extremus: veluti iuris conſeruandi (quod eſt in repub. primum) finis eſt pacis adeptio, quaſi neceſſaria corpori alicui vegetatio: huius porro commoditas publica, quæ, tranquillitate vniuerſæ ſocietatis conſeruata, æque ad omnes pertinet: commoditatis præterea recta vitæ inſtitutio virtuti congruens (ſine qua non reſpublic. ſed improborum dicenda eſt coniuratio) virtutis denique finis eſt, vltimum illud bonum, quo cuncta referuntur. Hoc ordine fines omnes, quos retuli, conſtant. Quibus ſic conſtitutis, quæ in animum debeat reipubl. rector inducere velut muneris ſui propria, reſtat docendum, à quo facilius id poſſit curari, ab vnone, an à paucis, an à multis, an ab vna quadam ex his bene, ac prudenter conſtituta ſocietate. Quod vt citius intelligatur, formarum reip. omnium commoda, incõmodaq; ſingula examinemus, facta ipſarum cum tyrannide tanquam extremo vitio comparatione. Tyrannis, quæ ſumma, vt ait Ariſtoteles, eſt reip. deprauatio, talis cum ſit, qualem nos ſupra finximus, & in Monarchiam, & in reliquas reip. ſpecies cadit. Nam cum paucorum potentia coniuncta eſt: vt initio Romæ priuſquam populus in adminiſtrationis partem adhiberetur, cum factæ illæ ſunt in montem ſacrum, & Auentinũ diſceſſiones: tum cum Democratia, vt in Athenienſium rep. quæ, Xenophonte

Comparatio Monarchia cum alijs reip. formis.

autore, tota tyrannica fuit; itemque cum regno, vt ipſe fateris Antoni. ANT. Iſtud equidem ſine dubio. AVR. Ita fit, vt cum ille veluti morbus per omnes ſerpat reipub. partes, & huic communis vtilitatis conſeruatio tanquam curatio contraria ſit; omnes, quas retuli, formæ rerumpublicarum in eam præcipue curam incumbant, vt morbus idem tollatur, licet id aliæ præſtare minus poſſint, quam aliæ. Habet id commodi Oligarchia, vt ab hac primum exordiar, quod pauci illi, qui rerum potiuntur, ſiue diuites & honorati, ſiue optimi ſint (nam has ipſa duas formas complectitur) quod opibus ſuis rempub. ornant, ciuibus item grati, & familiares ſunt, quia illorum ſtudia diligenter captant; quod multi citius communem vtilitatem tueri poſſunt, quam vnus; quod denique non tam facile multi corrumpuntur affectibus, vt quid iniuſte agant. Hiſce autem exceptis, quæ commoditatis habent imaginem, tota tamen tyrannica eſt, imo tyrannidi proxima, quoniam vel id eſt maxime tyrannicum, quod pauci dominentur, ac ſuis commodis, populi vtilitate neglecta, conſulant, quod multas inter ſe habeant de principatu contentiones, qui iam ad paucos deuenerit: quod ſinguli eorum, ſublatis alijs, potiri rerum ſtudeant: quod ipſum eo leuius fit, quo pauciores ſunt aduerſarij. Vt in triumuiratu Romæ factum videmus, cum M. Antonio, & Lepido è medio ſublatis, Auguſtus imperium occupauit: quod item pauci non multo difficilius corrumpantur, quam vnus, præſertim cum eorum plerique commoda ſua ſpectent: non publicam vtilitatem: quod demum eorundem paucorum inimicitiæ, ac de primatu contentiones grauiſſimas in rep. ſeditiones, bellaque pariant: in quibus non modo ſpoliētur, cædanturque multi, vt Syllanis temporibus accidit, ſed vnus etiam ille, quicunque euadat ſuperior, dum ſolus dominari, aduerſarijs ſublatis, conatur, truculentiſſimus fit tyrannus. Declarant hoc Marij, Syllæque victoriæ Romanis exitiales, in quibus aliquando LXXX. M. ciuium vna ſunt proſcriptione interempta, præter ingentem cæſorum diuerſis in prælijs numerum. Iam vero Democratiæ, cui etiam addo mixtam illam ex populari, & optimatum imperio formam, hæc fere ſunt commoda; quod publicæ commoditati conſulitur, quod æqualitas eſt inter ciues ſumma, quod conſeruatur libertas, quod multi difficilius, quam vnus, affectibus perturbantur. Incommoda vero hiſce contraria non pauca exiſtunt. Nam libertatis, æqualitatiſque cupiditate, quam inter ſe ciues tueri volunt, nullus excellentibus viris locus relinquitur, quin ijdem per plebis inuidiam, ac æmulationem iniuria nonnunquam afficiantur, cædantur, aut in exilium agantur: vt Romæ Scipio Africanus, qui tot in remp. beneficia contuliſſet, inique admodum eſt in exilium actus: Athenis Themiſtocles & Ariſtides. Vnde iniuſtiſſima illa Oſtraciſmi lex & inuenta, & obſeruata eſt ab Athenienſibus, vt qui erant dignitate aliqua præcellentes patria exulare cogerentur, quia populus æqualitatis, quæ inter ciues eſſe non poteſt, cupidus, nullius ferre vellet præſtantiam. Accedunt huc contentiones de magiſtratibus, ſimultates, ſtudiaque multarum partium diuerſis ſuffragantium,

De Oligarchia (margin)

De Democratia. (margin)

ambi-

ambitus, gratia, factiones, licentia, & audacia hominum otioſorum, qui ſunt multi in huiuſmodi ciuitatibus, quique, vt Plato in republica ſua docet, veluti muſci mel, ſic opes meliorum conſumunt. Quo fit, vt tyrannidi proxima Democratia ſit. Cum enim à multitudine pauci illi diuites, aut iniuria affecti, aut ſpoliati ſint ſæpius, idque maioribus ſuis, propinquis, æqualibuſque accidere videant, paulatim opes congerunt, neceſſaria præſidia quærunt, quibus & populi audaciam reprimant, & aliquando, ſi liceat, dominentur. Quod cum vi fiat, poſtquã eſt ab eiuſmodi viris partum imperium, tyranni efficiũtur, & quaſi acceptarum iniuriarum pœnas odio quodam in plebem inteſtino expetunt. Præterea dum hæ contentiones inter præſtantes ac populares de principatu exiſtunt, debilior aduerſus communes hoſtes reſpublica fit, itaque facilius ſuperatur, vt Athenienſes tum à ſe ipſis, tum etiam ab aliis ciuitatibus diſſentientes ſine labore ſunt à Philippo Macedonum Rege victi. Prætereo multa exempla ſimultatum, bellorum, cædium, rapinarum, & vaſtitatum, quæ in pleriſque fuere rebus publicis, tantum, quia multitudo imperare, nobilitate oppreſſa, vel hæc, illa ſublata, dominari voluerit: vel quia grauiſſimi ſint ex eiuſmodi ciuium contentionibus facti tyranni, ſi quis forte victor euaſerit. Sed pluribus hæc res argumentis nequaquam eget, cum à Platone in nono de republica libro, & legibus, atque Ariſtotele in hanc ſententiam plura dicantur. A N T. Diligenter tu quidem Aureli es pleraque rerumpublicarum commoda, incommodaque complexus: ſed non cogitas defenſores earum eſſe non paucos, qui oppoſitis rationibus eadem regno quoque euenire confirment, ideoque nihil commoditatis in hoc plus, quam in illis ponant. A V R. Nondum eſt eo Antoni, quo animum referebam, oratio mea progreſſa. Attende quæſo, dum regnum cum eiuſdem reipublicæ formis comparo: ſic enim quod ſit præſtantius, aut minus ſaltem incommodum apparebit. Illud inprimis iam conſtat apud omnes, multo eſſe pernicioſius omni reipublicæ multos dominari iniuſte, quam paucos: quia mala quo grauiora ſunt, eo vehementiora: atqui ſi vel paucorum, vel multorum dominationi ſubiecta ciuitas ſit, in eaque tyrannis exoriatur, id eſt longe grauius, quam ſi monarchiæ contingat: quandoquidem hic vnus eſt tantum tyrannus, ibi multi. Quod ſi ergo vnius eſt incommoda minus, quam multorum tyrannis, ſequitur ſane præſtantius eſſe vnius imperium, quam multorum, quando vel ipſa eius corruptio non eſt æque pernicioſa. Facile quidem vnus è medio tyrannus tollitur, multi tamen non item: vnus nec tantopere ciues opprimere poteſt, quam multi: qui quo plures ſunt, eo deteriores. Certe nec tantum imperio Romano incommodi Nero aut Caligula inuexit, quam Cinna, Sylla, aut Marius: quorum vnuſquiſque dum aduerſarios perſequitur, totam labefactat remp. multos vel ex optimis proſcribendo, ſpoliando, cædendo. Porro inter multos, paucoſve vnius reip. principes grauiſſimæ contentiones exiſtunt, quæ totas euertent ciuitates, dum aliud alius ſentit, atque alius aliis excellere ſtudet. In Monarchia vero nulla huiuſmodi eſſe contentio poteſt, quãdo à ſe vnus

Monarchiam regno præſtare.

nunquam diſſentit: ergo eadem eſt cæteris formis reipublicæ præponenda: quippe cum nunquam, aut raro diſſidiis, quæ ſunt peſtes regnorum, commouetur. Legite autores omnes, hiſtorias euoluite, ciuitatum diuerſarum cognoſcite inſtituta, plures videbitis, & grauiores in rebus publicis contentiones fuiſſe, quam vno turbulentiſſimo in regno. Quam multæ Athenis turbæ vel leui de re ſæpe ſunt ortæ, quanto plures Romæ? Quod ſi autem in regno aliqua ciuium ſimultas oriatur vel Regis iniuria, vel magnitudine tributorum excitata (quod raro admodum fit) minimo negotio extinguitur, & cum incommodo pauciorum. Nam, conſeruatis pleriſque, pauci ſeditionis autores puniuntur. At in reipublicæ perturbatione prodibit aliquis Sylla, qui totam pene Romanam nobilitatem extinguat, aut Thraſimachus, qui popularem Athenienſium adminiſtrationem tollat. Nec vero eſt mirandum, multos minus recte, quam vnum rempublicam poſſe gerere, cum multi eſſe æque iuſti, ac prudentes, æque reipublicæ conſulentes nequeant, quandoquidem alio ſentiente, cupienteque aliud, reipublicæ vnitas retineri non poteſt. Ex quo ſequitur, vt, quia in vnius imperio id nunquam eueniat, quando vnus eſt ſemper ſui ſimilis, regnum ſit præſtantiſſimum, quod nullas eiuſmodi mutationes ex diſparitate perſonarum ortas admittat. Quamuis enim vnius mores ſæpe mutentur in melius, peiuſve, nunquam eſt tamen in eodem tanta ingenii, morumque diſſimilitudo, quanta inter multos. Claudius Cæſar ingenio tam inconſtanti, & tortuoſo fuiſſe dicitur, vt modo clemens, interdus ſæuus, nonnunquam timidus, aliquando animoſus videretur: tamen illa ipſa vitæ inconſtantia, ſimul ac perſpecta eſt, cunctis innotuit, vt vel quod leuis eſſet, cognoſceretur. Et profecto veriſſimũ id eſt, quod circumferri vulgo ſolet, ibi eſſe perturbationem maiorem, vbi maior ſit multitudo: quoniam raro inter ſe multi ſententiis congruant. Quod cum reipublicæ ſit pernicioſum (quæ ordine partium ſuarum veluti muſicus quidam concentus conſtare debeat) ſequitur ſane vnius imperium, cui nulla huiuſmodi accidat ordinis perturbatio, longe omnium optimum eſſe. Docet id ipſa naturæ effectio, in qua cum ſuperuacaneum ſit à multis fieri id, quod à paucioribus effici poſſit, Monarchia item Principem locum habeat, quæ id ipſum, quod cæteræ reſpublicæ, præſtet. Siquidem, vt experientia docemur, facilius diuerſæ res ab vno, quam à multis in ordinem deducuntur: quia vnus omnino eſt cauſa ordinis, multi eo, quod inter ſe vniantur: at cum reſpublica variis ex hominibus conſtet, ab vno certe Principe, quam à multis, qui raro idem ſentiunt, adminiſtratur: ergo commodior eſt Monarchia. Videmus quacunque in re bene conſtituta ordinem omnem ab vno veluti capite, cui reliqua ſubiiciantur, proficiſci, idemque caput optimum eſſe, qui à reliquis præſit: tum vniuerſa & fieri, & ſuſtentari vnione: vt magna eius vis ſit, atque perfectio, cum eo, quod res vnæ ſint, exiſtant: diuiſæ vero, ac multiplicatæ pereant. Quinetiam illud ad Monarchiæ præſtantiam magni eſt ponderis, quod vel in ipſo multorum, paucorumve dominatu omnes ad Monarchiã velut ad finem tendunt, ſeu recte, ſeu contra gerant rempublicam. Nam ſi recte

ſibi

ſibi conſentiant, vnius præ ſe ferunt imperium: ſiquidem vniuerſus Senatus, non hic, aut ille, dominatur: quod ſi autem ex eo numero aliquis aliis excellere ſtudeat, id eo fit, quod vnitas, quæ conſenſu multorum iuſte imperantium continetur, ad vnum deuoluta tyrannis fit. Vnde ſequitur, Monarchiam præſtare, quando vel eius imago in cæteris formis reipublicæ appareat, omneſque illam ſponte appetant. Quid enim? nonne cum hæc inferiora ſublimium illorum, ac diuinorum velut imagines ſint, eaq; vnius Dei nutu regantur, optimam etiam reipublicæ formam dicemus eſſe Monarchiam? Præterea tametſi commodius regno multorum, paucorumve imperium eſſe videretur: id tamen hoc illi præſtaret, quod cum reſpublica legibus adminiſtretur, non alicuius legiſlatoris, aut Principis autoritate: neceſſe eſſet, ipſam vnum habere aliquem autoritate ſumma præditum (qualis erat Romæ Dictator) ſicq; Monarchia induceretur, vel legibus maxime neceſſariis carere, quando nec eædem ſingula quæque comprehendant, & aliquando mutatione, correctioneq; indigeant. Quam multas Romæ ſeditiones Agrariæ, & Tribunitiæ leges excitauerunt. Quantas Athenis, ac cæteris in rebuſpublicis, dum Senatores omnes eiſdem de rebus diſſiderēt, dumve conditæ ab vno legi reliqui repugnarent. Quam etiam ob cauſam huiuſmodi in ſeditionibus vnum reſpublicæ veteres, cui ſumma deferretur poteſtas, eligebant, quod huic morbo ſuccurri à multis non poſſet. Bella vero, quæ neceſſaria ſunt à republica ſæpe gerenda, quis non videat à multis ducibus adminiſtrari non poſſe? cum vel Athenis, & Romæ, cæteriſque in rebuſpublicis huic muneri vnus vel Dux, vel Dictator, vel alio quouis nomine Princeps præficeretur. Prætereo multa reipublicæ neceſſaria & quotidie accidentia, quæ geri plane, præterquam ab vno nequeant. Ex quibus intelligi datur, Monarchiam inter reipublicæ formas omnes Principem locum obtinere, non ſolum confirmante id, vt audiſtis, ratione, ſed autoritate quoque magnorum virorum. Nam & parens poëtarum Homerus vnius principatum omnibus anteponit: idem non vno in loco Herodotus ſuauis, & grauis hiſtoricus, Plato, Ariſtoteles, cunctique Philoſophi vno ore confirmant, quorum ſingula teſtimonia proferre, ne longior ſim, nolo. Ant. Longior ne ſis, times Aureli, qui multa, quibus, non video, quo pacto reſpondeas, nondum attigeris? Avr. Ecquænam iſthæc ſunt: nam ſatis me Monarchiæ partes egiſſe puto. Ant. Illa videlicet magno ex numero (paucis enim omnia complectar) grauia, & incommoda, quæ vnius inſunt imperio: primum, quod vnum pleriq; cunctorum negotiis imparem eſſe iudicant: deinde, quod vnus facilius, quam multi, corrumpitur ira, odio, amore, voluptate, cum & poteſtas ei ſumma ſit, & abunde omnia ſuppetant: item, quod vnus princeps bonus eſſe nequeat ſemper, quod ſit reipublicæ graue, è multis Senatoribus autem non poſſe fieri, quin vnus ſit bonus: præterea, quod vnus citius ſuam, aut amicorum vtilitatem ſpectet, quam multi, è quibus vel aliquis ſit publicæ commoditatis ſtudioſus: poſtremo, quod vni ſemper, eique potentiſſimo, quo cum æqualitas nulla ſit, parere ſit graue, cum liberi homines pareant *Contra Monarchiam prop.*

æquali,

æquali, quam ſuperiori, libentius: quia æquabilius ſit huius imperium, atque ſpe obtinendi aliquando eandem dignitatem vel ſorte, vel ſuffragiis conceſſam æquo animo quiduis patiantur. AVR. Hæcne Antoni ſunt, quæ minuere regni præſtantiam exiſtimas? ANT. Iſthæc ſane ipſa. AVR. At quam leuiter eadem à me refelli poſſint, attente pauliſper audi, dum argumenta iis contraria profero. Difficile, inquis, imo ne fieri quidem poteſt, vt vnus tam multorum negotiis, quam ſint in aliquo regno, par ſit: verum id quidem, ſi nullis ille laborum vicariis, & adminiſtris vteretur: ſi ſolus grauia atque leuia negotia per ſe conficeret. At cum Princeps, vt ſupra docui, quacunque in re adminiſtris vtatur (vt in bello ducibus, in forenſibus cauſis iudicibus, in reipublicæ adminiſtratione diuerſis magiſtratuum ordinibus, in religione Sacerdotibus, in ſingulis demum muneribus probo, induſtrioque aliquo viro) quid illi, quæſo, multi agant, quod non ab vno commodius, & expeditius conficiatur? præſertim cum hac in parte regnum commune id cum cæteris formis reipublicæ habeat, nec aliud, quam Senatus, ſtatuat Rex, niſi quod ab illo fit, idem à Rege per adminiſtros alios. Sic fertur Lycurgus Rex Ephoros ſibi munerum omnium collegas adiunxiſſe: ſic etiam Auguſtus Agrippam, & Mœcenatem: cum in hoc Rex à tyranno diſtet, quod cuncta hic ſuo conſilio, ille multorum agat bonorum, cumque regnum eo ſit præſtantius, quo plures ſint eius participes. Veruntamen quoniam hac de re mihi tecum, vt arbitror, conuenit, pergam ad reliqua, ne in re facili diu hæream. Facilius Princeps vnus, quam multi, aut odio, aut ira, aut amore, aut voluptate capitur, eoque officium deſerere citius poteſt. Ego Regem non qualemcunque è media vulgi fece lectum, quæro, ſed iuſtum, pium, integrum, rectum, cæteris denique animi, quas dixi, virtutibus exornatum. Qui ſi talis ſit, nunquam profecto eſt timendum, ne aliquo eorum affectuum perturbetur. Iraſci eum poſſe fateor: at cohibetur à legibus, ab amicis, à grauibus, atque prudentibus viris, ab iis, quorum ipſe conſilio, & autoritate regatur: eodemque modo maleuolentia, odium, voluptas, ac cæteri eius affectus his velut frenis conſtringi poſſunt: cum tamen ſi talis ſit, qualem nos finximus, nullo modo ſic perturbari debeat. Voluptates porro, ac deliciæ, quæ rerum copiam conſequi ſolent, non modo Principes viros adoriuntur, ſed etiam priuatos atque vulgares. Itaque communis eſt hic morbus omnibus, non regibus tantum. Quibus etiam pro tanto negotiorum pondere, totque laboribus, quibus quotidie implicantur, voluptas aliqua, eaque vel maior, quod maior ſit quoque moleſtia, tanquam leuatio concedi poteſt: nec quod apparatu, deliciis, luxuque maiori, quam quiuis priuatus, vtantur, idcirco vitioſi putantur: cum & eorum moleſtiæ id poſcant, & aliquid amplius ipſorum laboribus debeatur. Eſſet quidem in homine priuato voluptas ea vitio danda, quæ in Rege quotidiana eſt, in hoc contra honeſta: quia vt eius perſona multo plus copiæ, & relaxationis requirit, ita maioribus vti poteſt voluptatibus: non vt iis Sardanapali exemplo acquieſcat, ſed vt ad vitæ moleſtiam, curaſque aſſiduas hoc alleuamen-

Refutatio rationum remp. Monarchiæ anteponentium.

tum

tum habeat. In omnibus tamen, vt antea docuimus, quoniam moderatus eſt Princeps futurus, modum tenebit, nec plus voluptatis capiet, quam ratio modeſtiaque requirat. Illud porro, quod tibi reſponſionem difficilem eſt viſum habere, minoris eſt ponderis, quod rarius putes accidere, vt vnus ſemper ſit bonus, quam vel aliqui, aut vnus è multis. Nam id ego in te vice verſa retorquere poſſum, facilius eſſe quidem, vnum inueniri probum, quam multos, quoniam ſi quod in iis ſit vitium, id grauius exiſtat, quam ſi in vno, vt grauior eſt etiam in ipſis appetitus cum ratione contentio. Hunc autem vnum probum, quem ſegregamus è multis, Regem eſſe volumus, quod id quoque eiuſdem virtutes promereantur. Accedit huc, quod vt diuturnior multorum eſt vita, ſic perniciosior eorum improbitas: quodque facilius improbus vnus, aut moritur, aut cæditur, quam multi iniuſti, & tyranni: itaque ſi quo diuturnius malum eſt, eo peſtilentius reipublicæ vitiumque multorum & latius ſerpit, & eſt diuturnius, ſequitur ſane, non eſſe idcirco multorum imperium regno anteponendum. Habet quidem incommoda ſua regnum, habet reſpublica omnis: ſed certe cum vitia vnius facilius tolerentur, quam multorum, videamuſque ibi eſſe plura, vbi plures ſint potentiores, nihil eſt, quod hoc nomine regnum vituperetur. Si enim vereare, ne vnus ille, qui omnia teneat, improbus ſit, cur non æque timeas, ne multi etiam illi Senatores imperio, copiaque corrumpantur: cum idem eorum ſingulis, quod illi vni timendum ſit, cumque Romæ, aliiſque in rebuſp. plura, grauioraque, gerente omnia Senatu, ſcelera ciuium extiterint, quam ibidem Regibus, aut vno ſemper regnante. Nec vero vnus, quod addidiſti præterea, priuata commoda potius, quam multitudinis quæret, cum eadem ratione, multis è Senatorum numero propriam commoditatem ſpectantibus, maius reipublicæ incommodum afferatur: ſiquidem multi pro vno populi direptores exiſtunt. Præterea facilius vnius cupiditas, quam multorum expletur, paucioraque ſunt ei ſatis. Quicquid igitur vni Principi poſſe accidere putes, idem in Senatoribus eſt multis, ſi eorum ſingulos æque, ac vnum illum, corrumpi poſſe, grauioremque ipſorum eſſe tyrannidem, cernas. Poſtremum vero illud, quod obieciſti, quis non videat, quam leue, quamque nullius momenti ſit? cum durior ſeruitus ſit, parere multis, quam vni: & ex multis iiſdem plures eſſe vno ſoleant aſperiores. Quæ enim libertas eſt, totidem Reges, dominoſque habere, quot vna in vrbe ſint Senatores, inferioreſque his magiſtratus, quorum cogare inſolentiam perferre? quid illa tibi obtinendi magiſtratus ſpes alleuamenti affert, ſi nec cuiuis illud conceditur, niſi aut potenti, aut nobili, aut maxime honorato, nec ſors tibi, aut ſuffragia ipſum concedant? nunquid inani ſpe illectus duriſſimam æqualium dominationem perpetuo tolerabis? Graue putas vni ſemper domino obtemperare, eiuſdem familiares iniquo animo fers, nec multo durius putabis, vicino tuo, eique fortaſſe inimico ſubiici? Vix poſſunt inæqualium, ac digniorum homines pati dominatum, ferent ſui ſimilium, aut inferiorum imperia? Equidem mihi nunquam perſuadere potui, multorum

imperium iis eſſe gratum, qui magiſtratum nunquam obtinere poſſint, vel plebi demum ipſi, præterquam iis, penes quos tota autoritas ſit: cum æquo animo ciues vel maxime liberæ ciuitatis Principem vnum videamus optare, & accipere. Magna fuerat populi Romani autoritas, & libertas ante C. Cæſaris dominatum: tamen eodem cæſo ab optimis ciuitatis, nec iugum vnius Regis liber ille antea populus, data occaſione, excuſſit, & magno etiam odio cædis autores eius, quem cuncti habuerant prius tyrannum, eſt perſecutus. Ex quo perſpicitur, nihil eſſe reipublicæ vtilius, quam vni optimo Regi parere, quando id populus vniuerſus, exceptis paucis, id boni omnes, id publicæ tranquillitatis ſtudioſi ament, & cupiant. Quæ cum ita ſint, ſatis me arbitror partes Monarchiæ egiſſe, & Antonii obiectionibus reſpondiſſe. LVC. Egiſti ſane Aureli copioſe, ac ſubtiliter: longam enim, atque difficilem quæſtionem ſic explicuiſti, vt mirer, perſpicuitate, breuitateque tanta abs te pertractatam eſſe. Sed adhuc mihi dubium, & illi, credo, Antonio eſt, vt ex eius ſermone tacito licuit coniectare, num iſtum ipſum Regem, quem tu arbitratu tuo depingis, eligi tota ex communitate ciuium, ſpectatis eiuſdem moribus, atque virtute, oporteat: an ex genere Regio, & familia naſci? tum an eadem ratione, qua cunctis reipublicæ formis præfertur Monarchia, vnus cunctorum Princeps eſſe debeat potentiſſimus, an aliis æqualis Principibus. Hæc nobis, quæſo, Aureli, ſi otium eſt, explica: nam & difficilia cum primis ſunt, & ſuperiori cum diſputatione tua finitima. ANT. Gaudeo id equidem Luci ab Aurelio poſtulaſſe, quod cupiebam, quodque ipſe, niſi me præuertiſſes, fueram poſtulaturus. Quamobrem Aurelium ipſum vtrique oremus, id, vt ſi placeat, ex voto faciat noſtro. AVR. Faciam profecto amici libenter, quando veſtris obſequi ſtudiis iam incepi. Quod igitur ex me primum quæritis, anne Regem eum, quem ego cunctis rerumpublicarum rectoribus prætulerim, moribuſque formarim honeſtis, è multis eligi putem: an idem ex genere, cognationeque regia eſſe malim: mihi ſane in eandem dubitationem incidere videtur, inquam, id, quod initio quærebatur: num Regnum eſſet cæterarum reipublicæ formarum præſtantiſſimum. Nam ſi Reges eligantur, aut iidem ex plebe, aut ex nobilitate, ſpectata tamen vitæ probitate cuiuſque, aſſumendi ſunt: ſi ex plebe, nobilitas id ægre ferens multarum ſeditionum cauſa erit, quod ſe negligi videat, vulgoque poſtponi. Si vero ex nobilitate, idem & plebs faciet, quapropter & diſſidia multa, & contentiones orientur, præſertim ſi ex nobilitate quis, vt ſæpe fit, aliquanto ambitioſior populi gratiam colligat, vt regno facilius potiatur: veluti Cæſar, ac L. Sylla: cumque nec tanta ſit inter conditionis vtriuſque homines concordia, vt non interdum alteri ſeſe alteris coniungant, ſicque ipſorum potentia creſcat, & opes. Quod ſi etiam nulla conditionis, aut ordinis ratione habita, ſola virtutis cauſa, eligerentur: fieret tandem, vt filii, cognatique Regum plebeii eſſent, aut quiuis promiſcue ex Regali eſſet familia: ſicque nullus nobilitati, præſtantiæ, honorive locus relinqueretur: id quod rationi valde repugnat: cum

An Reges eligi melius ſit, quã naſci ex parentibus Regibus.

in re-

in republica & ordines ciuium, & gradus dignitatum eſſe debeant, vt ſunt etiam virtutum, meritorumque omnium: fieret etiam, vt is, qui fuiſſet Rex ſemel, priuatæ vitæ pertæſus, regnandique cupiditate incenſus vel ſtudia ſibi multorum deuinciret, vt diutius regno potiretur, vel turbas excitaret permultas, vt vi, rationeve alia potentiam conſtabiliret ſuam: id quod Cæſaris Dictatura, Dionyſii tyranni, Tarquiniique Superbi regna indicant: quorum quiſque, ne ex eo dignitatis gradu, in quo fuiſſet, caderet, neve quod eſſet deturbatus, priuatim viueret ſemper, multarum ſeditionum, bellorumque cauſas præbuit. Præterea ſi Regi futuro neceſſaria eſt optima vitæ inſtitutio ad gerendam rempublicam accommodata, Regeſque eligantur, aut omnes ciues inſtitutione regia informandi eſſent, aut eueniret demum, vt is, qui in regnum cooptaretur, nec bene inſtitutus, nec adminiſtrationi aptus eſſet: quod ſane vtrumque & abſurdum, & incommodum eſt: cum huiuſmodi eſſe in republica æqualitas nec debeat, nec poſſit: cumque ab ipſa pene infantia Principes non tam priuatæ vitæ moribus, quam publicæ potius aſſuefaciendi ſint, ne ſubito ad rempublicam accedentes ob rerum, ac negotiorum imperitiam omnia perturbent. Multi porro (vt eſt hominibus callidis familiare hoc vitium) ſimulatione quadam virtutis, & ſpecie adumbrata regnum ambirent, eoque adepto, tyrannidem exercerent: vt fertur de Nerone, Caligula, deque aliis non paucis, qui regni ſui initio boni videri voluere: poſtea tamen potentia confirmata, occultam ambitionem, animique morbum indicauerunt. Iam ſi eligendi Reges ſint, vel ſortito id fieri deberet, vel ciuium ſuffragiis. Si ſortito, quid ineptius, quam fortunæ vniuerſam reipublicæ ſalutem, adminiſtrationemque committere: ſi ſuffragiis, quæ tanta eſſe cautio, religioque poteſt, vt non ambitioni, gratiæ, affectui, ſtudiiſque pateat locus? accideret demum, vt potentiores, ac popularis gratiæ collectores regno ſemper potirentur, ſicque idem ad paucos perueniret: quod noxium item eſſe ſupra docuimus: nunquam vero boni, honeſtique ciues eligerentur. Quinetiam ſi tanta naturæ vis eſt in iis, quæ procreat, vt quo ſit præſtantior cauſa, eo ſit nobilior effectus: certe parentum nobilitas, præſtantia, regnum denique ad præcellentiam filiorum multum contulerit: cum, vt præclare Plato inquit, rationi ſit congruentius, meliora ex nobilium parentum ſatu ingenia oriri, quam ex vulgarium. Vnde Horatianum illud:

Fortes creantur fortibus: & bonis
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Hinc ſequitur, regno eos aptiores eſſe, qui ſint ex parentibus nati Regibus, quam qui ex priuatis: quando vt illi opibus magis abundant, ita filios liberalius, adhibitis optimis præceptoribus, inſtituere poſſunt: tum ipſos à tenera ætate negotiis publicis, atque priuatis aſſuefaciunt: celſitudinem quoque animo quandam, & excellentiam ingenerant, quam ex maieſtate illa regia, pom-

paque filii concipiunt, & imitantur: demum id virtus, meritaque in rempublicam Regum quaſi ſuo iure poſcunt, vt filii ac nepotes eandem in dignitatem ſuccedant, tum honoris veluti præmio, tum quia vero eſt ſimilius magnis, & excellentibus viris ortos paternam imitari virtutem, quam ex vulgaribus procreatos. ANT. Recte tu quidem Aureli cauſam Regum declamas veluti Gorgias, aut Thraſymachus quidam, dum non tam rationum acumine, quam vbertate dicendi nos vis obruere. Sed quînam his reſpondebis, quæ obiici poſſent, non naſci ſemper ex optimis Regibus filios probos, ſed aliquando reipublicæ pernicioſos: tum eoſdem affluentia bonorum, licentiaque facilius corrumpi, quam quoſuis priuatos: deinde citius vno aliquo ex regno præſtantem virum, imperioq; aptum aliquē deligi poſſe, quā ex paucis vnius Regis liberis, aut vno ſaltem: cum regna legibus natu maiori dentur. AVR. Certe haud hęc maioris momenti ſunt, ſi quæ ſupra retuli, teneas memoria. Nam ideo inſtitutionis bonæ curā non modo Regibus, ſed quibuſuis parentibus commendamus, vt vel prauam filiorum naturam diſciplina corrigant, & emendent. Bonorum item copia non magis ad vitium, & diſſolutionem inuitat, ſi quis ſit bene formatus, quam ad liberalitatem, magnificentiam, virtutiſque cætera officia. Naſci vero ex bonis parentibus filios non bonos, rarius profecto eſt, quam bonos ex bonis: cum omnia ſui ſemper ſimile procreent: ac ſi forte id ita eueniat, ſaltem non eſt eo melior electio, quando & improbi, ſceleratique homines cooptari in regnum, & ii, qui iam cooptati virtutis nomine ſint, corrumpi vitiis eodem modo poſſint: vt ſunt ingenia hominum inconſtantia, & ad vitium procliuia. Sed veniam tandem ad id, ne ſingulis obiectionibus tuis Antoni, quibus diſputatione ſuperiori poſſit eſſe ſatisfactum, reſpondeam, quod ex me poſtremo Lucius quæſiuit: num illum ipſum Regem, quem finximus, reliquorum ei vicinorum, vel omnium denique, qui ſint cumque, ſi fieri poſſit, potentiſſimum eſſe, commodius ſit, quam multis æqualem. Qua quidem de re plures hominum diuerſorum ſententias, & eas à me longe diſcrepantes fore non dubito, exiſtimantium æqualitatem potentiæ in Regibus optimam eſſe, vel quod patriæ conſuetudinis ſint, quam rationis amantiores, vel Regibus ſuis, quorum exigua ſit potentia, plus æquo faueant. Ego vero ratione vſuque rerum edoctus non modo potentiam multorum Regum æqualem non laudo, ſed eam etiam communi orbis tranquillitati multo pernicioſiſſimam duco. Nam ſi hominum auaritiæ aliquis finis eſſet, nemoque alterius bonis inuideret, aut eadem ſibi cuperet: darem id fortaſſe non ſolum in regno, ſed aliis in rebus æqualitatem optimam eſſe: at cum eadem auaritia, regnandique cupiditas grauis, & inſatiabilis ſit, certe nec eſt æqualitas commoda, & qui eam optet, idem perpetua diſſidia, bellaque cupiat. Etenim aut iidem Reges eiuſdem regionis, ſeu duo, ſeu tres, ſeu plures ſint, æquales non ſunt opibus, opulentia, viribus, exercitatione, diſciplinaque ſuorum ſubditorum, aut plane æquales. Si inæquales, non dubium eſt, quin potentior opibus ſuis fretus opprimere minus potētem velit: quem ſi ſuperat, actum profecto erit

An ſit melius, Regem eſſe potentiſſimum, an æqualem aliis.

de re-

de reliquis, quos ſine dubio (vt creſcit vna cum copia rerum cupiditas) pariter ſubiugare conabitur, itaq; nullus bellandi finis erit, dum vnus reliquos ſibi ſubiicere ſtudeat, alteri vel coniunctis opibus, vel diſſociatis, ſeſe tueantur. Accedit huc, quod tametſi quis vnus æqualis aliis ſit, nemo tamen, vt eſt hominum inſolentia, ſibi pares eos exiſtimat, ideoque contemptis illis, bellum vltro infert, eadem imperandi cupiditate incenſus. Quod ſi vero æquales eſſe cunctis in rebus eos fingamus (id quod nec fieri, nec perſuaderi cuiq; de alio poteſt) num tolli decertandi de ſumma rerum occaſio poterit, ſi nec dominandi libidine, nec occaſione iniuriarum, nec repetendorum bonorum iure homines nolunt priuari? Quin videmus plures inter æquales offenſionum cauſas exiſtere, quam inter paucos: ſæpiusque inter eos de principatu contenditur, ſi æquo ſemper Marte pugnetur, quam ſi quis reliquis præſtet: quoniam vltionis cupiditas toties inſtauratur, quoties acceptum aliqua ex parte ſit malum. Exemplo ſunt Romanorum, Carthaginenſiumque bella propemodum continentia, tum Athenienſium, & Lacedæmoniorum, deinde Aſſyriorum, atque Perſarum, reliquarum demum nationum, præſertim finitimarum. Quæ ipſa diuturniora & grauiora fuere, quod æqualium imperium homines ferre nequeant, itaque illud labefactare conentur, quodque inter finitimos plures ſint offenſiones, contentioneſque de finibus, de iniurijs, poſſeſſionum iure, atque aliis huiuſmodi cauſis. Vultiſne vtar exemplis, quæ hac in re plurimum valent? quanto plures fuere pugnæ in Italia, cum æquales Romanis Sabini eſſent, Veientes, Marſi, quam cum vniuerſa prouincia vni populo pareret? quanto etiam in Hiſpania, ac reliquis prouinciis acriora, crebrioraque bella, cum multi in iis reguli eſſent, æque potentes, quam cum princeps vnus? Quod ſi hoc ita ſingulis prouincijs vſu euenit, nonne idem ipſum vniuerſo terrarum orbi accidat, qui à ſingulis partibus ſuis hac in re non diſſentit? Et ne longius perſequar omnia, quemadmodum eſſe præſtantius imperium vnius, quam multorum ſupra docuimus, quod remp. vnus, quam multi, rectius adminiſtret: ſic etiam in vniuerſum commodior eſt mundo vnius ſummi regis potentia, quam æqualium multorum: quando vel mundus idem quaſi vna reſpublica eſt, & eadem ratione totum regi debeat, qua partes eius omnes. Ita videmus vnum eidem vniuerſo parentem, rectoremque Deum præſidere, vnam ipſius mundi naturam, vnam rerum omnium ſcietiam, vnā virtutem, animam vnicuique rei vnam tributam, vnum Solem, vnam agendi, vnam perpetiendi vim, vnum finem extremum, omnia denique ab vnitate proficiſci, eodemque redire. Quæ cum ita ſint, ſequitur, multo humanis rebus eſſe commodius, vnum, ſi fieri poſſit, vniuerſo præeſſe regem, quam pares multos: cui vni quaſi rationi vires animi omnes, ſic principes reliqui ſubiiciantur. Præterea cum vni principi cunctæ parent prouinciæ, pacatiores, tutioreſq; ab hoſtium, graſſatorumq; impetu viæ ſunt, quacunq; in regionem libeat proficiſci, plura exiſtunt inter diuerſas nationes commercia, maior cunctarum rerum importatarum vbique copia, maior mercaturæ opportunitas, & maior apud omnes

tranquillitas, religionis maior conſenſio, opes ciuium maiores, cultus, experientiaque maior, propter conſuetudinem gentium diuerſarum maior rerum cognitio, diſciplina melior diuerſis ex moribus, & inſtitutis rerumpublicarum percepta. Hæc omnia, pluraque his poterit quiſque obſeruare, ſi imperij Romani longe latiſſimi commoda intueatur, ſi aliarum rerumpublicarum, atque regnorum: quæ quanto ampliora fuere, tanto maioribus vſa ſunt commoditatibus. Contra ſi anguſtis finibus regnum concludatur, quanta eſt, bone Deus, hominum ignorantia, quanta ruditas, & imperitia, quanta externarum rerum admiratio, quanta neceſſariarum rerum penuria? Taceo huius generis multa incommoda, quibus carent profecto, qui anguſtis ſepti finibus, patrio ſolo nunq̃ egrediuntur. Ant. Nonne dixi te Gorgiæ, aut Thraſymacho ſtuduiſſe videri Aureli perſimilem? Quemnam hæc tibi probaturum exiſtimas? cum tam diuerſis non ſolum nationum moribus, ſed etiam prouincijs vnus præeſſe nequeat, quin multa bella, & offenſiones naſcantur? velut Romano imperio, (quod vt cunctorum latiſſimum fuit, ita nec decimam orbis partem occupauit) accidiſſe videmus, & omnes nationes regno nequaquam delectantur, probata magis reipub. libertate, & luxum cum copia, imperijque latitudine creſcere ſit neceſſe: vt creuit quoq; apud eas nationes, quæ olim latiſſime imperauerunt. Avr. Cur non prudentia potius Antoni moderatioque augeatur, collatis inter ſe varijs hominum moribus? cur non ex notitia, vſuque maiori obſeruatio fiat diligentior, diſciplinaque melior? An vero ſtatim homines vitia earum nationum, quibuſcum communicent, diſcent, ac non potius honeſtos mores imitabuntur? certe ſi recte informati ſint, non magis vitijs aliorum inquinabuntur, quam inſtitutis, boniſque moribus imbuentur. Atqui ex his, quæ ſum hactenus complexus, non modo veſtris, vt arbitror, Luci, & Antoni, quæſtionibus reſpondi, ſed meam etiam omnem de regno, eiuſque origine, inſtitutione, cæteriſque illi adiunctis rebus ſententiam expoſui: niſi quid nobis aliud videtur, de quo etiamnum dubitetis. Ant. Ego ſane, quando tibi omnem diſſerendi locum ipſe aſſumpſti, nec meam itidem me rationibus ſententiam tueri, & exponere paſſus es: multa, quæ tu pro veris, & exploratis conſtituiſti, vocaram in dubium iterum: ſed vt ſermoni noſtro finis tandem imponatur: neque enim eſt vniuerſa retexenda diſputatio: ſentire quiduis te patiar. Lvc. Mihi certe Aureli tantam ingenij tui admirationem alias ſæpenumero peperiſti, vt te magni ſemper fecerim, atque coluerim: nunc autem expectationem meam hac diſputatione tua viciſti: in qua & id, quod à te propoſitum eſt de principijs atque regni optimi inſtitutione, ex voto perfeciſti meo, & plura profecto, quam à te petenda erant, præſtitiſti. Equidem illud vehementer admiror, quod cum ratione cuncta, quæ dici de regno potuerunt, confirmaueris, eadem, vt ex ſermone tuo intelligo, quaſi noſtro in Hiſpaniæ regno, regeque poſita indicauiſti. Multa enim moribus, ingenioq; noſtrorum hominum congruentia dixiſti, plura regum eorundem inſtitutioni apta, pleraque demum ad noſtræ reipublicæ

Epilogus.

formam

formam accommodata. Vnde viciſti profecto meam illam expectationem, quã diſputationis huius initio habebam, dum tu de aduentu in Britanniam Philippi rogatus eſſes. Hæc enim magna & præclara, neſcio, qua felicitate inſperata mihi audire contigit. Antea certe reipub. noſtræ, regumque bonitatem, æquitatem, præſtantiam, integritatem, cæteraque bona (quæ quidem in ijs fuere permagna) plurimi faciebam, nunc autem ſermone perſuaſus tuo magis etiam admiror. AVR. Nihil eſt ô Luci, quod tanti orationem meam facias: te vero magis miror de noſtræ patriæ præſtantia nunc demum dubitare: nec tibi in mentem veniſſe illud, quod grauis, ac diligens autor Oroſius noſter ſcribit, nullos fuiſſe, vnquam in noſtra Hiſpania tyrannos, vel ipſa ex regione ortos, vel aliunde admiſſos, vt alijs in pleriſque prouincijs. Quod quam ſit verum, declarant bella illa ducentos, & eo amplius annos à noſtris contra Romanos geſta: in quibus ijdem partim deuicti, partim victores tandem Auguſti ætate in illorum poteſtatem prorſus venere. Iidem poſtea illius populi mores, linguamque, neglecta materna, celerrime complexi, tam ſunt ſtudioſi partium Romanarum effecti, vt cum Gotti, Vandali, Sueui, aliæque barbaræ nationes Hiſpaniam (irruptis Pyreneis montibus cæſiſque Dydimo, & Veriniano fratribus, qui tunc opibus ſuis aditum illum tuebantur) poſt quadringentos annos, ex quo Hiſpania vniuerſa in prouinciam redacta fuit, id eſt, imperante Honorio, inuaſiſſent, atque in regione illa ſedes, regnique ſolium poſuiſſent: vix à Siſebuto rege, hoc eſt, poſt annos ducentos, ex quo dominabantur barbari, erepta omnino Romanis prouincia ſit: cum toto illo CCC. annorum, quo fere in Hiſpania Gotti imperauerunt, ſpacio permultæ ciuitates in fide Romanorum permanſiſſent: quouſque diſſidentibus ſæpe vtriſque populis, maxima prouinciæ pars in Maurorum poteſtatem, Iuſtiniano II. Cæſare, venit. Atque hic quidem non modo fidem, conſtantiamque noſtrorum hominum intueri licet, ſed regiæ quoque familiæ antiquitatem, ac nobilitatem: quæ ab Ataulpho Gottorum rege Honorij Cæſaris ex Placidia ſorore affine deducta, mille & centum annos nec intermiſſa, nec extincta calamitatibus vllis eſt. In tanto regum numero, quantus hoc toto fuit tempore, mirum profecto id eſt, nullum apud nos fuiſſe vnquam tyrannum, quemadmodum idem ille Oroſius prædixit: cum nec illatum, vt fertur, à Roderico rege Cauæ Iuliani Tingitanorum comitis filiæ ſtuprum à noſtris æquo animo ferri potuerit, nec Petri Caſtellæ regis crudelior, quam iniqua mens diu ſit permiſſa, nec vlla denique, ſi quæ fuerit, regis cuiuſquam crudelitas, auaritia, tyrannis relicta fuerit aliquando impunita. Interim tanta noſtrorum in principes ſuos fides, ac ſtudium extitit, vt nullum perfidiæ, aut iniquæ ſimultatis exemplum noſcamus: vt illam taceam pręclaram Saguntinorum erga Romanos fidem, vt denique eximium Romanorum ſtudium, quo ſemper flagrauerunt, quandiu eorundem imperio ſibi parendum putauere. Nec vero referre hic neceſſe eſt, quot principes excellentes ex ea vna prouincia nati non modo ipſam iuſtiſſimis legibus re-

Hiſpania, eiuſq. reg. laus.

bus rexerint,ſed externas etiam nationes: cum vel Traianus, Adrianus, Gratianus, Theodoſius Imperatores iuſtiſſimi exemplo eſſe poſſint. Nec etiam gentis ingenia, mores, cultum ,fortitudinem, probitatem,conſtantiam,fidem,aut ducum multorum præclare res geſtas, aut fertilitatem regionis,& copiam rerum omnium,aut hominum doctiſſimorum præſtantiam dicere oportet,cum vberiorem hęc orationem requirant, & longius, quam inſtitueram,ſim pręteruectus. Quocirca nec tu deinceps de regni noſtri bonitate Luci dubita, nec tu remp. vllam Antoni pręferas, cum vel exempla hęc ſatis ſint, quę commemoraui, & plura ſe his offerre poſſint, ſi huius, quem initio propoſui,Philippi vitam, moreſq; perſpicias.

FINIS LIBRI TERTII.



INDEX
SVPER TRES LIBROS DE REGNI REGISQVE INSTITVTIONE LOCVPLES.

A.

ACademiarum & ſtudiorum publicorum formatio. 36
Adulatio quomodo euitari poſſit. 33
Adulationis vituperatio. 4
Adulatione & ſeruitio multi principum gratiam acquirunt. 4
Adulatores a bona rep. debent eſſe alieni. 59
Adulatores aut eſſe occultos aut apertos. 68
Æquitas regis quæ eſſe debeat. 48
Æquitas regis quid ſit. 48
Affabilitas regis. 80
Affabilitas in quibus rebus neceſſaria. 81
Alexander liberaliſſimus fuit habitus. 60
Alexandri de diuinitate inepta opinio. 33
Amici veri à falſis quomodo dignoſcendi. 66
Amici regis vitioſi qui ſint. 67
Amicitia in rege qualis & erga quos eſſe debeat. 66
Animus quaſi ductor & princeps hominis. 6
Animi perturbationum vſus. 23
Annibal Carthaginenſium dux. 30
Annibalis aduerſus Romanos diuturnum bellum. 42
Annonæ caritati quomodo prouideri queat. 63
Antiochus magnus ebrietati deditus. 77
Antiquorum in inſtituendis pueris mos probatiſſimus. 35
Apparatus ad ciuitatis munitionem neceſſarii. 42
Ariſtippus Philoſophus. 80
Armenta & pecudes ſuis ducibus nō carent. 6
Artes in quibus reges exercendi quæ ſint. 29
Artes quales eſſe debeant quæ regibus à pueris traduntur. 15
Athanaricus Gothorum Rex. 82
Athenis olim multa turba etiam leui de cauſa orta. 94
Athenienſes à Philippo Macedonum rege victi. 93
ἀσυμνήτων à Græcis quid dicatur. 85
Attali Regis hæres populus Romanus. 45
Autoritas belligerandi penes quos ſit. 71

B.

BAbylonicum primum imperium. 9
Bellum Punicum. 44
Bellum quomodo à rege gerendum. 70
Bello qui præſtent. 40
Bellica prudentia ad reip. conſeruationem. 39
Bellicis neceſſitatibus quomodo prouideri debeat. 40
Beneficia in quos conferenda. 58

C.

CAlpe portus. 41
Caroli V. in Gandauenſium tumultum animaduerſio. 39
Caſtellanus Aragonenſium rex. 46
Cathechiſta olim in eccleſia qui fuerit. 35
Chriſtianus princeps bellum gerere iuſte poteſt. 71
Ciuitates quomodo olim inſtructæ fuerint. 43
Ciuium ordo atque claſſes. 42

Ciuium gradus quot ſint. 8
Ciuium boni regni inſtitutio. 34
Ciuium voluntatem quomodo princeps ſibi conciliare poſſit. 41
Conſilium regis quodnam eſſe debeat & quantopere diligendum. 38
Conſtantia in negotiis optima. 70
Conſtãtia dictorũ & factorũ, virtus dicitur. 55
Conſtantini magni factum. 46
Corporis exercendi varia forma. 18
Cupiditatum continentia in rege prælucere debet. 75
Cyaraxis filia Cyro iuncta. 45
Cyrus Perſarum Rex. 40

D.

DAuid Hebræorum rex muſicæ ſtudioſiſſimus. 20
Demetrius Rex. 69
Democratia ab Ariſtocratia quomodo differat. 43
Democratia & Oligarchia quomodo differant. 86
Democratia Athenienſium Reip. forma. 91.
totaque fuit Tyrannica. 92
Deorum tria genera à Scæuola pontifice conſtituta. 54
Dignitates nec vendi nec elocari debere. 51
Dionyſius Siciliæ Tyrannus. 30
Dona regis quæ eſſe debeant. 61

E.

ECcleſiæ veteris puritas ac candor. 35
Educatio regis in infantia q̃ eſſe debeat. 13
Electio magiſtratuum. 31
Ephori in Laconum Rep. 55
Epicurei homines ex atomis fuiſſe cõflatos exiſtimarunt. 9
Epicureorum de origine rerũ omniũ opinio. 9
Equitatio quomodo inſtituenda. 17

F.

FŒdus frangere non eſſe boni principis. 58
Forma cuiuſq; rei materia præſtitur. 6
Fortitudo regis à Cicerone quomodo definitur.

G.

GAlieni Cæſaris notabile exemplum.
Græciæ ciuitates quid olim euerterit.
Gratitudinis ratio in quo ſit poſita.
Grues ſagaciſſimæ aues.
Gulæ prauitas quanta, & quam neceſſaria regi frugalitas.

H.

HAbitatio regis in quo loco eſſe debeat.
Hebræorũ bella aduerſus finitimas gentes.
Heliogabali Imperatoris intemperantia.
Hercules Alexandri Macedonis filius.
Hiſpania Maurorum imperio ſubiecta.
Hiſpaniæ eiuſque regum laus
Hiſtoriæ felicitas quæ ſit.
Homines otioſi in Rep. non ferendi.
Homines Saturni tẽporib. libere vagabãtur.
Homines congregatione carere non poſſunt.
Hominibus à natura ſemina iuſtitiæ quædam eſſe inſita.
Hoſtis regionem ſi inuadat q̃d faciendum.
Humanitas quantum deceat regem.

I.

IMperium atque potentia regis quomodo iuſte propagari poſſit. 4
Iuſtitia regia quæ ſit. 4
Iuſtitia diſtributiua quo pacto ad regem pertineat. 5
Iuſtitia commutatiua quæ dicatur. 5

L.

LAbor ac difficultas regnandi. 8
Lacedæmoniorum mos in exercenda muſica. 19
Leges Tribunitiæ & Agrariæ quomodo inductæ.
Leges principe ac magiſtratu ſuperiores habentur. 48
Leges ſumptuariæ quæ ſint. 82
Leges à rege quoque eſſe obſeruandas. 47

Leg-

Leges ſumptuariæ quatenus vitandæ. 83
Legũ conſeruatio quatenus ad regẽ ꝑtineat. 53
Liberalitas erga bonos exercenda. 59
Liberalitas Regis qualis eſſe debeat. 60
Libido quam turpis ſit in rege. 78
Luctatio eiuſque forma. 16
Ludicris rebus & inutilib. reges non ſtudeãt. 75
Luxus in victu & veſtitu principi euitãdus. 81
Lycurgus Rex Ephoros munerum omnium ſibi collegas adiunxit. 96

M.

Magiſtratus non debere eſſe ꝑpetuos. 51
Magiſtratus qui indigenis qui vero alienigenis comparentur. 52
Monarchia in omnibus primas obtinet. 94
& quare. 95
Monarchiæ cũ aliis reip. formis comparatio. 91
Monarchiam regno præſtare. 93
Motio corporis quieta eſſe debet. 22
Motus puerilem ætatem qui deceat. 15
Motuum corporeorum forma. 16
Mundum ab æterno fuiſſe aliqui putarunt. 9
Muſica eiuſque vſus. 19
Muſicæ vis quanta ſit. 20
Muſicæ concentus quinam. 20

N.

Nationes cunctæ ab initio ſtatim principem vel rectorem habuere. 7
Nutricum regiarum officium quod ſit. 14

O.

Oligarchia quæ habeat commoda. 92
Opes in quos vſus à Rege ſint conuertendæ. 76
Oppida regni q̃ munienda & quomodo. 41
Ordo inſtituendi regis & regni qualis eſſe debeat. 13
Ordo omni multitudini neceſſarius. 8
Ornatus quinam regem deceat. 81

P.

Paraſitos alere ac fouere magnæ leuitatis eſt. 68
Perſarũ reges ſemper arrogantes fuiſſe. 80
Platonis de Magiſtratu præceptum. 31
Pontes in Hiſpania commodiſſimi. 63
Potẽtia paucorũ in regno quomodo vitãda. 61
Præceptores regis in prima ætate quales eſſe debeant. 28
Præmia pœnæve à rege cuilibet tribuendæ. 53
Princeps exercitia ciuibus vtilia exercere debet. 43
Principem quæ deceant. 3
Proceres Britanniæ humaniter Philippum Hiſpaniæ excipiunt. 2
Propoſito diſpoſitionis vniuerſæ de regno & rege in hiſce libris. 12
Prudentia regis. 27
Pueri quomodo Chriſtiana pietate inſtituendi. 35

R.

Regni formæ & earum diſcrimen. 11
Regni noui tuendi forma. 46
Regni amplificandi iuſtæ cauſæ. 45
Regni muniendi forma. 71
Regni atque regum vituperatio. 3
Regnorum origo & vitia. 7
Regnorum veræ cauſæ & incrementa q̃ ſint. 19
Religio in rep. quomodo à rege ſtabilienda. 53
Religio ac pietas regis quales eſſe debeant. 26
Reſpublica Venetorum laudatur. 5
Reipublicæ adminiſtratio quã neceſſaria ſit. 5
Reipub. regnandæ forma. 45
Reipublicæ definitio & ſpecies. 11
Reipublicæ augendæ forma. 44
Reipublicæ conſeruandæ forma. 38
Rẽpublicã monarchiæ non eſſe anteponẽdã. 96
Res omnes neceſſariæ quomodo in Rep. ſuppetant. 64
Rei pecuniariæ quæ cura ſit adhibenda. 57
Rex an ſit ſupra leges nec ne. 48
Rex in quos gratus eſſe debeat. 58
Rex quatenus & quomodo fidem ſeruare debeat. 55

Digitized by Google

Rex in quibus ſit magnificus. 62
Rex quibus obtemperare debeat. 54
Rex quatenus Rex nũ prauus & iniquus eſſe poſſit. 49
Regis boni duo officia. 69
Regis magnificentia quæ ſit. 62
Regis diligentia & patientia in publicis negotiis. 70
Regis inſtitutio quod ad corpus attinet. 13
Regis æquitas quæ ſit. 48
Regis prima cura quæ eſſe debeat. 50
Regis conſilium. 31
Regis virtutes quæ ſint. 47
Regi pro repub. eſſe moriendum. 74
Regem bello intereſſe quam neceſſarium ſit. 73
Reges eligi an melius ſit, q̃ naſci è parentib. 98
Romana iuuentus in Campo Martio ſe olim exercuit. 43
Romanorũ Imperatores iuſtiſſimi q̃ fuerint. 89
Romanorũ aduerſus nationes cõtinua bella. 44

S.

SAltatio eiuſque forma. 16
Sardanapali exemplum. 96
Saturni regna fuiſſe aurea. 9
Scholarum triuialium forma quæ ſit. 34
Scipio Africanus multa in Remp. Romanam beneficia contulit. 92
Seditio eiuſq; cauſæ & remedia. 39
Seianus Tiberii Cæſaris familiariſſimus. 67
Sententiæ diuerſorum de regni origine & cauſis. 8
Serui olim in Sicilia magna bella & diſſidia excitarunt. 65
Siciliæ Tyranni olim crudeliſſimi. 3
Solimanus Turcarum Rex à Carolo V. fugatus. 63
Somni ac vigiliarum forma. 23
Suadentium rectè dignoſcendorum forma. 32

T.

TArquinii ſuperbi regna. 99
Temperantia regis. 74
Theages integrum bouem comedit. 77
Themiſtocles à Rege Perſarum magni factus. 60
Thraſymachi ſententia. 49
Tiberius Cæſar ab omnibus reprehenditur. 51
Traiani in Chriſtianos edictum. 49
Tributa quomodo imponenda & exigenda. 75
Turcarum Imperatores quid ad tantam potentiam euexerit. 44
Tyranni & regis diſcrimen. 87
Tyrannicæ vitæ diſcrimen. 88
Tyrannis reip. deprauatio. 91
Tyrannis quid & quotuplex. 85
Tyrannidis cauſæ & origo. 86
Tyrtæi Poetæ verſus. 19

V.

VAletudinis curandæ forma. 23
Vectigal iuſtum regi deberi. 57
Vectigalia qua ratione ſint imponenda. 76
Venatio eiusque vſus. 17
Victus Principis quinam eſſe debeat. 22
Victus ratio ad valetudinem tuendam bona quæ ſit. 21
Vigilantia regis in prouidendis rebus bellicis. 72
Vindicatio iniuriarum quæ regem deceat qualis ſit. 5[illegible]
Vitruuii opinio. [illegible]
Vladislaus Pannonum Rex. 55. eius cum Amurathe induciæ violatæ. ibid
Voluptates non ſolum principes verum etiam priuatos adoriuntur. 9[illegible]

X.

XEnophontis elegans dictum. 9[illegible]

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google